REGESTUM.

† †† †††

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTV
XYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk
Lll Mmm Nnn Ooo.

Omnes ſunt Duerniones.



ROMÆ,
Typis Komarek MDCCVII.

SUPERIORUM LICENTIA.

DIVUS THOMAS
SUI INTERPRES
DE DIVINA MOTIONE
IN ORDINE SUPERNATURALI,

SEU

DE DIVINIS AUXILIIS.

Tomus Secundus, & Ultimus.

EDITIO SECUNDA.

DE DIVINIS AUXILIIS

SEU

DE DIVINA MOTIONE

SUI INTERPRES

DIVUS THOMAS

Res 4822/2

DIVUS THOMAS SUI INTERPRES DE DIVINA MOTIONE

IN ORDINE SUPERNATURALI,

SEU

DE DIVINIS AUXILIIS.

OPUS DICATUM

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

In Laudem Gloriæ Gratiæ Dei, Ad Epheſ. 1. Verſic. 6.

AUCTORE

REV. ADM. PATRE ANTONINO MASSOULIÉ

Conventus Tholoſani S. Thomæ Aquinatis, Socio Reverendiſſimi Patris Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum.



ROMÆ, MDCCIX. Ex Typographia Komarek in Via Curſûs.

DE SUPERIORUM LICENTIA.



DIVUS THOMAS

SUI INTERPRES

DE DIVINA MOTIONE

SEU

DE DIVINIS AUXILIIS.

AD

INNOCENTIUM XII

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

ERUDITO LECTORI.

ALTERAM hujus Tractationis Patrem, & quidem majoris momenti de Divina Motionis in ordine ſupernaturali, ſeu de Divinis Auxiliis in utroque naturæ ordine, ſeu privilegiis Innocentiæ ornatæ, ſeu peccati fœditate deturpatæ, vulnereque ſauciatæ, pertractandam aggredimur, eodem animo eodemque conſilio, quo Superiorem proſecuti ſumus, ut certam, & ex puriſſimo fonte hauſtam D. Thomæ doctrinam explicemus. Et quidem id opportunius forſitan fuerit, ut inter Theologorum ſententias quæ Scholas dividunt, quid Eccleſiæ traditioni, fideique conſentaneum magis ſit, faciliùs perſpiciatur. Equidem ut ipſe arbitror, reſolvendis de Divina Gratia controverſiis, quæ Theologorum omnium ingenia, aut exercent, aut torquent, unus ſatis ſuperque eſſe poſſet Auguſtinus, quem Sanctiſſimi Pontifices ut præcipuum poſt Divum Paulum Divinæ Gratiæ defenſorem, ac inter diffidentes Theologos præcipuum arbitrum ſuſpexerunt, quemque inter alios Divus Thomas, *Et Cælorum tubam, & Chriſti linguam* nuncupavit. Et verò quem lateat, eam ſemper in Eccleſia de Divo Auguſtino exiſtimationem fuiſſe, ut à D. Proſpero dictum fuerit Epiſtola de gratia, & libero arbitrio ad Ruffinum ſcripta, quòd Sanctiſſimus Vir *Præcipua in hoc tempore*, cùm ſcilicet de Divina Gratia controverſia magis in Eccleſia ferveret, *Portio Domini Sacerdotum, copioſè, & pulchrè in multis voluminum diſputationibus, verſutias* quibus ſe tenebrarum Filii, ac Divinæ Gratiæ publici hoſtes tegere voluerant, *deſtruxit*: adeoque in aperta luce ea quæ de Divina Gratia Fides docet repoſuit, ut non aliunde veriùs Eccleſiæ ſententia, quàm ex hujus *Excellentiſſimæ Auctoritatis Viri* ſcriptis poſſit intelligi. Unde & in fine ita Ruffinum D. Proſper monet: *Tu autem dilectiſſime, ſi verè de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te convenit, ipſis D. Auguſtini diſputa-*

Erudito Lectori.

ſputationis cognoſcendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatiſſimam ac ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris. Nec verò eam immeritò D. Auguſtino laudem S. Proſper conceſſit: cùm ut iterum contra Caſſianum idem Proſper inquit initio: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus Viri ductu pugnat, & vincit*. Commiſſa ſcilicet ea videbatur D. Auguſtino provincia, ut oppugnatam Eccleſiæ Fidem defenderet, ac Divinæ gratiæ jura tueretur. Unde ut ipſe de ſe Auguſtinus refert, *Curam Scripturarum mihi Fratres mei Coepiſcopi duobus Conciliis Numidiæ, & Carthaginis imponere dignati ſunt*; ut veriſſimè à D. Proſpero lib. de Ingratis dici potuerit, quod Conciliorum *Dux Aurelius ingeniumque -- Auguſtinus erat, quem Chriſti gratia cornu -- uberiore rigans noſtro lumen dedit ævo, -- accenſum verò de lumine*. Neque enim aliter fieri poterat: atque ea ſollicitudo quam erga Sponſam Eccleſiam Chriſtus gerit poſtulabat, ut Auguſtinum nomine ipſius Eccleſiæ agentem, & à Sacris Conciliis deſtinatum, ut ab Hæreticis laceſſitam Fidem de Divina gratia defenderet, ſingulari lumine illuſtraret quamvis inferiorem Conciliorum definitionibus Auguſtini ſententiam habendam eſſe nemo eſt qui dubitet: & cùm olim in eo quem poſteà Maſſilienſes amplexi ſunt, errore verſatus Auguſtinus fuiſſet; ab eo errore Divina revelatione ſe revocatum fuiſſet inquit; & efficit eximia illa D. Auguſtini Sanctitas, ut de vera etiam revelatione intelligatur. *Cum de hac re*, inquit lib. de Prædeſt. SS. cap. 4. *aliter ſentirem* (unde ſcilicet unius ab alio diſcretio oriatur) *quam mihi Deus in hac quæſtione ſolvenda, cùm ad Epiſcopum Simplicianum ſcriberem REVELAVIT*. Cùm enim futurus eſſet Divinę Gratiæ contra publicos hoſtes præcipuus, & omnium acerrimus vindex neceſſe erat Superiori Divinoque lumine illuſtraretur, ut eſſet Spiritus Sancti, & Eccleſiæ veluti organum, quo Divinæ Gratiæ myſteria explicarentur. Unde nihil mirum à Joanne 2. Epiſt. 2. Divum Auguſtinum hac ingenti commendatione ornatum fuiſſe, quæ nedum cæteras ſuperat, ſed & qua vix altera intelligi major poſſit: quod *Hujus Doctrinam ſecundùm Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia*. Ampliſſima ſanè commendatio: ut cùm cæteri Eccleſiam ſequi ab eaque omnino pendere jubeantur; Auguſtinus Eccleſiæ præire videatur: ea tamen dumtaxat ratione, quòd à Deo certa munitaque ſit in Auguſtino Eccleſiæ Fides, ut non alibi pleniùs ſolidiùſque explicatam defenſamque ipſa Eccleſia

con-

conſpiciat. Prætereo plurima, quæ larga manu in tanta meſſe à me colligi facilè poſſent : quamvis ea etiam meritis ſummi, & præſtantiſſimi Eccleſiæ Doctoris longè inferiora ſint. Quis enim Virum *Ineffabiliter mirabilem, & incomparabiliter honorandum*, ut loquitur Divus Proſper Epiſtola ad ipſum ſcripta, ſatis unquam commendet? aut quis *Inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas*, ut Epiſtola ad Ruffinum loquitur idem Proſper, quas de proſtrata hæreſi reportavit, nolit Auguſtini gloriam proſequi, & Eccleſiæ in quam ea Auguſtini gloria redundat, gratulari. Nec verò quidquam obeſt, aut Auguſtini gloriam minuit, ſi quis reponat, exiſtimandum non eſſe voluiſſe Pontifices, quæcunque à D. Auguſtino de Divina Gratia aſſerta defenſaque ſunt, ad Fidem pertinere. Quem enim lateat expectandum ſemper eſſe Eccleſiæ Judicium, ut quid illæſa Fide oppugnari poſſit, extra dubium omne reponatur? At me quidem Judice, & neminem diſſenſurum arbitror, poſt impoſitam nobis tantam nubem teſtium, non careret aliqua temeritatis nota, ab his quæ Auguſtinum docuiſſe certò conſtat, velle recedere : cùm ut Cardinali Baronio obſervatum eſt, Divi Auguſtini authoritas, & doctrina lædi nunc, & ulla ex parte impugnari, aut reprehendi non poſſit ſine manifeſto viginti, & ampliùs Summorum Pontificum contemptu, & ſine ſingulari Sanctæ Sedis Apoſtolicæ in juria. Unde ut arbitror vano labore ſe torquent, & magno conatu nihil efficiunt, qui ingenii nervos intendunt, ut probent non omnia, quæ ab Auguſtino de Divina Gratia aſſerta ſunt, ad Fidem pertinere. At enim non pertinere ad Fidem, niſi Eccleſiæ judicium acceſſerit, ipſe ultro aſſentiar : Sed ab ea ſententia quam ab Auguſtino certò conſtat defenſam fuiſſe, neminem diſſentire poſſe ſine manifeſto SS. Pontificum contemptu, & ſine aliqua Sanctæ Sedis injuria affirmo : nec puto ullum Theologum adeò parùm ſuæ exiſtimationis ac famæ ſollicitum eſſe, ut velit Sapientiſſimi totiùs Eccleſia Doctoris Auguſtini patrocinium ſuæ ſententiæ deeſſe. Nihil igitur dubium, mea quidem ſententia, quin reſolvendis de Divina Gratia controverſiis, & ſopiendis diſſidiis, quæ Catholicas inter Scholas verſantur, unus ſatis eſſe poſſet Auguſtinus, ſi ea qua par eſt attentione, & animo à præjudiciis, partiumque ſtudiis vacuo legeretur, quem alioquin ut Cæleſtinus Papa ad Galliarum Epiſcopos ſcripſit, nec ullus ſiniſtræ ſuſpicionis minimus unquam rumor aſperſit. Verùm cùm non deſint inter Theologos plurimi, quibus viſum eſt difficiliùs Divi Auguſtini mentem, ob ſublimitatem Doctrinæ cum ſumma eloquen-

tia

tia conjunctam, vix ita percipi posse, ut non aliqua de ejus vera certaque sententia dubitandi ratio superſit; expeditiorem fore difficultatum omnium resolutionem arbitratus sum, si Divi Thomæ principia advocarentur, quem nemo inter Theologos post SS. Pontificum oracula dubitat Sancti Augustini mentem, veramque de Divina Gratia sententiam fuisse assecutum; eamque miti facilique stylo ubique ita explicuisse, ut penè oculis conspicuam effecerit. Atque eam in D. Thoma summa perspicuitatem, quæ tamen rationum soliditati nihil officiat, observat Eminentissimus Cardinalis de Aguirre Tom. 3. Prolog. 2. eamque commendationem, & quidem insignem D. Thomæ tribuit, scilicet satis sibi superque fore, *Si perspectam manifestamque ipsius sententiam habuerit, qui mira illa Angelicæ mentis claritate obscurissima quæque exposuit, & abstrusos Patrum præsertim Augustini sensus luce donavit.* Quin (inquit) *& quod experientia didici, nec dubium quin alii, contingit in controversiis, inspecta sola Augustini littera, mentem obrui fluctibus difficultatem, nec apparere viam ad emergendum: totam verò procellam sedari, & occurrere portum, ubi intentè quæritur, & tandem invenitur, quid Angelicus Doctor tradiderit. Ipse enim miti ac suavissimo interpretationis genere D. Augstinum exponit*, & sublimem Augustini differendi rationem ingeniorum mediocritati ita attemperat, ut rationum vi servata, additaque perspicuitate, sine depressione facilem, & accommodatam efficiat. Sed præterea cùm D. Thomæ Discipuli à plurimis veluti in judicium vocentur, iisque eam notam affingant, quòd à sui Magistri doctrina desciverint; hanc mihi post cæteros à quibus ea injuria depulsa est, Provinciam assumendam existimavi, ut copiosiùs, quàm alii soleant, veram D. Thomæ sententiam explicarem, adductis etiam in medium integris licet interdum longioribus Articulis, ut nemo nobis ultra eam injuriam inferre possit, Recentiores D. Thomæ Discipulos, alienam Scholam incessendi studio, Ducem ipsum Divum Thomam Sanctissimum Doctorem deseruisse, ac novam veteribus suæ Scholæ Theologis incompertam Doctrinam defendendam suscepisse: cùm ut spero meridiana lucè clariùs, comparatione eorum quæ nunc à Thomistis Recentioribus docentur, & quæ nos olim D. Thomas docuerat, relieratque in scriptis, demonstraturus sim, unicam esse omnium Thomistarum sententiam, nec quantùm latus unguis est à sui Magistri vestigiis Discipulos recessisse. Nec verò demum eæ dotes Sapientissimo Aquinati desunt, ut in amplissimo Theologorum cætu ipsius de Divina

vina gratia ſententia audiri non debeat, nec mereatur: cum etiam citra cujuſque injuriam, nedum magnus inter magnos, ſed etiam nulli ſecundus inter Scholaſticos Theologos ſemper Divus Thomas habitus fuerit: ut ſequenti commendatione quam ſubjungo explicabo, ſi eam qua erga Sanctiſſimum Præceptorem feror, propenſionem, hac quamvis mediocri commendatione teſtari me, benevolus Lector ſinat. Cùm etiam in præſentiarum tardum prælum aliquod mihi temporis ſpatium relinquat, ut huic ſcribendæ vacare liceat, quod antea non reliquerat. Neque enim in laudando D. Thoma nos cedere aliis æquum eſt, qui licet extra hujus Scholam, ab hujus ſententia diſſideant, ipſum tamen admirantur, magniſque laudibus cumulant. Quid enim nobis agendum ſit qui ad pedes D. Thomæ in ea Religioſa domo, quæ Sacras ipſius Reliquias, & ſervat & colit, inſtituti ſumus? *Vidit* ea domus cæteris omnibus hac ſorte ſuperior ac felicior: *Vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor ſit repoſitus*. Deuter. cap. 33. Quàm multis aliis ex capitibus laudem aliquam ea domus mereri poſſit, aliis dicendum relinquo: ſed ea ſorte cæteris omnibus ſuperiorem eſſe nemo negaverit. Et nos etiam amore, reverentia, ac ſtudio erga Sanctiſſimum Doctorem, cæteros omnes ſuperare, & in eo laudando primos eſſe æquiſſimum eſt, & ipſa beneficii magnitudo poſtulat, ne hujus aut indigni, aut immemores eſſe videamur. *Vir Dei venit ad nos Angelicum vultum habens* Jud. 13. qua reverentia, quo amore excipi non meretur? Utinam & *Angelorum lingua* hujus laudes celebrare liceret. Sed hanc primam velim D. Thomæ commendationem eſſe: Vt celebrentur alii, ſatis eſſe hominum encomia, ut pro meritis D. Thomas celebretur, cæleſtium laudes & Angelorum linguam requiri.

COMMENDATIO
DOCTRINÆ D. THOMÆ

Dux Sapientiæ, & Sapientium Emendator. Sap. 7. 15.

SI quis unquam inter eos, quos longè ſupra alios evectos, majores tum ex ſanctitate tum ex ſcientia dotes exornarunt, ingentem hanc laudem meruit, ut Sapientiam ipſam gradu antecedere, & ſapientes veluti certa rectaque regula dirigere, eorumque errores emendare diceretur; meruit ſanè D. Thomas, cui ſupra invidiam omnem evecto, communi conſenſu, Scholarum Principis, Theologorum anteſignani, Doctoriſque Angelici ampliſſimum titulum cæteri omnes conceſſere. Salomoni olim inquit D. Ambroſ. (Apol. David. lib. 1. cap. 3.) Sapientia ipſa invidit, indignata ſe inter delitias coli: veritaque ne falleretur Orbis, ſapientiſſimus hominum Salomon, ſed mollitia luxuque lapſum permiſit. *Fuit in eo* inquit *invidioſa Sapientia, & culpæ ſuaſoria, quæ hominem comprobaret, ne ſupra hominem crederetur, ſi vitio carviſſet humano.* Sed jam dudum hanc à Summo Pontifice laudem conſecutus eſt Thomas, Sanctiorem eſſe & Salomone majorem, ac pene Angelis parem, *Ecce pluſquam Salomon hic:* (Innoc. VI.) majoremque illi cum Sapientia ſenſuum, morumque conſenſionem eſſe, quàm ut locus invidiæ eſſe poſſet. Suos omnes in ejus mentem animumque ut cæleſte Gazophylacium Sapientia Theſauros effudit; ſuis ipſum veluti manibus ut abſolutiſſimum opus, ad ſuæ artis commendationem effinxit; ſuumque opus mirata, nec unquam forſitan effectura majus, primas ipſi partes, primumque locum relinquit. Primus Thomas graditur ſequiturque præeuntem Sapientia; nec ſibi integrum fore Sapientia arbitrata, ſi cæteris Thomam magiſtrum præfeciſſet, etiam ipſum ſibi Ducem conſtituit: *Dux Sapientiæ & Sapientium emendator.* Et verò cur non Salomone major Thomas? cùm vitio caruerit humano, nedum delitias averſatus, ſed & virginitate Angelis non inferior; ut æquè ſine labe vitâ, ac ſine errore doctrina, utraque celebrata in *Urim & Thummim*, innocentia & veritate, dote exornaretur. Exigit ſanè grati animi ſenſus, ut cùm omnia, quæ in hoc Tractatu de divina motione, diviniſque auxiliis, vel

hacte-

hactenus dicta, vel deinceps dicenda sunt, ex uno D. Thoma accepta sint, ipsique ultro à me accepta referantur; aliquid in ejus commendationem dicam, quo singularem erga Sanctissimum Magistrum, jamque à prima in studiis institutione apud Deum Patronum assumptum, affectum demonstrem: etsi mediocre futurum sit, & dumtaxat pro tenuitate virium, quidquid in ejus laudem conferri à me poterit: cùm ut meritis æqua esset commendatio, nec ingentibus dotibus quibus cumulatus est inferior, necesse foret, ut ipsa etiam oculis conspicua vocalisque effecta Sapientia ipsum commendaret.

Alterum, & quidem majus Sapientiæ miraculum Moysem Siracides ipse sapientissimus olim commendavit: (Eccles. 45.) Atque inde maximè commendationem repetit, quòd inductus in nubem Moyses Divina voce, traditaque sibi lege Viræ, & Disciplinæ, supremus omnium Prophetarum à Deo constitutus sit, ut doceret Jacob testamentum suum, & judicia sua Israel; adeoque cæteros omnes antecesserit, ut jam olim dici nec immeritò potuisset, (Deutero ult.) *Non surrexit Propheta ultra in Israel sicut Moyses*. Et verò inquit Aquinas noster singularem illam Moysis sapientiam eximiasque dotes quibus à Deo exornatus fuerat demiratus: (quæst. 12. de verit. art. 14.) Tribus quæ ad genus Prophetiæ pertinent, cæteros Prophetas Moyses antecelluit, & longo post se intervallo reliquit. In primis *Visio ejus intellectualis fuit excellentissima*, quòd à Deo accepta fuerit, adeoque ad ejus arbitrium concessa, ut eam *Ad nutum haberet, quod de nullo alio legitur*. Sed præterea cùm cæteri *ad particulares personas*, vel *ad specialia negotia* pertractanda interdum à Deo legati, Doctoresque destinati mitterentur; unus Moyses *Toti populo* edocendo instituendoque destinatus est: Unde & *denuntiatio præcedentium Prophetarum Præparatio quædam fuit ad legem Moysis*, quæ tradita *Fundamentum quoddam fuit sequentium Prophetarum*: cùm eò deinceps cæteræ omnium Prophetarum denuntiationes, admonitionesque maximè tenderent, *ut* intemerata *Lex Moysis servaretur*: Et tandem ea, inquit Aquinas, supra cæteros singularis Moysi prærogativa concessa est, *Ut loqueretur ei Deus facie ad faciem, ore ad os, sicut homo solet loqui ad amicum suum*: quæ sanè prærogativa adeò insolita, adeoque nedum supra communem mortalitatis usum, sed & supra ipsius Sanctitatis statum evecta est, ut nulli alteri unquam concessa referatur. Hæc omnia D. Thomas, inter alia plurima, quæ sciens prætermitto, mutato etiam ordine, ut tractando à me argumento sint magis opportuna, quibus non immeritó Moyses etiam tanquam Sapientiæ dux, ac Sapientium emendator, quo non surrexit major Propheta in Israel, celebrari possit ac debeat. At cui unquam inter Theologos etiam magni nominis, quos in Scholis celebramus & colimus, felicitas tanta contigit, ut comparatione quadam & participatione, quamvis longè inferiori ut fateor, quod de Moyse dictum est, dici unquam potuerit neminem his singularibus dotibus Aquinate majorem, aut etiam parem surrexisse? Non me latet equidem quàm latum, Theologum inter & Canonicum Scriptorem, discrimen in-

tercedat, & quàm temperata commendatio esse debeat, cum Sancti laudibus efferuntur; ne dum evehitur sanctitas, veritas ipsa quæ etiam inter sanctitatis partes non postrema habenda est, & quàm maximè Sancti coluerunt, lędatur. Verùm nihil supra verum me dicturum arbitror, nihil concessurum privato affectui, quo in Magistrum me ferri non difficeor, si inter Theologos Aquinatem, eodem quo Moysem inter Prophetas loco reponam; cùm ea triplici dote, Origine, Amplitudine, & Securitate, Divi Thomæ doctrina cœteros omnes longè antecellat, eęque dotes Thomam Sanctissimum, Locupletissimum, & Securissimum omnium Theologorum, quos hactenus ulla unquam ętas tulit, efficiant. Enim verò: An non *Visio intellectualis excellentissima fuit*, divinaque planè doctrina, non tam usu studioque, quàm oratione & cum superis commercio, comparata? cùm toties in extases raptusque eveheretur, ut hujus arbitrio singularis ea gratia permissa videretur, & *Eam ad nutum haberet, quod de nullo alio legitur*. Sed quid vastissimum Thomę ingenium effugit, quid non scriptis complexus est? Neque enim singularem hęresim debellandam, aut peculiare fidei Mysterium explicandum, aut unicam regulam Ethicę Christianę stabiliendam suscepit: Sed universim quęcunque ad fidem, Religionem, & mores pertinent, solus ipse complexus est, *Toti populo* edocendo, universę Ecclesię illustrandę à Deo destinatus: atque ea quę à Patribus unquam prędarè scripta fuerant ita collegit, eoque ordine, methodoque digessit, ut *Denuntiatio* meditatioque omnium prędecedentium Patrum *Præparatio quædam* ad Divi Thomæ doctrinam fuisse videatur; quę deinceps *sequentium* Theologorum quoddam veluti *fundamentum* fuit, quod inconcussum, immotumque perpetuò Sancti Pontifices servari voluerunt. Sed demum cui unquam hęc singularis, insolita, & nunquam antea audita in Scholis gratia concessa est, ut *Loqueretur ei Deus facie ad faciem, ore ad os, sicut solet homo ad amicum*, cujus consilia, studiaque probat, cui laborum mercedem promittit? Ea sanè triplex gratia *nulli alteri* concessa *legitur*, unique D. Thomę eximia est: atque ea triplici doctrinę commendatione; ex Origine, cùm oratione, & infusione comparata sit; Amplitudine, cùm omnium Patrum summam medullamque complectatur; ac demum Securitate cùm à Christo, & quidem nec semel approbata fuerit; nemo negaverit cæteros omnes Theologos longè D. Thomam anteire; & doctrina oratione comparata Sanctissimum; Amplitudine Locupletissimum; Christi approbatione Securissimum, inter Theologos D. Thomam evasisse: ut dici sine cujusque injuria possit *Quod de nullo alio legitur: Non surrexit ultra sicut Thomas, Dux Sapientiæ & Sapientium emendator*. Hoc in hujus commendationis argumentum assumo, ut aliquam grati animi testificationem erga amantissimum Magistrum exhibeam, quem utinam tantùm laudibus prosequi, & efferre per vires liceret, quantùm summa illa sapientia sanctitasque merentur, & ipse percuperem: sed obstat sibi ipsa Thomę magnitudo, & alium Thomę parem reperiri necesse foret, ut ingentibus meritis pari etiam commendatione Thomas exornaretur.

Fæcun-

Fęcundiſſimam luminum originem orationem eſſe, ac cum Divinis oommercium, quo inconceſſa humanæ menti percipi ſolum poſſint, nemo unquam etiam inter veteres in dubium revocavit, cùm ita nosinitituente natura compertum ſit, divina ſolùm à Deo poſſe edoceri, meritoque de eo dictum ſit, qui cùm inter mortales degeret, divina didicerat; *Cæli regione remotus - Mente Deos adiit, & quæ natura negabat - uſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.* (Ovid. 10. m.) Et ſi verò non omnino extinctum ſit impreſſum mentibus naturę lumen, radioſque veritatis quę interdum ſe ſe veluti inter nebulas prodit ratio longo labore exercita, variiſque ſcientiis veluti lævigata percipiat: fatendum tamen eſt, ingens diſcrimen inter ſcientias intercedere, quæ ſtudio humano comparantur, & ſublimem illam rerum cognitionem, quam Spiritus Sancti unctio, & familiare cum Divinis commercium infundit. *Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*, inquit expertus divinoque lumine perfuſus David. Quid enim univerſa creatura, explicat D. Bernardus, (Serm. 6. inter par.) niſi obſcuriſſima nox tenebris involuta, quibus Cimmerię vix pares eſſe poſſint? Quid ipſa ratio etſi lumine fidei illuſtrata, niſi tenebrarum umbrarumque permixtio, aut denſa caligo involuens lucem tenuem? Atque in his tenebris, umbriſque levia quædam rerum ſcientiarumque indicia, magis quam expertes erroris & obſcuritatis ſcientię percipiuntur: cùm ea utraque nox, naturæ ſcilicet fideique alteri rationis nocti indicet dumtaxat ſcientiam, non manifeſtet: *Et nox nocti indicat ſcientiam.* At cùm Deus ipſe loquitur, ac æternę ſapientię contemplatione mens in eam luminis ardoriſque regionem evehitur, rapiturque tunc *Dies diei eructat Verbum*, Deus puriſſimę animę: Atque ea plenitudine luminis mens conjuncta origini perfunditur, & impletur, ut effluens largiſſimoque fonte potata, ſapientię Verba non tam loquatur, quàm eructet & effundat. *Alterum eſt* enim inquit D. Bernardus *Verbum indicatum* alterum *inſpiratum*, alterum *eructatum*: Et ſi ſuis momentis hæc expendere liceat; quę ſola natura docet ex rebus objectiſque ſenſibus conſpicuis, divinorumque veſtigiis, quę ut Job loquitur nemo comprehendit; ea dumtaxat leviter & obſcurè rationi indicantur. At quę altior fides verę ſapientię parens & quędam divini luminis nube obvolutę effuſio revelat, ea ſine labore ac ſtudio, brevique temporis ſpatio inſpirata percipiuntur: ſed demum quę in altiori veluti ordine conſtitutę menti inter extaſes raptuſque exhibentur, ea tanta plenitudine luminis infunduntur, ut non egeat inquit D. Ambroſius, ſed redundet Scriptoris ingenium, & Divino ſpiritu ubertatem dictorum rerumque omnium miniſtrante, ſine ullo molimine cępta compleantur, divinoque Spiritu impletus animus ea effundere ac eructare videatur O felix fauſtaque Aquinatis ſors! O effuſa in Aquinatem, & in amoris argumentum Dei beneficia! Conceſſum aliis, ut *Nox nocti indicet ſcientiam*, natura ſcilicet & fides involuta tenebris obſcuræ rationi: At eximium Thomæ, ut *Dies diei eructat Verbum*, Divina ſcil. revelatio infuſioque puriſſimę animę in extaſim raptę. Et quis enim unquam frequentiùs in eas extaſes raptuſque evectus, quàm Thomas, cęleſti lumine perfuſus, plura ſub eo magiſterio edoctus eſt. Quis

unquam

unquam tanto fœdere orationem ſtudiumque conjunxit, ut oratio ſtudium, & ſtudium oratio dicenda eſſet? Aut cui demum eam vocem uſurpare licuit, quam uſurpare licuit Thomæ: *Quidquid ſciret non tam ſtudio comparaſſe, quàm divinitùs traditum accepiſſe?* Plurima jam Primi Tomi operiſque prĕludio diximus quæ immerſum Thomam Divinę caligini, & extra ſe raptum, affluentem delitiis, illuſtratum ſcientiis, in clariſſima, & fulgentiſſima nocte, quoties liberet exhibebant: ſed in re nedum ſuaviſſima, ſed quam maximi momenti eſſe exiſtimo, ut quantùm ejus doctrinę tribuendum ſit Lector agnoſcat; alia ex ipſius vitę Authoribus, iiſque etiam teſtibus oculatis referre viſum eſt: cùm mihi perſuaſum ſit, non ea parte ſatis commendari D. Thomam, qua tamen maximè commendandum eſſe ſemper arbitratus ſum ex ipſa ſcilicet ſingulari ſanctitate, ac eximiis ſanctitatis privilegiis, quibus ejus doctrinę ſublimitas ex ipſa origine demonſtratur. Nec verò ea privilegia Oratorum more dicendo amplificare, & augere neceſſe eſt: majora ſunt, quàm ut verba iis paria reperiri poſſint. Simpliciſſima enarratione utar, cum res adeò ſingularis ſit, & ſupra communem ſanctitatis ſtatum evecta, ut ſe ipſa ſatis ac ſine ullis ornamentis commendetur. Quid enim magis infrequens, quid magis ſupra naturę vires, quid demum divinus quàm mortalem hominem quoties vellet, etiam ſæpiùs cùm nollet, in extaſim rapi, nec momentis ſolùm, ſed longo temporis ſpatio, mente cum Cęlitibus, jam ęternitatis candidatum converſari? Igitur ut aliqua referam: cùm graviſſimo dolore ex Divi Thomę morte qui aderant penè oppreſſi eſſent; Reginaldus ejus individuus comes, ipſique à confeſſionibus, ut relictum de tento viro deſiderium levaret, leniretque dolorem, ſuggeſtum conſcendit, orationem funebrem in ejus laudem habiturus; Atque inter cętera quę lacrymarum vis, acerbitaſque doloris referre permiſit, hęc ipſa verba retulit. *Quòd ſi de contemplationibus ejus ac penè aſſiduis in Deum abſtractionibus, deque frequentibus à terra corporis dum oraret elevationibus dicere velim, nimium creſcet oratio. Illud in hac re poſſum dicere; oportuiſſe me illi diu noctuque nutricis loco eſſe: aliter enim citò defeciſſet; adeò à corporeis ſenſibus crebrò auferebatur, cùm nihil aliud quàm de Deo unquam aut cogitaret, aut loqueretur, aut audire vellet.* (In orat. funeb.) O cęleſtem virum, Angelorumque magis quàm hominum ſocium! Exhauſtis viribus brevi defeciſſet Thomas, niſi abhibita cura, illaque vi, ad uſum ſenſuum revocatus, nimiam ex divina contemplatione animi contentionem temperaſſet: adeò ſcilicet crebris raptibus, rerum omnium oblitus, ſuique immemor, *à corporeis ſenſibus auferebatur*, ac frequentibus à terra corporeis elevationibus, liber animus in cęlum evolabat. An non Thomas, ut de D. Joanne inquit Chryſoſtomus. (Imperfect. cap. 27.) *Spiritu homo, gratia Angelus, in quo nihil carnis erat, ſed ſola viſio.* Quin etiam quod nunquam forſitan in Orbe viſum, nunquam auditum fuerat; in Caſtro germanę ſororis Sancti Severini Comitiſſę, quam Lugdunum perrecturus inviſerat, cùm in locum ab arbitris ſemotum, ut liberiùs orationi vacaret, ſeceſſiſſet: adeò ſublimi, profundaque extaſi ſibi

ſuis,

ſuis, rebuſque omnibus ereptus eſt, ut ad tertium uſque diem ſuaviſſima hæc extaſis protracta fuerit, & Cælum jam Thomam inter ſuos, ſibique ſervaſſe, retinuiſſeque videretur. Rem inſolitam ſibique hactenus inviſam Comitiſſa mirabatur, admodum de fratris ſalute ſollicita, quem etiam extinctum exiſtimaſſet, niſi ab hujus ſocio Reginaldo didiciſſet, ſolitum eſſe Thomam, iis cæleſtibus delitiis, uſu ſenſuum amiſſo, immergi. *Igitur uſque in diem Tertium expectatum eſt*. Sed cùm attonita nimiumque ſollicita ſoror acerbum aliquem luctuoſumque caſum pertimeſceret: Fateor inquit Reginaldus frequenter eum in extaſim raptum vidi, *ac fermè ſemper dum ſe orationi daret*. Sed hæc cæteris longè diuturnior eſt, *tempus eſt* inquit *ut ab ea excitetur*. Hiſque dictis voce manuque illata vi, ab ea extaſi ad uſum ſenſuum Thomam revocavit. Dicite cælites quibuſcum Thomas jam ſocius & Angelicæ curiæ particeps, & cæleſtium arcanorum conſcius, morabatur; Dicite quibus delitiis Thomæ animus, quo lumine mens impleretur. Vidiſtis enim forſitanque attoniti, moriturum aliquando hominem, jam ſibi, ſuiſque, ac terris ereptum, in cælis, non uno, ſed tribus diebus, inter vos O ignes æterni! cæleſti ac pari ardore accendi, æternoque fonti, non tam conjunctum, quam immerſum, ſuaviſſimis delitiis, ac clariſſimo lumine perfundi & impleri. An verò exul Thomas & paris cum cæteris conditionis dicendus ſit, qui procul e cæleſti patria procul ab eo delitiarum fonte aridi ſitiunt, gemuntque? *Et repatriaſſe hoc eſt* inquit D. Bernard. (l. 5. de Conſ. cap. 1.) *Exiſſe de patria corporum in regionem ſpirituum*. Et per dies etiam integros Thomas cum Cælitibus dulciſſimo colloquio fruens commoratur. Sed quis Thomæ dolor cum ſe ab his delitiis abſtractum, eque cæleſti patria in exilium priſtinum veluti dejectum perſenſit? Revocatus ab ea extaſi educto ex imo pectore gravi ſuſpirio: *Heu quanta* inquit *& qualia contemplationi meæ objecta ſubtraxiſti*. O felix, nimiumque felix Thomas, cui non brevibus morulis humana deſerere, excedere à ſenſibus, ſeque Divinis inſerere, ſed per integros dies licuit, uſque in diem tertium cum beatis ſpiritibus in eo dulci commercio immorari. O quæ Theologorum Scholarumquè felicitas foret, in cognitionem ſaltem eorum partis venire licuiſſet, quæ in tam diuturna extaſi per tres dies in cæleſti Schola Thomas audivit, didicitque. Sed majora erant, quàm ut mortalibus crederentur: cæteriſque ab eo ſtatu longè poſitis ſtupere ſolùm, & tantam felicitatem mirari relictum eſt. Redditus ſibi Thomas ſocio ſignificavit, tot tantaque ea revelatione percepiſſe, ut quæ hactenus ſciverat, ſcripſeratque, nulla ratione cum his conferri poſſent; ſed inſtare extremum ſibi diem ſeque brevi moriturum, nec relinquendum ſibi fore ea ſcribendi ſpatium: Scilicet nimium felices fuiſſent Theologi, ſi quæ in ea extaſi Thomas didicerat, ad eos perveniſſent. Hæc ſcientiæ Aquinatis origo: inde, quæ cæteri obſtinato labore, in Academiis longoque exercitio perdiſcunt, inter extaſes raptuſque didicit Thomas, ſub Spiritus Sancti Magiſterio, in Schola cæleſti, cujus & Angeli audiiores ſunt. Sed quod adhuc hactenus dicta ſuperat, & Thomam

inter

inter Theologos eodem loco, quo inter Prophetas Moyſem reponit, ſingulare hoc beneficium *Ad nutum* Thomas *habebat*, *quod de nullo alio legitur*, ut tam facilè inquit D. Vincentius Ferrerius (ſerm. de D. Thom.) cæleſtem hunc animæ dulcemque ſomnum ſibi conciliaret, quàm facilè corporis ſomnum cæteri advocant, aut ſuo ſtudio incumbunt. *Nunquam ſe ſtudio vel ſcriptioni niſi poſt orationem dedit*, referunt hiſtoriæ Authores, & *Fermè ſemper cùm ſe orationi daret* in extaſim rapiebatur. O quoties ante Diviniſſimum Sacramentum quod *Arcam luminis* quidam ex Patribus nuncupavit, difficultatum quæ aliorum ingenia torquent, immiſſa luce, raptus in extaſim clariſſimam explanationem accepit? O quoties ante Chriſti in Cruce pendentis imaginem pronus, in eo libro ſcripto foris & intus, ſed ſigillato clauſoque aliis, at Thomæ aperto ac expanſo, in extaſim raptus, legit Divina myſteria, quæ cæteros latent, à quibus nondum clavis ad aperiendum librum reperta eſt. Non miror toties Angelos, Divoſque Deo fruentes, ipſoſque Apoſtolos, ac Beatiſſimam Virginem Deiparam, in edocendo informandoque Thoma operam ſuam conferre voluiſſe. Agnoſcebant enim jam tum etiam cæleſtem hominem puritate, lumine, conſortio Angelum: & ut de Eliſæo inquit D. Ambroſius (ſermon. 87.) qui ſibi ad ferendam opem Angelos præſto adeſſe viderat. *Quid mirum ſi cùm vita vivit Angelorum, & conſortium meretur? Quid mirum ſi auxilium meretur è cælo, cujus animus in cælo eſt?* Quid mirum ſi cæleſtem jam converſatione Thomam: & per dies integros cum cælitibus mente commorantem ſuperi inter ſuos agnoſcant, compertaquo ſibi myſteria ipſum edoceant? Habuerit olim juvenis Thomas celebrem illum, & ſui ævi redivivum Salamonem, Albertum Magnum: at ultimo loco inter eos quos Thomas magiſtros habuit Albertus recenſendus eſt. Habuit magiſtros Angelos, habuit Apoſtolos, ipſamque Deiparam Virginem: Et quid ſub his magiſtris Thomas ingenio ſupra naturam evecto præditus, adeoque frequenti meditatione exercitus, diſcere non potuit? Et hæc noſtra gloriatio in Domino: Thomam cæteris anteponimus, & majori veneratione & amore proſequimur, quòd alii in Academiis hominum, Thomas Diſcipulus Scholæ Paradiſi, inter Cælites edoctus ſit. Et ut pauca referam, quæ maximam & penè immenſam laudis materiam ſuppeditare poſſent, & quorum ſi vel minimam partem, quiſquam e Theologis quorum nominibus Scholæ perſonant, vel ſemel percepiſſet, quibus non laudibus in cælum uſque efferretur? Gemebat olim humillimè de ſe ſentiens Thomas, Doctoris lauream in Academia Pariſienſi ex ſuperiorum juſſu ſuſcepturus, hærebatque dubius, quod dicendæ orationis argumentum opportunum aſſumeret. Sed præſto adeſt miſſum *Auxilium de cælo*: Angeluſque benignè Thomam ſolatus, hoc ex Pſalmo argumentum ſuggerit ſumendumque monet, *Rigans montes de Superioribus ſuis*. Volvebat aliàs animo graves eas de Divina viſione quæſtiones, quo lumine increatum lumen videretur, an incircumſcriptæ naturæ creata ſpecies & imago beatis mentibus exhiberi poſſet: ſed iterum adeſt *Auxilium de*

Cælo,

Cælo, ac Beatus jam Deo fruens his eum verbis blandè alloquitur, & quod exoptaverat docet : *Sicut audivimus ſic vidimus* ; non aliud ſcilicet ſe vidiſſe in Cælo ipſaque beatitudine expertum fuiſſe, quàm quod olim dum viveret à Thoma Præceptore accepiſſet. Sed potiſſimùm primos Eccleſiæ Magiſtros, ac Theologiæ culmina, ut Dionyſii verbis loquar, Petrum, & Paulum Thomas Magiſtros habuit : & quid ſub tantis Magiſtris Diſcipulus tantus aſſequi complectique non potuit ? Difficilem admodùm Sacræ Scripturæ locum aliquando explicare aggreſſus, & in primis quid humanum ingenium ſtudio viribuſque ſuis poſſet expertus, cùm nulla lux affulgeret, quæ difficultatem amoveret, & loci obſcuritatem depelleret, ad ſolitum orationis ſtudium confugit, conſulitque pendentis e Cruce Chriſti Imaginis librum. At tum miſſi Petrus, & Paulus *auxilium e Cælo* oranti Thomæ, opemque ferunt, & in amoris argumentum, maximam noctis partem cum Thoma colloquendo, ac familiariùs agendo ita tranſigunt, ut loquentium voces à Socio aſcultante, & attonito ardirentur. O amabiles noctis tenebræ quæ familiare adeò, ac officioſum Petri, & Pauli colloquium meruerunt. Quid tam opportunam occaſionem nactus Thomas à Doctore Gentium non petiit, quid non didicit ? cui potiùs de Divinæ Gratiæ Auxiliis, Divinaque motione credam, quàm Thomæ cùm Paulo familiariùs agenti ? Didicerat jam ſæpiùs ſuis etiam experimentis vim Divinæ motionis, quam toties inter extaſes perſenſerat, cùm ſe inſolita ac Superiori vi validiſſima rapi dubitare non poſſet. Et quis enim unquam extaſes raptuſque expertus, ac *Spiritu* ut olim D. Paulus *alligatus*, & cùm *Voluntas captiva eſt*, ut loquitur D. Thereſia opportuniùs alio in loco referenda ; (V. Diſſ. 4. quæſt. 2. art. 5.) cùmque animus languet, cùm ardet, & tantùm inter hæc Divini amoris incendia non conſumitur ; Quis inquam hos Sacros impetus aliquando expertus efficaciſſimam eſſe eam motionem qua excitantur, dubitavit ? Eos certè libens Magiſtros audiam, qui quod perſentiunt docent ; idonei Divinæ Gratiæ teſtes, quia & participes. Sed defuiſſet aliquid, quo cæteros ſuperaret etiam Thomas, quibus hæc interdum Sanctitatis privilegia conceſſa ſunt ; niſi & ipſum Divum Paulum maximum Divinæ gratiæ præconem ac vindicem audiviſſet. At nunc Thomæ ſublimi, & humano Superiori ingenio prædito, ſi dotes naturæ ſpectem ; Thomæ ſingulari ſanctitate conſpicuo, ac inter extaſes raptuſque toties vim Divinæ motionis experto ; Thomæ demum à Divo Paulo edocto, quid deſit, ut pleniſſimam de his Fidem habeam, quæ nos de Divina gratia, Diviniſque auxiliis, ac Divina motione edocuit, quæ propter efficaciam virtutis moventis ut loquitur, ineffabiliter voluntatem impellit ? Sed quis putet Deiparam Virginem alumno chariſſimo Thomæ in ſtudiis interdum laboranti, nunquam opem tuliſſe, cujus Sanctiſſimum Nomen adhuc in cunis puſio avidè manu prehenſum in imum pectus immiſerat. *Apparebant ei Angeli* inquit hujus hiſtoria, *Sanctique Apoſtoli. Petrus, & Paulus, ipſaque Dei Mater cum Filio ipſum de veritate inſtruebant*. (D. Anton. D. Vincenc.) Deficiunt hìc verba Erudite Lector, &

 ma-

magnitudo beneficii etiam eloqentiſſimorum oratorum vim omnem dicendi ſuperaret. Quibus enim Verbis ſingulare hoc beneficium explicari unquam poſſit; nedum Angelos, nedum Divos Deoque fruentes, nedum Apoſtolos Magiſtros, ſed & ipſam Deiparam Virginem increatæ Sapientię Matrem Magiſtram, Thomam habuiſſe? Quis ſub his Magiſtris, e quorum Magiſterio ipſa Eccleſiæ fides pendet, & cum ea cæleſti ope, in addiſcendis ſcientiis fieri profectus potuit? Studeant alii in Academiis hominum, magnoque labore in adipiſcendis ſcientiis ſe torqueant, aut illuſtrium Theologorum nominibus quibus ut Magiſtris uſi ſunt glorientur. Quis cum meo Aquinate jure æquari poſſit? quis eos Magiſtros habuit; & non tantùm ſe inferiorem fieri debeat, quantùm D. Paulus, & Deipara Virgo Academiarum Theologos antecellunt. Ea eſt D. Thomæ doctrinæ origo: inde ſe largiſſimè, ſi ita loqui liceat, proluit, ac Divinis ſplendoribus animum implevit. In ea luce inter extaſes raptuſque, naturæ ſuperior, & ſupra mortalitatem evectus, ut de Jerotheo D. Dionyſius inquit, Divina paſſus ea perdiſcebat cæleſteſque delitias expertus, ipſa Spiritus Sancti unctione edocebatur. In ea luce ipſa ſuum ſpontè natura ſinum expendebat, & quæ ab oculis omnium, & cognitione ſubduxerat, latuerantque Philoſophos, ipſaque ſibi ut quidam dixit, in argumentum majeſtatis abdita, reconditaque ſervaverat, Aquinati ſuorum ſecretorum arbitro, & participi, eaque ad ſanctiorem uſum adhibituro, ultro reſerabat. In ea luce quæ fides ſub ænigmate tenet, obductaque velamine, aut caligine circumfuſa, non tam exhibet, quàm occultat; Thomæ mortali Angelo, reducto velo, depulſa aut temperata caligine, & impertita *prælibatione futuræ manifeſtationis, & cognitionis eminentia* omnia exhibet. In ea demum luce quid Thomam lateat, dum *Dies eructat Verbum*, & in cellaria Sponſi, id eſt, Sapientiam Verbi, inducto Thomæ omnia loquuntur, *Verbum indicatum*, Verbum *inſpiratum* Verbum plenitudine effuſum & *eructatum*; ut Thomam olim mutum, altoque ſilentio quæ meditabatur prementem, vocaliſſimum totius Orbis oraculum efficiant? Nihil neceſſe eſt fuſiùs iſta proſequi, & detecta origine in qua omnes Theſauri Sapientiæ & ſcientię reconduntur, & unde Sanctiſſimus Thomas hauſit; cognitiſque Magiſtris quorum in cælis Schola eſt, & quorum Thomas auditor fuit; intelligi facilè poteſt, quid diſcere potuerit; & Thomam ſuis dumtaxat, id eſt, cęleſtibus Magiſtris inferiorem, cæteros longo intervallo Theologos antecedere. Quę celebrando Doctori laudes quærerentur, quibus encomiis ornaretur ſi quis eorum qui aliquod ſibi in Scholis nomen compararunt, vel ſemel aliquam ex his ſuprà memoravimus, ſingularem gratiam percepiſſet? Si vel ſemel de rebus Theologicis cum Divis Deoque fruentibus, ac potiſſimùm D. Paulo Eccleſiæ Magiſtro, familiariùs egiſſet, ipſumque audire paratum interrogaſſet, & reſpondentem audiviſſet? Si quis demum pro arbitrio & ad nutum in extaſim raptus Divina luce difficultatum quas mente voluebat, claram explicationem accepiſſet? Atque ea ratio eſt, quæ D. Thomæ Diſcipulos tam arcto vinculo amoris & reve-

rentiæ

rentiæ Angelico ſuo Magiſtro ita adſtringit, ut dum cæteros colunt, uni D. Thomæ aſſurgant. Sciunt e Cælo edoctum fuiſſe, iiſque ſubſidiis ad diſcendum inſtructum, quæ nulli alteri ex omnium Theologorum cætu conceſſa referuntur. Sciunt Magiſtros D. Paulum, ac Deiparam Virginem Thomæ ad fuiſſe, & quamvis minori menſura ut fateor, nec dubium eſſe poteſt, hæc privilegia collata fuerint; ſciunt tamen cæleſti *Revelatione* ut Apoſtolum, *divina inſpiratione* ut Prophetas, nec *abſque ſpeciali Dei infuſione* ut loquuntur Pontifices, quidquid ſciret traditum accepiſſe: ut jure merito ejus doctrinam *Præ cæteris excepta Canonica certiſſimam Chriſtianæ doctrinæ regulam* Summi Pontifices haberi voluerint, quæ errores quibus Chriſtiana Religio maculari & infici poſſet corrigerentur: atque ut de Apocalypſis Angelo legimus (Cap. 11. 1.) *Calamus* Thomæ *ſimilis Virgæ*, ſit, qua veram ingeniorum magnitudinem metiri liceat, aut ſi quando à recta fide, terminiſque à majoribus poſitis, ingenia nimia ſui præfidentia aberrent, revocari in orbitam, regique debeant. Hæc privilegia Thomæ conceſſa, quæ nulli alteri conceſſa leguntur. Quis poſt hæc dubitet Thomam, inter Theologos eodem loco quo inter Prophetas Moyſem reponendum eſſe, quòd ejus *Intellectualis viſio* doctrinaque ex ipſa origine *excellentiſſima fuerit*, cùm eam non tam ſtudio comparatam, quàm oratione inter extaſes raptuſque & ſub optimis Magiſtris, Angelis, Divo Paulo, ac Deipara Virgine, qui D. Thomam docere non ſunt dedignati, traditam acceperit: ut de D. Thoma citra cujuſque injuriam dici nec immerito poſſit *Non ſurrexit ultra ſicut* Thomas *Dux Sapientiæ & Sapientium emendator*.

VERUM ſi quam ex origine laudem D. Thomæ doctrina mereatur, & inter Theologos infuſa, & oratione magis quàm ſtudio accepta ſapientia Theodidactum effecerit, repoſueritque altiori loco ſupra cæteros, quibus nondum Eccleſia ſacros decrevit, contulitque honores; meretur etiam nec inferiorem, quòd ut olim Moyſes non *ad ſingulares* ſolùm *perſonas*, aut *ſpecialia negotia petractanda*, ſed *Toti populo* edocendo ac univerſæ Eccleſiæ illuſtrandæ, Aquinas deſtinatus fuerit, complexus ea omnia quæ ad fidem & Religionem explicandam, illuſtrandam, ac muniendam opportuna eſſe poterant, ut quidquid ſublimius, diviniuſque ſparſum longa per ſæcula in cæteris Eccleſię Patribus ſuſpicimus, *Præparatio quædam* fuerit ad D. Thomæ doctrinam, quæ deinde ſtabile firmumque eſſet commentationis ſequentium Theologorum *fundamentum*, quod immotum eſſe SS. Pontifices voluerunt, à quibus toties ſtatutum eſt, ut illæſa ac inconcuſſa D. Thomæ doctrina ſervetur. Quot ſeſe lumina hìc menti meæ ingerunt! Quanta ſe laudum ſeges offert! Singulis hæreſibus debellandis, aut peculiaribus Religionis fideique myſteriis explicandis, deſtinatos fuiſſe Eccleſiæ Patres, jam plurimi nec ſemel obſervant: Ea enim Chriſto pro Sponſa Eccleſia ſollicitudo fuit, ut quoties novi hoſtes eam aggreſſuri eſſent, toties egregium ducem à quo defenderetur, atque ut loquitur Sapiens *unum contra unum* ſemper excitaret, qui alterius vires in-

fringeret . At unus D. Thomas *Toti populo* edocendo nec *ad ſpecialia negotia pertractanda* , ſed ad univerſa Fidei Myſteria defendenda , ad Philoſophorum omnium dogmata expurganda , ad moralis & Chriſtianę vitæ principia conſtituenda , unus à Deo communis univerſaliſque Doctor deſtinatus eſt : & jam Thomas *ſolus & innumeri militis inſtar erit* (Ov. Heroid. 23.) Feliciter infelicem , ut loquitur Auguſtinus , Jobum , dum in cinere Sapientiæ arcana meditaretur , Deus olim ita alloquebatur , ut ipſi Divinę Potentię miracula in memoriam revocaret . *Nunquid conjungere poteris micantes Plejadas , aut gyrum Arcturi diſſipare ?* (Job. 38.) Difficilia æquidem verba , & quæ inter Scripturæ Sacræ ænigmata recenſeri meritò poſſint , quæque ſignificent , nedum inter Prophetas , & veræ Religionis Theologos , ſed inter prętſtantiſſimos Philoſophos , & naturæ interpretes Jobum eſſe reponendum . Sed illud inprimis ex ipſo D. Thoma (in Job. lect. 2.) obſervandum ; quòd *Plejades ſtellæ ſunt , quæ luceant in capite Tauri* . At inquit Divus Gregorius arcanum verborum ſenſum explicaturus : Quid micantes Plejades , niſi Cæleſtes homines, Eccleſięque Doctores , aut olim Prophetas , qui vitæ tenebras lumine ſuo diſpellunt , nobis denuntiant ? *Juxta aliquid ſibi conjuncti , & juxta aliquid disjuncti Prophetæ* fucrant : *Stellæ enim Plejades vicinitate ſibi conjunctæ ſunt , & tactu disjunctæ* . Ita enim , Sancti aliis atque aliis temporibus ad prædicandum , ſuęque doctrinę radios effundendos miſſi , *ſimul micant quia idem prædicant , ſed non ſeipſos tangunt ; quia in diverſis temporibus partiuntur ; diviſi tempore non prædicatione* . Sed ubi conjunctę ſunt ſtellę Plejades niſi in ſigno Tauri ? *Lucent in ſigno Tauri* . O Divinę Sapientię miraculum ! O ſummam D. Thomæ felicitatem , cujus Sapientię inter aſtra in Plejadibus ſignoque Tauri, Symbolum affixum eſt ! Quis enim alius in Eccleſia Tauri Symbolo ſignificari potuit , prętcr unum Thomam , *Bovem mutum* dictum olim , qui mugitibus orbem impleret , & longa ſilentia rumpens comparatam longa meditatione omnium Patrum Sapientiam effunderet ? In eo unico Tauri ſigno Plejadum , & Doctorum omnium , qui Eccleſiam unquam illuſtrarunt , lumina conjunguntur . Revolve animo Erudite Lector , retroacta omnia ſęcula , conjice in omnes Eccleſię Patres oculos , atque omnium cnnſummationem abbreviatam , ſervata majeſtate , additoque etiam rationum pondere , in uno D. Thoma reperies . Nullus Articulus eſt , in quo non aliquod ex Patribus lumen diffuſum ſit . Cumque omnes Eccleſiæ Patres ſumma ſemper veneratione proſecutus fuiſſet , (Cajetan. 22. 148. 4.) æquum videbatur , in juſtam obſervantię mercedem , efflagitarent SS. Patres , ut eorum omnium mentes Deus in D. Thomam veluti transfunderet , & quidquid ſolidius , quidquid ſublimius ab iis unquam ſcriptum fuerat , in uno Divo Thoma locupletando exornandoque conferret . Scire aves Erudite Lector , quid de locupletiſſimo Theologię Theſauro , Summa Divi Thomę , omnium Patrum compendio , cujus , vel ſinguli Articuli miraculorum loco habendi ſunt , ſententiam ferre debeas ? Inſcribe præclariſſimo operi , quod olim Phercidę

dæ tumulo inſcriptum referunt : (Laert.) *In me Sapientiæ finis , & perfectio* . Adde & illud olim de Solone dictum , *Viſo Solone omnia vidiſti : in hoc ſunt Athenæ , in hoc tota Græcia* . Viſo Thoma ampliſſimum totius Eccleſiæ Patrum cętum vidiſti : in hoc omnium lumina diffuſa ſunt , eoque majora & clariora , quod ſimul conjuncta mutuum ſibi novumque ſplendorem refundant . Expectaverat Eccleſia hactenus obſcuriſſimi juxta ac præclariſſimi ænigmatis explanationem : ſed complet tandem unus Thomas quod tot ante retroactis ſæculis prædictum fuerat , in ſigno Tauri Plejadas micantes conjungi . Et ſanè ita fieri neceſſe fuerat , cùm in miniſterium ſubſidiumque Eccleſię , Deus Thomam veluti ingentem Theologici luminis globum efformare vellet , qui ſparſos unquam in Orbe litterario radios colligeret , & effuſa penè immenſa luce clariſſimum in Eccleſia diem efficeret . Atque hujus imaginem mihi videre videor in eo naturæ miraculo , quod dum expectatur Solis ortus , ex ſummo Idęi Montis in Aſia vertice , ſi vera nobilis Author referat , (Ponpon. Mela. l. 1. cap. 18.) intuentium oculis exhibetur . *A media* inquit *nocte ſparſi ignes micare , & ut lux appropinquat ita coire , ac ſeſe conjungere , videntur donec magis magiſque collecti ſint &c. & fit ingens globus , fugatque noviſſimè noctem , & cum die jam Sol factus attollitur* . Hæc ſanè clariſſima gloriæ D. Thomæ expreſſa imago , in gratiſſimo naturæ ſpectaculo . *A media nocte* inter Philoſophorum & Paganorum errores , dum prima veræ Theologię lineamenta parantur , cùm nulli adhuc ſua forma maneret , cùm nullus eſſet inter eas partes conſpicuus ordo : In ea nocte Divina Mens quæ Eccleſiæ bono invigilat , ad eamque illuſtrandam jam ingentem luminis globum parat , in eo efformando ſparſos undique ignes , ſparſoſque radios colligit . Nihil dubium equidem , quin inter hęc retroacta ſęcula , cum denſis tenebris nox olim mundo incumberet , *ſparſi* viſi fuerint *micare ignes* , ſparſi inter Philoſophos veritatis quę ſeſe interdum prodit , radii ; ſparſa inter Patres Theologiæ quàm colimus lumina ; & fulgentiſſima quidem , ſed tamen ſparſa diviſaque lumina . At tandem unus Thomas eſt , qui ſparſos per Orbem micantes ignes , ſparſos radios , ſparſaque lumina colligit , *& fit ingens luminis* Theologici *globus* qualem nec viderant tranſacta ſęcula , incertum an ſecutura viſura ſint majorem . An non jure merito dici à me potuit : quidquid olim à Philoſophis , quidquid à Patribus egregiè dictum ſcriptumque eſt , quod ad fidem Religionemque ſpectet prędiariſſimi operis , Summę D. Thomę , *Quædam præparatio fuit* cùm omnia totius Antiquitatis lumina in ea Summa complexus fuerit , ut ſine ullius diminutione magnus , collectis totius antiquitatis radiis , *Ingens luminis globus fugata nocte* clariſſimum Theologiæ diem effecerit . At nunc quod alterum exquiſitum magis , ac majori induſtria arteque confectum opus , ulla unquam Thomæ poſterior ætas vidit , quod totius Theologiæ , *& omnium ſequentium* commentationum , & interpretationum *fundamentum* in Scholis haberetur . Hoc unum totius Theologiæ fundamentum eſt D. Thomę Angelici Doctoris Summa , quam omnium fermè Ordinum , omnium Academiarum ,

viri

viri doctiſſimi commentariis illuſtrare, & in qua adornanda ſuam operam collocare, vimque ingenii probare honori ſibi tribuunt : atque in eo potiſſimum SS. Pontificum ſollicitudo incumbit, ut ſarta tectaque D. Tomę doctrina *Servetur*, cujus ut *tutiſſima* eſſe *dogmata* certò ſciunt, Academiiſque denuntiaruut, ita *inconcuſſa* perpetuò eſſe voluerunt. Atque hìc reſolvenda eſt altera propoſiti olim Jobo ænigmatis pars, quæ immotam Angelicæ doctrinæ firmitatem, nullis unquam hæreticorum machinis, nullo molimine concutiendam, ob oculos ponit. *Nunquid conjungere poteris micantes Plejadas, aut gyrum Arcturi diſſipare*. Hoc inquit D. Gregor. ſingulare ſibi Arcturi ſtella vendicat; quòd cùm polo vicinior ſit, *Per gyrum ſuum nocturna ſpatia non occaſurus illuſtrat* : & dum aliæ remotiores à polo ſtellæ variis viciſſitudinibus obnoxiæ aliquandiu conſpicuæ ſunt, deinde latent, interdum eriguntur, & velut peracto officio poſtea occidunt; nunquam Arcturus occidit, poloque affixus, omnique viciſſitudini motuum ſuperior, perpetuò micat, radioſque effundit, & ut inquit D. Gregorius, *Et dum ipſe volvitur nox finitur*. O novum Aquinatis gloriæ miraculum, & nunquam occaſuræ doctrinæ Symbolum ! *Nocturna ſpatia nunquam occaſurus illuſtrat, & dum ipſe volvitur nox finitur*. Quis alius in Eccleſia, in Conciliis, in Academiis, aut majori ſedulitate conſultus, aut majori reverentia unquam auditus quàm Thomas, in explicandis fidei myſteriis, in conſtituendis Ethicæ Chriſtianæ regulis, vel erroribus profligandis? Non referam quę nemo neſcit, nullum à tranſitu Thomæ celebratum eſſe Concilium, cujus penè mens ingeniumque Thomas non fuerit. Quis non duce Thoma contra hæreticos pugnat? quæ Schola Angelici Doctoris nomine non perſonat? & ſi hæc de Chriſto dicta, in Thomam inflectere liceat, *Totus Mundus poſt ipſum abit* : & ut Auguſtini verba hìc opportuna uſurpem; (Tract. 97.) *Quis eum tacet? ubi non à legentibus, diſputantibus, quærentibus reſpondentibus, laudantibus, quomodocunque ſermocinantibus* nominatur? Sed quis cùm nova in Eccleſia orta opinio animos fidelium commovet, falſique ſuſpicionem ingerit, ad D. Thomæ doctrinam veluti ad lydium lapidem, eam aut probandam aut rejiciendam non exigit? Quis inter ea amica diſſidia, quæ ipſa vis acris ingeniorum efficit, præter unum Thomam inter Theologos arbiter ſedet? Illi uni victoria cæteris applaudentibus ſemper decernitur, qui e ſua parte Thomam ſtare demonſtrat. Audio equidem vociferantem hæreſim, inflictis vulneribus ſauciam, *Tolle Thomam*; & valido amiſſo Duce, cæteros languida manu, & caſſis ictibus pugnaturos, in fugam fore convertendos. Sed qua ſe tanta audacia hæreſis attollit, ut *Diſſipare gyrum Arcturi* ſe poſſe jactet? Proximus Eccleſiæ Polo Thomas eſt, *nocturna ſpatia nunquam occaſurus illuſtrat* : & dum alii interdum micant, ac brevi curſu peracto, deinde occidunt; feliciori ſorte Thomas ſuper occaſum aſcendit, occidere neſcius, fulget, fulgebitque perpetuò, extinguit hæreſes errores propulſat, *& dum ipſe volvitur nox finitur*. Hæc Aquinatis mei ſumma felicitas, ex ſanctitate non minùs quàm ſapientia comparata, qua junctus Eccleſiæ Polo, nunquam ſe longiùs abeſſe paſſus,

per-

perpetuò dum ſcriberet, & veluti ingenii vela panderet, Cynoſuram polique ſtellam contemplatus, *clavum affixus & hærens -- nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.* (Virg. 5. Aneide.) Sed dum hęc in laudem Thomæ refero, quorum olim Jobus meditatione ſe ſolabatur, & dolorem, quo premebatur deliniebat; occurrit alterum, ſeque ultrò menti ingerit, quod inter divinæ potentiæ arcana, idem Propheta & naturæ interpres recenſet: *Qui facit Arcturum & Oriona* : (Job. 9.) nec continere me poſſum, quin iterum Thomæ gratulatus exclamem, O egregium & cæleſte Thomæ & pro Eccleſia pugnantis, & Eccleſiæ in Thoma ſemper vincentis ſymbolum! Orionem ut nemo neſcit gladio armatum referunt, & ut neſcio quis e Patribus dixit, fateor enim ex memoria excidit: *Gladium portat, ſed totus ſydereus eſt*. Oportuerat ſanè armis muniri Eccleſiam, quibus ſe ab hoſtibus, quos ipſa ſanctitas excitat, tueretur. At quibus, & quæ magis hujus ſanctitatem deceant, quàm armis lucis muniri potuerat? Igitur & *Gladium* Eccleſia quo pugnet, quo vincat, diiciatque hoſtes *portat : ſed totus ſydereus eſt*, gladiuſque lucis. At cui ferendum lucis gladium Eccleſia committit? Et quis e toto Theologorum cætu flammeum, luciſque gladium, defenſurus Eccleſiam geſtat, niſi meus Aquinas? Hic unus Eccleſiæ Cherubinus, hic gladio Paradiſum, hic gladio Dei caſtra ab hæreſi ab erroribus protegit. Atque his ego vobis Eccleſiam alloquar, quibus Jeremias olim pugnantis pro populo Judæ erexit animum; *Accipe gladium ſanctum, munus à Deo in quo deiicies adverſarios*. (2. Machab. 15. 16.) *In hoc ſydereo* Thomæ *gladio* O ſponſa Salvatoris Eccleſia, quotquot fidem aggrediuntur, & adverſus Religionem inanis Philoſophiæ arma opponunt, deiicies. *In hoc ſydereo gladio* quotquot ſanctitatis ſpecie Religionem adoriuntur dejicies, & qui Chriſtianum in Epicuræum transformant, promiſſaque molli quiete incautos decipiunt, quorum *conſcientia*, ut inquit Apoſtolus, *cùm ſit infirma polluitur* μολύνεται (1. ad Corinth. 8. 7.) & qui jam voluptate ineſcati ultimos expirantis ſyndereſis motus, ſcintillaſque extingunt: in hoc ſydereo gladio O victrix ſemper Eccleſia pugnantis Thomæ dextera dejectos ac proſtratos omnes adverſarios conſpicies. Nemo poſt hæc Thomæ gloriæ invideat, ſi quod de Moyſe dictum eſt, in Thomam inflectam : *Non ſurrexit ultra* ſicut Thomas, nec viſus ullus unquam eſt inter omnium Scholarum Theologos, qui ſingularibus dotibus jure D. Thomæ æquari poſſit. Dicent aliquando poſteri, an alterum Thomæ parem unquam viderint, cui pro ſtudio perpetua contemplatio fuerit, & cui Cæleſtibus penè ad nutum Magiſtris uti licuerit: Dicent an parem alium viderint, qui ſolus quæ diſperſa beatos alios efficiunt, collecta tenuerit, & omnium Patrum lumina in ſeſe uno conjunxerit, ut ſimul juncta Eccleſiam majori ſplendore illuſtrarent. Hæc dicent aliquando poſteri, ad quos Thomæ gloria nunquam occaſura perveniet: At nos interim, quos non latet ſingularis Thomæ gloria, qui hujus vocem inſtar Danielis Angeli *vocem* eſſe *multitudinis* intelligimus, omnium ſcilicet Patrum, qui ſua oracula ore Angelico fundunt; nos inquam Thomæ felicitati gratulati, hac eum interim laude celebrabimus, quòd

Unus

Unus est & secundum non habet, (Eccl.4.) ut Sapientis verbis loquar; *Nec surrexit ultra sicut* Thomas *Dux Sapientiæ & Sapientium emendator*.

Sed demum quam non superare commendationem Thomas poterat, cujus doctrina oratione & infusione magis quàm labore & studio sub Magistris Apostolis, ipsaque Deipara Divinæ Sapientiæ Matre non tam comparata, quàm accepta fuerat? quo judice Sapientia de sursum in mentem Thomæ delapsa, nisi Sapientia ipsa increata, Christo probari commendarique debuerat? audio equidem Summos Pontifices, qui veluti contentione mutua, pleniſque manibus, laudes in D. Thomam conferunt, omnique genere commendationis exornant, ut nulli unquam Theologorum, aut major, aut par etiam commendatio concessa fuerit. Quæ enim major commendatio esse possit: D. Thomæ doctrinam, *excepta Canonica certissimam esse Christianæ doctrinæ regulam, sine ullo prorsus errore conscriptam quàm qui tenuit nunquam reperiatur à recto veritatis tramite deviasse*, & quæ demum nedum inter miracula jure recenseri possit, sed quæ etiam tota miraculis constare dicenda sit. *Sed si testimonium hominum* inquit Divus Joannes *accipimus Testimonium Dei majus est*. (Joan. 5.) Sileat terra, & demisso intentoque animo in laudem D. Thomæ, cæleste oraculum, & miraculo editum excipiat. *Cum Neapoli ad imaginem Crucifixi S. Thomas oraret, cubiti altitudine e terra sublatus, audivit: Bene scripsisti de me Thoma: quam ergo mercedem accipies? cui ille, non aliam Domine nisi Te*. O felix Thomas in cujus commendationem terrę Cælique oracula omnia concurrunt. Mortalium laudibus evehi satis Thomas non potuit: Jacent infra Thomæ merita omnium mortalium encomia: una est Christi commendatio, qua pro meritis satis commendari potuit. *Bene scripsisti de me Thoma*. Hic sanè nemo invideat, si cum Moyse Thomas conferatur: Aut nullus potuit, aut potuit Thomas: aut verius, & nullus potuit, & potuit Thomas. De quo enim alio legitur: *Quòd loqueretur ei ore ad os sicut homo solet ad amicum suum*. Quanta felicitas inquiebat olim Chrisostomus, concessa mortalibus, cum Deo in oratione posse miscere colloquia? Sed quanta felicitas Ore ad os sicut solet homo ad amicum suum posse datas accipere, & mutuò reddere voces. sed quot in unum congesta miracula, quibus & vitæ sanctitas, & doctrinæ veritas comprobatur! *Altitudine cubiti e terra sublatus*: Sanctitatis miraculum est. Disce quàm pectus arderet quàm vehemens flamma Thomam succenderet: vincit amor corporis pondus, impatiensque moræ ignis avolat Thomamque rapit nititurque cum sui amoris, igniſque sacri centro. feliciori incendio æternoque consumendum, conjungere. Sed vocalis imago Crucifixi effecta Thomam alloquitur: Alterum Divinæ Potentiæ ac Divini amoris erga Thommam miraculum. Quis tum Thomæ sensus, quis ardor, quæ delitiæ, cùm Divina voce se vocari ex nomine, *Thoma*, intelligit. Sed quid ea vox ex Crucifixi imagine miraculo edita tam sensu prolixa quàm verbis compendiosa significat, *Bene scripsisti de me Thoma?* O quàm ingens, & ampla commendatio. Ille *ille verè probatus est quem* ut Apostolus inquit, *Deus commendat*. (2. ad Corinth.20.) Non hæc hominum commenda-

tio

tio eſt, qui Verba ſolum in aera jactant, & adulatione ducti, & vituperanda ſæpius laudant, & laudanda viruperant: Sed hæc ipſius veritatis Deique commendatio eſt, cujus oculis omnia aperta ſunt, & à quo pro veris falſa, periculoſa pro ſecuris, dubia pro veris, probari, & commendari poſſe exiſtimare piaculum eſſet. Hanc olim factam homini juſto promiſſionem legimus, qua inter adverſæ fortunæ calamitates, quibus exercetur, leniret animum, ſeque melioris boni ſpe ſolaretur: *Dicite juſto quoniam benè* Nimirum inquit eruditus Interpres, ea promiſſio *Illimitato Verbo (Benè) omnia complectitur*. Quid enim ad felicitatem juſto deſit, ſi benè ipſi ſit? Impetatur undique malis, æmulos ipſa virtus pariat, oblucutiones ingruant, ea ſe tamen voce ſolabitur, *Quoniam benè*: ea ſibi nihil defuturum unquam arbitrabitur, eaque ſe tutum æſtimabit, cum illimitati boni promiſſio omnia complectatur. At quid non ea vox *Benè ſcripſiſti Thoma* non ſignificet: Quid illimitatum Verbum non comprehendat? Et bonum undique, omnique exparte integrum eſſe neceſſe eſt, cui ſi quid defuerit, boni naturam & nomen amittit. An veró doctrina quæ falſa, quæ errori, quæ periculo proxima, & defendendæ Eccleſiæ, & expugnandis Hæreticis minùs opportuna eſt, *Benè* ſcripta dici poſſit? & doctrinæ bonitas ipſa veritas eſt. *Benè ſcripſit D. Thomas*. Dubitent aliqui, clamores tollant Hæretici, qui ſe premi argumentis Thomæ perſentiunt; hujus doctrinam impetant undique, ac difficultates ingeminent: ea tamen Divina voce, cæleſtique oraculo, quod nec fallere nec falli poteſt, quiſquis Divum Thomam Magiſtrum ſequutus fuerit, ſe in tuto repoſitum ſecurumque eſſe certò ſciet. *Benè ſcripſiſti de me Thoma*: nec dubitabo ipſe poſt eam Chriſti vocem, ingenſque miraculum, quo comprobata eſt Divi Thomæ doctrina, affirmare palam, ſi quæ ſit de D. Thomæ doctrinæ præſtantia, variiſque dotibus, quibus cæteris ſine cujuſque injuria anteponi poſſit controverſia, Divina ſententia ac cæleſti oraculo definitum eſſe negotium. Refert Annalium Eccleſiaſticorum parens Baronius, (ad ann. 975. in fine:) alterum ex parte ſimile miraculum auditamque ex imagine Chriſti e Cruce pendentis vocem, qua olim gravis momenti controverſiæ in Concilio in Anglia celebrato, finis impoſitus eſt. Sententiam jam Concilii præſes Vir Sanctiſſimus Divus Dunſtanus protulerat: at cùm plurima hi qui ſecus ſenſerant, adverſa reponerent, jamque varias in partes animi traherentur, hæreretque ipſe vir Sanctus Concilii præſes: tum ex Sacra imagine Crucifixi in loco edito poſita hæc clariſſima vox audita eſt, omneſque ſtupore affecit: *Judicaſtis benè*: *mutaretis non benè*. Tremefacto Concilio, omniumque ordinum his qui aderant ſtupentibus, reſumpto animo, qui præerat inquit: *Quid ampliùs vultis Fratres Divina ſententia definitum negotium audiviſtis*. Liceat Erudite Lector hæc in D. Thomæ commendationem inflectere. Sanè mihi videre videor ampliſſimum cętum in quo Summi Pontifices D. Thomam miris laudibus evehunt, ac inſolitis nullique alteri conceſſis encomiis commendant, cujus & doctrinam voce e Chriſti Imagine emiſſa comprobatam fuiſſe agnoſcunt. Verùm cùm non deſint fateor, qui & Chriſti & Summorum Pontificum approbationem & com-

mendationem varias in partes, var ioſque ſenſus trahant, ac Etherodoxi omnino reclamant, qui ſuos errores ea doctrina profligari perſentiunt: dum hærere quidam poſſent, audire mihi videor emiſſam iterum ex Crucifixi Imagine vocem, & Summos Pontifices & ampliſſimum cætum his Verbis, compellantem: *Benè ſcripſit de me Thomas: Judicaſtis benè mutaretis non benè*. Quid poſt hanc vocem ſupereſt, quid ultra Eruditus, & veritatis adipiſcendæ ſollicitus Lector exoptet? An non dicere liceat, *Quid ampliùs vultis Fratres Divina ſententia definitum negotium eſt*. Non enim ea hominis, ſed Dei vox eſt, & ut inquit D. Paulus (*ad Rom. 2.*) *Laus non ex hominibus ſed ex Deo*. Et ſi dictum olim eſt à D. Gregorio Nazianzeno de D. Baſilio, ut fulgentiſſimi Orientis luminis authoritatem, & approbationis ab eo conceſſæ pondus commendaret: *Profectò calculus Dei tuus calculus eſt*. Quid de ea approbatione ſentiendum ſit? Non enim hominis etiam Dei vices agentis calculus aut commendatio, ſed ipſius *Dei calculus eſt*, Divinaq; voce; cæleſtiq; oraculo ingentiq; miraculo D. Thomę doctrina comprobatur. Et ſi olim ea fuerit de Magno illo apud Græcos Baſilio exiſtimatio, ut ſeſe quis ob hujus laudationem ab æmulorum oblocutionibus tutum eſſe arbitraretur; ſi cuiquā dicere licuit, *Baſilio me laudante adverſus quoſvis Victoriam reportabo* (Libanius Baſil. Ep. 161.) Quid non aget Chriſti commendatio miraculo edita, ut Divi Thomæ doctrinam, ſi quæ ſuſpicio falſi cujuſquam animum inceſſeret, ſi qua oblocutione peteretur, in tuto reponat. Hæc Scholæ noſtræ ſecuritas eſt, hoc nobis altiſſimum & refugium & præſidium conſtitutum, cùm non immeritò, quod ad commẽdandam Divinam legem à D. Paulo dictum eſt, (ad Hebręos 2.) in D. Thomæ doctrina, ſervata ea quæ neminem latere poteſt comparationis ratione, referri poſſit, & debeat; eam *Conteſtante Deo ſignis & portentis confirmatam fuiſſe*. Hęc igitur cum ita ſint; quis neget D. Thomam cęteris omnibus Theologis, quorum nomina in Scholis celebrantur, multis partibus anteponendum eſſe, iis ſingularibus dotibus exornatum, iiſque privilegiis, & in Sanctitatis prę mium, & in laborum mercedem inſignitum, quæ nulli alteri unquam conceſſa ſunt, quin etiam quæ nemo (auſim dicere,) ſine aliqua temeritatis nota ſibi vendicare, aut ſperare præſumeret. De quo enim alio præter unum D. Thomam dici unquam potuit oratione magis quàm ſtudio, inter extaſes raptuſque & à Cælitibus, Divoque Paulo, ac Deipara Virgine edoctum, certante cum ſcientia ſanctitate, quidquid ſciret comparaſſe? Cui alteri quàm D. Thomæ hæc commendatio jure tribui potuit, quòd quidquid olim ſapienter, & egregiè ſcriptum eſt, ad hujus Doctrinam *prępatio quędam* fuit, quæ deinceps *fundamentum* fuerit aut baſis, cui quidquid veræ Theologię eſt innititur, cùm ſolidius aliquid inveniendi, aut meliori methodo diſponendi ſpem omnem cæteris Aquinas abſtulerit? Cujus demum doctrina, præter unius Divi Thomæ doctrinam, Divina voce cæleſtique oraculo comprobata eſt: Ut jam conſentientibus omnium Academiarum Theologis, plaudentibus ut credere par eſt ipſis cælitibus, qui ſuam in exornando Thoma operam contulerunt gratulari D. Thomæ his Verbis liceat: *Non ſurrexit ultra* ſicut Thomas *Dux ſapientiæ & ſapientium emendator*.

Et hanc tibi O Sanctiſſime Thoma Præceptorque Angelice commendationem quamvis tenuem, meritiſque longè inferiorem, in grati animi teſtificationem

nem appendo, aliquo forsitan tempore duraturam, qua palam quantum Tibi debeam significem, & quidquid hoc in opere à me scriptum est Tibi acceptum referam. Neminem nisi Te unum in hoc opere scribendo consulere & audire volui, certus me in Te uno quidquid solidius, quidquid reconditum magis est, reperturum. Et hæc me sanè summa sapientia in stuporem adducit: in controversia perquàm difficili, in qua ingenia perpetuò novum aliquid reperturi insudant, nihil post quatuor sæcula, à viris non mediocri ingenio præditis, longa meditatione detritis, reperiri hactenus potuisse, quod à Te occupatum, & veluti præsaga mente, ad eas difficultates explicandas scriptum non fuerit. Sed me magis summa illa Sanctitas rapit: cùm Te cælestem hominem, & cum superis familiariùs agentem intueor, cujus *Conversatio in Cælis* fuerit, ut qui *jus & mores Civitatis* mortalis adhuc habueris. (Ex D. Atan.) Magna sanè felicitas est, fragili carne circumdatum incorruptos *Civitatis* novæ, Cælique *mores* habere, in carne præter carnem, vivere, nullaque vel leviſſima impressione perstringi, & puritatem Angelicę parem dotemque illis à natura concessam, sibi gratia meritisque comparasse: sed quid majus, quid felicius unquam intelligi possit, quàm in hoc exilio ac lacrymarum valle, jam *Civitatis jus* assecutum fuisse, & pro arbitrio, corporearum rerum omni sensu amisso, ne ardentis animi liberum præpetemque volatum retardarent, per dies integros, cum Cælitibus commoratum fuisse. Non aliam olim O Sanctissime Thoma cum eligendi optio concessa fuit, laborum scriptorumque mercedem à Te postulatam didicimus, prętер eum quo Authore scripseras, Deum omnis boni fontem. Quid enim aliud optari à Te poterat, qui toties supra naturam evectus, in ipsa immobili æternaque veritate fugacem ac perituram rerum vanitatem, conspexeras? Fac O Sanctissime Thoma, tua ope tuoque præsidio, ut si quid in scribendo opere mereri potui, hujus æterni boni participatione aliquando fruar: ac interim cum hæc nobis singularis eximiaque felicitas contingat, ut quem Magistrum audimus, & virtutis imitandæ exemplar inspicere, & patronum apud Deum habere liceat; Te supplex oro, ut quod Ecclesia publicis supplicationibus à fidelibus omnibus postulari voluit, addito menti lumine, sed magis voluntate sacro igne accensa, liceat & quæ docuisti Magistrorum Sapientissime *Intellectu conspicere*, & quæ egisti Doctorum Sanctissime *Imitatione complere*. Atque utinam hanc etiam suscepti operis mercedem, quæ in Tui gloriam redundet, reportem: ut Te omnes agnoscant Theologorum qui in Scholis audiuntur accepta cęlesti infusione doctrinæ omnium Sanctissimum; collectis omnium Patrum luminibus Sapientissimum; probataque ac veluti consecrata Divina voce doctrina omnium Securissimum: atque ea veneratione, amore reverentia, quàm singularis Sanctitas postulat, eximia sapientia exigit, ac cęleste oraculum jubere videtur, Te perpetuò colant, Teque complectantur.

LICENTIA A SACRA CONGREGATIONE S. OFFICII CONCESSA.

Eminentiſſimi , e Reverendiſſimi Signori .

FRà Antonino Maſſouliè Maeſtro in Theologia , Compagno del Padre Generale dell'Ordine de Predicatori humilmente eſpone all'EE. VV. qualmente havendo compoſto un'Opera intitolata *D. Thomas Sui Interpres de Motione Divina , & Libertate Creata* fù dall' EE. loro impoſta la reviſione al Padre Maeſtro Pozzobonelli , allora Maeſtro del Sacro Palazzo , il quale diede à rivedere la ſudetta Opera al Padre Ludovico Maria de Ameno Minor Oſſervante , il quale l'approvò , e dopo fù rimeſſa al preſente Padre Maeſtro del Sacro Palazzo , il quale potrà riferire all'EE. VV. il ſuo ſentimento . Per tanto ſupplica riverentemente la bontà dell'EE. loro à degnarſi , non trovandoſi in detta Opera coſa contraria a'ſentimenti della Chieſa , concederli licenza di darlo alle Stampe à beneficio , e profitto commune; che il tutto &c. Quam Deus &c.

Feria 4. die 23. Novembris 1689. In Generali Congregatione Sancti Officii lecto ſupradicto Memoriali , Eminentiſſimi , & Reverendiſſimi DD. Cardinales Generales Inquiſitores ſervatis ſervandis licentiam petitam dicto Oratori conceſſerunt .

Alexander Speronus S. Romanæ , & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli .

LICENTIA REVERENDISSIMI P. MAGISTRI GENERALIS

Nos Fr. ANTONINUS CLOCHE Sacræ Theologiæ Profeſſor , ac totius Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis , & Servus .

HArum ſerie noſtrique Officii authoritate licentiam facimus Rev. Adm. P. Fr. Antonino Maſſouliè in Academia Tholoſana antea Doctori Regenti , Provinciæ Toloſanæ Exprovinciali , & Socio noſtro Typis edendi opus cui titulus eſt *D. Thomas Sui Interpres de Divina Motione, & Libertate Creata*: dummodo ſit priùs reviſum , & approbatum à duobus in Theologia Profeſſoribus : aliiſque ſervatis de jure ſervandis . In Nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti Amen . In quorum fidem, his officii noſtri Sigillo munitis manu propria ſubſcripſimus . Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam . Die 15. Martii 1691. Aſſumptionis noſtræ Anno V.

F. ANTONINUS CLOCHE
Magiſter Ordinis

Loco ✠ Sigilli .

Regiſtrata fol. 57.
F. HENRICUS DE GUSMAN
Provincialis Terræ S. Magiſter , & Socius .

APROBA-

APPROBATIO

REVERENDISS. P. PAULINI DE BERNARDINIS.

In Romana Sapientia Professoris, Congreg. Indicis Consultoris, Romanæ Provinciæ Exprovincialis, Reverendissimi P. Magistri Generalis Socii,

Ac nunc à SS. Confessionibus D. Nostro

PAPÆ INNOCENTIO XII.

MUnere mihi demandato à Reverendiss. P. Fr. Antonio Cloche Ordinis Prædicatorum Generali Magistro, revidendi nimirum posteriorem Operis partem; Cui Titulus *D. Thomas sui Interpres* ab adm. R. P. Antonino Massouliè Sac. Theologiæ ejusdem Reverendissimi P. Mag. Generalis Socio, nec non Tholosanæ Provinciæ Exprovinciali, strenuè elaboratam, magna animi voluptate perfectus, idem Judicium, quod de priori Operis parte meritissimè tuleram, ad hanc posteriorem referendum esse non ambigo. Opus enim, in quo per Solis Aquinatis radios Divinæ Gratiæ vis fortiter, & suaviter cuncta disponens mirabiliter elucet; non mediocri laude dignum esse quis inficias eat? Equidem plurimum laudari meretur opus in quo præcipuæ dotes exactè servantur quas Isidorus Pelusiota Epistola 145. in scribendo postulat. *Veritas* scilicet, *perspicuitas*, *& opportunitas*. Si enim inquit scriptio eas omnes virtutes habeat, tunc & *efficax*, *& acris*, *& velut animata erit*. *Veritate quidem sua Auditores capiens*, *perspicuitate animum tangens*, *opportunitate denique coronam reportans*. Quæ autem in hoc opere Auctor ex D. Thoma quamquam in magno numero refert, adeò opportuna sunt, ut non alium commodiorem locum unquam habere queant. Nihil enim vi pertractum est nihil in alienum sensum detortum; Sed omnia placidè suaque sponte concurrunt, & in ea sede reponuntur, ad eum usum eleganter aptata, quem ipse D. Thomas eligeret. Nulla quoque obscuritas est: licet enim ipsa profunditate quæstiones quæ pertractantur difficillimæ sint, ea tamen claritate explanantur, ut numquam voluptas, quam Lector percipit, obscuriori sensu intercipiatur. De veritate quid dicam? Ipsamet D. Thomæ Doctrina est, quam ab eo se accepisse ubique Auctor profitetur. Et genuinam Angelici Præceptoris mentem ubique Authorem assecutum fuisse non dubito, cum maximè versatum esse in legendis D. Thomæ libris, opus ipsum ostendat. Magnam divitiarum copiam Tribui Manassæ, advenisse, eo quod in illa ossa Joseph servarentur ex antiqua traditione accepimus. Mirum igitur esse non debet, quod cum Sacræ Sancti Doctoris Exuviæ in Tolosano Cœnobio recondantur, ejusdem Cœnobii Alumni, quibus noster Auctor dignissimè præfuit, per D. Thomæ merita, & exactioris regularis observantiæ spiritum, Præceptores Angelicæ Doctrinæ sensus felicter assequantur. Quamobrem cum in hac posteriori Operis parte nihil deprehenderim, sanæ Doctrinæ, bonisque moribus dissonum, admodum expedire censeo, ut illa quoque Typorum beneficio publici juris fiat. In quorum fidem &c. Romæ 15. Januarii 1693.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Pradic. Sac. Theolog. Mag.

Approbatio Theologorum Ordinis.

DE mandato Reverendissimi Patris Antonini Cloche Magistri Generalis totius Ordinis Prædicatorum, legi Secundum Tomum de auxiliis Divinis compositum ab Admodum Reverendo Patre Antonino Massouliè Sacræ Theologiæ Doctore, & Reverendissimi Patris Magistri Generalis pro Provinciis Galliæ Socio, in quo reperi stylum novum, gratam facundiam, celsam, firmam sententiam, originario suo fonti Divo Thomæ Aquinati conformem. Hanc quisquis secutus fuerit non cœcutiet obnubilatus tenebris ignorantiæ, nec à veritatis tramite cespitando deflectet, nec adversariorum tela trepidando pavebit, nec denique argumenrorum motibus corruens succumbet: siquidem doctrina hæc lucem profert ad arcana Divinæ gratiæ penetranda, dum fulcita est plurimis Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum, & præsertim Angelici Præceptoris evidentibus testimoniis, firmata solidissimis rationibus, munita objectionum fundamentalibus dissertationibus, & ornata insigni quadam explicandi facilitate, ita ut intelligi possit, quomodo Divina gratia attingat à fine usque ad finem fortiter, efficaciter, & infallibiliter; & disponat omnia suaviter, relinquendo homini libertatem creatam, quam præveniendo non lædit, comitando non extinguit, & concurrendo non aggravat, sed potius eandem perficit. Dignissimum proinde hoc opus censeo, quod pro bono communi Theologorum, & specialiter in Palestra Thomistica decertantium typis mandetur. In quorum fidem his manu propria subscripsi. Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam Anno 1692. Die 4. Novembris.

Fr. Raymundus Ortz Ord. Præd. Magister & Socius.
Fr. Josephus Sarabia Magister & Socius.

Approbatio R. A. P. HIACYNTHI SERRY Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris Ordinis Fratrum Prædicatorum.

SAnctus Thomas Divinæ mentis Interpres, prodit Interpres sui. Quis alium justè desideret? Alieno eget Interprete, qui aut sub obscurè aut diminutè dixit: At quid vel obscurum in Sole, vel in Abysso diminutum? Id unum tantùm studioso Thomæ Lectori necessum est, ut illum non una alterave parte, sed quatenus quatenus est, evoluerit, internoverit: ut quod alicubi sub obscurum putat, petitis alio ex Capite radiis eluceſcat; quod alicubi diminutum, alterius partis plenitudine resarciatur. Id erudito labore suo feliciter est assecutus R. Adm. P. Antoninus Massoulié, qui diuturna Doctoris Angelici meditatione, plenaque universorum ejus operum intelligentia, sensus illius omnes, fundamenta, principia, rationes, in unam Angelicæ Interpretationis harmoniam coaptavit. Augustini consilium, quo quærendum Cor Dei in Verbis Dei præmovebat, in Angelico Doctore implevit: Quæsivit Cor Thomæ, in verbis Thomæ. Clementis VIII. Angelicæ Doctrinæ studiosissimi Pontificis Votum; quo missa tot Commentariorum onerosa mole, petitam dumtaxat, ex ejusdem Operibus, Interpretationem edi peroptabat, feliciter aggressus est. Optandum, ut quod in hac difficillima Theologiæ parte, cumulatissimè perficit, in aliis pro communi Reipublicæ literariæ commodo, exequatur. Ita censeo post expleta Reverendissimi P. Generalis mandata quibus examinandi Operis Provinciam demandavit. Datum Romæ die 23. Februarii 1693.

Fr. Hiacyntus Serri Ord. Præd.

Approbatio Rev. Admodum P. Fr. LUDOVICI MARIÆ DE AMENO Strict. Obser. S. P. Francisci Sac. Theol. Lectoris Emeriti.

EX commissione Reverendiss. P. Magistri Sac. Palatii Apostolici, Ego infrascriptus accuratè perlegi egregium opus cui titulus *Divus Thomas sui Interpres* summa ingenii perspicacitate, sententiarum claritate, & materiarum ordine elaboratum ab Admodum Rev. P. Magistro Antonino Massoulié. Nihil in eo offendi, quod sanam fidem offendere possit; nil quod sapiat novitatem, sed antiquam nec unquam antiquatam, imò perenniter ab originaria scaturigine cælesti mentis D. Thomæ per suorum Discipulorum rivulos usque ad hæc tempora deductam eruditionem evidentissimè comperi. Quapropter dignissimum censeo, ut publici juris fiat, cum publicam utilitatem in Theologica Republica sit allatarum. Ita salvo &c. Datum in Conventu Sancti Petri in Monte Auro de Urbe hac die 2. Februarii 1691.

Ego Fr. Ludovicus Maria de Ameno Sac. Theol. Lector. Emeritus Ord. Min. Refor.

Approbatio Rev. Adm. P. Magist. FRANCISCI DE LATENAY S. Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, & Assistentis Generalis pro Galliis Ordinis Carmelitarum.

DE mandato Reverendissimi P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sac. Apostolici Palatii Magistri, perlegi alterum Tomum cui Titulus est: *Divus Thomas Sui Interpres de Divina Motione in Ordine Supernaturali seu de Divina Gratia*; in quo Adm. Rev. P. Mag. Massoulié Ordinis Sancti Dominici sui Authoris mentem, eo quo solet Orationis splendore, copia, gravitate, & rerum quas tractat veritate, ac dignitate expendere ac vendicare pergit. Cum autem de Divina gratia disputet, ita SS. Patrum auctoritate suam tuetur sententiam, ut meritò Latinos Græcis, Occidentalem Ecclesiam Orientali, tempus demum à quo subortæ sunt gravissimæ hac de re Controversiæ, illi, in quo, non dum enatæ erant prætulerit. Quia verò S. Augustinus, ubique, præsertim hoc de argumento, est Doctorum omnium facilè Princeps, sic duce Angelico suo præceptore, ejus sententiam expendit, sic feliciter enucleat, ut extremis utriusque vitiis, felicissimè calcatis atque repressis, medium Veritatis iter, inter tot litterariæ Reipublicæ tumultus, sui argumenti, metam versus, sibi aperuit. Hinc cum nihil Orthodoxę Fidei aut bonis moribus contrarium in hac Angelici Doctoris Interpretatione occurat, sed cuncta, illic contenta, ad mentem SS. Patrum, & ad antiquam Theologiæ Doctrinam tuendam, colliment, ideò illam prælo dignissimam censeo. Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ die 12. Februarii 1693.

Fr. Franciscus de Latenay Carmelita, & Sacræ facultatis Parisiensis Doctor Theologus.

Appro-

Approbatio Rev. P. BERNARDINI VAYSSIERE MAILLAC Ordinis Minimorum Sancti Franciſci de Paula Concionatoris, Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſoris, & alias in Aquitaniæ Provincia Definitoris, nec non Collegæ Provincialis, & jam in Conventu Regio Sanctiſſimæ Trinitatis de Urbe in Monte Pincio ex Correctoris.

DE mandato Reverendiſſimi P. Fr. Mariæ I[illegible]rari Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri, Ego infraſcriptus legi Librum cui Titulus eſt, *Sanctus [illegible]mas Sui Interpres, de Divina Motione in Ordine Supernaturali, ſeu de Divina Gratia*: In quo libro certè mens D. Thomæ ſe ſe legenti adeò facilem præbet, ut Author ſemper ſibi conſtans, ſanioris ſcilicet in omnibus Doctrinæ, ſicut & purioris vitæ, in demonſtrando Doctoris Angelici ſenſu, lumen lumini addidiſſe videatur, gratiaque, adjutus efficaciſſima, de Naturali ordine ad Supernaturalem tranſcendiſſe; Ita ut veritas amicta Sole, opere in tanto verè dici poſſit, de cujus natalibus, de cujus ſplendore originis dubitari nemini liceat, niſi benè & graviter pertinaci. Hæc profiteri, hæc atteſtari ſuaſit ipſa & una veritas. Romæ 2. Februarii 1693.

Fr. Bernardus Vayſſiere Maillac Ord. Minorum Sancti Franciſci de Paula.

Approbatio Reverendi Adm. P. D. PAULI ANDREÆ BORELLI, Clerici Regularis Sancti Pauli, Sacræ Theologiæ, olim Mediolani, Ticini, Bononiæ, ac in Urbe Lectoris; nunc verò in Urbe Præpoſiti Collegii Sancti Caroli ad Catinarios.

QUalem prænunciavit Aurora, ex Diſſertationibus de Divina Gratia Primo Tomo contentis ſequuta exhibet jam nunc fulgentiſſimam lucem Sol, hoc Secundo Volumine de Motione, ſeu Gratia Supernaturalis Ordinis, mihi à Reverendiſſimo Patre Fr. Thoma Maria Ferrari Sac. Apoſtolici Pal. Magiſtro commiſſo. Opus ſanè Auctore ſuo, tanto Viro, tanto Magiſtro Antonino Maſſouliè dignum; dignus ipſe, quem materies adeò Sacra, adeò ſublimis Expoſitorem ambiat, ac defenſorem. Ex Sanctis Auguſtino, & Thoma altè deductæ cogitationes, ſelecta potiſſimum arma, & argumenta. Nihil etiam de omni litteratura, non tactum, ſcriptum ferè ſupra hominem, attamen ab homine; omnia ſcitè, acutè, elegantèr tractata, atque ad concupiſcendum Gratiæ decorem elaborata. Gratiam ubique ſpirat, gratiam undequaque promovet, qua ſemper æſtuat Vir Religioſiſſimus, quam ſemper habet in labiis diffuſam: nec qualemcumque gratiam, ſed robuſtam, ſed virilem, ſed efficaciſſimam, operoſam non minùs in corde lapſi, ac negotioſam in corde Innocentis. Huic gratiæ SS. eos Doctores nuſquam non gratificatos meridiana luce demonſtrat; hanc etiam, perpetuò in Scholis Thomiſtarum obtinuiſſe; depoſitam ab Angelico, non mutuatam, cuſtoditam, non inventam. Ad hunc ſcopum omnia collimant, hunc feliciſſimè ſemper attingit, prævalente ubique modeſtia; ſibiq; imperantis fortunæ verecundia. Opus igitur, in quo nihil ab Orthodoxæ Fidei declinans Regula nihil à ſana Theologia deerans, nihil non Religioſum, nihil non candidum: Seriò Cenſeo quod diù, à multis exoptatam lucem videat, ad ſui Auctoris gloriam ad Scholæ Thomiſticæ ornamentum, & publicam omnium utilitatem. Romæ in Collegio S. Caroli die 15. Aprilis 1693.

D. Paulus Andreas Borellus Cler. Reg. S. Pauli.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro.

Sperellus Epiſcopus Interamnen. Viceſger.

Imprimatur,

Fr. Thomas Maria Ferrari Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

INDEX

INDEX

QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM.

DISSERTATIO TERTIA.

De Divina Motione in ordine supernaturali, seu Divina Gratia.

QUÆSTIO PRIMA.

De Gratia sufficiente.

Articulus I.

Duplex à S. Thoma in ordine supernaturali auxilium distingui, quorum alterum facultatibus naturalibus, respondeat, tribuatq; posse agere, diciturque auxilium sufficiens: alterum verò tribuat agere, sitque prævia motio, & gratia efficax. pag. 3.

Articulus II.

Quot modis auxiliũ sufficiens accipi possit, & soleat à Sancto Augustino, & S. Thoma aliisque Patribus. 6.

Articulus III.

Eadem observatio ex Scriptura Sacra, & ex Sancto Augustino, aliisque Patribus confirmatur. 11.

Articulus IV.

Sufficiẽtis auxilii necessitas, dignitas, & vera notio, ex D. Thoma explicantur. 17.

QUÆSTIO SECUNDA.

De efficaci gratia, & Divina Motione supernaturali, ac Divinis auxilis. 10.

Articulus I.

Quot modis gratia efficax sumi possit, & à S. Thoma accepta fuerit? 21.

Articulus II.

Primum totius resolutionis caput de efficaci gratia per se: Deum per illapsum animæ præsentem omnis perfectionis esse causam. 24.

Articulus III.

Deum esse primam, prævium, & physicam causam omnis perfectionis, necessitatis, contingentiæ, & libertatis. 27.

Articulus IV.

Altera ex D. Thoma explicatio, & probatio, efficaciam Divinæ voluntatis, causas omnes secundas præmoventis, primam esse causam contingentiæ, libertatis, omnisq; perfectionis. 32.

Articulus V.

Confirmatio superioris rationis: ex S. Thoma à Deo voluntatem immobiliter moveri, & servari tamen libertatem. 35.

Articulus VI.

Altera confirmatio: Divinam motionem esse causam cujusque perfectionis. Voluntatem posse moveri infallibiliter, & tamen libertatem servari. 38.

Articulus VII.

Prosecutio ejusdem argumenti, Divinam motionem, & gratiam esse per se efficacem, non indifferentem: voluntatem determinare, suaque vi ipsam actuum libertatem efficere. 40.

Articulus VIII.

Triplex observatio ex S. Thoma. Prima Observatio. Quo sensu intelligendum Divinum concursum in causis secundis determinari. 55.

Articulus IX.

Secunda observatio; Deum in causis secundis concursum ac motionem temperare; non verò concursum Divinum à causis secundis determinari. 47.

Articulus X.

Tertia observatio: contingentiam, & libertatem in Deum ut causam principalem, & causas secundas ut minùs principales, referri posse. 50.

Articulus XI.

Probat Sanctus Thomas, initium salutis fore ex sola voluntate, nisi Deus voluntatem prævièt moveret. 54.

Articulus XII.

Prosecutio ejusdem Argumenti, quòd voluntas

Index Quæstionum, & Articulorum.

tas esset primum sua conversionis, & salutis principium. Impugnatur solutio communis, quæ recurrit ad concursum simultaneum. 57.

Articulus XIII.

Altera ex D. Thoma probatio: quòd gratia per se efficax sit, quia usus gratiæ esse debeat ab ipsa gratia. 62.

Articulus XIV.

Altera ex S. Thoma probatio efficacis per se gratiæ. Dici non posse, quòd Deus faciat ut faciamus, nisi ea ratione, quòd prævie, & in genere causæ efficientis moveat voluntatem. Utramque motionem, & moralem, & effectricem necessariam esse. 64.

Articulus XV.

Refellitur quorumdam comparatio, qua Divinam Gratiam cum tentatione dæmonis conferunt. 69.

Articulus XVI.

Ejusdem Argumenti prosecutio sola Divina motione prævia ex S. Thoma Deum facere ut faciamus. 74.

Articulus XVII.

Confirmatio Superioris rationis, non posse intelligi, Deum propriè, & perfectè voluntati causam esse agendi, nisi admittatur prævia, & efficax motio. 79.

Articulus XVIII.

Deum non esse, nec dici posse principalem causam actionis bonæ nisi ratione solius motionis prævia, & prævenientis gratiæ effectricis, & præoperantis. 82.

Articulus XIX.

Communis solutio refertur, & rejicitur, concursu scilicet simultaneo Deum facere, ut faciamus. 86.

Articulus XX.

Altera ex S. Thoma Probatio non posse gratiam non esse efficacem quæ ex Divina Omnipotentia efficaciam habet. 92.

Articulus XXI.

Refellitur communis solutio, non posse etiam à potentia Divina creatam voluntatem prævia motione Dei ejusque gratia per se efficaci moveri, quin voluntatis libertas auferatur. 96.

Articulus XXII.

Confirmatio Superiorum, ex eo quod ea propositio damnata sit Divinam Omnipotentiam subjectã esse voluntati creatæ. 101.

Articulus XXIII.

Probatio ultima efficacis per se gratiæ ex variis incommodis adversæ sententiæ, quæ referuntur. 103.

Articulus XXIV.

Alia Sententiæ adversæ incommoda aliquã esse in voluntate perfectionem quæ non sit à Deo &c.

Articulus XXV.

Alia iterum ejusdem sententiæ adversæ incommoda recensentur: usum gratiæ non esse effectũ prævenientis gratiæ &c. 111.

Articulus XXVI.

Solvitur commune Argumentum ex illo Matth. 11. 12. Væ tibi Corozain &c. Egregia D. Thomæ explicatio. 117.

QUÆSTIO TERTIA.

In quo posita sit vis Divinæ motionis, gratiæ efficacis? 122.

Articulus I.

De variis in communi efficacem gratiam, & prævium motionem explicandi modis. pag. 123.

Articulus II.

Primus explicandi modus motionem esse virtutem impressam voluntati, & applicationem voluntatis creatæ, cum actu infallibiliter connexam. 126.

Articulus III.

Probatur ex S. Thoma primus hic explicãdi modus gratiam esse per se efficacem, ac esse infallibiliter vi sua, & immediatè cũ effectu connexam. 128.

QUÆSTIO QUARTA.

De Secundo explicandi modo: motionem Divinam in voluntate ita temperari, ut cum ipsius entitate actus oppositus conjungi possit. 133.

Articulus I.

Motionem Divinam, ut in voluntate recepta modificari: movere tamen infallibiliter, ut est ex intentione Dei. 133.

Articulus II.

Triplex observatio. Secundum hunc explicandi modum, primo modo explicandi non esse contrarium: Utilem esse: non tamen omnino necessariam ad conciliandã cum gratia libertatem. 135.

QUÆSTIO QUINTA.

De secundo explicandi modo: Infallibilitatẽ effectuũ oriri ex concursu causarũ. 141.

Articulus I.

Deum multitudine, & concursu causarũ licet quælibet defectibilis sit, infallibiles effectus producere: Refertur sententia Josephi à Vi-

Index Quæstionum, & Articulorum.

à Vita. 141.

Articulus II.

Quæ probari aut rejici in ea sententia debeant explicantur. Probatur Divinam motionem, & concursum ut à Deo descendit indifferentem non esse. 145.

Articulus III.

Plurium difficultatum resolutio. Quid sit gratiam esse efficacem si sit ex intentione Dei: Quæ vires addendæ sint cum tentatio fit gravior: An in causis defectibilibus aliquid indefectibile esse debeat. 148.

Articulus IV.

Unde oriatur infallibilitas effectus? oriri in primis ex efficacia Divinæ volũtatis. 155

Articulus V.

Infallibilitatem effectus oriri ex ordinatione Sapientiæ Divinæ, & dispositione Causarum. 160.

Articulus VI.

Eodem explicandi modo usum fuisse S. Thomam, cùm Prædestinationis Divinæ certitudinem in eo reponit, quòd plurima adminicula homini præparentur à Deo quibus ad finem perveniat. 168.

Articulus VII.

Deum movere causas inferiores mediis Superioribus, & voluntatem medio dictamine intellectus. 173.

Articulus VIII.

Etsi Deus inferiores causas mediis Superioribus, & voluntatem medio intellectus dictamine moveat, vim tamen motionis Divinæ, & causis inferioribus, & voluntati immediatam esse. 181.

Articulus IX.

Voluntatem causasque omnes immediatè moveri à Deo: Deum in voluntatem imprimere: unde quis fortunatus dici possit explicatur pag. 185.

Articulus X.

Probatio altera validior à Deo immediatè voluntatem moveri: comparatio motionis cum conservatione. 193.

Articulus XI.

Solvitur objectio, & explicatur quo sensu D. Thomas voluntatis motionem ad intellectum referat ex Aristotele cap. de bona fortuna. 197.

QUÆSTIO SEXTA.

De quarto modo explicandi Divinæ Gratiæ efficaciam. 204.

Articulus I.

Quartus explicandi modus elucidatur, & defenditur, efficaciam Divinæ Gratiæ in quadam congruitate, & comparatione repositam esse. 205.

Articulus II.

Confirmatur magis superior sententia, efficaciam Gratiæ Divinæ in ea congruitate, & proportione positam esse, quòd superet resistentiam voluntatis. 210.

Articulus III.

Ultima Probatio: eam sententiam à Sancto Augustino Lib. 1. ad Simplicianum doceri, & explicari: plurimaque resolvuntur quæ contra efficacem per se gratiam ex eo Lib. objici solent. 214.

Articulus IV.

Convenire cum sententia communi hunc explicandi modum; non esse omnino necessarium; utilem tamen esse, & posse admitti demonstratur. 222.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De ea sententia quæ ablegata scientia media, & sepositis motionibus prævиis, Divinæ Gratiæ efficaciam in multitudine motionum moralium reponit. 227.

Articulus I.

Impugnatur ea sententia quæ in coacervatione auxiliorum efficaciam Divinæ Gratiæ reponit. Repugnat D. Thomæ principiis: veram controversiæ difficultatem intactam relinquit. 228.

Articulus II.

Multis iterum eadem sententia impugnatur. Verùm difficultatis nodum non solvit: Infallibilis certitudinis auxiliorum nullam rationem redit: minùs probabilis est, quàm sententia Josephi à Vita. 235.

Articulus III.

Altera impugnatio ejusdem sententiæ: ex D. Augustino adjutorium quo efficax non esse repositum in ea multitudine auxiliorum: efficaciam Divinæ motionis oriri ex Divina Omnipotentia: Comparatio cum Divina motione qua Christus movebatur. pag. 237.

ARTICULUS ULTIMUS.

Totius Dissertationis Cõclusio omniũ opinionũ extra Scholã D. Thomæ idẽ principiũ, quòd Divinã motionẽ ab operatione Dei rebus inexistentis sejungant: Non esse sẽper temperamenta quærenda. 244.

DISSER-

Index Quæstionum, & Articulorum.

DISSERTATIO QUARTA.

De Divina Motione in Statu Innocentiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

DE Divina motione, & efficaci gratia in Adamo, & Angelis Adversùs Jansenium. 250.

Articulus I.

Summa Doctrinæ Jansenii; nulli à Jansenii erroribus remotiores, quàm D. Thomæ Discipuli. 253.

Articulus II.

Evertitur fundamentum Jansenii, & discrimen ab eo constitutum inter statum naturæ innocentis, & lapsæ. Eandem necessitatem gratiæ in Adamo, ac cæteris hominibus, ex iisdem principiis, à Divo Augustino admissam esse demonstratur. pagina. 258.

Articulus III.

Fuisse in Christo, & Beata Virgine efficacem motionem Divinam: Ergo, & in Adamo. 270.

QUÆSTIO SECUNDA.

Ex variis Innocentiæ, & Sanctitatis Privilegiis collatam fuisse Adamo efficacem per se gratiam ostenditur. 273.

Articulus I.

Ex variis, & Innocentiæ, & Sanctitatis privilegiis collatam fuisse Adamo efficacem gratiam Divinam probatur. Extenditur ea ratio ad statum naturæ lapsæ. In omni statu voluntas ex donis Spiritus Sancti magis agitur quàm agat. 274.

Articulus II.

Confirmatio Superioris rationis: Movetur homo ex dono Spiritus Sancti supra communes rationis regulas. Ergo & efficaci motione. 281.

Articulus III.

Prophetiæ donum cum Divina motione conjunctum in statu Innocentiæ, & naturæ reparatæ. 287.

Articulus IV.

Probatur in Adamo efficax gratia ex ipsius altissima contemplatione, & dono intellectus. 295.

Articulus V.

Prosecutio ejusdem argumenti, de contemplatione, ex dono sapientiæ. 299.

Articulus VI.

Impugnatur Responsio non manere in his statibus libertatem. Quando, & quo pacto libertas remaneat ex Sancto Thoma explicatur; & Superiora omnia confirmātur. pag. 313.

Articulus VII.

Ex singularissima assistentia Spiritus Sancti qua Authores Canonici reguntur & inspirantur, probatur efficax motio Divina. 321.

Articulus VIII.

Altera Jansenii impugnatio Angelos indiguisse motione Divina, & gratia per se efficaci, ut converterentur ad Deum. 326.

Articulus IX.

Quæ fuerit in Angelis viatoribus, Authoribus Canonicis, Prophetisque, ac contemplativis libertas. 331.

Articulus X.

Explicatur vera mens Sancti Augustini quantùm ad discrimen naturæ innocentis, & paccato infectæ. 336.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrùm cum erroribus Jansenii Sententia Scholæ Divi Thomæ conveniat. 340.

Articulus I.

Objecta Thomistis cum Jansenii erroribus consensio depellitur: Doctrinam Scholæ nostræ & principiis, & propositionibus in Jānsenio damnatis omninò adversam esse demonstratur. 350.

Articulus II.

Demonstratur sigillatim de prima Jansenii Propositione confixa: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant: à D. Thoma prædamnatam esse. 352.

Articulus III.

De verò sensu Jānsenii in prima propositione damna-

Index Quæstionum, Articulorum.

damnata: Longissimè à principiis Scholæ D. Thomæ abesse ostenditur. 356.

Articulus IV.

Variæ objectiones solvuntur, tum eorum qui Thomistas Jansenismi incusant; tum eorũ qui Jansenium excusare voluerunt: Nullam verè sufficientem gratiam à Jansenio admissam fuisse: Non esse excitantis gratiæ nomen loco sufficiẽtis usurpandũ. 361.

Articulus V.

De secunda propositione Jansenii Interiori gratiæ nunquam resistitur: Longissimè ab eo errore doctrinam Scholæ Divi Thomæ abesse. 368.

Articulus VI.

Ostenditur tertiam propositionẽ in Jansenio proscriptam scilicet Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: principiis à D. Thoma constitutis repugnare. 371.

Articulus VII.

Quarta Jansenii Propositio: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: Adversam esse doctrinæ Scholæ D. Thomæ demonstratur. 374.

Articulus VIII.

Quinta Jansenii propositio Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse: Ab ea remotissima est Scholæ Divi Thomæ doctrina. 376.

Articulus IX.

Solvuntur quorundam objectio mutatam esse à Thomistis Sententiam, & condemnatione Jansenii inutilia effecta esse argumenta quæ anteà usurpaverant. 380.

Articulus Ultimus.

Argumentum ex Thomæ Turci Generalis Ordinis FF. Prædicatorum, & Thoma de Lemos authoritate desumptum dissolvitur pag. 385.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.

Reimprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri Apostolici Palatii Magister, Ordinis Prædicatorum.

SANCTUS

SANCTUS THOMAS
SUI INTERPRES.
De Divina Motione in ordine ſupernaturali, ſeu de Divina Gratia.
DISSERTATIO TERTIA.

Si jubeat grati animi ſenſus, ut omnia quæ hominis ſunt, ſeu ad naturam, ſeu ad virtutem moralem ſpectent, in Divinæ gratiæ motionem referantur: jubet maximè, ut ea referantur, quæ ad ordinem ſupernaturalem evectus homo ſibi comparare poteſt: cùm major ſit imbecillitas, quæ ex infirmitate naturæ accedit, & quâ gravatus, ac depreſſus homo nihil quod ad ſalutem æternam conferat, unquam agat, niſi efficaciſſima, & omnipotentiſſima, ut loquitur S. Auſtuſtinus, gratiâ adjuvetur. Jamdudùm à Chriſto Salvatore dictum accepimus: Sine me nihil poteſtis facere, *Joan.* 15. 5. *& ut inquit D. Gregorius Nazianzenus Oratione de ſe ipſo in fine Operum:* Sine ipſius ope omnes nos inania ludibria ſumus, & viva, ut ita dicam, cadavera, ſceleribuſque fœtida. Ut enim nec avis ſine aëre volat, nec Delphinus ſine aqua natat; ita nec homo ſine Chriſti adminiculo pedem movere poteſt. *Quid enim homo habeat à ſe, aut poſſit à ſe, nedùm pulvis, & umbra, ſed ipſa etiam vanitate levior, & cimmeriis tenebris undique circumfuſus? Sint equidem Viri magna etiam ſanctitate præditi, naturam omnem ſupergreſſi, omnique genere virtutum compoſiti: Verùm hæc aliena ornamenta ſunt, & commodatò accepta: atque inſtar arborum agreſtium, quibus arte, labore, & vi meliorem gemmam inſerere neceſſe eſt. Sæpiùs equidem inſita cordi gratia* Exiit ad Cælum (*velutì*) ramis felicibus arbos. (*Virg.* 2. *Georg.*) *Sed neceſſe eſt ſtupeat in radice nedùm agreſti, & aliena, ſed & corrupta, & mortifera vitæ fructus enaſci:* Miraturque novas frondes, & non ſua poma: *Non enim naturæ fructus ſunt, ſed Divinæ gratiæ, quæ ſterilem hominis naturam fœcundam efficit. Solus Chriſtus*, ſicut malus *domeſtica arbor* inter ligna *agreſtia* ſylvarum, *cui ſua poma non aliundè accepta, ſed ex nativa radice orta, ipſa natura miratur, quanquam, S. Auguſtino teſte, magna ſit in Chriſto commendatio gratiæ: quid enim ſi unionis Verbi Divini deeſſet gratia, Chriſtus foret, niſi Homo? adeò nullæ in Natura vires ſunt, quibus poſſit ad ordinem gratiæ aſſurgere. Quid igitur poſſit homo, qui domum habitat luteam, & lutum etiam*

ſanguine maceratum? Unum ſupereſt, ut ſuæ imbecillitatis conſcius Divinam opem, ac Cæleſtem gratiæ rorem petiturus cum Davide ad Cælum manus attollat. Extendi manus meas ad te, quia anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Tibi, *inquit Divus Auguſtinus*, non mihi: etenim ſitire tibi poſſum, ſed me irrigare non poſſum. *Expectanda Cæleſtis pluvia eſt, quæ nedùm prima germina irriget, ſed quæ etiam, & incrementum, & maturitatem conferat. Fœcundus equidem ager Eccleſia eſt, ubi flores naſcuntur, qui & mereantur* Divino pollice carpi. (*Claudian. de Raptu. Cùm* & noſtris *etiam* cupiant ornari Numina ſertis. *Ager eſt, ubi & Cæleſtis Spiritus, qui deliciatur in hortis, animas* Divino rore maritat. Et quaque volat *Divino afflatu* vernus ſequitur color, ac omnis in herbas turget humus. *Nihil infœcundum relinquit: ac nunc* ſanguineo ſplendore roſas vaccinnia nigro induit, & dulci violas ferrugine pingit. *Nunc gratum Cælis ſpectaculum, inter animas, quibus hæc ornamenta confert*: Hæc graditur ſtellata roſis, hæc alba liguſtris. *Atque ut mixtus color, odorque gratior, & ſuavior ſit*: Hæc lilia fuſcis intexit violis, hæc alios ſociat flores, ſeque non ignara, *neque Sponſo ingrata* coronat. *Et verò, ut inquit S. Gregorius, quis dubitet, agrum eſſe Eccleſiam, eamque per Electos ſuos omnis generis virtutibus redolere; atque* odorem Filii odorem eſſe ſicut agri pleni. Aliter namque olet flos uvæ; quia magna eſt virtus, & opinio prædicantium, qui inebriant mentes audientium: aliter flos olivæ; quia ſuave eſt opus miſericordiæ, quæ more olei refovet, & lucet: aliter flos roſæ; quia mira eſt fragrantia, quâ rutilat, & redolet ex cruore Martyrum: aliter flos lilii; quia candida vita carnis eſt de incorruptione virginitatis: aliter flos violæ; quia magna virtus humilium. Sed quia ager hic eas virtutes ex ſemetipſo habet, adjungitur: „ Cui benedixit Dominus. „ *Unde enim hæc Eccleſiæ fœcunditas, & ubertas, niſi ab eo Cæleſti rore, qui vegetat animum, eumque virtutibns implet. Et, ut inquit D. Proſper carmine de ingratis*: Hæc gratia ſola efficit, inque graves adolet plantaria fructns. *Qui Cæleſtis ros ſi defuerit, terra humani cordis arida eſt, aut nihil niſi ſpinas, & tribulos parit. Jubet igitur grati animi ſenſus, ut ſi quid in nobis eſt, quo Cæleſtem beatitudinem; ad quam nati ſumus, comparandi ſpes ulla ſit, ad Divinam gratiam referatur, quæ naturam evehit, evectam meritis ornat, ut tandem ornata meritis gratiam pro gratia, ſeu gloriam à Deo recipiat. Solus enim ibidem inquit S. Proſper, ô Deus hominum Parens,*

Tu corda moves; Tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis, ſervans largita, creanſque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

De gratia igitur bonorum operum, ac meritorum effectrice, in hac Tertia Diſſertatione agendum nobis ſupereſt, eadem methodo, eodemque conſilio, quo jam ſuperiores proſecuti ſumus; ut ſcilicet probemus, nihil unquam à nobis, cæteriſque S. Thomæ Diſcipulis hac in parte fuiſſe aſſertum, quòd ab ipſo Doctore Angelico deſumptum non fuerit. Unde compertum fiet, eam ſententiam de Divina gratia, prævia, phyſica, & effectrice, non in Bannem, ut quidam objiciunt: ſed in D. Thomam poſt D. Auguſtinum, ipſumque D. Paulum eſſe referendam.

QUÆS-

QUÆSTIO I.

De Gratia ſufficiente.

FUndamenta jam cum S. Thoma jecimus, quibus neceſſe eſt, hanc ſecundam de Divinis auxiliis tractationem incumbere, & inniti : cùm eadem ſint, ut toties ab ipſo obſervatum eſt, in utroque ordine & naturæ & gratiæ, providentiæ Divinæ leges, & in ipſis naturæ operibus Divinæ Gratiæ operationes inſpiciendæ ſint : ideoque, ut inquit S. Auguſtinus, ipſa creatura ſpectaculum homini facta ſit, quæ Divinam gratiam commendet, & penè oculis ſubjiciat. Atque ideò egregiè ab eodem S. Auguſtino obſervatum eſt, dictum eſſe à Davide Pſal. 142. „ *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis* : „ quia utique *omnia bona tu feciſti ; & nihil conſtitiſſet, quod à te conſtitutum non eſſet. Creatura tua ſpectaculum mihi facta eſt; quæſivi in opere artificem, & in conditis omnibus Conditorem*. Ex eodem enim principio oritur, quòd boni ſumus, unde oritur, quòd ſumus ; nec minùs neceſſe eſt, Divinam opem antecedere juſtitiam, ac virtutem, ſi quæ in nobis eſt, quàm neceſſe ſit, Divinam operationem antecedere ipſam naturam. Unde proſequitur ſtatim ibidem S. Auguſtinus. *In omnibus Dei operibus, & meditatione omnium operum, Dei gratiam inſinuat, gratiam commendat, gratiam ſe inveniſſe gloriatur : gratiam, qua gratis ſalvi facti ſumus, quia & gratis facti ſumus. Quid gloriaris in tua juſtitia? Quid te extollis ignorans Dei juſtitiam? Dediſti fortè aliquid, ut ſalvus eſſes? Quid dediſti, ut homo eſſes? Reſpice ergo Conditorem vitæ tuæ ſubſtantiæ, & juſtitiæ, & ſalutis Authorem : in facturis manuum ejus, quia & juſtitiam, quæ in te eſt, ad manum ejus inveniens pertinere*. In his naturæ operibus diù meditatum fuiſſe S. Thomam dubitari non poteſt, cùm omnia, quæ ad ordinem gratiæ pertinent, ex ipſis naturæ principiis ſemper deſumpſerit ; ideoque & parùm, ut aliàs obſervavimus, efficacis gratiæ meminerit, ſed ſolummodò Divinæ motionis, quæ in omnibus ſtatibus eundem locum, eandem vim, & eundem uſum habet. Hìc igitur nobis neceſſe eſt ipſa natura ſpectaculum ſit, ut & S. Thomæ fuit, in quo Divinæ gratiæ operationem demiremur, aut ſpeculum, quod nobis integrum ordinem gratiæ, & ſuis omnibus partibus conſtitutum repræſentet. Hinc enim utriuſque auxilii ſufficientis, & efficacis natura, conditio, dignitas, vis, ac cæteræ omnes dotes deſumendæ ſunt, & deſumptas fuiſſe à D. Thoma nobis demonſtrandum eſt : quod jam prima hac quæſtione de ſufficienti auxilio aggredimur.

ARTICULUS I.

Duplex à S. Thoma in ordine ſupernaturali auxilium diſtingui, quorum alterum facultatibus naturalibus reſpondeat, tribuatque poſſe agere, diciturque auxilium ſufficiens : alterum verò tribuat agere, ſitque prævia motio, & gratia efficax.

UT verò apertius ſit, etiam in ordine ſupernaturali, & gratiæ, admiſſam fuiſſe à D. Thoma prævíam motionem ; in primis oſtendendum eſt, & ex ipſo referendum, eadem planè, & communia principia advocaſſe, quibus hactenus demonſtratum eſt, in cauſis neceſſariis, & naturalibus eam motionem admiſiſſe.

Conſtat itaque, in naturæ ordine duo diſtinguenda eſſe, quæ in re qualibet agente reperire eſt, potentiam ſcilicet agendi, ipſamque actionem, ſeu poſſe, & agere : eſt enim natura quælibet inſtructa ſuis facultatibus, ignis calore, lapis gravitate, arbor facultate attrahendi ſuccum, quo augetur, rationalis anima intellectu, & voluntate &c. Quæ facultates ſunt ipſæ potentiæ, & actionum principia. Atque ita videre eſt in omni prorsùs natura, etiam Angelica, etiam Divina, Deoque ipſo Authore naturæ : quia ex ipſa rei natura ita conſtitutum eſt, ut actionem antecedat potentia agendi, & potentiam agendi actio conſequatur. Ergo etiam in ſupernaturali ordine hæc duo auxiliorum genera naturæ ſuperaddita diſtinguenda ſunt ; quorum alterum potentiæ agendi correſpondeat, alterum verò actioni : & primum quidem ex conſenſu Theologorum, & uſu jam recepto auxilium ſufficiens nuncupatur ; poſtremum verò auxilium efficax. Idque confirmari poteſt, ex eo quòd Ariſtoteles Megaricos reprehenderit 9. Metaphyſ. cap. 4. quòd exiſtimarent *Tunc ſolùm poſſe, cùm agas, cùm verò non agas, non poſſe*. At verò id meritò reprehendit Ariſtoteles, & rerum naturæ omninò repugnare demonſtrat, tum in potentiis animæ, tum in ſcientiis, artibuſque. Inde enim ſequeretur, quòd *ædificator non erit, ſi non ædificat*. Atque eadem ratione *neque frigidum erit, neque calidum, neque dulce, nec omninò ullum ſenſibile erit non ſentientibus*. In rebus enim ſenſibilibus neceſſe eſt, potentiam eſſe aliquam immutandi ſenſum. Igitur ſi ab actu potentia diſtincta non ſit, niſi ſenſibile actu immutet ſenſum, nulla erit immu-

tandi potentia, adeòque nullum erit sensibile. Igitur, cùm potentia antecedat actum, & diversus sit ordo potentiarum, & actuum, ipsaque potentia veluti ex æquo ab actu distinguatur; etiam necesse est, diversa esse, ac diversi generis auxilia etiam veluti ex æquo distincta: alterum, quòd potentiam perficiat, ac roboret, scilicet sufficiens; alterum verò, quòd applicet ad actum, seu potentiam cum actu conjungat.

Attamen inter ea auxiliorum genera discrimen observandum est, quod infra erit fusiùs explicandum: scilicet quòd cùm omnis agendi potentia maximam latitudinem habeat, actio penè in indivisibili posita sit; plurima enim ad complendam, seu constituendam integram potentiam videndi necessaria sunt. Concurrunt enim v. g. non solùm vis activa potentiæ, ac spiritus diffusi, sed etiam species ab objecto emissa, & ipsa etiam lux, quæ si desit, quantumvis objectum ante oculos positum sit, nullus tamen est facultatis visivæ usus. Ita etiam aliqua est in sufficienti auxilio statuenda amplitudo. Nam & virtutes infusæ, quæ gratiam sanctificantem comitantur, & facultatibus naturalibus propriè correspondent, etiam ad auxilium sufficiens pertinent, præter quod tamen alterum actuale statuendum esse, maximè cùm virtutes infusæ desunt, infra probabimus. Atque utrique auxilio, seu permanens sit, & aliquis habitus, seu transiens & actuale solùm; ita tamen ratio sufficientis convenit, quòd utrumque verissimè in suo ordine, & sufficiens sit, & sufficiens non immeritò nuncupetur.

Quod sanè observare debuissent hi, à quibus ratio sufficientis ita angustis terminis circumscribitur; ut existiment, rationem sufficientis ita in indivisibili esse positam, ut nullum auxilium sufficiens dici possit, si præter illud, quodcumque sit aliud requiratur. Quod sanè perinde est, ac si quis existimaret, quamlibet potentiam adeò perfectam, & completam esse, ut addita altera majori agendi vi nunquam indigeret. Sed de ea observatione plura inferiùs dicenda sunt.

Nunc verò probandum dumtaxat hìc est, duplex illud auxilium à S. Thoma admissum fuisse in ordine superiori gratiæ, non secùs, ac in ordine naturæ: & hæc duo distinguenda, & constituenda esse, facultatem agendi naturæ inditam, & ipsam motionem Divinam, quæ facultatem agendi cum actu conjungit.

Probatur itaque, duplex hoc auxilium distinguendum esse ex D. Thoma in Epistolam D. Pauli ad Ephes. c. 3. lect. 2. ubi ab Apostolo distinctum fuisse utrumque observat, cùm ab ipso dictum est: *Cujus factus sum ego Minister secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundùm operationem virtutis ejus.* His enim verbis, inquit D. Tho. *Tangit* Apostolus *auxilium sibi præstitum ad ministeriorum executionem. Hujusmodi autem auxilium duplex fuit: unum quidem ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio sive actualitas. Facultatem autem dat Deus infundendo virtutem, & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum: sed ipsam operationem confert, in quantùm operatur in nobis interiùs movendo, & instigando ad bonum; & ideò hoc accipiens Apostolus à Deo dicit quantùm ad primum:* „ *Dico quòd factus sum Minister*; „ *sed certè non meis meritis, nec virtute propria*; *sed* „ *secundùm donum gratiæ, quæ data est mihi*; „ *quâ scilicet idoneus efficior ad executionem Divinorum ministeriorũ &c. Quantùm ad secundum dicit:* „ *secundùm operationem* „ *quam Deus efficit, in quantùm virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Hactenus S. Thomas.

Duplex igitur distinguendum est auxilium: alterum, quod in ordine supernaturali agendi facultatem conferat, aut verius sit ipsa facultas, & potentia agendi. Est enim *virtus, & gratia per quam efficitur potens, & aptus ad operandum*, ut nemo dubitare possit, quin virtutes, & gratia ex D. Thomæ sententia ad auxilium sufficiens pertineant: alterum verò, quod sit ipsa actualitas, quæ potentiam agendi cum operatione conjungat, ut aliàs explicuit, seu ut hìc inquit, quatenus Deus *operatur in nobis interiùs movendo ad bonum*. Et primum quidem omnium Theologorum assensu auxilium est sufficiens; alterum verò est efficax.

Confirmatur, quòd prætereà hujus distinctionis rationem reddat S. Thomas, ex eo immobili rebus omnibus constituto ordine, quo ad omnem motum requiritur, & forma, quæ est principium motûs, & ipsa motio primi agentis. Etenim 1. 2. quæst. 109. ubi de Divina gratia tractationem exorditur, artic. 1. hoc primum fundamentum statuit, cui cætera, quæ tota tractatione prosequitur, innitantur: inquirit igitur statim primo loco, *Utrùm homo sine gratia aliquod verum cognoscere possit?* & distinguit duplex veritatum genus. Aliæ enim principiis naturæ continentur, & ad eas attingendas intellectus formam aliquam habet, & facultatem agendi, lumen scilicet intelligibile, nec alio auxilio eget, quàm auxilio Dei ad actum moventis, quod nimirum intelligibile lumen ad ipsam actualem cognitionem applicat, ipsumque cum ea conjungit. Sed deinde aliæ veritates sunt superioris ordinis, & supernaturalis: & cùm intellectus facultatem agendi in eo ordine, sibi inditam non habeat, indiget superiori lumine, quod sit instar faculatis agendi, tribuatque posse agere: & prætereà ex communi principio indiget altero auxilio, quod ipsam actionem efficiat, & eam intelligendi facultatem cum actu conjungat. Ita verò habet S. Thomas, & ex his quæ sensibus percipiuntur, ad intelligibilia, & supernaturalia assurgit.

Videmus, inquit, *in corporalibus. quòd ad motum non solùm requiritur ipsa forma, quæ est principium motus, vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis: primum autem movens in ordine corporaliũ est corpus cæleste. Unde quãtumcumq; ignis habeat calorem perfectũ, non alteraret nisi per motionem corporis cælestis.* Vide quæ fuerit Veterum sententia, ac potissimùm D. Thomæ, de ea rerum ominum in agendo connexione, & de-

pen-

pendentia. Etſi ſtuppa igni admoveretur, ſi cæleſtium corporum influxus ſiſteretur, nulla eſſet ignis actio, neque ſtuppam ignis admotus comburereț; quamvis in ſuo ordine igni calore prædito principium & alterandi & comburendi ſufficiens non deſit; de quo multa ſupra Diſſertatione prima ex D. Thoma retulimus. *Manifeſtum eſt autē*, pergit S. Thomas, *quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motū cæleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale: ita omnes motus, tam corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primū movens ſimpliciter, quod eſt Deus: & ideò quantumcumque aliqua natura corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo. Non ſolùm autem à Deo eſt omnis motio, ſicut à primo movente, ſed etiam ab ipſo eſt omnis formalis perfectio, ſicut à primo actu. Sic igitur actio intellectûs, & cujuſque entis creati, dependet à Deo quantùm ad duo: uno modo in quantùm ab ipſo habet perfectionem ſive formam, per quam agit, alio modo in quantùm ab ipſo movetur ad agendum.*

Hæc igitur duo in natura omni reperiuntur, & reperiri neceſſe eſt; alterum eſt forma principium motûs & actionis; alterum verò ipſa actio: ſive poſſe agere, & ipſum agere. Primum, ſcil. poſſe agere Deus confert per formam, quæ eſt actus primus, facultas, & virtus agendi: poſtremum verò, ſcilicet agere, confert, quatenus eam facultatem, & virtutem agendi ad actum applicat, & cum eo conjungit.

Atqui, hæc duo etiam in ordine ſupernaturali reperiri, eadem omninò ratio poſtulat. Unde proſequitur D. Thomas. *Unaquæque autem forma indita rebus creatis à Deo, habet efficaciam reſpectu alicujus actus determinati, in quē poteſt ſecundùm ſuam proprietatem: ultrà autem non poteſt, niſi per aliquam formam ſuperadditam: ſicut aqua non poteſt calefacere, niſi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda; ad ea ſcilicet, in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire: altiora verò intelligibilia intellectus humanus cognoſcere non poteſt, niſi fortiori lumine perficiatur, ſicut lumine Fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumē gratiæ in quantùm eſt naturæ ſuperadditum. Sic igitur dicendum eſt, quòd ad cognitionem cujuſque veri homo indiget auxilio Divino, ut intellectus à Deo moveatur ad ſuum actum; non autē indiget ad cognoſcendam veritatē in omnibus nova illuſtratione ſuperaddita naturali illuſtrationi, ſed in quibuſdam quę excedunt naturalē cognitionem.*

Ea igitur lex eſt rebus omnibus conſtituta pro omni ſtatu, proque omni ordine, ut potentia actionem antecedat. Quare cùm in natura nulla ſit facultas, virtuſque congenita ad ea præſtanda, quæ ſunt ſupra naturam, & ad ordinem gratiæ pertinent; neceſſe eſt, novam à Deo facultatem, & agendi virtutem homini conferri in ordine gratiæ, ut ejuſdem ordinis actus, qui naturam omnem ſuperant, Fidei, Spei, Charitatis, & ejuſmodi, poſſit efficere. Duplex igitur auxiliorum genus in ordine ſupernaturali diſtingui neceſſe eſt; alterum, quod tribuat poſſe agere, & eſt ſufficiens auxilium: alterum verò, quod ipſam actionem efficiat, & eſt auxilium efficax.

Confirmatur iterùm, quòd quamvis infuſę virtutes, & habitus, qui gratiam comitantur, & ut alicubi à S. Thoma dictum eſt, veluti radii ab ipſa gratia in omnes animæ potentias diffunduntur; ſint eæ facultates, & virtutes agendi in ordine ſupernaturali, eaque ratione ad auxilium ſufficiens pertineant: attamen cùm etiam antequàm homo adultus gratiam ſanctificantem conſequatur, ſeu ſuſcepto baptiſmo, ſeu actibus dumtaxàt internis, quibus tamen jam ad ordinem ſupernaturalem evehitur; ut aliqua ſit inter gratiam conſequendam, eoſque actus v. g. charitatis proportio, neceſſe eſt aliquam agendi potentiam, & facultatem ſupponi; cùm non poſſit actio non ſupponere agendi potentiam, ut dictum eſt ſæpiùs: & cùm nullus habitus infuſus præter fidem, & ſpem, gratiam antecedat; neceſſe eſt etiam agendi potentiam, & facultatem actu à Deo conferri, ſeu auxilium ſufficiens, quo gratia obtineatur. Eadem ratio eſt & apertior de Infideli converſo ad Fidem. Antequàm enim credat Myſteria Fidei, poteſt ea credere, cùm potentia actum antecedat; & quidem poteſt in ordine ſupernaturali, cùm potentia ejuſdem ordinis cum actu, ad quem tendit, & ordinatur, eſſe debeat: & cùm nulla virtus ſupernaturalis, nullus infuſus habitus fidem antecedat, neceſſe eſt conferri à Deo alteram agendi potentiam, quâ actus fidei elici poſſit, quodque auxilium ſufficiens nuncupatur: ſive illud reipsà ab auxilio efficaci diviſum, & ſejunctum ſit, ſive etiam reipsà conjunctum, & ſolùm ratione, & officio diſtinctum.

Confirmatur præterea, quòd etiam in ſtatu integræ naturæ Divus Thomas idem principium ſtatuerit, eandemque diſtinctionem duplicis auxilii, quorum alterum *ſufficientiam* operandi conferret, alterum verò ipſam operationem. Etenim ipſo articulo 2. ejuſdem quæſt. 109. quo inquirit, *Utrum homo poſſit velle, & facere bonum abſque gratia?* ſtatim inquit, quòd natura hominis poteſt dupliciter conſiderari; *Uno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente antè peccatum: alio modo ſecundùm quòd eſt corrupta in nobis poſt peccatum primi parentis. Secundùm autem utrūque ſtatum natura humana indiget auxilio Divino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, ſicut primo movente, ut dictum eſt*: articulo ſcilicet hujus quæſtionis primo, cujus magnam partem explicuimus, quod auxilium actionis, & efficax nuncupari diximus, & in omni ordine, in omni ſtatu, reperiri neceſſe eſt; ea ratione, quòd ubicumque aliqua actio fit, ea fieri à Deo debeat; nec aliter poſſit, ut eſt à voluntate, niſi quatenùs proprium hujus principium Deus ad actum movet, ipſamque virtutem agendi cum actu conjungit; in quo poſitam eſſe motionis prævię omnem efficaciam jam ſæpius diximus, *Sed in*

ſtatu

ſtatu naturæ integræ, pergit Sanctus Tomas, *quantùm ad ſufficientiã operativæ virtutis poterat homo per ſua naturalia velle & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ, non autem bonum ſuperexcedens, quale eſt bonum virtutis infuſæ*. Igitur etiam in ſtatu innocentis naturæ, homo per ſua naturalia non habuit eam *ſufficientiam* operandi, & efficiendi bonum virtutis infuſæ: ergo neceſſe fuit, ut adderetur naturæ alterum principium ſuperius, quo eam ſufficientiam haberet operandi bonum ſuperexcedens, quod aliud non eſt, niſi ipſum ſufficiens auxilium, præter quod tamen non minùs in eo ſtatu quàm in alio addendum fuit alterum majus auxilium, quo *etiam natura in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente, indigebat ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, ſicut primo movente*: quodque efficacem eſſe motionem Dei diximus.

Eandem rationem ſæpiùs aliàs variis modis verſat Sanctus Tomas, quos referre non eſſet abs re, cùm explicandam potiſſimùm naturam, & conditionem auxilii ſufficientis magno adjumento eſſe poſſènt. Verùm cùm res ipſa manifeſta ſit, non eſt in his referendis diutiùs immorandum.

Conſuli interim poſſunt quæ habet Sanctus Thomas lib. 3. cont. Gent. cap. 174. ubi probat, indigere hominem Divino auxilio ad Beatitudinem conſequendam; & quæ jam anteà dixerat cap. 52. & 53. quibus probat, hominem in ſolius naturæ ordine conſtitutum non poſſe ad Divinam eſſentiam in ſeſe conſpicuè videndam aſſurgere; nec ſubinde quæ ſunt hujus ordinis ſuperioris, cujus Dei Viſio finis eſt, ullo pacto præſtare poſſe; ſed debere ſuperaddi novam virtutem agendi, quæ vires augeat, quæ proportionem cum actu ſupernaturali efficiat, quæ potentiam diſponat, & à qua ipſa ſupernaturalis actio oriatur. Hæc enim omnia mirum in modum in auxilium ſufficiens cadunt, ejuſque neceſſitatem probant, cujus propriiſſima ea munia ſunt, quæ jam enumeravimus. Diſponit etenim potentiam, augetque ejus vires, & veluti per gradus evehit, ut ad ultimum actum, quem potentiæ formam non immeritò dixerim, propiùs accedat.

Sed non eſt prætermittendus celebris ille locus quem habet 1. 2. quæſt. 106. artic. 2. ad 2. ubi inquit, quòd *Lex nova, quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Quæ tamen verba non diffiteor de gratia habituali, & ſanctificante poſſe intelligi, cùm ea etiam ad auxilium ſufficiens pertineat, & primam efficiat proportionem cum actu ſupernaturali, non ſecùs ac in ordine naturæ prima proportio potentiarum cum ſuis actibus provenit ab ipſa ſubſtantiali forma, à qua potentiæ dimanant, & à qua omnis connaturalitas oritur, ſeu actuum ſeu potentiarum. Vide etiam D. Thomam in illud Apoſtoli, *Non ſumus ſufficientes ex nobis* 2. ad Cor. 3. lect. 1. Vide & quæ habet Sanctus Auguſtinus lib. de Corr. & Gratia cap. 12. de duplici *Adjutorio quo, & ſine quo* lib. 2. de Peccat. meritis, & remiſſione cap. 17. de Prædeſt. SS. cap. 16. lib. 3. de Liber. Arbitr. cap. 19. *de duplici vocatione*. Et demùm lib. de Gratia Chriſti, cap. 4. & deinceps *de gratia poſſibilitatis & actionis*.

Sed quæ ex S. Thoma retulimus, hoc habent ſingulare, ut nedùm hanc diſtinctionem duplicis auxilii ſufficientis, & efficacis probent, & explicent; ſed hujus etiam neceſſitatem pro omni ordine rerum, & pro omni ſtatu hominis omninò demonſtrant: quamvis neque hunc celebrem S. Auguſtini locum Divus Thomas prætermiſerit, quem nihil latuiſſe videtur eorum, quæ à SS. Patribus unquam dicta ſunt Scripturæ, & Theologiæ arcanis explicandis opportuna.

Etenim 2. 2. quæſt. 137. artic. 4. ita ex S. Auguſtino refert. *Dicendum*, inquit, *quòd ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Corrept. & Gratia, primo homini datum eſt, non ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perſeverãdi difficultatẽ præberet. Sed nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti, non ſolùm datur, ut perſeverare poſſint, ſed etiam ut perſeverent. Unde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero uſus imperio, non ſtetit in tanta felicitate, cum tanta non peccandi facilitate: iſti autem ſæviente Mundo uè ſtarent, ſteterunt in Fide*. Hæc Divus Thomas, quibus fermè ſuccum omnem expreſſit eorum, quæ habet Sanctus Auguſtinus tribus cap. libri de Corrept. & Grat., ſcilicet 10. 11. & 12. quæ verba refert etiam alibi D. Thomas.

ARTICULUS II.

Quot modis auxilium ſufficiens accipi poſſit, & ſoleat à Sancto Auguſtino, & Sancto Thoma aliiſque Patribus.

JUvabit plurimùm hujus quæſtionis reſolutio ad eorum cogitationem amovendam, qui exiſtimant, ſufficiens illud auxilium dumtaxat dici oportere, præter quod aliud non requiritur: ex quo mirum, quantùm in diverſas, & extremas indè ſententias abeant. Inde enim alii colligunt, quòd cùm dubitari non poſſit, auxilium verè, nec nomine ſolum, ſed re etiam, ac vi agendi ſufficiens à Deo conferri: indè, inquam, colligunt, nullum etiam aliud requiri poſſe, quod majorem vim efficiendi potentiæ conferat, ſitque natura ſua efficax: quia alioquin primum verè ſufficiens dici nec poſſet, nec deberet; ſi prætereà aliud requireretur, cùm ſufficiens illud eſſe debeat, præter quod aliud non requiritur.

Alii verò è contra in altero extremo: cùm apertiſſimis Scripturæ Sacræ, & Divi Auguſtini authori-

thoritatibus perſuaſi ſint, Divinam motionem vi ſua efficacem eſſe, ipſumque conſenſum voluntatis antecedere, & efficere; hinc exiſtimant, nullum eſſe auxilium, quod ſit verè ſufficiens, ſitque reipsà ab efficaci diſtinctum. Cùm enim illud dumtaxàt auxilium verè ſufficiens dici debeat, præter quod non requiritur aliud; illud dumtaxàt, quod efficax eſt, actumque voluntatis reipsà efficit, verè ſufficiens dici poteſt, & debet: hoc enim unicum eſt, præter quod aliud non requiritur.

Unde primæ ſententiæ Theologi, cùm exploratum habeant, alterum auxilium eſſe verè, & propriè ſufficiens, negant alterum eſſe verè, & propriè, ſuaque vi efficax: ſed etiam efficaciam ex voluntatis conſenſu derivari putant. Alterius verò ſententiæ Authores, quos nunc decreta Pontificum audire vetant, cùm etiam compertum habeant, poſtremum auxilium, quod dat agere verè & propriè, id eſt vi ſua eſſe efficax; negant, alterum eſſe verè, & propriè ſufficiens: & utrique eo principio conveniunt, quòd lapis offenſionis non immeritò dici poſſit; hæc duo ſatis cohærere non poſſe; & quod vocari ſolet ſufficiens, verè & proprie eſſe ſufficiens; & quod dicitur efficax, etiam verè & propriè eſſe efficax.

Verùm inter extremas ſententias media ſemper D. Thomæ ſententia eſt: quæ utrique auxilio ſua jura adſcribit, alteri ſufficientiam: alteri efficaciam; eaque inconfuſa defendit, ac tuetur: quòd nimirùm latitudinem quandam, varioſque guadus in auxilio ſufficienti agnoſcat, & ut alterum altero perfectius eſt, minùs aut magìs aliam vim agendi ſuperadditam, & majorem exigat.

Diſtinguendum eſt itaque duplicis generis, aut diverſæ rationis auxilium ſufficiens: imperfectius alterum, & ſolùm ex parte potentiæ, & in ſuo dumtaxàt ordine, præter quod aliud equidem ex parte potentiæ non requiratur; ſed tamen alterum requiri poſſit, aut debeat, quod eam potentiam aut compleat, aut applicet: quæ applicatio ſi deſit, ejuſmodi auxilium, aut ea agendi facultas, quantumvis in ſuo ordine ſufficiens, otioſa ſit, nihilque efficiat. Sed alterum eſt multò perfectius, atque in omni prorsùs ordine, & nedùm ex parte potentiæ, ſed etiam ex parte actus ſufficiens: quòd nimirùm omnia, quæ quocumque modo ad actum efficiendum concurrunt, complectatur: & illud ejuſmodi eſt, ut prætereà nihil aliud requiratur. At verò iſtiuſmodi agendi facultatis ſufficientis, quod nullius alterius ope egeat, exempla in natura perquàm pauciſſima, exiguoque numero videre eſt; neque aliud D. Auguſtinus exemplum reperit illius *Adjutorii, quo*, ſeu auxilii efficacis, præter ipſam beatitudinem: lib. de Corrept. & Gratia cap. 12. cùm tamen auſim dicere, nullam rem, quantumvis minimam, agendi vi præditam reperiri, quæ alterius exemplum aliquod non demonſtret. Quænam enim in toto rerum ambitu cauſa eſt, quæ potentia, quæ agendi facultas, cui vis agendi in ſuo ordine ſufficiens non ſuppetat, quæque ſufficiens ad ſuos effectus edendos dici non poſſit, aut debeat? Quis neget igni ad comburendum lignum vel ſtuppam; plantæ ad germinandum, & emittendum florem; oculo ad eliciendam viſionem; intellectui demùm, ac voluntati ad ſuos actus efficiendos ſufficiens principium ineſſe? Et tamen quot prætereà requiruntur in potentia viſiva, ut hoc unicum exemplum uſurpem, ad viſionem eliciendam? Neceſſe enim eſt, oculum ſanum eſſe, integrumque; & tunicas ſex, humores tres, nervos opticos duos, quibus conſtat, muſculos ſeptem, quibus quilibet oculus in omnem partem moveatur, in recta diſpoſitione conſtitui: ac prætereà neceſſe eſt, ſpecie, & imagine ab objecto emiſſa informari: & objectum neque propiùs, neque longiùs abeſſe, mediumque aërem, ipſumque objectum luce perfundi: quæ omnia ita ad eam viſionem eliciendam concurrunt (quamvis agendi ratio maximè diverſa ſit:) ut ſi vel unicum deſit, nulla viſio eliciatur. De cæteris idem omninò ſentiendum eſt: cur enim non omnis fert omnia tellus; nec ubique eadem planta germinat? Quòd nimirùm præter ingenitam germinandi vim ſufficientem equidem *in ſuo ordine*; aut Cælum propitium, cujus influxibus foveatur, aut ſolum, cujus benignum ſuccum, attrahat, deſit.

Sed cùm hanc ipſe Provinciam ſuſceperim, ut nihil omninò in hac percelebri quæſtione referam, quod aliquam lucem, vel minima diſtinctione, aut explicatione afferat, niſi quod ex S. Thoma exceperim, demonſtrandum etiam eſt, hanc duplicis generis, ſeu principii, ſeu auxilii ſufficientis notionem à D. Thoma ſæpiùs uſurpatam fuiſſe, ut varia rerum, quas pertractabat, ratio poſtulare videbatur.

Probatur itaque, ſufficientis nomine interdùm intellexiſſe S. Thomam illud præter quod aliud non requiritur; ut cùm 2. 2. quæſt. 108. art. ult. ſufficiens inquit, illud eſſe, *cui nihil deeſt, quod pertinet ad rationem perfecti*. Unde egregiè vitæ ſolitariæ perfectionem colligit: quia *quod eſt ſolitarium*, inquit, *debet eſſe ſibi per ſe ſufficiens, hoc autem eſt, cui nihil deeſt, quod pertinet ad rationē perfecti*. Eodem ſenſu apertum eſt dixiſſe 1. par. quæſt. 14. artic. 11. quòd in Deo *eſſentia ſua ſit principium ſufficiens cognoſcendi omnia, quæ per ipſam fiunt*. Unde etiam cùm illud ſufficiens eſſe intellexerit, cui addi alterum ultra neceſſe non ſit, indè & efficax, & ſufficiens ad præſtandum effectum indiſcriminatìm pro uno, & eodem interdùm uſurpavit: ut cùm 1. par. qu. 104. art. 4. inquit, quòd creata voluntas *non poteſt moveri ſicut ab objecto à quocumq; bono ſufficienter, & efficienter niſi à Deo*. Quin etiam quoties Paſſionem Chriſti, aut hujus Incarnationis virtutem, aut deprecantis orationem ſufficientem ad reparationem Orbis, generiſque humani nuncupavit; eo ſenſu ſufficientis nomen uſurpaſſe videtur. quatenùs nulla alia virtus ſuperaddita requiritu, Unde & interdùm ſufficientem, interdùm verò efficacem nuncupavit, ut 5. cont. Gent. cap. 54. ſtatim initio inquit, quòd *Incarnatio Dei eſt*

effica-

efficaciſſimum auxilium homini ad beatitudinem tendenti. Et tamen immediatè ſequenti capite num. 7. inquit, quòd *Incarnationis Divinæ virtus ſufficiens eſt ad omnium hominum ſalutem*. Et addit: *quòd non omnes ex hoc ſalventur, ex eorum indiſpoſitione contingit, quòd Incarnationis fructum in ſe ſuſcipere noluut*.

Apertiùs utrumque conjungit ac miſcet in caput primum Epiſtolæ ad Rom. lect. 6. ad hæc verba, *Ira Dei revelatur*. Ita enim inquit. *Oſtendit* Paulus 1. *quòd gratia neceſſaria eſt ad ſalutem*, 2. *quòd eſt efficax, ſive ſufficiens*. Vides planè eodem ſenſu, & efficacem, & ſufficientem gratiam nuncupari, quòd nimirùm S. Auguſtinum alioſque Patres ſecutus, gratiam cum medicina conferat D. Thomas. Unde & medicinalis, & ſanantis gratiæ frequentia apud SS. Præceptorem nomina. At planum eſt, eo ſenſu, & ſufficientem, & efficacem eſſe medicinam vi ſua ad expellendum morbum: etſi interdum tanta ſit morbi malignitas, adeòque remediis reluctetur, ut ea nullum effectum habeant. Non enim ſolebat S. Thomas efficacis gratiæ nomine eo ſenſu qui nunc uſurpatur, uti: imò & rariſſimè etiam eo nomine uſus eſt: ſed Divinæ motionis nomine utebatur, qua apertius eſt, voluntatem creatam applicari, ut ex prima Diſſertatione liquet: efficacem verò eſſe gratiam eo ſenſu intellexit, quo efficax medicina dicitur. Unde & Sanctus Thomas aliquando efficacem gratiam, aut orationem Chriſti nuncupavit, quæ tamen nihil efficiat ob voluntatis malitiam quæ Divinæ gratiæ obluctatur. Ita enim in Joannis cap. 17. cùm hæc verba explicat; *Ego pro eis rogo, non pro Mundo rogo. Chriſtus*, inquit, *quantùm eſt de ſe, pro omnibus oravit; quia oratio ſua quantùm eſt de ſe, eſt efficax pro omnibus, ut valeat toti Mundo; ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum, niſi in Sanctis, & electis Dei, & hoc propter impedimentum Mundanorum*. Cui ſimillimum eſt quod mox ex eod. D. Thoma retulimus: quòd *Incarnatio eſt efficaciſſimum auxilium, & quòd Incarnationis Divinæ virtus ſufficiens eſt ad omnium ſalutem; ſed quòd non omnes ſalventur, ex eorum indiſpoſitione contingit*.

Hæc de prima *ſufficientis*, ſive auxilii, ſive principii ſignificatione, qua ſufficiens illud eſſe intelligitur, cui nihil deeſt, & quod adeò omni ex parte perfectum ac completum ſit, ut nihil præterea ultra requiratur. Verùm

Probatur præterea, admittendum eſſe ſufficiens auxilium, præter quod alterum neceſſarium ſit. Et in primis, ſi quis rem iſtam penitiùs introſpiciat, facilè intelliget, etiam in his exemplis quæ retulimus, quamvis omnium ſelectiſſimis, & in quibus apertius eſt, ſufficientis nomen uſurpari pro eo quod ita ſufficit, ut nihil ultrà requiri videatur; ut cùm in Deo eſſentia eſt principium ſufficiens omnia cognoſcendi; Divina bonitas objectum eſt ſufficiens à quo voluntas creata moveatur; Divinæ Incarnationis vis, & efficacia gratiæ, & orationis Chriſti etiam vis infinita, & merendi, & efficiendi, ſufficiens dicitur: in his inquam exemplis, & quæcumque referri unquam poſſint, ſufficientis nomine intelligi illud dumtaxat poteſt, cui nihil deeſt, in ſuo ſcilicet ordine: &, ut inquit Sanctus Thomas mox referendus, quantùm ad ipſam principii vim, & efficaciam pertinet. Nam alioquin ſatis liquet, Divinam quidem eſſentiam principium eſſe ſufficiens omnia cognoſcendi quantùm ad munus dumtaxat repræſentandi; nam intelligendi munus non Divinæ eſſentiæ ſub conceptu eſſentiæ, ſed ſub conceptu intelligentis naturæ dumtaxat convenit. Eadem ratione Divina bonitas, & efficaciter, & ſufficienter in ratione objecti voluntatem creatam, & implet, & movet, in ſuo quidem ordine, & ut objectum, ſed tamen ſuppoſito aliarum virtutum, & habituum apparatu; & luminis gloriæ, quod amori prælucet; & gratiæ ac charitatis conſummatæ, qua voluntas diſponitur; ac demum ipſius comprehenſionis, qua voluntas Divinam bonitatem veluti tenet ac complectitur. Demum cùm Divinæ Incarnationis vis, & efficax, & ſufficiens ad omnium ſalutem dicitur, alio ſenſu intelligi non poteſt, niſi quantùm ad ipſam attinet. Nam vitio hominum, *& propter impedimentum Mundanorum*, liquet, maximam hominum partem, paratam ſibi, & oblatam ſalutem non conſequi. Ergo evidens eſt, veram, & certam omninò ſufficientis ſignificationem eſſe, ut intelligatur ſemper *in ſuo ordine*, & quantùm ad ipſam principii ſufficientis efficaciam, & virtutem; unde etiam cùm ea vis agendi aut plures habeat gradus, aut plura ad præſtandum effectum requirat; quò propriùs ad effectum accedit, & ad eum producendum pauciora requirit, eò ſufficiens magis, vel minùs eſſe intelligitur.

Confirmatur primò ex D. Thoma. Obſervat enim, quòd cùm ſatis exploratum ſit, non deeſſe igni v. g. vim agendi, & comburendi lignum rectè diſpoſitum: inde quidem ex Veteribus, quos Recentiores ſecuti ſunt, conſequi exiſtimabant, ſuperfluam fore aliam Dei motionem, & virtutem à Deo ſuperadditam ut ignis ageret. Unde ita apud D. Thomam objiciebant quæſt. 3. de Potent. art. 7. num. 1. *Ad actionem naturalem ſufficit virtus activa ex parte agentis, & paſſiva ex parte recipientis: Ergo non requiritur virtus Divina, in rebus operans*. Quod idem argumentum ad impetendam prævium Dei motionem nobis objici, ſuprà obſervatum eſt. Sed Reſpondet S. Thomas; *quòd virtus activa, & paſſiva rei naturalis ſufficiunt ad agendum in ordine ſuo requiritur tamen virtus Divina ratione jam dicta*, in corpore ſcilicèt Articuli; quòd cauſa omnis ſecunda nedùm dependeat à prima, ea ratione, quòd ab ipſa facultatem ac vim agendi receperit, ſed etiam quòd ad agendum moveatur, & applicetur.

Igitur cujuslibet rei naturalis agendi vis eſt equidem, & propriiſſimè dicitur ad agendum ſufficiens, *in ſuo* tamen *ordine*, & quantùm ad ipſam attinet in ratione potentiæ, & facultatis naturalis ac principii congeniti, & ad actionem

efficien-

efficiendam deſtinati; quamvis ut reipsà actio fiat, aliud de quo ſaltem dubitari non poteſt requiratur, concurſus ſcilicet Dei ſimul coagentis; & in S. Thomæ etiam ſententiam, Divina motio, & virtus Divinæ artis ſuperaddita, quæ quamlibet facultatem naturalem moveat ad agendum.

Confirmatur ſecundò ex his quæ habet ibidem num. 5. *De ratione virtutis eſt*, inquit, *quòd ſit principium agendi* (dubio procul ſufficiens:) *cùm virtus ſit ultimum potentiæ, quæ eſt principium agendi in alio, ſecundùm quòd eſt aliud, ut dicitur in 5. Metaphyſ. Ergo ex hoc ipſo quòd virtutes naturales rebus indidit, dedit eis quòd operationes naturales perficerent.* Reſpondet: *quòd de ratione virtutis inferioris eſt, quòd ſit aliquo modo operationis principium in ſuo ordine; id eſt, ut agat ut inſtrumentum ſuperioris virtutis: Unde excluſa ſuperiori virtute, inferior virtus operationem non habet.* Nulla major tantæ luci addi poteſt.

Confirmatur tertiò, quòd eandem difficultatem explicet, & Argumentum ſibi objiciat ex prava ſignificatione ſufficientis num. 7. *Si Deus*, inquit, *in natura operante operatur; oportet quòd operando aliquid rei naturali tribuat &c. aut ergo illud ſufficit ad hoc quòd natura poſſit per ſe operari, aut non. Si ſufficit, cùm etiam virtutem naturalē Deus naturæ tribuerit, eadem ratione dici poteſt, quòd, & virtus naturalis ſufficiebat ad agendum; nec oportebat, quòd Deus poſtquàm virtutem naturæ cōtulit, ulteriùs ad ejus operationē aliquid operetur. Si autem non ſufficit, oportet quòd ibi aliquid aliud iterum faciat; & ſi illud non ſufficit, iterum aliud: & ſic in infinitū, quòd eſt impoſſibile &c. Ergo ſtandū eſt in primo, dicēdo quòd virtus naturalis ſufficit ad actionem naturalem, ſine hoc quòd Deus in ea ulteriùs operetur.* En apertiſſimè argumentum ex prava ſufficientis ſignificatione deſumptum. Quid verò Reſpondet S. Thomas? negat forſitan quòd virtus naturalis ſufficiat ad agendum, & verè ſufficiens dici debeat ſi Deus in ea ulteriùs operetur: aut contrà negat forſitan, quòd *Deus ulteriùs ad operationem naturæ operetur, ſi virtutem naturæ contulit quæ ſufficiat ad agendum*? Minimè verò: quinimò utrumque libens admittit, & virtutem naturæ collatam in ſui inſtitutione ad agendum ſufficere; & tamen ut reipsà agat Deum in ea operari debere: quòd nimirum ea virtus naturalis ſit per modum formæ, quæ eſt quidem vi ſua, & in ſuo ordine, principium agendi ſufficiens, & præter quam alia in eo ordine per modum formæ, & per modum principii rati, fixi, & permanentis non requiratur. Sed tamen prætereà requiri, quòd Deus in ea aliquid operetur ut agat, cùm illud quod Deus in natura operatur ut agat, alterius ſit ordinis, neque ſit forma quædam completa ac permanens, aut principium ratum, & in natura fixum; ſed ſit quid tranſiens ac incompletum, quod rei naturali permanenter tribui non potuit, ſicut nec inſtrumento tribui potuit virtus artis, & principalis agentis motio, quæ per modum formæ in inſtrumento fixæ, & perpetuò duraturæ permaneret. Ita verò ſeſe explicat S. Thomas. *Dicendum: quòd virtus naturalis quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata ineſt eis, ut quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt ut intētio ſola habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergo ſecuri per artem dari potuit acumen, ut eſſet forma in eo permanens, non autem dari ei potuit, quòd vis artis eſſet in ea quaſi quædam forma permanens &c. Ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipſa permanens, non autem vis qua agit ad eſſe ut inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur ei, quòd eſſet univerſale eſſendi principium: nec iterum virtuti naturali conferri potuit ut moveret ſeipſam, nec ut conſervaret ſe in eſſe. Unde ſicut patet quòd inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis: ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione Divina.* Hæc ibi.

Cujus Reſponſionis ſenſus eſt, ut jam expendimus, virtutem rei naturali collatam, & facultatem agendi congenitam, ſufficere quidem, ut ſit principium agendi permanens, & per modum formæ completæ; ſed tamen prætereà requiri motionem Dei primi agentis, ut actio fiat: neque unum eſſe impedimento alteri, cùm diverſi ſint ordinis; nec legitimam eſſe conſecutionem, quòd ſi vis agendi, & facultas naturæ congenita ſufficiens ſit ad agendum, nulla Dei agentis motio, aut virtus ab ipſo collata requiratur.

Confirmatur quartò, quòd ſimile etiam ſit quod habet idem. D. Thomas 1. par. quæſt. 105. art. 5. ubi cùm explicat, probatque, Deum operari in omni operante. Objicit ſibi primo loco. *Si Deus operatur in omni operante, ſufficienter in quolibet operatur: ſuperfluum igitur eſſet, quòd agens creatum aliquid operetur.* Reſpondet verò: *quòd Deus ſufficienter operatur in rebus ad modum primi agentis, nec propter hoc ſuperfluit operatio ſecundorum agentium.* Ideſt, Deus equidem in ſuo ordine, ut primùm agens, & prævie, & ſimultanneè agit, ſed hoc nihil vetat, quominus ſecundum agens etiam in ſuo, ideſt, inferiori ordine, & ut motum à primo, operetur.

Sed prætereà conſentaneè ad eam ſufficientis ſive principii ſive gratiæ ſignificationem, ſæpiùs aliquid ſufficiens eſſe adimittit S. Thomas, præter quod tamen aliud requiratur. Nam 3. par. quæſt. 61. art. 1. objicit ſibi, neceſſitate Sacramentorum vim gratiæ videri deprimi. Ab Apoſtolo enim dicitur 2. *ad Cor.* 12. *Sufficit tibi gratia mea: non autem ſufficeret, ſi Sacramenta eſſent neceſſaria ad ſalutem.* Reſpondet verò D. Thomas. Quòd *Gratia eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis; ſed Deus dat hominibus gratiam ſecundùm modum eis convenientem: & ideò neceſſaria ſunt hominibus Sacramenta ad gratiam conſequendam.*

Confirmatur quintò, ex eo quòd apertiùs Argumento ſequenti ſibi objciat: *Poſita cauſa ſufficienti, nihil aliud videtur eſſe neceſſarium ad effe-*

ctum. Sed passio Christi est sufficiens causa nostræ salutis, Ergo &c. Respondet autem S. Thomas: *quòd passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis: nec propter hoc sequitur, quòd Sacramenta non sint necessaria ad humanã salutem, quia operantur in virtute passionis Christi, & passio Christi quodammodò applicatur hominibus per Sacramenta.*

Aptissimum sanè exemplum, quo sufficientis gratiæ vis, & propriissimum munus explicetur. Sufficit equidem passio Christi tanquam causa communis, & quæ in actu primo, & vi sua humanam salutem operari possit: sed ut reipsà proximè, & in actu secundo humanam salutem operetur, hominemque sanctificet, & emundet, necesse est per Sacramenta applicari.

Atque eodem planè modo gratia sufficiens equidem in actu primo sufficit ut voluntatem perficiat, & compleat, efficiatque proportionem potentiæ cum actu eliciendo: verùm ut reipsà actum efficiat, necesse est, ut efficaci gratia applicetur, quæ, ut sæpiùs cum D. Thoma dictum est, potentiam cum actu conjungat.

Confirmatur quintò, & apertiora forsitan loca ex Quæstionibus de gratia referri possent, ubi dubium non est, inter sufficientes gratias recenseri à D. Thoma, & primo loco constitui habitualem gratiam cum habitibus infusis, quibus integer ordo supernaturalis constituitur, & constat; in quo instar naturæ est habitualis gratia, radicale principium motûs, & vitæ spiritualis; habitus verò supernaturales proxima sunt agendi principia. Et verò cùm à S. Thoma dictum est 1. 2. quæst. 106. *Quòd lex nova iram non operatur, quia quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum*: conformius contextui quidam esse existimant, ut de gratia habituali intelligatur: quamvis mea quidem sententia de gratia omni seu habituali seu actuali intellexerit S. Thomas: cùm utramque S. Augustinus, quem eo loci & laudat, & sequitur S. Thomas, Legi veteri opposuerit, quæ solo timore cohibebat manum, non animum. *Ibi* enim, inquit Sanctus Thomas ex D. Augustino, *scilicet in veteri Testamento lex extrinsecùs est posita quâ injusti terreretur. Hìc, scilicet in novo Testamento intrinsecùs data est quâ justificarentur.* Ad justificationem verò conducere utramque gratiam extra dubium omne est.

Primum igitur, aut nobiliorem locum inter sufficientia auxilia tribuit gratiæ sanctificanti D. Thomas: præter quam tamen necesse est auxilium sufficiens actuale, quod potentiam in ratione potentiæ, suoque ordine compleat, ut magis explicabitur infrà: at verò præter eam gratiam actualem, quæ potentiam compleat, præter habitualem gratiam, aut virtutes supernaturales, quæ cum actibus eliciendis proportionem efficiant, ad eosque eliciendos *sufficientiam* virtutis in actu primo tribuant, apertius est quàm ut probari debeat, admissam esse à D. Thoma gratiam alteram actualem, quæ ad actum moveat, & applicet. Nullus enim in ea quæstione laudata 109. de gratia, Articulus est, ubi hujus specialis auxilii Dei moventis non meminerit, *ut intellectus*, aut voluntas *moveatur ad suum actum* Art. 1. quodque est à Deo *sicut primo movente* Art. 2. & quo *ulteriùs*, præter scilicet gratiam quæ necessaria est *ut sanetur*; *in utroque statu* naturæ integræ, & corruptæ, *indiget homo ut à Deo moveatur ad benè agendum*; eodem Art. 2. quod idem repetit sequentibus Art. 3. & 4.

Quibus omnibus quæ hactenùs observata sunt omninò liquet, variam esse sufficientis sive auxilii sive principii significationem: & interdùm sumi equidem, quod ita sufficit ut præterea nihil ultra requiratur: sed interdùm etiam sumi pro eo quod, etsi ex parte sufficiat, & in suo ordine, absolutè tamen ad efficiendum actum aliud requirat. Plura enim ad actum requiri qui circumstantiis omnibus circumvolvitur, quàm ad solam potentiam, quæ ab actu præscindit, & coaptationem solùm, & proportionem habet cum actu eliciendo, naturæ legibus omninò consentaneum est.

Confirmatur sextò quod de sufficienti auxilio, quamvis paululùm alio sensu non immeritò possit, quod de Divina lege olim S. Augustinus dixit in Psal. 57. ubi sic legit: *Indignatio illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obdurantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & medicamenti medicati à sapiente.* Quæ ultima verba vulgata prætermisit, cùm in Hebræo textu minimè habeantur. Habentur tamen apud 70. Interpretes: ἥτις οὐκ εἰσακούσεται φωνὴν ἐπαδόντων φαρμάκοις φαρμάκευομένου παρὰ σοφοῦ. Quem loquendi modum miratus D. Augustinus, *Miram rem*, inquit, *audituri estis.* Enimverò *quid est medicamentum medicatum à Sapiente? Medicamenta erant in Prophetis, medicamenta erant in Lege: præcepta ipsa omnia medicamenta erant: & hoc medicamentum nondùm erat mtdicatum. Adventu Domini medicamentum est medicatum.* Hæc ibi, & alia ejusmodi plura quæ fusè prosequitur: Ex quibus constat, etiam & in ipsa lege medicamenta fuisse, & debilissima quidem, & quæ nisi altero validiori Pharmaco medicarentur, salutem homini conferre non poterant. Vera tamen medicamenta erant, & quidem prima: mali enim cognitio prima curationis causa est. Ideò etenim data lex est ut malum detegeret, cui medendo cælestis Medicus gratiam adhiberet, ut toties à S. Augustino dictum est, præsertim lib. de Spiritu, & littera. Et à D. Thoma 1. 2. quæst. 106. de Lege veteri, & nova. Et in Epist. ad Rom. ad ea verba: *Per legem cognitio peccati; & peccatum non cognovi nisi per legem.*

Quæ verò de lege doctrinaque dicta sunt, multò potiori ratione de sufficiente auxilio dici possunt, esse scilicet *medicamentum non medicatum*: inchoat scilicet curationem animæ, ad eamque, & ex natura sua, & ex Divina voluntate ordinatur. Neque tamen eam unquam integram perfectamque conferret, nisi medicamentum hoc

suffi-

ſufficiens altero validiori, & efficaci eſſet *medicamentum medicatum*. Etſi enim etiam ſufficiens auxilium ad gratiam Chriſti medicinalem pertineat, quæ purgationem peccatorum, ut loquitur Divus Paulus, ſaltem inchoat, & ad perfectam ſanitatem reſtituendam ordinatur; attamen nunquam perfectam ſanitatem confert, niſi medicamentum medicatum, gratia ſcilicet major, & efficax tribuatur. Hùc etiam referri illud non incommodè poteſt Iſai. 3. *Auferet à vobis Dominus robur panis, & robur aquæ*. Non deeſt unquam cibus animæ Divina gratia, qua naturæ infirmitas fulciri, & confortari poſſit, & poſſit ignis ille noxius animæ extingui; ſed interdum ex Divina juſtitia aufertur hoc robur panis, aufertur robur aquæ, ut nec ignis ille noxius omninò extinguatur, etſi interdùm paululùm minuatur, nec illo pane cor hominis confirmetur.

Confirmatur demum, & manifeſtum fit quàm à verò aliena ſit ea auxiliis ſufficientis notio præter quod non requiritur aliud, imò & quàm periculoſus hujus interdum uſus ingeniorum prava diſpoſitione eſſe poſſit: obſervari etiam hìc meritò poteſt, hoc etiamnum quamplurium errorum fundamentum, Hæreticos ſumpſiſſe. Negant etenim hujus temporis Hæretici, uſurpanda eſſe pœnitentiæ ulla exercitia; negant ſupereſſe ullam in altera vita pœnam pro peccatis luendam; negant extare Purgatorium; negant ullum eſſe indulgentiarum fructum, aut quemquam Fidelium egere; negant advocandum eſſe ullum cujuſcumque Sancti patrocinium; imò his omnibus, ſi neceſſaria eſſe exiſtimentur, gravem fieri Chriſti meritis ac hujus paſſioni, & mediationi injuriam. Cur verò ita ſentiant? nimirùm ex ea *ſufficientis* notione. Sufficientiſſima ſunt, inquiunt, Chriſti Domini merita, mediatio, ſatisfactio, paſſio: quid verò ultra id quod ſufficientiſſimum eſt requiratur?

Quid autem his reſponderi poſſit? neceſſe eſt, quotquot in Orbe adversùs Hæreticos ſcribunt, hanc ſufficientis notionem temperent, & ad nos redeant, afferantque, hæc equidem quæ enumeravimus eſſe ſufficientiſſima; ſed in ſuo ordine, & veluti per modum potentiæ, in actu primo, aut ſuperioris cauſæ, quæ ab inferiori applicari debeat: poſſe Chriſti Domini paſſione deleri non ſolùm hominum peccata, ſed ipſas etiam peccatorum reliquias, & impreſſas, ut vocat S. Chryſoſtomus notas, relictaque veſtigia, ac reatum omnem, nedum culpæ, ſed etiam pœnæ; ſed tamen alterum addendum eſſe, ut Chriſti paſſio ac ſatisfactio, & infinita merita noſtris pœnitentiæ operibus veluti applicentur.

Atque ita obſervat Sanctus Thomas 3. par. qu. 61. artic. 1. ubi tertio loco, ui jam diximus, ſibi objicit; *Poſita ſufficienti cauſa nihil aliud videtur neceſſarium ad producendum effectum; ſed paſſio Chriſti eſt ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis*. En clariſſimè ſufficientis notionem, qualem extra Scholam Sancti Thomæ multi admittunt, & quæ ſi obtineret, Argumentum videretur inſolubile. Sed reſpondet Divus Thomas, eſſe quidem, & ſufficientem, & ſufficientiſſimam: non ideò tamen non requiri Sacramenta; quia deeſt ipſius Paſſionis Dominicæ applicatio. Etenim *Paſſio Chriſti quodammodò applicatur hominibus per Sacramenta*. Opportuniſſima reſponſio evertendæ hujus ſufficientis auxilii alienæ notioni, & veræ ſtabiliendæ. Sufficit in ſuo ordine, & in actu primo implendis Divinis præceptis ſufficiens auxilium, ſed deeſt applicanda voluntas per efficax auxilium.

Idem iterum D. Thomas obſervat ad Coloſs. 1. 24. in hæc verba: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*: enimverò, inquit, *Hæc verba ſecundùm ſuperficiem malum poſſunt habere intellectū, ſcilicet quòd Chriſti Paſſio non eſſet ſufficiens ad redemptionem, ſed additæ ſunt ad cōplendum paſſiones Sanctorum: ſed hoc eſt hæreticum, quia ſanguis Chriſti eſt ſufficiens ad redemptionem etiam multorum Mundorum*. Quo ſenſu igitur *à Paulo dictum eſt, adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*? Nimirum *quia paſſiones deſunt in carne mea*, ut explicat S. Thomas. *Hoc* enim, inquit, *deerat quòd ſicut Chriſtus paſſus erat in corpore ſuo; ita pateretur Paulus in ſuo, & ſimiliter in aliis*.

Sanè non ſentiebat D. Paulus, ſufficiens illud eſſe præter quod non requiritur aliud, cùm ſuas etiam paſſiones veluti complementum Paſſionum Chriſti nominavit, *adimpleo quæ deſunt*: ſed verâ Philoſophiâ, Divinâque ſapientiâ inſtructus, didicerat, varium eſſe ſufficientiæ genus: & quamvis Paſſio Chriſti in ſuo ordine, ſufficientiſſimum promptiſſimumque remedium eſſet, deeſſe tamen alterum quo ſingulis Chriſti Paſſio applicaretur.

ARTICULUS III.

Eadem obſervatio ex Scriptura Sacra, & ex Sancto Auguſtino, aliiſque Patribus confirmatur.

ADeò neceſſaria eſt ea obſervatio, qua diximus, auxilium ſufficiens, ſeu ipſum *poſſe*, duplici ſenſu quem explicuimus, debere accipi, ut niſi ea adhibita plurima ex Scriptura Sacra nunquam ſatis rectè poſſint intelligi, quæ uſurpare ſolent qui verum auxilium ſufficiens negāt. Etenim cùm dictum eſt Joan. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum*: quæ verba infra verſu 66. fermè repetuntur: *Propterea dixi vobis; nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo*: & Jo. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere*: & 1. ad Cor. 12. 3. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*. Et alia ejuſmodi plurima, quibus nemo eſt qui S. Auguſtinum, & S. Thomam Magiſtros audierit, qui non exiſtimet ſignificari efficacem gratiam,

& quidem tantam ut tractio dici potuerit, quæ vim quandam adhibitam significare videtur, & quâ *violentia adhibeatur, non voluntas excitetur*, ut advertit S. Augustin. tract. 26. in Joan. Inde enim statim inferri posse videtur: Ergo, cùm deest efficax gratia, etiam deest reipsà posse, neque verè ac reipsà Dei præcepta possibilia dici poterunt, quandiu deerit efficax gratia, siquidem *Nemo potest venire* ad Christum, ac veniendi, & credendi præceptum implere, nisi ipsum Pater trahat, & quidem efficaci gratia trahat.

Sed occurrit observatio suprà posita duplicis sufficientis auxilii. Utrumque verissimum est, sine ea Divina Patris tractione neminem posse venire ad Christum, & credendi præceptum implere; & tamen sine ea tractione posse hominem, & venire ad Christum, & credendi præceptum implere. Dupliciter enim ipsum *posse* intelligi potest. Est enim possibilitas sola ex solo *adjutorio sine quo*: est & possibilitas conjuncta cum actu, & ut D. Augustinus loquitur, *Possibilitas cum effectu*, lib. de Grat. Christi, qua scilicet voluntas ipsa donatur, ex addito *adjutorio*. Nemo igitur potest venire ad Christum nisi tractus à Patre, illa scilicet possibilitate, quæ cum actu conjuncta est, ex *adjutorio quo*: sed tamen potest etiam non tractus venire ad Christum ea possibilitate sola quæ est sine effectu, & quæ voluntatem antecedit, sejuncta ab actu, & ex *adjutorio sine quo*.

Plurima alia simillima ex Scriptura Sacra referri possunt, quibus negari videtur, posse hominem sine gratia, & quidem efficaci, quidquam agere. Etenim ut alterum locum expendamus: cùm dictum est, *Sine me nihil potestis facere*; notat S. Thomas, dictum fuisse à Christo. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*: eodem v. 5. cap. 15. S. Joan. quibus significatur, inquit Divus Thomas, quòd mansio in Christo per gratiam *Non solùm est necessaria* ut fructificet, *sed etiam est efficax; quia qui manet in me, hic fert fructum multum. Ratio autem*, inquit, *hujus efficaciæ est, quia sine me nihil potestis facere: in quo ora obstruit Pelagianorum, qui dicunt, bona opera virtutum, & legis sine Dei adjutorio, ex seipsis facere posse: in quo dum liberum arbitrium asserere volunt, illud magis præcipitant. Cùm Dominus hìc dicat, quòd sine ipso non solùm magna, sed nec minima, imò nihil facere possimus*: *nec mirum*, subdit egregiè S. Thomas, *quia nec Deus sine illo aliquid facit Jo. 1. sine ipso factum est nihil. Opera enim*, subdit D. Thomas, *aut sunt virtute naturæ, aut ex gratia Divina: si virtute naturæ, cùm omnes motus naturæ sint ab ipso Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciẽdum moveri potest sine ipso. Si verò virtute gratiæ; cùm ipse sit Author gratiæ, manifestum est, quòd nullum opus meritorium sine ipso fieri potest: 2. ad Cor. 3. 5. „ non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* „ Hæc referre placuit, ut Lector observet, quàm semper similia sint superioribus de motione in ordine naturæ, quæ de Divina gratia ubique statuit S. Thomas.

Ex his verò manifestum est, D. Thomam ita intellexisse eum locum; ut sine efficaci gratia in ordine supernaturali nihil possimus agere: & tamen dubitari non potest, quin etiam cùm homo nondum movetur ut credat, amet, cæteraque præcepta impleat, ea posse implere. Qua verò ratione id intelligi posset, nisi ea observatione facta? Duplex distinguendum esse *posse*, alterum, solius possibilitatis, alterum possibilitatis simul, & actionis: & quidem sine efficaci gratia deest hæc postrema sed prima semper adest, qua nunquam omninò spoliatur homo. At verò, ut diximus suprà, ex ea possibilitate, quæ antecedit actionem denominatur absolutè possibilis præceptorum adimpletio. Atque ea utraque possibilitas *sufficientiæ* nomine intelligi potest, qua nec cogitare quidquam *à nobis quasi ex nobis* possimus: sed ea sufficientia quæcumque illa sit ex Deo est Authore gratiæ in ordine supernaturali.

Confirmari potest eadem observatio ex S. Concilio Tridentino, quod unum aliorum omnium nobis loco esse possit. Etenim sess. 6. de justificatione cap. 5. cùm dixisset: *Justificationis exordium in adultis à Deo per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*; quæ non solùm de gratia sufficienti, sed etiam efficaci procul dubio intelligit: de eadem gratia statim subjungit, ita à Deo tangi cor hominis, ut homo Divinam inspirationem recipiens eam abjicere possit: *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit*. Sine igitur illa præveniente gratia, à qua exordium justificationis ac initium fidei oritur, qua tangitur cor hominis, quæ dubio procul efficax gratia est, non potest homo se se ad justiam movere.

Sed apertiùs forsitan eadem sess. 6. cap. 11. Ibi enim inquit, quòd *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Igitur ex Tridentino Divina præcepta, & ex parte implere possumus, & ex parte non possumus: quæ duo non alia commodiori ratione explicari, & conciliari possunt, quàm ea observatione cui explicandæ incumbimus: nimirùm duplici sensu posse Divina præcepta impleri, scilicet sola possibilitate ex auxilio sine quo, & possibilitate conjuncta cum actu, ex auxilio quo.

Confirmatur præterea ex D. Augustino, nec potuit hæc sufficientis varia acceptio à S. Doctore prætermitti: cùm ea nec à communi usu loquendi hominum recedere videatur, & sæpiùs, ut variè res exigunt de quibus sermo est una aut altera usurpari soleat.

Et primò quidem utramque sufficientem gratiam, seu potentiam agendi, intellectam fuisse à S. Augustino, vel quæ ab actu voluntatis sejungitur, vel quæ cum ea conjungitur, & præter quam non requiratur alia, ex cap. 12. Libri de Corrept. & Grat. apertissimum est: *Ipsa*, inquit statim fermè initio capitis, *adiutoria distinguenda sunt; aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit: & aliud est adjutoriũ quo aliquid fit. Nam sine alimẽtis non possumut vivere, nec tamen cum affuerint*

ali-

alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiã quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutoriũ, & quo fit eſt, & ſine quo non fit.

Nihil ſanè apertius, ut intelligatur, acceptum eo loci à S. Auguſtino adjutorium ſufficiens hoc utroque modo, & ut aliud requirit, & ut non requirit aliud. *Adjutorium enim alimentorum eſt ſine quo non fit*, ut homo vivat: *nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit*: Ergo ut homo vivat, præter alimenta aliud requiritur ſaltem quòd vivere velit, ipſiſque alimentis utatur. *Adjutorium igitur alimentorum ſine quo non fit*, eſt adjutorium ſufficiens, præter quod aliud requiritur.

Sed prætereà: non poteſt beatitudo non eſſe adjutorium ſufficiens altero modo, & præter quod aliud non requiritur: *Eſt enim* ſimul, *& quo fit, & ſine quo non fit beatus, & ſi data non fuerit, nunquàm erit*: qua ratione ſimillimum eſt auxilium efficax, *quod ſi datum fuerit homini, continuò erit* actio: *& ſi datum non fuerit, nunquam erit: eſt enim & quo fit, & ſine quo non fit.*

Idque deinde magis explicat S. Auguſtinus: cùm enim dixiſſet, alterum ſcilicet *adjutorium ſine quo* ad ſtatũ innocentis Adami pertinere: quia cùm in tanta felicitate homo conſtitutus eſſet, ſi hujus ſtatus ratio ſolùm habeatur, quem nulla naturæ infirmitas, aut corruptio ad malum pertraheret, ſola ſufficiens gratia requirebatur; quamvis ex alio capite, nimirùm ut *à Deo tanquam primo movente homo ad ſuum actum moveretur*, ut ſæpiùs dixit D. Thomas ulteriori auxilio homo indigeret, ut ex S. Thoma ſæpiùs diximus. Deinde addit S. Auguſtinus, alterum adjutorium, *quo fit*, pertinere ad ſtatum naturæ peccato Adami corruptæ, ſed per gratiam Chriſti reparatæ, adeòque eo adjutorio firmatæ ac munitæ; ut cùm omnibus amoribus, terroribus, & erroribus ſuis Mundus eam commovere non poſſit: & de iſto ſubjicit. *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adjutoriũ perſeverantiæ datur*, ſine quo perſeverare non poſſint: *ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* Nimirùm ea ratione, quòd illud idem adjutorium *ſine quo* perſeverantes eſſe non poſſunt, adeò perfectum ſit, ut per illud perſeverantes ſint, ſitque illud *adiutorium ſine quo*, ſimul & *adiutorium quo*.

Unde & in fine ejuſdem capitis potentiam volendi ex adiutorio ſine quo, & voluntatem ipſam ex adiutorio quo, ita permixtas, ac veluti confuſas eſſe innuit, ut quia poſſunt ideò velint, & quia volunt ideò poſſint: ea nimirum potentia, præter quam non requiritur alia, & quæ cum actu conjuncta eſt. *Quoniam non perſeverabunt niſi poſſint, & velint; perſeverandi eis poſſibilitas, & voluntas Divinæ gratiæ largitate donatur. Tantùm quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint quia ſic volunt, ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint.* Atque hujus ſtatim rationem affert ex infirmitate naturæ deſumptam: quod niſi Divinæ gratiæ, *& adjutorii quo*, majori vi & efficacia voluntas roboraretur, omninò deficeret: & cùm non vellet, etiam nec poſſe dicenda eſſet, ea ſcilicet potentia, quæ cum actu, & cum perſeverantia conjuncta eſt. *Nam ſi in tanta infirmitate ... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet: & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.*

Et ſanè frequentem eſſe hunc loquendi modum in S. Auguſtino nemo negare poſſit, qui vel ſummis, ut ajunt, labiis hujus S. Viri ſcripta delibaverit. Legat quiſquis volet librum de gratia, & libero arbitrio; & animaduertet ſæpiùs à D. Auguſtino voluntatem, & magnam, & parvam diſtingui: quæ voluntas, inquit, parva, & infirma, & naſcenti ſimilis, ita interdum & augetur & roboratur, ut ſufficiat ad Divina mandata implenda, quæ ante implere voluerit: cùm paris periculi ſit, hæc duo ſejungere, & velle & poſſe: nec minùs inutile ſit, velle nec poſſe; quàm poſſe nec velle Divina mandata implere. *Per hanc* Gratiam, inquit cap. 15. *fit ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cæpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere Divina mandata, quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt, „ſi volueris conſervabis mandata: „ ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret ut habeat tantã voluntatẽ, quanta ſufficit ad implenda mãdata. Sic quippè adjuvatur ut faciat quod jubetur: tũc enim utile eſt velle cùm poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cùm volumus: nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus; aut ſi quod poſſumus, nolumus?* Idem quod hìc potiſſimùm inquirimus, inquit ſequenti cap. 17. *petendum eſſe* à Domino à quo præparatur voluntas, *ut tantùm velimus, quantùm ſufficit, ut volendo faciamus.* Unde & ſequenti iterum cap. 17. negat, hanc fuiſſe in Petro voluntatem magnam, & charitatem quâ poſſet, cùm enim ab Apoſtolo dictum eſt, *Animam meam pro te ponam: putabat* equidem Petrus, *ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat.* Sed tamen reipsà non potuiſſe trina negatione comprobatum eſt; cùm voluntatem parvam, & infirmam validior timor devicit: & Chriſtus cui cognitæ erant Petri vires, inquit D. Auguſtinus in Pſal. 36. initio, *Prænuncians ejus infirmitatem, tanquam tacta vena cordis ejus*, negaturum ipſum forè prædixit.

Plura ex S. Auguſtino referre ſupervacaneum foret, cùm ſæpiùs nomine poſſibilitatis aut potentiæ exploratiſſimum ſit, intellexiſſe actum voluntatis, & charitatis *magnæ, & robuſtæ*, ut loquitur

tur ibid. cap. 17. quam ideò negat esse in Peccatoribus, quamvis se frequentibus motibus excitari sentiant, & concuti. Nec de se ipso diffitetur etiam se olim spiritu salutis concepto, parienti similem longo tempore voluisse, nec potuisse, quandiu cum suis cupiditatibus, quibus constrictus erat, luctabatur. Atque eam sæpiùs inquit esse justissimam pœnam, *ut qui rectè facere, cùm posset, noluit; amittat posse cùm velit*. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. per malum enim velle, æquum est, ut amittatur bonum posse. Quo enim quis malè utitur, æquitas postulat, ut spolietur.

Nec verò quisquam indè inferat justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes vires quas habent, impossibilia fore mandata. Alienissimum enim illud est à vera Sancti Augustini, & S. Thomæ sententia. Verum equidem est, eum qui actu non operatur, quisquis is est, seu peccator seu justus, non habere illud adjutorium omnium perfectissimum, quod *non solùm est sine quo non fit, verùm etiam quo fit*: seu non habere auxilium illud sufficiens præter quod non requiritur aliud, & cum efficaci conjunctum: habet tamē *adjutorium sine quo non fit*, seu auxilium sufficiens, & quidem perfectum in suo ordine; præter quod aliud non requiritur in eodem ordine, seu ad constituendam veram potentiam ab actu sejunctam; quamvis alterum requiratur *adjutorium quo fit*, seu ut actu agat: *adjutoria* enim, ut ait S. Augustinus, *distinguenda sunt*. Habent justi etiam dum mandata non implent *adjutorium sine quo*, seu auxilium sufficiens, & solius possibilitatis, quo implere possint si velint, quamvis non habeant *adjutorium quo*, seu possibilitatis simul & actionis, quo implere ita possint, ut velint, & reipsà impleant. At verò possibilia dicuntur præcepta homini ex adjutorio sine quo; quodque, ut diximus suprà, ad ordinem supernaturalem evehit, vires auget, efficitque proportionem cum ipsa impletione mandatorum supernaturali. Unde quamvis *adjutorium quo fit*, justis desit, cùm reipsà mandata non implent, dici tamen nunquam potest, mandata ipsis impossibilia esse: cùm ea possibilis denominatio ab *adjutorio sine quo*: non ab adjutorio quo derivetur.

Hæc de prima sufficientis adjutorii significatione in supremo veluti gradu constituti, numerisque omnibus absoluti, quod ita producendo actui, aut sanando homini sufficit, satisque, ut nullum aliud requiratur.

Verùm & alio sensu usurpatum fuisse à D. Augustino sufficientis auxilii nomen, ut probetur non puto quemquam in primis adeò difficilem & morosum esse, ut velit ubi de doctrina sensuque D. Augustini sermo est, etiam & ipsa verba usurpata fuisse ostendi; cùm explicari variis modis idem possit, & diversæ locutioni idem sensus subesse. Et sanè nemo negare possit, idem de utroque hoc nomine *sufficientis*, & *potentiæ*, judicium esse ferendum. Quis enim pondus illud ferre posse dicatur, cui reipsà ferendo vires impares habeat? Sicut itaque nec sufficere illam vim agendi hominis posse videtur, si aliam majorem superaddi oporteat: ita nec illud ab homine fieri posse videtur, si ut illud efficiat necesse sit ab illo adjuvari. Idem igitur de nomine sufficientis auxilii, & nomine potentiæ, est sentiendum. At verò quàm sæpiùs à Sancto Augustino dictum est, posse hominem per fidem mundari, posse hominem Deum vocantem sequi; cùm tamen ut mundetur, & Deum vocantem sequatur, majori gratia, & perfundi, & pertrahi debeat. Etenim Epist. 107. de fide loquens, quam velut primam arcem, & validissimum salutis propugnaculum Princeps potestatum aëris hujus, qui operatur in filios diffidentiæ, dejicere viribus omnibus nititur, inquit: *Per quam* fidem scilicet, *scit eos posse mundari, posse sanari, posse perfectissimè liberos, quod eis vehementer invidet, in æternitate regnare.* Sed qua ratione, quo sensu posse sanari, & mundari homines per fidem dici possint, & quod majus est, posse in æternitate regnare: cùm tot præterea auxiliis roborari, tot præsidiis muniri necesse sit, ut ignita jacula repellant, quibus nè ad æternitatem perveniant, potestates aëris hujus eos dejicere moliuntur?

Verùm equidem est per fidem, & mundari, & sanari posse: sed aliud est posse, aliud est, & esse & velle; nec continuò quod esse possumus, sumus, aut quod possumus agere, agimus. Plura, ut sanentur homines, & ad æternitatem perveniant reipsà præter fidem, & spem requiritur: neque ideò negandum est per fidem posse, & mundari, & sanari. Utraque in suo ordine, ut suprà animadvertimus satis est; requiritur fides; & ea ut monstret inter quo tendendum est, sufficit; nec ideò non requiritur charitas, qua gressus homini dirigantur.

Atque id etiam didicimus iterum ex S. Augustino qui toto opere de Gratia Christi observat, hæc tria à Pelagio constituta distinctaque fuisse, *Possibilitatem, Voluntatem, Actionem*: Possibilitatē *scilicet, qua potest homo esse justus*; *Voluntatem qua vult esse justus*; *Actionem qua justus est* cap. 3. aut ut sequentis cap. 4. brevius expressit *Posse, Velle, Esse*, aut agere. Et quamvis in eo graviter erraret Pelagius, quòd vellet, solam possibilitatem seu *Posse*, Divinæ gratiæ auxiiio adjuvari, *& ad Deum pertinere, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle & esse, ad hominē referenda esse, quia de arbitrii fonte descendunt*: ut ex eodem Pelagio refert S. Augustinus cap. 5. Quamvis etiam in hujus auxilii constituenda vi & explicanda plurimùm à verò aberraret Pelagius: non negat tamen D. Augustinus, nec sanè negari potuit, ipsam possibilitatem, quæ operationem antecedit Divinâ gratiâ adjuvari; cùm necesse sit, hominem posse agere antequàm agat, neque actio oriri unquam possit nisi à potentia in eodem ordine gratiæ constituta, & evecta. Unde, & D. Augustinus ultrà fatetur, ac spondet etiam, se Pelagio dexteram porrecturum, si admissa ea possibilitatis gratia, alteram majorem *actionis* admiserit, *Si consenserit nobis* Pelagius, inquit S. Augustinus

nus, *non ſolam poſſibilitatē in homine, etiam ſi nec velit nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, id eſt, ut benè velimus, & benè agamus, quæ non ſunt in homine niſi quando benè vult & benè agit: ſi ut dixi conſenſerit etiā ipſā voluntatem, & actionem divinitùs adjuvari, ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus .... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controverſia relinquetur.* Hæc D. Auguſtinus.

Atqui luce clarius eſt, eam poſſibilitatis gratiam, quæ in homine eſt, etiamſi nec velit, nec agat benè, eſſe hujuſmodi, ut prætereà major requiratur, qua benè velit, & agat: Ergo nec negata eſt à D. Auguſtino ea gratia, qua dicitur homo poſſe declinare à malo, poſſe facere bonum; præter quam tamen requiritur alia, ut reipsà faciat bonnm, & declinet à malo.

Sed apertior S. Auguſtini locus eſt, ex lib. 2. *de peccatorum meritis, & remiſſione*. Nec exiſtimo, poſſe unquam aliquid, aut ſubtilius, aut ſolidius ex Schola advocari, ad veram ſufficientis auxilii, & præter quod aliud requiritur, notionem explicandam, quàm quæ habet hujus libri 2. cap. 6. Cùm enim à Pelagio dictum eſſet, *poſſe in hac vita hominem eſſe ſine peccato*: ut nihil quod ad eam difficultatem expediendam conducere poſſit Divus Auguſtinus prætermitat, atque aditum omnem fugientibus intercludat; tria ſibi ſigillatim deinde explananda proponit. *Alia quæſtio eſt*, inquit, *utrùm eſſe poſſit; alia utrùm ſit; alia ſi non eſt, cùm poſſit eſſe, cur non ſit*, Quartam addit, nimirum. *Utrum qui omninò nunquam ullum peccatum habuerit, non ſolùm quiſquam ſit; verùm etiam potuerit aliquando eſſe, vel poſſit?* Sed hoc ultimum, ſine diſpendio prætermitti poteſt; cùm ex eo nihil lucis ad argumentum elucidandum, de quo agimus oriri poſſe videatur.

His verò in eum ordinem digeſtis, deinde ita ſigillatim reſpondet. *Si* itaque *à me quæratur*, inquit, *utrùm homo ſine peccato poſſit eſſe in hac vita; confitebor, poſſe per Dei gratiam, & liberum ejus arbitrium*. Quæ gratia, inquit, *non ſolùm oſtendat quid faciendum ſit, ſed adjuvet etiam, ut poſſit fieri quod oſtenderit*. Atque id multis deinde Scripturæ Sacræ teſtimoniis omninò convincit: cùm Deus hominem ſine peccato eſſe velit, ac jubeat: nec homini impoſſibile eſſe poſſit quod Deus homini juſſerit. *His*, inquit, *atque hujuſmodi aliis innumerabilibus teſtimoniis dubitare non poſſū, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat, quo jubet impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo*.

Igitur ex Sancto Auguſtino *poteſt homo ſi velit*, quod Deus præcipit homini, *eſſe ſine peccato*: neq; id poteſt niſi *adjutus à Deo*. Sive ut dicam apertiùs: gratia quæ adjuvat hominē, eas homini vires confert, eam implendi præcepta poteſtatem tribuit, ut poſſit homo ſi velit, vitare peccata. Atqui nihil apud D. Auguſtinum frequentius, quàm egere hominem nova, & majori ſuperaddita gratia, ut velit agere bonum, & implere Divina mandata, quæ etiam antequàm ea majori gratia roboratus impleat, poteſt implere ſi velit: Ergo & ex Sancto Auguſtino ea confertur homini gratia qua poteſt, & velle, & agere bonum, & declinare à malo, ac vitare peccata: quam ſanè gratiam, ſufficientis auxilii nomine intelligunt, quotquot in Scholis audiunt, & præter quam requiritur alia major, qua homo velit, quod anteà agere poteſt ſi velit.

Sed expedita ea prima quæſtione, tranſit Sanctus Auguſtinus ad alteram quæſtionem explicandam ſequenti cap. 7. *Si autem*, inquit, *quod ſecundò loco poſueram quæratur, utrum ſit? non credo: magis enim credo Scripturæ dicenti*; „ *Non intres in judicium cū ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. „ Atq; id deinde probat, eo egregio principio, quòd regeneratio hominis, hujuſque renovatio, & adoptio nondum perfecta ſit. Ut enim ab Apoſtolo dictum eſt etiam, homo *interior renovatur de die in diē* 1. ad Cor. 4. At verò, inquit Sanctus Auguſtinus, *profectò qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus eſt renovatus, & in quantùm nondum eſt renovatus, in tantùm adhuc in vetuſtate eſt. Proinde ex hoc quòd adhuc in vetuſtate ſunt, quamvis jam baptizati, ex hoc etiam adhuc ſunt filii ſæculi*. Igitur & ex parte jam Filii Dei, & ex parte filii ſæculi. *Proficimus verò in renovationē juſtamq; vitam, per quod Filii Dei ſumus: & per hoc omninò peccare non poſſumus, donec totum in hoc tranſmutetur, etiam illud per quod adhuc filii ſæculi ſumus: per hoc enim, & peccare adhuc poſſumus*.

Igitur ex ea inchoata regeneratione, & de die in diem creſcente renovatione, ex parte Deo ſumus ſimiles, in quantùm Filii Dei, & ex parte diſſimiles in quantùm ſæculi filii: Atque inde ex parte peccare non poſſumus, inquantùm ſimiles, & Filii Dei, & ex parte non peccare non poſſumus, in quantùm diſſimiles, & filii ſæculi. *Nunc ergo, & ei ſimiles eſſe cœpimus, primitias habentes ſpiritus, & adhuc diſſimiles ſumus per reliquias vetuſtatis. Proinde in quantùm ſimiles, in tantùm regenerante Spiritu Filii Dei: in quantùm autem diſſimiles, in tantùm filii carnis, & ſæculi. Illinc ergo peccare non poſſumus; hinc verò ſi dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, donec totum tranſeat in adoptionem*.

Atque eam rationem D. Auguſtini paucis, ut ſolet Sanctus Tnomas complectirur 1. 2. qu. 109. artic. 8. *In ſtatu*, inquit, *naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali ſanante naturā, ad hoc quòd omninò à peccato abſtineat: quæ quidem ſanatio primò fit in præſenti vita ſecundùm mentem, appetitu carnali nondum reparato. Vnde Apoſtolus ad Rom. 7. in perſona hominis reparati: Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati: in quo quidem ſtatu poteſt abſtinere ab omni peccato mortali, quod in ratione conſiſtit; non autem poteſt abſtinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus*. Id ſanè eſt quod ex S. Auguſtino retulimus, hominem ex parte renovatum, ex parte vetuſtate corruptum, ex parte ſimilem Deo,

ex

ex parte dissimilem, ex parte Filium Dei, ex parte Filium sæculi, non posse vitare omnia peccata; in quæ Filius sæculi, Deoque dissimilis vetustate naturæ, & corruptione pertrahitur.

Sed ex Tertiæ quæstionis resolutione major nobis lux ad explicandam verissimam sufficientis auxilii notionem accedet. Ita igitur eam aggreditur. c. 17. *Iam ergo quod Tertio loco posuimus videamus. Cùm voluntate humana, gratia adjuvante Divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non fit?* Id verò est quod jam observavi, cur ea gratia quæ confert homini vires, ut possit esse sine peccato si velit, etiam non efficiat ut velit.

Respondet autem Sanctus Augustinus, & veram sufficientis auxilii notionem ob oculos ponit, qualem hi qui D. Augustinum, & D. Thomam Duces sequuntur, admittunt. *Possem*, inquit, *facillimè ac verissimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæratur, quare nolint? imus in longum. Verumtamen sine præjudicio diligentioris inquisitionis, breviter dicam; nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, nè moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, & non in Deo.*

Hactenus Sanctus Augustinus, quæ sanè verba litteris aureis scribenda essent. Itaque ex D. Augustino adjuvat Divina gratia hominis voluntatem, ut possit esse sine peccato si velit: neque enim ea potestas in nuda natura. & corrupta, constituta est. Etiam cum corruptione deprimente, & vetustate in imum, & ruente, & trahente; qua ex parte, homo est filius sæculi, etiam homo gratiam habet, qua & est initium aliquod creaturæ Dei, & ex parte filius Dei. Atque ea gratia est, qua homo adjutus potest esse sine peccato si velit.

Verùm etsi homo posset esse, sine peccato si vellet; liquet tamen, cùm peccat nolle esse quod posset, scilicet esse sine peccato: atque eam gratiam quæ confert homini potestatem qua possit, non eam voluntatem reipsà efficere qua velit: cùm magis illi peccare libeat, eumque magis injustitiâ quàm justitiâ delectet. Igitur ex S. Augustino admittenda ea gratia est, quæ confert homini posse, non velle: quæque actum infallibiliter, & certò conjunctum non habet, & præter quam altera requiritur major, qua non solùm innotescat quod latebat, sed etiam qua suave homini fiat quod ipsum non delectabat: Atqui ea propriissima est sufficientis gratiæ notio, præter quam requiritur alia gratia, quæ voluntatem *applicet operi*, ut Divus Bernardus loquitur, & cum voluntate conjungat, ut sæpiùs dictum est ex S. Thoma. Ergo &c.

In longum sanè etiam nobis eundum esset, si quæ istjusmodi Sanctus Augustinus habet ex variis locis ubi idem argumentum versat, huc referenda essent. Sed præter jam dicta, satis sit aliqua indicasse, quæ Lector si velit possit consulere. Lib. de perfect. Justitiæ potissimùm cap. 7. tanquam omninò certum, & extra omnem controversiam positum, supponit esse, quod à Cælestio, cui respondet, dictum alicubi fuerat, *Tantummodò esse posse* hominem sine peccato, *quod neque nos negamus*, inquit Divus Augustinus, in quo vera est auxilii sufficientis ratio, quod tribuit posse, non velle.

Addi possent ea omnia, ubi duplicem vocationem Divus Augustinus ex Scriptura Sacra distinguit: alteram qua vocati sunt qui noluerunt venire, quos sanè potuisse venire negandum non est. Ut quid enim, ut venirent vocarentur nisi vocati venire possent? Alteram verò qua nedum venire possunt qui vocantur, sed etiam vocati veniunt: quæ vocatio est eorum qui secundùm propositum vocati sunt, & qua *vocatione*, ipse qui vocatur *fit credens*, ut inquit Sanctus Augustinus lib. de prædest. SS. cap. 16. & quæ vocatio *alta atque secreta*, sic agit sensum, *ut etiam commodet assensum*, ut inquit idem Divus Augustinus Epist. 107. Paulò post initium. Atqui ea gratia qua vocantur qui non veniunt, non potest non esse gratia sufficiens præter quam requiritur alia altior, secretior, & efficacior: Ergo &c.

Sed prætereà quænam ea gratia esse potest, qua conversio homini inchoatur, quæ torpentem voluntatem excitat, etsi non erigat omninò, & præter quam alia validior requiritur, nisi gratia sufficiens? Nam ut inquit idem Sanctus Augustinus quæst. 2. ad Simplicianum initio: fiunt inchoationes quædam fidei conceptionibus similes, non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, ut ad vitam perveniantur æternam.

Quod verò ex S. Augustino, & D. Thoma dictum est, non latuit etiam alios Ecclesiæ Patres, aut veteres Theologos. Imò & hæc duplex sufficientis auxilii, aut potentiæ agendi acceptio frequens est in Scriprura Sacra, ut cùm ea omnia loca in quibus dicimur, non posse venire ad Christum, nisi trahamur à Patre; nec posse dicere Dominus Jesus, nisi Spiritu Sancto adjuvemur, à D. Augustino sæpius usurpata fuerint ad efficaciam gratiæ comprobandam: quæ si desit, dicimur non posse ea potentia, quæ cum actu conjuncta sit. Sed non est prætermittendus egregius S. Gregorii locus homil. 9. in Ezechiel. ubi inquit, quòd *Deus aspirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando subsequitur ne inaniter velimus, sed possimus implere quod volumus*. Ubi licèt de executione cæpti consilii loqui videatur, quam nunquam nostræ relictam esse voluntati observat D. Thomas, ob plures rerum eventus hominis arbitrio minimè subjaceant; nihil tamen vetat consentaneè ad ea quæ suprà diximus intelligi.

Sed expressior est Richardi à S. Victore, locus

lib. 1.

lib. 1. de Eruditione interioris hominis. Ubi ita habet: *Quantùm habes* inquit, *gratiæ, tantùm habes potentiæ, & quantùm gratia accepta creſcit, tantùm & potentia tua proficit: & quantùm gratiæ minuitur, tantùm potentiæ tuæ detrahitur.* Atque id veriſſimè dictum: Cùm enim homini per peccatum lapſo nihil relictum ſit, quo poſſit ad ſupernaturalia aſſurgere, nullam omninò veram potentiam agendi, aut merendi habet, ſed ſolam naturæ capacitatem: unde dũtaxat quantùm gratiæ acquiritur, tantùm etiam & potẽtiæ accedit majoris vel minoris juxta menſuram gratiæ.

Hæc ita annotare placuit, nè ignorentur varii loquendi modi apud SS. Patres, & veteres Theologos frequentes, & ſæpius uſurpati, quique etiam nec à communi vulgi loquendi modo alieni ſunt. Quàm multa enim poſſumus velle, & ut dixerim, quæ ut velimus ſufficientes ſumus, quæ tamen nolumus: & quàm multa volumus, quæ nec poſſumus: ac demum quàm multa imperfectè, & languidè volumus, quæ perfectè velle vellemus, quæ tamen reipsà integra, & ut verbis S. Auguſtini loquar, robuſta voluntate velle non poſſumus.

Attamen quamvis hæc ita ſint; & duplici illo ſenſu ſufficiens, & efficax auxilium ſumi poſſint: uſus tamen apud Recentiores Theologos obtinuit, cùm ob exortas hæreſes, & varias in Scholis ſententias, preſſiùs loqui, & veluti ad vivum ſecari res oportuerit; ut ſufficientis auxilii nomine illud intelligatur, quod confert equidem voluntati vires ſupernaturales; etſi tamen aliud auxilium requiratur: quod vel ſit ultimum complementum potentiæ jam ſufficienti auxilio inſtructæ, & roboratæ; vel quod ſaltem potentiam ad actum applicet, & reducat.

ARTICULUS IV.

Sufficientis auxilii neceſſitas, dignitas, & vera notio, ex D. Tho. explicantur.

MInimè eorum ſententia probari poteſt, qui auxilium ab efficaci diſtinctum, & præter quod requiritur aliud, ſeu ſufficientem gratiam adeò exoſam habent, ut etiam monſtrum eſſe dicant, aut monſtro ſimillimam, quæ majori dumtaxat damnationi accerſendæ ſervire poſſit: quæque nullum umquam ab inito lapſus humani uſque ad extremum Judicii Diem, aut habuerit in voluntate hominis, aut habitura ſit effectum quamque ea ratione nedum inutilem in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſed etiam exitialem, & perniciosſam pronuntiant; cùm eò damnabilior homo evadat, ut arbitrantur, quò magis gratia ſufficienti abundaverit.

Verùm in primis unde colligi poteſt; eam ſufficientem gratiam inutilem eſſe, cùm è contra tanta hujus *Neceſſitas* ſit, ut niſi ſufficiens gratia præceſſerit, nunquam, citra miraculũ, gratia efficax homini tribuatur. Etſi enim ſufficienti auxilio voluntas adjuta ultimum conatum non efficiat, nec ſpiritum ſalutis pariat, concipit tamen. Unde non immeritò voluntatem ſufficienti auxilio adjutam dixeris eſſe Divino jam ſemine gravidam, ſuoque tempore parituram, niſi ſua culpa ſpiritum jam ſalutis conceptum præfocaverit. Fiunt enim, ut inquit S. Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplicianum. *Inchoationes quædam Fidei conceptionibus ſimiles. Non tamen ſolùm concipi, ſed etiã naſci opus eſt, ut ad vitã perveniatur æternã.*

Et verò quod à nobis dictum eſt, eam eſſe ſufficientis auxilii neceſſitatem, ut nunquam, citra miraculum, efficax gratia voluntati hominis conferatur, niſi jam præceſſerit ſufficiens gratia; ex S. Thoma apertè colligi poteſt: cùm iis in locis, ubi de juſtificatione agit, ſemper fermè tractationem inchoaverit, *Quòd requiratur aliqua præparatio, & diſpoſitio ad gratiam ex parte hominis* 1. 2. quæſt. 112. art. 2. ea ſcilicet ratione, quia *Nulla forma poteſt eſſe niſi in materia diſpoſita.* Unde cùm ſibi oppoſuiſſet, D. Paulum etiam *cùm* adhuc *eſſet ſpiraus minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, ſubitò* luce de Cœlo circumfuſum ac proſtratum, fuiſſe à Deo converſum. Reſpondet, *Dicendum: quòd cùm homo ad gratiam ſe præparare non poſſit, niſi Deo eum præveniente, & movente ad bonum; non refert, utrùm ſubitò, vel paulatim aliquis ad perfectam præparationem perveniat; dicitur enim Eccleſiaſtici undecimo: Facilè eſt in oculis Domini ſubitò honeſtare pauperem. Contingit autem quandoque quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum; & talis præparatio præcedit gratiam: ſed quandoque ſtatim perfectè movet ipſum ad bonum, & ſubitò homo gratiam accipit ſecundùm illud Joan. 6. 45. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me; & ita contigit Paulo, quia ſubitò cùm eſſet in progreſſu peccati, perfectè motum eſt cor ejus à Deo audiendo, & addiſcendo, & veniendo, & ideò eſt ſubitò gratiam conſecutus.* Hæc S. Thom. Ita.

Igitur S. Paulo contigit, ut cùm nulla anteà tempore præceſſiſſet præparatio, ſtatim *audiendo, addiſcendo, veniendo*, uno eodemque momento diſpoſitiones omnes affecutus, converſus fuerit. At certè miraculum, & grande fuiſſe miraculum dubitari non poteſt: alioqui enim communes Divinæ Providentiæ leges ſtatuunt, quod ipſa rerum experientia probat; paulatim diſponi homines ad percipiendam gratiam: cùm *ſcilicet eos Deus movet ad aliquod bonum, non tamen perfectum*: talis enim *præparatio præcedit gratiam*, & præcedere ſolet, niſi homo, veluti per miraculum ad Deum convertatur.

Atque id iterum docet Divus Thomas in 4. diſtinct. 17. quæſt. 1. artic. 1. ad ſecundam quæſtionem. *Dicendum* enim, inquit, *quòd vocatio eſt duplex: quædã exterior, ut quæ fit per prædicatorẽ, & hæc non eſt juſtificatio, ſed diſponit ad eam; quædam verò interior, & hæc quandoque quidem non pertingit ad finem ſuum ex vocati defectu: & hæc vocatio nihil aliud eſt, quàm aliquis inſtinctus vel motus ad bonum, à Deo immiſſus: & hæc etiam*

vocatio non eſt idem quòd juſtificatio, ſed via ad illam. Et ſanè is modus ſolitus eſt quo homines ad Deum pertrahuntur. *Ex Divina enim Providentia*, inquit iterum Sanctus Thomas, *procurantur homini occaſiones ſalutis, puta Prædicationes, exempla bona, & interdum ægritudines, & flagella*, quibus homo veluti Filius Prodigus compellatur redire ad Patrem: ſed & maximè quantùm *Ad interiorem motum, prout cor hominis interiùs movet ad bonum ſecundùm illud Proverb.* 21. „*Cor Regis in manu Domini.*„ Quodlib. 1. artic. 7. quæ interior Dei motio ſi deeſſet, nihil cætera efficerent. Sed prætereà quandoque etiam Deus attrahit hominem ad Chriſtum, inquit D. Thomas, *perſuadendo* ejus Divinitatem, vel per internam revelationem, vel miraculorum operatione. Interdum *trahit alliciendo* deliciis, *trahit admirabili delectatione, & amore veritatis: ſi enim trahit ſua quemque voluptas, quàtò fortiùs debet homo trahi ad Chriſtum ſi delectatur veritate, Beatitudine, Juſtitia, ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt*, inquit D. Thomas ex S. Auguſtino in Joan. cap. 6. lect. 5. ubi & plurima alia addit. Atque hic ſolitus modus eſt quo Deus averſos à ſe homines, & convertere, & pertrahere ſolet.

Atque inde, & neceſſitas auxilii ſufficientis deſumitur. Cùm enim præcedere debeat ea voluntatis præparatio, propriiſſimè ea eſt effectus ſufficientis auxilii. Etenim ordinatur equidem ſufficiens auxilium ad perfectam integramque hominis converſionem: attamen non eam immediatè efficit; ſed mediatè efficit eam præparationem: & veriſſimè propriiſſimum Sanctus Thomas auxilii ſufficientis munus explicuit, cùm inquit, *Quòd movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum*. Sicut cum movet ad timorem, aut etiam ad ſpem, & fiduciam de Divina Miſericordia concipiendam; nulla enim virtus à charitate ſejuncta perfectum bonum eſt. Cùm igitur perfectam converſionem præcedere ſoleat præparatio, & Divinæ Providentiæ, & Sapientiæ leges rebus omnibus conſtitutæ habeant, ut nunquam in ſubjectum forma inducatur, niſi variis jam diſpoſitionibus præparatum, & ſubactum, quibus veluti gradibus ſubjectum ad formam accedit, cujus nativa reſiſtentia vincitur, aut indifferentia determinatur; cumque eam præparationem, ac diſpoſitionem ſufficiens auxilium efficiat; inde apertiſſimè ejuſdem auxilii neceſſitas demonſtratur: tanta certè, quòd, ut diximus, nunquam, citra miraculum, Divinæ gratiæ forma inducatur, & perfecta juſtificatio fiat, neque ad eam efficendam motio efficax conferatur, niſi præceſſerit ea præparatio, quam propriiſſimè auxilium ſufficiens efficit.

Atque inde etiam quæ ſit ejuſdem auxilii ſufficientis *Dignitas*, ſatis compertum eſt: cùm ſit veluti primum fundamentum, aut prima inchoatio totius ordinis ſupernaturalis. Tùm quia, ut diximus, nunquam, citra miraculum, efficacior illa motio confertur, qua Deus movet *ab bonum perfectum*, vel *quæ pertingit ad finem*; niſi minùs valida, ſed tamen prima illa ſufficiens motio collata fuerit: tum quia, ut dictum eſt etiam ſæpiùs, neceſſe eſt, ut poſſibilitas, ſeu ſufficientia agẽdi, actionem ipſam antecedat, quam efficax motio efficit: tum prætereà, quia prima illa proportio, & commẽſuratio ſupernaturalis actus cum potẽtia, ex ſufficienti gratia oritur: non enim eam ſeipſa habet potentia, ſed ea ſolùm ex ſufficienti ſupernaturali auxilio derivatur: & demum, quod ex priori conſequitur, quia ea ſunt Divinæ ſapientiæ, & providentiæ leges, ut nunquam in ſubjectũ forma inducatur, niſi variis jam diſpoſitionibus præparatum: Atqui propriiſſimum munus auxilii ſufficientis eſt, quòd voluntatem à Deo averſã paulatim, ut ad eum convertatur diſponat; quam rationem magis explicabimus infrà.

Sed prætereà altera, *& neceſſitatis, & dignitatis* ſufficientis auxilii & hujus anteceſſionis antequàm efficax conferatur, ratio eſt, quod Divina Providentia, quæ Mundum regit, nunquam rebus concurſum, tum in ordine naturæ, tum in ordine ſuperiori gratiæ conferat, niſi juxta prædominatis formæ exigentiam, quæ ad actum propendet, & inclinat; ſicut gravia movet deorſum, & levia ſurſum, ut ſæpius ex D. Thoma retulimus. Quæ ſanè prædominans forma, aut formæ propenſio, & inclinatio; ſive etiam cum actu eliciendo proportio, & commenſuratio in ordine ſupernaturali gratiæ ex ſufficienti auxilio metiẽda eſt. Neque enim ea commenſuratio ex efficaci auxilio deſumi poteſt: cùm apertum ſit, eam proportionem potentiæ cum actu, debere actum ipſum antecedere ad quem movet efficax auxilium: Ergo ex ſolo ſufficiente auxilio propriè ea proportio deſumenda eſt. Unde fit, ſufficiens auxilium ea omnia complecti quæ potentiam complent, & perficiunt, inter quæ etiam, & ipſi habitus virtutum connumerantur; quibus deinde ſufficientia auxilia actualia majus veluti pondus addunt, quo poteutiæ his habitibus inſtructæ magis ac magis ad ſuos actus inclinentur.

Sed prætereà, ut magis adverſam ſententiam premamus: unde colligi poteſt, ſufficiens auxilium monſtro ſimillimum, & noxium, & perniciоſum eſſe, cumulandis dumtaxat peccatis, & majori dumtaxat damnationi accerſendæ opportunum, ac demum Divinæ ſeveritatis, & vindictæ potiùs quàm bonitatis eſſe argumentum: Cùm à contrà hoc ſufficientis auxilii propriiſſimum munus ſit, ut paulatim majores ſemper ac majores tribuat vires; & quamvis jacentem voluntatem omnino non erigat, excitet tamen; ut veluti evigilanti ſimilis, è graviſſimo ſomno expergiſcens, caput ſaltem attollat, & diu ſecum luctata, & excitata majori, & efficaci gratia, quæ veluti acriùs auribus cordis inſonat, tandem ſomnum omnem excutiat, omnino evigilet, ſeſeque erigat. Ecquis enim dubitet, aut apud S. Auguſtinum in libris Confeſſionum aliquando non legit, aut ſecum ipſe expertus non eſt; cùm homo convertitur paulatim diſponi iis actibus quos juſtificationem antecedere Tridentinum definit, timore aliquo pœnarum, quas fide eſſe credit,

credit, & quas ſe commerviſſe non dubitat, concuti; ſpe Divinæ Miſericordiæ quæ jacenti manus porrigit paululùm erigi; amore aliquo initiali ſenſim accendi. Nec certè ad ſexcentos gradus pervenire neceſſe eſt, donec interim minuatur cupiditas, ſimplexque illa erga Deum complacentia, & tenuis aliquis amor, tandem roboretur, in perfectam charitatem evadat, quæ Deum diligat ſuper omnia. Unde non immeritò dixerim, ſufficientem gratiam ſpiritum ſalutis concipere, efficacem verò parturire. Hos enim imperfectos actus bonæ voluntatis paululùm emergentis efficiunt varia auxilia ſufficientia actualia, quæ ad ulteriorem quidem actum perfectæ ſcilicet charitatis, & converſionis in Deum ordinantur, quem licet non efficiant, ad eum tamen efficiendum diſponunt.

Atque ex his vera ſufficientis auxilii notio explicatur, & facilè etiam ob oculos poni poteſt comparatione motus, quo forma inducitur in materiam variis diſpoſitionibus ſubactam, & paratam.

Obſervandum igitur eſt, nunquam formam aliquam in ſubjectum induci, niſi diſpoſitiones anteceſſerint, & quamvis remotiores diſpoſitiones formam ipſam non inducant, immeritò tamen inutiles dicerentur, cùm numquam citra miraculum, niſi diſpoſitiones anteceſſerint, forma inducatur. His verò diſpoſitionibus ſenſim materia ſubjicitur; & recipiendæ formæ, ad quam veluti per gradus accedit, aptior evadit. Nec verò ad ſexcentos alterationis gradus deveniendum eſt: ultimum tandem gradum quo impedimentum omne amovetur, forma conſequitur. Et quod obſervatione dignum eſt, & quo maximum, ut ita dixerim, Divinæ gratiæ Myſterium referatur; ſi nunquam agentis cauſæ influxus, & veluti curſus intercipiatur, quotidiano rerum omnium experimento comprobatur, idem ipſum agens quod diſpoſitiones inducit, etiam & formam inducere, neque ſiſtere inchoatum alterationis motum, donec inducta forma generatio completa ſit. Sed demum, etſi quilibet ſingularis agentis cauſæ influxus formam non inducat, quilibet tamen aliquid confert, & diſpotionem aliquam efficit, ſive propiorem, ſive remotiorem ex earum omnium ſerie, quæ ad complendam generationem, & inducendam formam à natura inſtitutæ ſunt.

His ita ob oculos poſitis, cogita varios efficientis cauſæ influxus quibus diſpoſitiones inducuntur, paraturque via ad inducendam formam, ad quam motus omnes alterationis, ut ad finem ultimumque terminum tendunt; varia eſſe ſufficientia auxilia actualia, quibus hi motus, quos ſupra retulimus ex Sac. Concilio Tridentino, fidei, timoris, ſpei, aliiquæ in homine excitantur, tamquam variæ diſpoſitiones, quæ vel ad charitatis actum vel ad juſtificationis formam, & hujus Divinę mutationis, & alterationis formam qua homo convertitur, & alter fit, ſcilicet ex peccatore juſtus, ex terreno Cæleſtis, ut ad ſuum finem ordinentur: cùm expreſsè dixerit S. Thomas 1. 2. quæſt. 13. quòd juſtificatio paſſivè accepta *importat motum ad juſtitiam, ſicut calefactio motum ad calorem*.

Atque inde facilè intelliges quæcumque de ſufficienti auxilio, diximus *In primis* propriiſſimum eſſe auxilii ſufficientis munus ad juſtificationem diſponere peccatorem: cùm numquam, citra miraculum, forma inducatur niſi diſpoſitiones anteceſſerint. *Secundò*, cùm verò ratione diſpoſitionum ſubjectum proportionem habeat cum forma inducenda (eſt enim diſpoſitio quædam inchoatio formæ:) hanc etiam proportionem, & veluti commenſurationem cum actu charitatis, vel cum forma juſtificationis efficit ſufficiens auxilium. Quod quidem ſummè neceſſarium eſt, cùm hoc habeant Divinæ ſapientię leges, ut nunquam Dei concurſus niſi juxta prædominantem formam quæ ad actum inclinat, & propendet tribuatur: ſicut gravia deorsùm, & levia ſurſum moventur. Quę ſanè proportio, & commenſuratio ex ſufficienti auxilio, quod actum antecedit metienda eſt. Inde.

Tertiò etiam fit, nullum eſſe ſufficiens auxilium quod aliqua ex parte efficaciam non habeat. Cùm enim voluntatem paulatim diſponat, ut veluti propiùs ad juſtificationem accedat, neque aliis greſſibus quàm affectibus accedere voluntas poſſit, ſpei, timoris, aliiſque imperfectioribus actibus; neceſſe eſt ut ſufficientia auxilia eos actus imperfectos efficiant: ut exempli gratia, tota illa ſeries auxiliorum quibus homo ad juſtificationem, & converſionem vocatur, movetur, & impellitur, etſi in ordine ad juſtificationem ſufficientia tantùm dici poſſint, aliunde tamen ſuam efficaciam habent; alterum enim reipſa timorem incutit peccatori; alterum verò ſpe illum erigit. Quare ſicut nulla eſt alteratio quæ diſpoſitionem aliquam non inducat; ita nullum eſt auxilium ſufficiens quod actum aliquem imperfectum non efficiat, quo majores aliquas vires voluntas acquirat, ut ſuprà explicavimus. Demum.

Sed *Quartò*, quod maxime ſolvendis Argumentis neceſſarium eſt, præcipuum ſufficientis auxilii munus eſt, ut ita voluntatem compleat, & perficiat, ut niſi agat voluntas, in culpa ipſius voluntatis ſit tum quia vel quodlibet auxilium ſufficiens, ut plurimi ſentiunt, ita potentiam omnem complet, efficitque eam commenſurationem inter potentiam, & actum, ut nihil aliud ex parte potentiæ requiratur: vel quia ſaltem cùm auxilia ſufficientia homini conferuntur, penes ipſum hominem eſt, etiam & efficax obtinere, eo ſenſu, quòd ſicut naturale agens cùm diſpoſitiones ad formam inducit, niſi hujus influxus intercipiatur, etiam, & formam ipſam inducit: ita enim cùm Deus varia ſufficientia auxilia immittit, quibus ad juſtificationem diſponat; niſi hujus influxus intercipiatur, etiam & gratiam confert, hujus juſtificationis formam, ad quam tota illa, & diſpoſitionum, & auxiliorum ſufficientium ſeries ordinatur.

Ex quibus omnibus manifestum est, æquissimè homini imputari si non agat; cùm illi conferatur à Deo auxilium sufficiens quo possit agere, & in ipso etiam sufficienti tamquam in primo veluti semine, & totius ordinis supernaturalis fundamento, etiam ipsum efficax auxilium offeratur, quæ omnia fusiùs in solutionibus Argumentorum explicata sunt. Differat. prima.

Quod verò dictum est, sufficientis auxilii propriissimum munus esse, ut ad justificationis formam inducendam disponat, efficacis verò, ut eam formam inducat; non ità intelligendum est, ut non aliud efficax auxilium conferatur, nisi cùm homo perfecta justificatione gratiam consequitur: sed eo exemplo usi sumus, quòd ex eo justificationis negotio, eaque dispositionum serie, & sufficientis, & efficacis auxilii munera apertiùs distincta eluceant: alioqui enim justificatos homines, & sufficientibus, & efficacibus auxiliis moveri ad actus virtutum eliciendos adeò compertum est, ut vix dici debeat: sed ut præveniens ac subsequens auxilium ex variis respectibus solùm distinguuntur, ut observat D. Thomas 1. 2. quæst. 111. ita planè nihil vetat, idem varios ob respectus, & sufficiens, & efficax dici. Cùm enim excitatus homo ad actum aliquem virtutis eliciendum; puta si alicujus egeni commiseratione permotus ad largendum ipli eleemosynam moveatur, & excitetur; si quidem moventi gratiæ consentiat, & eleemosynam largiatur, munus efficacis gratiæ est si verò non conferat eleemosynam, ea interior motio, & gratia qua ad commiserationem erga egeni calamitatem se commoveri persentit; ad eum quidem miserentis animi motum efficax est, sed ad erogationem eleemosynæ solùm sufficiens est: quæ in cæteris omnibus, servata proportione, dicenda sunt. Cùm enim homo seu justificatus, seu post amissam, & nondum recuperatam gratiam, ad eliciendum actum fidei permovetur; si quidem reipsa actum eliciat, non potest ea motio non esse efficax: attamen, & alii motus imperfecti antecedunt, tum ex parte intellectus, scilicet interior admonitio, tum ex parte voluntatis quædam excitatio, & pia motio; atque ad eos actus imperfectiores quædam auxilia conferuntur, quæ eos quidem imperfectiores actus efficiunt, & ad eliciendum perfectum actum fidei disponunt, & sensim pertrahunt, quem actum deinde perfectior, & efficax motio efficit. Quòd si præmotus ad fidei actum eliciendum reipsa cum actum non eliciat, liquet, auxilium, quo ad eum actum fidei movetur, non esse efficax, sed dumtaxat sufficiens; extra enim dubium omne positum est, & sua quisque experientia sæpius docetur, ad perfectiores interdum actus fidei aut charitatis hominem moveri, quos tamen non efficiat, ac subinde ad quos non efficaci, sed dumtaxat sufficienti auxilio movetur. Inter enim principia Religionis, fidei reponendum est, dari auxilium verè sufficiens, quodque ex malitia, & voluntatis renitentia effectum non habeat: cùm definitum sit interiori gratiæ interdum hominem resistere: atque jam olim Judæi reprehensi fuerint, quòd Spiritui Sancto resisterent. Act. 7. 51., & jam antea David Psalm. 77. v. 4. ingrato populo judæo improperaverat, toties ab ipso repulsa monita Divina, Deumque exacerbatum, & ut ex Hæbræo legitur, Deum dolore affectum, & veluti fatigatum ejus sceleribus, dum eum tanta patientia sustineret. Ubi & etiam animadverti potest quod additur, *& sanctum Israel exacerbaverunt*. Ubi Hæbreum habet וקרוש ישראל התוו *& Sanctum Israel limitaverunt*, quo clarissimè explicari potest sufficientis auxilii propriissima notio: quòd scilicet cùm ex Divina intentione ad actum eliciendum conferatur, ut de dispositionibus in ordine naturæ, & influxu agentis supra explicuimus; hujus vim sistit, & intercipit voluntas, limitemque ei apponit. v. g. cùm ea omnia auxilia quæ inter se se ordinem habent, quibus, & mens admonetur interius, & voluntas excitatur, moveturque ad actum fidei eliciendum, vel eleemosynam pauperi erogandam: his terminum apponit voluntas, ut solam admonitionem, & excitationem, & commiserationem aliquam dumtaxat admittat; sed non ultrà progrediatur, nec actum perfectiorem ad quem cætera ordinantur efficiat, nec petenti pauperi eleemosynam eroget, nec fidei actum eliciat, eoque pacto Divinæ, & interiori gratiæ limitem terminumque voluntas creata apponit.

QUÆSTIO II.

De efficaci gratia, & Divina Motione supernaturali, ac Divinis auxiliis.

EX his quæ supra advertimus, duplicem esse sufficientis sive principii sive auxilii significationem, duplicique sensu usurpatum à D. Thoma sufficientis nomen, dubitari non potest, quin etiam efficacis sive auxilii, sive gratiæ nomen duplici sensu usurpatum fuerit. Primò quidem, ut conjungitur cùm actu quem infallibiliter vi sua, & reipsa efficit. Secundò ut habet vim ad efficiendum actum, seu ut est efficax in actu primo, etsi interdum ob varia impedimenta quæ obsistunt, actum ipsum non efficiat, quo sensu efficax gratia à sufficienti vix distinguitur.

ARTI-

ARTICULUS I.

Quot modis gratia efficax ſumi poſſit, & à Sancto Thoma accepta fuerit?

DIximus jam ſuperiori Articulo. Et primò quidem ſenſu acceptum à Deo efficacis gratiæ nomen, vel hic unicus locus demonſtrare ſatis poteſt ex lect. 5. in Joannis cap. 7. ubi inquit, quòd *Attractio Patris eſt efficaſſima: quia omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad Chriſtum.* Ubi cum tractione Patris obedientiam voluntatis conjungit, quam efficit vi ſua ipſa Patris tractio; quia omnis qui audivit tractus à Patre venit ad Chriſtum.

Sed quæ infrà plurima referemus, ſatis eo ſenſu quem modò explicamus, efficacis gratiæ, & motionis nomen à S. Thoma uſurpatum fuiſſe demonſtrabunt. Ac præterea ipſum motionis nomen, quo ut plurimùm utitur D. Thomas ad eam gratiam deſignandam quam recentiores Theologi efficacem nuncuparunt; apertiùs eam agendi vim, & efficaciam ſignificat, quæ cùm actu conjuncta eſt. Ut enim inquit ipſe D. Thomas 1. 2. quæſt. 10. art. 4. *Quòd ſi Deus moveat ad aliquid, incompoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moveatur.* Quid verò illud eſſe poſſit, niſi efficaciſſima tractio quæ voluntatem vi ſua trahit, & quam etiam voluntas ſua libertate ſequitur? Igitur ex S. Thoma ea eſt efficax gratia quæ cum actu conjuncta eſt.

Sed utrumque præterea explicat D. Thomas, & ipſam efficaciam virtutis moventis, & ipſam immutabilitatem cum movet, in quo non poteſt non eſſe ſumma efficacia, quæſt. 6. de potentia art. unico. Ubi cùm inter objectiones repoſuiſſet num. 3. *Homo ad eligendum movetur quodam interiori inſtinctu, ſcilicet à Deo, & immobiliter, non tamen hoc repugnat libertati.* Confirmat hæc Reſponſione ad 3. *Deus*, inquit, *movet immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non poteſt*: quamvis, ut poſtea ſubdit, *propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas.* Habet igitur ex S. Thoma, & efficaciam virtutis moventis, & ipſam immutabilitatem cùm movet, in quo non poteſt non intelligi efficacia virtutis moventis, cum motu, actuque voluntatis conjuncta.

Hùc etiam revoco quæ habet idem S. Thomas in 2. diſtin. 37. quæſt. 2. art. 2. quæ quamvis in objectionibus referat, confirmat tamen magis, & explicat in ſolutionibus. Sic ergo inquit D. Thomas num. 3. *Bonarum actionum Deus non eſt author niſi ſecundùm, quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert, quia determinatio operis ex libero arbitrio eſt ut ſupra habitum eſt.*

Ex quo principio omnino certo deinde ſibi objicit. *Si igitur Deus ipſarum actionum malarum, in quantùm actiones ſunt à potentia egredientes, cauſa eſſet, eodem modo dicendus eſſet author malarum actionum, ſicut & bonarum.*

En igitur principium à S. Thoma conſtitutum. *Bonarum actionum Deus non eſt author, niſi ſecundùm quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert.* Eſt quidem Deus etiam alio pacto omnium actionum cauſa, quatenus voluntati agendi virtutem nativam confert, quia ut habet ibidem art. 1. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati; ſicut agens eſt cauſa motus, quia gravitatem confert. Verùm & hæc impropria ſolum, & mediata, ac remota cauſalitas eſt, niſi prima cauſa alteram dum agit, & ut agat moveat, & applicet ipſique conferat efficaciam agendi. Quare propriè bonarum actionum Deus non eſt author, *niſi ſecundùm quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert*, & dum agit, & ut agat, ut poſteà explicat. etenim verum quidem eſt, quòd *determinatio operis eſt ex libero arbitrio*, agit enim dubio procul voluntas, ſuas que partes habet in opere; neque enim confertur voluntati efficacia agendi ut nihil ipſa agat, ſed è contrà ut agat: quin etiam de voluntate nullum dubium eſſe poteſt; agit enim ſeſeque voluntas determinat dum bonam actionem elicit. Quo pacto igitur Deus poterit eſſe bonarum actionum author, cùm jam certum ſit, actionem ac determinationem operis eſſe à voluntate? ſanè ea ratione, quia non agit liberum arbitrium ſeu voluntas niſi ea ratione, quia Deus voluntati *agendi efficaciam confert*: & ea ratione ſolùm quia *potentiæ agendi efficaciam confert Deus, bonarum actionum eſt actor.* Et ut addit ibid. in reſponſione: *Deus dicitur cauſa bonarum actionum, non ſolùm quantùm ad eſſentiam actus, ſed etiam quantùm ad perfectionem, ſecundùm quam bonæ dicuntur; utrunque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat.* Atque hinc reſpondet Argumento quod ſibi objecerat. *Sed in malis actionibus*, inquit, *quamvis ſit cauſa earum quantùm ad eſſentiam, non tamen quantùm ad defectum; & ideo abſolutè dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.*

Igitur ex D. Thoma ea dumtaxat ratione propriè Deus eſt *bonarum actionum author*, in quantùm *potentiæ agendi efficaciam confert*: eoque pacto influit potentiæ *agenti, ut agat, & ut benè agat*: nec influit ſolùm cum voluntas agit, ut ſimul, & Deus, & voluntas agant; ſed influit etiam ut agat.

Quis verò in his præclariſſimis verbis efficaciam Divinæ gratiæ, & Divinæ motionis cùm actu conjunctam non videat? neque enim hæc de virtute veluti habituali collata voluntati, ſeu apertiùs de ipſa voluntate intelligi poſſunt; cùm ipſam efficaciam agendi collatam potentiæ ab ipſa potentia diſtinguat, eamque efficaciam voluntati conferri dicat, & eam efficaciam influere potentiæ, & ut agat, & ut bene agat. Neque iterum etiam intelligi ullo pacto poteſt de coopera-

peratione seu concursu Dei simultaneo: cùm in confesso apud omnes sit, concursum simultaneum recipi in voluntatis actu, aut ipsum actum esse, ut à Deo dependet. At verò hic inquit S. Thomas, *Quòd* Deus *potentiæ agendi efficaciam confert*. Est igitur in ipsa potentia ea efficacia agendi recepta. Quid verò illud esse potest, nisi efficax gratia, prævia motio, virtus collata voluntati, & dum agit, & ut agat?

Nihil sanè aliud nobis sperandum apertius supereſt, quo Divina gratia efficax, & Divina motio explicetur; neque ego aliis umquam verbis uti velim ut difficultatem eam explicem, & à D. Thoma explicatam demonstrem. Efficax gratia seu Divina motio nihil aliud est quam *efficacia agendi quam Deus potentiæ confert ut agat*.

Sed cùm ad eam efficaciam gratię explicandam plurimi articuli infrà instituendi sint, non est quòd diutius in ea parte immoremur, scilicet efficacis gratię nomine gratiam cum actu conjunctam intellectam fuisse.

Quòd verò attinet ad alteram partem, acceptum fuisse à D. Thoma sæpius efficacis gratiæ nomen, ut habet vim ad efficiendum actum, etsi tamen vitio voluntatis quæ reluctetur, actum non efficiat: probari in primis potest, eò quòd sæpius D. Thomas gratiam cum medicina conferat, quæ licet vim habeat operandi sanitatem amissam, tanta interdùm est humorum corruptio, adeoque prava infirmi habitudo obsistit, ut cassa medicina sit, ob eamque rationem non est in potestate medici semper relevetur ut æger. *Ejus*, inquit S. Thomas, *quod hìc dicitur* (nimirum, quòd *Ubi abundavit delictum superabundavit, & gratia*) *duplex ratio assignari potest, una quidem ex effectu gratiæ: sicut enim magnitudinem morbi non sanat nisi fortis, & efficax medicina; ita requirebatur abundans gratia ad hoc, ut sanaret abundantiam delictorum*. Atque eodem sensu inquit in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. quæst. 3. quòd *gratia est efficacissimum remedium ad vitanda peccata*. Quibus simillima ubique passim reperire est. Ideò enim gratiam sanantem toties nuncupavit, quòd verissimam animæ medicinam esse intellexerit, qua varii motus animi, variæ appetitiones, veluti humores corporis ad certam temperiem reducuntur; nisi interdum ea sit voluntatis obstinatio, motuumque animi perturbatio, ut hujus medicinæ seu gratiæ vi, & efficaciæ obsistat.

Prætereà: non alio etiam sensu intelligere potuit, quòd *Incarnatio Christi est efficassimum auxilium homini tendendi ad Beatitudinem* 4. cont. gent. capit. 54. quòd passio Christi *est efficax ad emundanda peccata* 3. par. quæst. 48. art. 3. quòd *Oratio Christi est de se efficax pro omnibus, ut valeat toti mundo*, & alia ejusmodi sexcenta. Item quod inquit 2. 2. quæst. 83. art. 11. *Orationes sanctorum esse efficaces*, quodque tota quæst. sæpius repetit, potissimum art. 15. *habere efficaciam impetrandi*. Cùm enim certum sit, non omnes salutem consequi, nec omnium Sanguine Christi effuso mundari peccata; sed ipsius Incarnationis, & passionis, & orationis efficaciæ impedimentum sæpe opponi propter effectum mundanorum: Item cùm satis, & heu nimiùm certum sit, orantis vitio ejus orationem, & cassam, & inefficacem reddi; consequens est, ut efficacis nomine, eam efficaciam intellexerit, quæ seipsa quidem vim habeat efficiendi, & impetrandi, cum tamen interdum nihil efficiat aut impetret, eò quòd aliæ conditiones requisitæ desint.

Sed multò apertior locus est, quem retulimus suprà ex lect. 6. in cap. 1. Epist. ad Rom. ubi ad hęc verba *Ira Dei revelatur*. Ita enim expressè inquit: Ostendit Paulus, 1. *quòd gratia necessaria est ad salutem*, 2. *quòd est efficax sive sufficiens*. Ubi pro uno eodemque, & sufficientis, & efficacis gratiæ nomen accepit; ea, ut arbitror, ratione, quòd juxta Dialecticæ regulas, nomina quę rerum naturas significant, aptitudinem & vim efficiendi dumtaxat significent, non ipsum actum quem efficiunt, ut vel ipsis tyronibus Philosophiæ notum est; quæ omnia ex eo loco jam laudato apertissima sunt. *Christus, quantùm est de se, pro omnibus oravit; quia oratio sua, quantùm est de se, efficax est ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum*.

Unde non videtur D. Thomas iis locis gratiam in sufficientem, & efficacem tamquam in species diversas, gratiæ distinxisse. Sed innuunt verba superiùs relata, eum existimasse cuilibet gratiæ, etiam sufficienti vim aliquam movendi seu efficaciam inesse majorem, vel minorem quo perfectior est. Tunc verò esse omnino efficacem, cùm resistentiam omnem, & obstinationem voluntatis superat, eamque omnino domat ac subjicit. Neque id alienum est à vera notione actualis, & efficientis gratiæ, ut convenit cum cæteris causis efficientibus, & qualem infrà explicabimus. Unde necesse non est, gratiam efficacem, & sufficientem distingui, ut in species gratiæ adæquatè diversas: sed ut eadem est operans, & cooperans, prævenies, & subsequens, ut varios respectus habet; ità eadem, & sufficiens, & efficax non immeritò dici potest; sufficiens equidem, cùm actum imperfectum efficit, & voluntatem dumtaxat ad perfectam conversionem disponit; efficax verò cùm voluntatem jam variis motibus concussam, & commotam omnino convertit.

Quam utramque gratiam explicuisse D. Thomas videtur 1. 2. quæst. 112. art. 2. ad 2. Contingit, inquit, *Quandoque quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio*, quæ propriissimè effectus est sufficientis auxilii, præcedit gratiam. *Sed quandoque statim perfectè movet ipsum ad bonum, & subitò gratiam homo accipit, secundùm illud Joan. 6. omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me*: qui effectus est propriissimè efficacis gratiæ, & efficacissimæ, ut suprà dixit, attractionis Patris. Idem fermè repetit in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 2. *Quædam* inquit, *interior* vocatio est, *& hæc quandoque quidem non pertingit ad finem suum ex vocati defectu, & hoc*

voca-

vocatio nihil aliud eſt quàm aliquis inſtinctus, vel motus ad bonum à Deo immiſſus; *& hæc vocatio non eſt juſtificatio, ſed via ad illam*; ſeu præparatio, & diſpoſitio, ex ſufficienti auxilio. *Quandoque autē pertingit ad finem, quando ſcilicet aliquis audit vocantem, & venit ad Chriſtum: Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre, venit ad Chriſtum*, ſcilicet ex efficaci auxilio.

Quæ verò ex D. Thoma retulimus, accepta fuiſſe ex S. Auguſtino dubitari non poteſt. Cùm eadem fuerit ſemper, & S. Anguſtini Magiſtri, & Diſcipuli ejuſque interpretis D. Thomæ ſententia. Et primò quidem conſtitutam à S. Auguſtino in eo gratiæ efficaciam, quòd conjunctum actum habeat, ſuperetque omnem voluntatis reſiſtentiam; apertè convincunt infinita propemodùm, quæ ubique paſsìm occurrunt, ex quibus hoc unum ex lib. de Corrept. & Grat. cap. 12. retuliſſe ſatis ſit. Cùm jam Adamo adjutorium ſine quo perſeverare non poterat collatum fuiſſe dixiſſet: deinde de Sanctis loquens qui etiam perſeverant. *Per hoc*, inquit, *nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus Sanctos ſuos in viribus ſuis: ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolùm dat adjutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam nō perſeverabunt, niſi & poſſint & velint; perſeverandi eis poſſibilitas, & voluntas Divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritu Sancto accēditur volūtas eorum, ut ideò poſſint quia ſic volunt; ideò ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Nā ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamē infirmitate propter elationem reprimendam perfici vitutē oportebat; ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare nō poſſent, manerent ſi vellent; nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent: quia deficientes infirmitate nec vellēt, aut non ita vellent infimitate voluntatis, ut poſſēt. Subventum eſt ergo infirmitati vlountis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideò quamvis infirma nō deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

Hactenus D. Auguſtinus: quibus ejuſmodi plurima addi poſſent, quæ nimium gratiæ tribuere, nimiumque libertatem deprimere Maſſilienſibus olim videbatur; Viris alioquin non ineruditis, ſed quos nimius libertatis amor è partibus Pelagianorum non ſatis recedere permittebat.

Sed alio prætereà ſenſu intellectam à S. Auguſtino gratiæ efficaciam, quæ vim quidem habeat efficiendi, quod præceptum eſt, vitio tamen voluntatis non efficiat; apertius eſt quàm ut dubitari poſſit, ex his, quæ retulimus ſuprà ex S. Auguſtino lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſs. cap. 17. Ubi de ea poteſtate agens, qua poſſunt homines adjuvante gratia vitare peccata; cur non vitent, non non aliunde oriri, inquit, quàm ex vitio voluntatis, quæ infirmitate in imum trahente labitur: *Cùm voluntate humana, gratia adjuante Divina ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit? poſſim facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* Quem locum retulimus ſuprà, neque iterum exſcribere neceſſe.

Et ſanè quàm ſæpè dictum eſt à S. Auguſtino poſſe homines implere quod ſibi præceptum eſt ſi velint, nolle verò premente ſarcina peccatorum, qua voluntas gratiæ ſuadenti, moventi, trahenti reluctatur majori vi pravę conſuetudinis devicta, aut voluptate allecta, quæ voluntatem emollit, languidamque efficit. Hanc luctam ſpiritus, & animæ; voluntatis, & carnis; gratiæ ac voluptatis, centies, ac centies explicuit S. Auguſtinus: quæ lucta quò gravior eſt, eò magis ſpititus, & gtatiæ moventis impetus retardatur ac debilior efficitur. Ita enim quod ab Apoſtolo dictum eſt, *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, D. Auguſtinus intelligit ſer. 43. de Verbis Domini, de Spiritus Sancti gratia, & motione, *qui*, ut inquit, *pugnat in te adversùs illud quod eſt in te*. Cui pugnanti gratiæ ac ſpiritui ita voluntas obſiſtit, ut aliquando dicat victa cupiditate, *nolo facere, cogor, compellor, vincor, facio quæ nolo facere*. Hanc luctam adeò in ſe olim ſenſiſſe fatetur lib. 10. Conf. c. 40. ut dixerit ſe conſuetudinis ſarcina ita gravari, ut minimè poſſet quod cuperet. *Hic*, inquit, *eſſe valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, utrobique miſer*. Et quidem vellet, quod poterat velle, niſi majori cupiditate *vincente ac vinciente*, ut loquitur S. Auguſtinus, voluntas in illud pertraheretur quod nollet: & tamen volebat, licèt vellet nolle; vinceret enim ipſa Divina gratia; niſi validior ac robuſtior voluntas nimium obſiſteret. Atque in ea lucta aliquid gratia efficit: commovet voluntatem, cor vulnerat, ut gemat ſaltem, & ſe cum Apoſtolo infellicem inclamet, & ſe compelli ac vinci conqueratur. Unde in eo efficacia gratiæ major vel minor conſtituta eſſe videtur ex S. Auguſtini ſententia, quòd magis, vel minus voluntatis obſtinationem ac reſiſtentiam vincat. Quod ſanè apertiſſimè deſumi poteſt ex lib. ad Simplicianum, tota ferè quæſtione 2. ubi explicans illud Matth. 20. *Multi vocati, pauci verò electi*, ſic habet: *Illi electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non cōgruebant neque contemperabantur vocationi; non electi, quia, non ſecuti, quamvis vocati*. Ubi palàm eſt poſitam à S. Auguſtino Divinæ vocationis ac gratiæ efficaciam in eo quòd contemperata ſit; non equidem eo ſenſu, quem aliqui D. Auguſtino tribuunt, ſcilicet quo vocatio, & gratia efficaciam trahat ex contemperatione ad genium: quid enim in eo eſt, quod ſolam naturam non redoleat? ſed eo ſenſu cōtemperata gratia efficax dicitur, quod vocatio ſeu Divina gratia vim equidem, & efficaciam habeat eos pertrahendi quos vocat: ſed tamē niſi voluntatis obſtinationem, ac reſiſtentiam vincat, caſſa ex parte redditur, nec effectum omnem habet, ſed in actu primo dumtaxat, & imperfectè efficax eſt, & ſolùm ſufficiens. De quo tamen vide quæ infra à nobis dicenda ſunt.

Hæc annotare placuit, ne lateant varii loquendi

di

di modi in hac graviſſima quæſtione de gratia apud S. Auguſtinum, & D. Thomam frequentes.

Verùm cùm jam uſus in Scholis obtinuerit, ut ea dicatur gratia ſufficiens, quæ licèt actum aliquem imperfectum efficiat, ad perfectiorem tamen ordinatur quem non efficit, unde, & præter eam gratiam requiritur alia major gratia, quæ actum illum perfectiorem efficiat; ea verò dicatur efficax gratia, quæ perfectiotem illum actum efficit, ad quem ſufficiens gratia diſponit, & præter quam non requiritur alia: Inde etiam illud uſui concedendum eſt, cùm juxta Philoſophum loquendum ſit cum multis: & ea gratia dumtaxat ſufficiens dicenda eſt, quæ voluntatem diſponit, & aliquem actum dumtaxat imperfectum efficit: ea verò dicenda eſt efficax gratia, quæ actum perfectum efficit. Neque hoc duplici ſenſu efficax, & ſufficiens ſumi poſſe, mirum videri debet, etſi vis ipſa nominis aliud ſignificare videretur: cùm, ut obſervat D. Thomas, 1. par. quæſt. 36. art. 1. aliud ſit interdum à quo nominis ſignificatio deſumpta eſt, & aliud ad quod ſignificandum nomen imponitur, & uſurpatur. Quamvis enim Spiritus Sancti nomen, ſi ſola vis nominis attendatur, dici poſſit de tribus Perſonis SS. Trinitatis; ex uſu tamen Eccleſiæ Catholicæ, ut inquit in reſp. ad primum, imò, & uſu Scripturæ Sacræ, ut inquit in corp. Art. accipitur, ut nomen proprium Tertiæ Perſonæ. Unde & meritò reprehenſi ſunt, qui voluerant ſufficiẽtis auxilii nomen procul à Scholis eſſe amandandum: cùm apud Theologos ſufficientis auxilii nomen pro eo auxilio uſurpetur, quod voluntati vires aliquas ſuperaddit, & ad perfectiores actus efficiendos voluntatem præparat, & diſponit.

ARTICULUS II.

Primum totius reſolutionis caput de efficaci gratia per ſe: Deum per illapſum animæ preſentem omnis perfectionis eſſe cauſam.

PRimum totius tractationis fundamentum hìc in ipſo veluti limine ſtatuimus, quo ſemel conſtituto facilis ſit cæterorum reſolutio, & explicatio; & ſperare etiam liceat, cuiquam fore compertiſſimum, ea quæ à nobis afferenda ſunt, nedum D. Thomæ principiis, ſed etiam & Fidei & rectæ rationi eſſe maximè conſentanea; veriſſimè aliter ſeſe habere non poſſe, quàm à nobis ſtatuenda ſunt.

Principio igitur in mentem revocanda ſunt, quæ initio ex S. Thoma retulimus quæſt. 3. de potentia art. 7. ubi cùm multis probaſſet, *Deum operari in omni operatione naturæ*: ſive, ut alibi, 3. cont. Gent. cap. 66. & 67. explicat, Deum eſſe cauſam operandi omnibus operantibus, nihilque agere, & dare eſſe, niſi ut agit virtute Divina, in fine hujus Articuli 7. ita ait. *Et cùm conjunxerimus his*, quæ fusè in articulo explicuit, *quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe: ſequetur quòd ipſe in quolibet operante immediatè operetur, non excluſa operatione voluntatis, & naturæ.* Quibus verbis explicat immenſitatem, Deique præſentiam in rebus conjunctam eſſe cum Divina operatione; & Deum in anima ac voluntate intimè, & per illapſum præſentem perpetuò in ipſa voluntate operari.

Atqui inde apertè convincitur, Deum in ipſa voluntate prævie operari, ipſamque voluntatem efficaciter movere, & applicare. Etenim ſi Deus per illapſum intimè ſit voluntati præſens, in eaque operetur, neceſſe eſt, ut nihil ſupponat, ſed omnia efficiat; in eo enim poſita eſt præſentia, quæ fit per illapſum, quòd ſit intra terminos naturæ; & attingat quæcumque entis rationem participant, & veluti primas, & quantumvis intimas, & remotas cujuslibet perfectionis radices.

Atqui impoſſibile eſt, quòd nihil ſupponat, ſed omnia prorſus ſua operatione attingat, & efficiat, niſi ea operatio prævia ſit, & ſua vi efficax, cùm nulla unquam efficacior intelligi poſſit: Ergo impoſſibile eſt omninò intelligere, Deum eſſe intrà ipſam voluntatem, in eaque operari, niſi ea operatio prævia ſit, & per ſeſe efficax.

Prætereà impoſſibile eſt, eam præſentiam eſſe in intimi voluntatis receſſibus, in eaque omnia efficere, ipſique perfectionem omnem conferre, niſi voluntatem ad ſuos actus applicet moveatque; quia voluntatem agere, dubio procul quædam perfectio eſt, imò omnium maxima; cùm operatio ſit cujuſque potentiæ ultima perfectio, ad quam ex inſtitutione naturæ ordinatur: Ergo ſi Deus voluntati inexiſtat per illapſum, in ea operetur, in ea omnia efficiat, ipſique omnem perfectionem conferat: etiam neceſſe eſt, quòd ipſi eam perfectionem tribuat, ſcilicet quòd operetur; ſeu neceſſe eſt, ut *ſit ipſa cauſa operandi*, ut loquitur D. Tho. 3. contra Gent. cap. 67. Atqui impoſſibile eſt, quòd Deus voluntatis inexiſtens ſit cauſa quòd voluntas agat, niſi voluntatem applicet, & moveat ad operandum; quia, ut fusè ex S. Thoma infrà probandum eſt, ideò ſolùm poteſt aliquid cauſa eſſe, quòd aliud operetur, quia ipſum movet ad operandum. Ergo ſi Deus intrà voluntatem exiſtens, cauſa eſt hujus perfectionis, quòd ſcilicèt voluntas agat, neceſſe eſt, ut eam ad operandum moveat. Vide loco citato 3. cont. Gent. cap. 67.

Prætereà: Deus intrà voluntatem exiſtens eodem planè modo operatur, ac operatur ipſa voluntas: ſcil. in eodẽ ordine, eodemque genere efficientiæ, & ad eaſdem omninò operationes. Imò & magis, & principaliùs operatur Deus, quàm operetur ipſa voluntas: quia quòd ipſa voluntas operetur, hoc ipſum habet ea ſolùm ratione, quòd Deus in ipſa operetur; quia ut diximus hoc habet præſentia per illapſum, ut nihil omninò præſuppo-

ſupponat, ſed omnia omninò conferat, & efficiat. Atque adeò voluntas non poteſt agere, niſi hoc ipſum quod agit, Deus intrà ipſam exiſtens conferat, & efficiat: Atqui evidens eſt, voluntatem in genere efficientis, cauſæ & phyſicæ, & præviæ agere, ſuamque operationem antecedere: Ergo neceſſe eſt, quòd Deus intrà ipſam voluntatem agens, in eodem genere eodemque ordine agat, ſcilicet & præviè, & phyſicè.

Unde & S. Thomas Deum intimè voluntati præſentem, ipſamque voluntatem, veluti in eodem gradu reponit: quòd ſcilicet in illo, ut ita dixerim, intimiſſimo voluntatis profundo, quò nulla creatura, neque ipſe Angelus unquam pervenire poteſt; ſolus Deus, ſolaque voluntas ſimul, & ſemel, & indiviſim veluti eorundem ſecretorum conſcii, ac ejuſdem operationis participes agant, & operentur, quatenus Deus ut prima cauſa, voluntas ut ſecunda, agunt. Deus enim ipſi per illapſum intimiùs præſens, eſt quàm ipſa ſibi intima ſit, eam manu tenet, movet, applicat, & ipſi cauſa eſt ut agat, & operetur. *Poteſt enim*, inquit S. Thomas, *intelligi voluntas immutari ab aliquo per modū cauſæ efficientis: & ſic nulla creatura poteſt .... directè agere in voluntatem, ut eā immutet neceſſariò*, id eſt directè, infallibiliter, vel *qualitercumque*, per modum ſcilicet efficientis cauſæ inclinet; *quod* tamen *Deus poteſt*: quia *mutare actum voluntatis non poteſt niſi quod operatur intra voluntatē, & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundùm fidem ſolus Deus eſt*: quæſt. 22. de Verit. artic. 9. Unde *Omnis actio voluntatis in quantùm eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate ut immediatè agente, ſed* etiam *à Deo*, ut *primo agente qui vehementiùs imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum, ita & multò ampliùs Deus*. Eadem quæſtione, art. 8.

Obſerva, & preme hæc verba verè aurea, ac in ea difficultate in qua verſamur, omninò decretoria, quibus adeò ſe perſuaſum eſſe D. Thomas ſignificat, Deum intrà voluntatem operari, eamque movere, ut dixerit, quòd ſi poteſt voluntas ſuum actum immutare, id etiam & multò *ampliùs* Deus poteſt. Diſcurre per ſingula, & veluti facem manu præferens ubique tenebras omnes diffuſa luce depelles. Poteſt voluntas ſeſe ipſam phyſicè in genere cauſæ efficientis, ac præviè movere, & determinare cùm agit: Ergo *multò ampliùs Deus* immutare, & determinare phyſicè, & præviè voluntatē poteſt. Poteſt voluntas ſeipſam illæſa propria libertate movere: Ergo & *multò ampliùs Deus* poteſt illæſa libertate voluntatem movere. Demùm nihil eſt, quod ea comparatione, & illis D. Thomæ verbis omninò reſolvi non poſſit.

Hæc S. Thomas quibus apertum eſt, adeò perſuaſum eſſe, Deum intra voluntatem operari, ut etiam dixerit, magis Deum in ipſa voluntate operari; quàm ipſamet voluntas operetur; quòd nimirum, ut prima, & principalis cauſa intrà voluntatem operetur, ipſique præſens ſit, quâ præſentia, & operatione, nulla major unquam intelligi poſſit; quæque Deo omninò eximia ſit: nec ulli omninò creaturæ convenire poſſit, etiam Angelo, qui, ut inquit D. Bernardus, adeſt quidem animæ, ſed non ineſt &c.

Quare, ut res iſta facilè explicetur, quantùm quidem intelligi poteſt; exiſtimandum eſt, Deum eſſe intimè animæ, ac voluntati præſentem, ac intrà ipſam voluntatem perpetuò operari, & Deum ipſamque voluntatem ita veluti operationem miſcere; ut nunquam voluntas movere ſe aut quidquam agere poſſit, niſi Deus voluntatem applicet, moveatque: non ſecus ac ludimagiſter pueri qui primas litteras primoſque characteres formare incipit, ipſius manum movet, regit, ac ducit; quam ſi vel momento movere prætermittat, nullam vel minimam lineam niſi pravè, & corruptè puer efficiat. A quo ſanè exemplo non longè recedit quod Proverb. c. 20. dictum eſt, *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*. Ita enim Deus intrà voluntatem intimè præſens, voluntatem movet eamque inclinat. Ideoque directè, & principaliter cauſa eſt, quòd voluntas agat, & eſt inſtar principalis agentis, quod inſtrumentum manu verſat movetque prout libuerit, eaque ratione opus quod molitur, abſolvit.

Similis fermè cogitatio eſt, ſimiliſque comparatio, ſi quis exiſtimet, Deum eſſe ipſius animæ animam potiſſimùm in ſupernaturali ordine: & erit etiam comparatio apertior, ſi quis addat, animam in genere cauſæ efficientis perpetuò in omnes potentias, ac facultates influere, quod non alienum eſt à Recentiorum ſententia, qui ſubſtantiam immediatè operativam arbitrantur: Quare ſicut nullus intellectui, voluntati, cæteriſque facultatibus ineſſe motus poteſt, quem ipſa anima perpetuo influxu non efficiat: ita exiſtimādum eſt, Deum animæ ipſius animam, intrà ipſam eodem planè modo operari ac anima reſpectu ſuarum facultatum partiumque corporis operatur; ita ut nullum nec intellectus, nec voluntas, nec facultas exequendi motum habere poſſit, quem Deus perpetuò non infundat. Nullam igitur intellectus cogitationem rectam habere unquam poteſt, niſi Deus animæ, & ipſius intellectus anima, eam cogitationem imprimat: quia *Non ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Nulla voluntatis pia credēdi affectio, nullus erga Deum, & res Divinas motus ineſſe poteſt, niſi Deus animæ, ac voluntatis anima motum illum inſpiret ac efficiat; quia Deus eſt, qui *operatur in nobis velle*: Demùm nulla exequendi facultas operationem rectam efficere unquam poteſt, niſi Deus animæ, & ipſius executricis facultatis anima, ad eam operationem moveat, & impellat; ut ſicut anima ſuo modo, vel per modum radicis, vel immediata operatione ſpiritus omnes undequaque diffundit, qui operationibus efficiendi deſerviunt: ita Deus ipſius animæ anima, *ſubminiſtratione ſpiritus* ad omnia moveat, ad omnia impellat, omniaque omninò efficiat.

Nec ſanè aliam cogitationem habere permittunt ea, quæ ex D. Paulo aliàs retulimus, & quibus Divinam immenſitatem, & intimam in rebus omnibus, ac potiſſimùm in ipſis animis mente, & voluntate præditis, de quibus major eſſe difficultas poterat, cùm Divina operatione conjunctam eſſe explicuimus. *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*: non ſecus ac in ſinu matris fœtus quem mater ſinu complectitur, cui vitam, motumque omnem perpetuò infundit. Nec iterum diſſimile illud eſt, quod inquit idem Apoſtolus ad Rom. eſt. *Quoniam ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: Omnia omninò quæcumque rationem entis quocumque modo participant: cùm Deus ſit rerum omnium veluti fulcrum, centrum, ac fundamentum, ac perpetuò omnia ſuſtineat, *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ*, & ex illo fonte perpetuò omnia fluant: qui influxus ſi vel momento interciperetur, omnia momento interirent, & ut inquit Boëtius lib. 4. Metro 6. Diſſepta ſuo fonte fatiſcerent.

Atque hæc ex SS. Patribus penè in infinitum diffundi poſſent: nihil enim frequentiùs inculcant, quàm Divinam illam immenſitatem cum operatione conjunctam. At illud huic difficultati explicandæ aptiſſimum eſt, quod habet S. Auguſtinus, aut quiſquis illius libri Author eſt, de cognitione veræ vitæ cap. 25. tomo 9. *Totus hic Mundus inſtar breviſſimi puncti intra Deum collocatur: ſereniſſima autem lux majeſtatis ejus extra undique verſum in immenſum diffunditur. Deus quippè univerſa ſuprà, & infrà, interiùs, & exteriùs, & in circuitu eſſentialiter replet.*

Et verò ita eſt: totum Univerſum quâ latè patet eſt inſtar exigui puncti, quod intra vaſtiſſimum Divinæ immenſitatis ſinum continetur, quod omni ex parte ambit, & complectitur, *Sursùm regens, deorsùm continens, extrà circumdans, interiùs penetrans*: ex S. Greg. l. 2. in Job. c. 12. quæ omnium Patrum ſententia fuit, immenſitatem ex Divina ipſa operatione oriri, & in ea fundari: quâ ſententiâ ſemel conſtitutâ, non admodùm difficile eſt, Deum voluntati inexiſtentem, eam & phyſicè, ac prævie, & movere, & applicare, & immutare poſſe.

Sed deinde multò major, & familiarior eſt Dei præſentia in anima per infuſionem gratiæ: quæ ſanè præſentia, ut explicat D. Th. 1. par. quæſt. 43. art. 3. non in ſola donorum participatione repoſita eſt, ſed in ipſa etiam veriſſima Divinitatis præſentia, adeò ut *Non ſolùm liberè anima ipſo dono creato utatur: ſed etiam ut ipſa Divina Perſona fruatur*. Atque hoc ſenſu intelligitur, quod Joan. 14. à Chriſto Domino dictum eſt: *Apud eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: quo quidem *manſionis* nomine *familiaritas* quædam *per fruitionem* amoris ſignificatur, ut explicat S. Thomas in 1. ad Annib. quæſt. 1. art. 2. Sed aliis verbis mutuum fœdus, & reciprocum quoddam operationum commerciũ intelligitur, quo peragitur ope Divinæ gratiæ totius ſalutis negotium. Ut enim ibid. in Joan. lect. 6. annotat S. Thomas, *Tribus modis Deus venit ad nos, & nos imus ad ipſum*, quos ex D. Auguſtino tract. 76. in Joan. refert S. Thomas, etſi paululùm immutato ordine. *Primò* quidem, inquit, Deus *venit ad nos, implendo ſuis effectibus*, & gratia donis: *& nos imus ad Deum, accipiendo* ea dona, quibus diſponimur, juſtificamur, & operamur. *Secundò*: *Deus venit ad nos, illuminãdo; & nos imus ad eum, conſiderando*: in quo poſita eſt rectæ operationis directio, & origo libertatis. Sed *Tertiò*: *Deus venit ad nos, adjuvando, & nos ad eum, obediendo*: quæ partes ſunt voluntatis; hanc enim Divina gratia movet, jacentẽ erigit, & erectam, ut operetur adjuvat: voluntas verò Divinæ gratiæ obtemperat, & obſequitur, ut veriſſimè tota laus voluntatis in eo poſita ſit quòd moventi Deo obediat. Neque enim unquam Divina operatio antevertit aut ultra progreditur, quàm impellatur; ut veriſſimè quandiù agit, dicere debeat, *hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus*, & ut dicit D. Hieron. epiſt. 66. ad Cteſiphontem; *Velle, & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine auxilio Dei non erit meum*.

Verùm apertior comparatio, & opportunior eſſe videtur, quâ ipſius animæ anima Deus eſſe dicitur, quâ vivit, quâ movetur, quâ agit. *Putas*, inquit S. Aug. ſer. 18. de verbis Apoſtoli, circa medium, *nõ eſt aliqua vita, quâ vivit ipſa anima tua? Eſt enim anima tua vita quædam quâ vivit caro tua: Putas nulla alia vita eſt, quâ vivit ipſa anima tua? aut quomodo habet caro tua vitã animã quâ vivit caro tua, ſit & ipſa anima tua, ut habeat aliquam vitam ſuã: & quomodò caro cùm moritur, expirat animam vitam ſuam; ſic & anima quando moritur, expirat aliquam vitã ſuam.... Breviter ergo dicã, & quid multis teneor: vita corporis anima eſt, vita animæ Deus eſt*. Idem repetit infrà ſermone 30. circa medium. *Vita corporis anima eſt, vita animæ Deus eſt. Moritur corpus, cùm recedit anima; moritur ergo anima, ſi recedit Deus.*

Unde illud præclariſſimè dictum, *Oportet ſicut ſuper conclamatum mortuum; ita ſuper extinctam animam magnos dari planctus*. Ubi conclamatus dicitur mortuus ex Veterũ more, qui mortuis extinctiſque hominibus, magna quâ poterant, & elata voce eorum nomina inclamabant, nè fortè ſyncope aliqua correpti pro mortuis haberentur, ſed ſi quid reſidui ſpiritus eſſet; illo clamore excitaretur.

Atq; hæc omnia veriſſimè dicta ſunt, & ex certiſſimis Theologiæ Fideique principiis, quæ, ut dixi, Deum rebus omnibus intimè præſentem docet: quæ præſentia, cum ipſa Divina operatione conjuncta eſt. Vide quæ diximus Diſs. 1. quibus ejuſmodi plurima addere promptiſſimum eſſet. Vide etiam S. Thomam opuſ. 61. de dilectione Dei c. 20. ubi comparationem Dei, & animæ fusè, & ſatis longa meditatione proſequitur. *O anima*, inquit, *qualis es ad corpus tuum, talis quodammodò eſt ad te Deus tuus*.

Hæc pro totius controverſiæ reſolutione in ipſo limine explicare libuit, quæ ſi ſemel rectè obſervata, & animadverſa fuerint, nulla fermè ſupe-

ſupererit in toto controverſiæ decurſu difficultas, quam ea comparatio animæ non amoveat, aut quæ ex ea intima Dei præſentia, & operatione intra ipſam voluntatem facilè reſolvi non poſſit. Si enim voluntas ſeipſam, ſalva illæſaque libertate, movere poſſit; ſi anima in voluntatem influat, eoque influxu voluntatem moveat, nec tamen libertatis vel minimùm jura violet, ac lædat; cur non voluntatem Deus moveat etiam intemerata libertate, cùm ipſe Deus intimior ſit voluntati, quàm ipſa ſibi intima ſit: & hoc ipſum quòd anima voluntatem ſuam moveat ipſique influat, non aliunde quàm ab ipſo Deo habeat, qui & voluntatem, & animam perpetuò manu tenet, & quidquid, perfectionis ineſſe poteſt, perpetuò ipſis infundit?

Alia certè D. Thomæ ſententia erat qui Divinam operationem ex ipſa voluntatis operatione demonſtrat: quia, *Si poteſt*, inquit, *voluntas immutare actum ſuum in aliud, multò ampliùs Deus* immutare poteſt: cùm prima cauſa ſit, à qua voluntas cauſa ſecunda habet, ut ſuum actum immutare poſſit; & parùm dignitatem primæ & infinitæ cauſæ deceat, non poſſe in eodem ordine, eodemque agendi genere, quod cauſa ſecunda poteſt.

ARTICULUS III.

Deum eſſe primam, prævium, & phyſicã cauſam omnis perfectionis, neceſſitatis, contingentiæ, & libertatis.

SAtis videretur eſſe ſuperior probatio cum his exemplis quæ adjunximus, ut etiam in ordine ſupernaturali, prævia motione, ſeu efficaci grati, amoveri voluntatem, & quidem etiam illæſa libertate, demonſtraretur: ſed adjungenda eſt hæc etiam probatio, quæ neceſſaria maximè eſt ad refellendam eam ſententiam, quæ non alium quàm indifferentem concurſum admitti, etiam ut à Deo confertur, & deſcendit; quique in cauſis ita in varios uſus convertatur, ut ille idem concurſus in cauſa neceſſaria neceſſarius fiat, in cauſa contingente contingens, & deficere poſſit, eoque cauſa libera liberè utatur, eumque pro arbitrio applicet; neque ipſe concurſus Divinus ſeu etiam ipſe Deus cauſas movens illo concurſu aut motione, ſeu, ut loquitur S. Thomas, influentia, cauſa ſit directa, & immediata, cur cauſa inferior neceſſaria effectus neceſſarios, contingens contingentes, libera liberos efficiat; ſicut nec quòd contingens cauſa hujus determinatæ ſpeciei effectus producat. Id enim exiſtimant oriri ſolùm directè, & immediatè ex ſola conditione cauſæ particularis, quæ concurſum generalem communem, & indifferentem ita temperat, fovet, modificat, inflectit; ut ſi ipſa cauſa ſecunda neceſſaria ſit, concurſus effectus neceſſarios producat; ſi contingens, & hujus determinatæ ſpeciei, etiam ſimiles, & determinatæ ſpeciei effectus producat; demùm ſi libera ſit, etiam liberos vel hujus vel alterius ſpeciei, vel amoris, vel odii, vel alterius cujuſcumque actus eliciat: ita ut ſi quamlibet effectus rationem in propriam cauſam ex Recentiorum ſententia referre libeat; quod in communi, & veluti ſecundùm communem effectus rationem, effectus producatur, in concurſum Divinum, ſeu motio Divina, ſeu influxus vocetur, referendum eſt: quòd verò hujus ſpeciei effectus producatur, jam alteram cauſam habet immediatam, & directam, ſcilicet cauſam ipſam ſecundam, quæ, cùm ſit talis determinatæ ſpeciei, florem, roſam v.g. potiùs quàm violam producit: quòd verò demùm talem in particulari effectum producat; ex ipſis ſingularibus circumſtantiis effici arbitrantur; unde oriri ſolet, unum individuum produci potiùs quàm aliud.

Atque id pluribus exemplis explicari ſolet, potiſſimùm comparatione influxus corporis cæleſtis, & Solis. Apertum enim eſt ex vario genio, & indole ſeu cauſarum quibus recipitur, ſeu ipſius terræ, cui ſemina mandantur, varios fructus produci. Ideò enim in agris colendis prima cura eſſe debet patrios cultus habitusque locorum, *& quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet*, diligenter explorare. Siquidem interdum,

Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ. Georg. lib. 1. quòd varia ſit indoles humi quæ ſemen fovet, ac temperat.

Sicut etiam altero exemplo quidam, inquiunt, videri poteſt. Cùm v.g. lux per feneſtram, & vitrum coloratum immittitur: quod enim aër illuminatus ſit, ex luce oritur: quòd verò coloris viridis, vel rubei lux ipſa perfuſa videatur, id planè ex colore quo vitrum infectum eſt trahit.

Ita inquit, quòd cauſa effectum aliquem producat, habet quidem ex primæ cauſæ influxu communi, quem etiam motionem vocari quidam non renuunt, ut ſaltem cum S. Thomæ ſententia in loquendi modo terminiſque convenire videantur: ſed quòd hujus vel hujus determinatæ ſpeciei effectus producatur, viola potiùs quàm roſa, non aliundè inquiunt, quàm ex planta oriri poteſt.

Idem etiam in ordine, & morali, & ſupernaturali dicendum arbitrantur. Dari enim communem aliquem concurſum, imò & prævenientem gratiam negare Fides non permittit. Sed ut facilè cum libertate jungi poſſit, inquiunt, concurſum ſolùm communem eſſe, & indifferentem, quem voluntas humana temperat, modificat, determinat, ut hunc potiùs quàm alium pro ſuo arbitrio actum producat.

Hæc fermè ſumma opinionis Recentiorum, quam etiam tenuiſſe Veteres quoſdam videri poteſt, de quibus inquit Sanctus Auguſtinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. quòd rerum omnia effecta in ſolas cauſas proximas retulerint. *Licuit*, inquit, *Philoſophis etiam cauſis aliis ea tribuere, veris, ſed*

proximis, cùm omninò videre non possent superiorē omnibus causam, scilicet voluntatem Dei. Inde enim reipsà variarum opinionum causam esse dixerim, nedum Philosophorum, sed & Theologorum : quòd equidem in veras interdum causas, sed proximas solùm, seu contingentiam rerum, seu libertatem humanorum actuum, seu quamcumque aliam voluntatis potissimam perfectionem, non in supernam omnium causam Divinam voluntatem, & Divinæ voluntatis efficaciam, retulerint. Quam opinionem longo discursu Sanctus Augustinus refellit, quem tandem his verbis toties à S. Thoma usurpatis concludit: quòd *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, & motionum*, omniumque omninò perfectionum. Atque eo principio priùs usi sunt illi Veteres, qui fortunæ omnia committebant, aut cujusque virtuti, & labori. Quo sensu suum illum Jovem licet fulmine armatum, ita loquentē inducebant: *Sua cuique exorsa laborem, fortunamque ferent; Rex Jupiter omnibus idem.* Virg. 10. Scilicet pugnantes invicem, & prælia dura miscentes spectabat quidem cujusque virtutis arbiter, & pugnæ exitum expectabat; sed nulli ferebat opem, sed cujusque, suo labori ac virtuti, salutem committebat.

Verùm hoc Veterum principium adversamque Recentiorum sententiam vera S. Thomæ sententia impugnare animus est &, planè demonstrare, Recentiorum sententiam, non solùm D. Thomæ principiis, sed etiam apertissimus ipsius verbis directè, & recta fronte adversari.

Quare oppositum demonstrandum est, scilicet Divinum concursum, ut à Deo descendit, non indeterminatum, non indifferentem esse, sed è contrà causam quamlibet determinare, suaque vi efficacissima efficere, ut inferior causa necessaria, effectus necessarios producat, contingens contingentes, libera liberos : nec solùm causam esse directè, & immediatè, quòd causa contingens effectum quomodocumque, & sub communi effectûs ratione producat; sed etiam causam esse directè, & immediatè, quòd effectus etiam, ut contingentes producat; adeò ut etiam ipsam contingentiam in effectu producat: nec solùm causam esse quòd causa libera actus quomodocumque eliciat; sed etiam in singulari causam esse quòd voluntas actus liberos, ut liberi sunt, eliciat; ita ut sua ipsa vi ipsam libertatem efficiat. Quod sanè etiam quantùm ad variam speciem actus multò potiori ratione dicendum est. Quòd enim indifferentem concursum esse Recentiores induxerint; non alio fine, aliaque ratione factum est, quàm ut cōtingentia effectus, & libertas illæsa servaretur. Quare si probatum fuerit, Divinum concursum sua ipsa vi efficacissima directè, & immediatè efficere, ut voluntas actus liberos, ut liberi sunt producat ipsamque libertatem sua ipsa vi efficiat : nullum in rebus cæteris, consentientibus omnibus utriusque partis Authoribus, dubium supererit. Ut verò omnia ad subjectam quæstionem de qua agimus, de Divina scilicet motione, & concursu in ordine supernaturali, ad solitam argumenti formam reducantur.

Probatur : & sic Argumentum proponi potest. Non potest non esse efficax in ordine supernaturali concursus, seu efficax motio & gratia, si hic concursus ut à Deo descendit, & ad quemlibet actum terminatur, indifferens non sit, sed determinet voluntatem ad certum, & determinatum actum in specie, & individuo : Atqui ita est : Ergo in ordine supernaturali gratia est efficax.

De Majori difficultas nulla esse potest. Ea est enim eorum qui motiones prævias negant, sententia, Divino concursu non applicari, ac determinari voluntatem, sed econtrà à voluntate concursum determinari ad hunc vel alium actum seu ejusdem seu diversæ speciei producendum ut explicuimus.

Minor probatur altiori adhuc, & communiori principio. Concursus Divinus, quo Deus causas movet, non determinatur ex ipsis causis secundis, neque seipso ita indifferens est, ut à causa particulari determinetur, & v. g. à causa necessaria tanquam à prima radice oriatur, quòd effectus sit necessarius; à causa contingente, quòd sit contingens; à causa libera, quòd sit liber : sed econtrà Divinus concursus ità causas determinat, ut sua ipsa vi causam necessariam ad effectus determinatè necessarios moveat, & ipsam necessitatem effectus efficiat : causam contingentem ad effectus contingentes determinatè, & immediatè moveat, ipsamque effectuum contingentiam efficiat : ac demùm causas liberas, scilicet voluntatem immediatè, ac directè moveat ad effectus liberos producendos; ita ut ipsam libertatem efficiat, neque libertas in actu immediatè tanquam à prima radice oriatur ab ipsa voluntate creata, sed econtrà oriatur à voluntate Divina. Ergo idem etiam in ordine supernaturali asserendum. Divina motio, seu gratia nulla ratione secundùm se indifferens esse potest, ita ut eam voluntas determinet applicetque ad illum, vel illum actum : sed econtrà ipsa gratia voluntatem ad talem in specie, & individuo actum determinet.

Antecedens in quo totius difficultatis cardo volvitur, ex S. Thomæ non tam principiis quàm expressimis verbis, & argumentis probatur. Etenim 1. par. quæst. 19. de voluntate Dei artic. 8. Utrùm volūtas Divina *imponat necessitatē rebus*? Radicem hanc profundam inquirit, unde oriatur, quòd ipsa Divina voluntas licèt efficacissima sit, & cui nihil omninò resistere possit, non ideò tamen necessitatem imponat? Unde oriatur & necessitas, & contingentia rerum? Quæ sit prima utriusque radix? Atque ita habet, neque enim vel unicum verbum prætermittere in animo est.

Observari tamen velim, quòd me etiam silente satis Lector intelliget, sub ipsa rerum contingentia libertatem etiam comprehendi. Sic igitur loquitur, & discurrit S. Thomas.

Respondeo: dicendum, quòd Divina voluntas quibusdam

buſdam neceſſitatem imponit, non autem omnibus. Quærenda igitur cauſa, cur quibuſdam neceſſitas impoſita ſit, aliiſque relicta contingentia, & libertas: ita verò proſequitur. *Cujus quidem rationem aliqui aſſignare voluerunt ex cauſis mediis, quia ea quæ producit* Divina voluntas *per cauſas neceſſarias, ſunt neceſſaria, ea verò quæ producit per cauſas contingentes, ſunt contingentia.* Hęc Veterum quorundam ſententia, quæ à Recentioribus excitata eſſe videtur, à quibus non niſi indifferens concurſus agnoſci tur, qui in contingentibus cauſis contingens ſit, neceſſarius aut liber in neceſſariis, & liberis. Exiſtimant enim, eum concurſum determinari, & modificari ab ipſis cauſis ſecundis: ideòque tanquam à cauſa, & radice prima oriri, quòd effectus contingens ſit, quòd cauſam contingentem habeat, ideò neceſſarius quia cauſam habet neceſſariam. Unde dubitari non poteſt, quin hanc eandem ſententiam quam Recentiores amplexi ſunt, referat S. Thomas.

Verùm hanc rationem impugnat S. Thomas duplici ratione. *Sed hoc,* inquit, *non videtur ſufficienter dictũ propter duo. Primò quidem, quia effectus alicujus cauſæ primæ eſt contingens propter cauſam ſecundã, ex eo quòd impeditur effectus cauſæ primæ per defectum cauſæ ſecundæ. ſicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autẽ defectus cauſæ ſecũdæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuũ producat. Secundò, quia ſi diſtinctio cõtingentis à neceſſario referatur, ſolùm in cauſas ſecundas, ſequitur, hoc eſſe præter intentionem, & voluntatẽ Divinam, quod eſt inconveniens.*

Hæc S. Thomæ duplex ratio, quâ contingentiam effectuum in conditionem cauſæ tãquam in primam radicem revocari non poſſe contendit. Et quidem prima ratio apertiſſima eſt. Familiari enim exemplo conſtat, ideò effectum Solis qui in ſuo genere quædam prima cauſa eſt mutationum omnium ſublunarium, putà floritionis plantæ quæ Solis virtute, & calore fovetur; ideò inquam eam floritionem contingentem eſſe, quia impediri poteſt ex defectu ipſius plantæ, quæ indifferentem Solis influxum ſuo modo, & juxta propriam capacitatem, & conditionem recipit. Unde licèt influxus Solis neceſſarius ſit aut eſſe poſſit, ac ſemper idem; ita tamen in planta recipitur, ac determinatur, ut etiam impediri poſſit. Igitur ſi ex cauſis ſecundis ſolùm contingentia oriretur, & non ex ipſa cauſa prima, etiam poſſet à cauſa ſecunda effectus primæ cauſæ impediri: Atqui impediri poſſe, nè voluntas Divina ſuum effectum producat, quem vult reipsà produci, nec dici, nec ferri poſſe exiſtimat S. Thomas: ac meritò, cùm id Divinæ potentiæ repugnet: Ergo nec dici poteſt, contingentiam oriri ex cauſis ſecundis, ſed magis ad ipſam primam cauſam, & voluntatem Divinam ea contingentia referenda eſt, quæ ſua ipſa vi, & efficacia, ipſius contingentiam efficit, & ita cauſas contingentes movet, ut non niſi effectus contingenter producant.

Altera D. Thomæ ratio non minùs evidens eſt, ſcilicet præter Divinæ voluntatis intentionem fore quòd effectus vel neceſſarius, vel contingens oriretur, ſi ad ſolas cauſas medias effectuum contingentia, vel neceſſitas revocanda eſſet: non enim alium concurſum niſi indifferentem conferret: atque in eo omninò ipſius intentio ſiſteret ac compleretur. Quòd verò ex cauſis effectus vel contingens, vel neceſſarius oriretur, perindè eſſet: neque enim ejuſmodi concurſus, vi ſua ad ipſam contingentiam, aut neceſſitatem efficiendam tenderet ac ferretur.

Unde etiam non alius quàm per accidens eſſet ordo inter effectus cauſarnm contingentium, aut voluntatis cauſæ liberæ, & ipſam Divinam voluntatem, ſi concurſus eſſet indifferens, neque vi ſua, & ut à Deo deſcendit, tenderet ad effectus contingentes, & liberos, ut contingentes, & liberi ſunt, ſed ſiſteret v. g. in ipſa voluntate, ut deinde à voluntate inchoaretur effectus, ut liber eſt. Atque ita etiam animadvertit D. Thomas Commentario in Librum de cauſis, quem Sanctus Doctor 11. Proclo Platonico tribuit. Ibi enim lect. 1. cùm eã propoſitionẽ explicat: *Prima cauſa plus influit in effectum quàm ſecunda.* Obſervat, eam propoſitionẽ in cauſis quidem per ſe ſubordinatis obtinere, minimè verò in his, quæ nullum in agendo ordinem ſervant, ſed per accidens alteram ſuperiorem ſupponunt. *Invenimus,* inquit, *cauſas ordinari dupliciter, uno modo per ſe, alio modo per accidens. Per ſe quidem intentio primæ cauſæ reſpicit uſque ad ultimum effectum per omnes cauſas medias. Sicut ars fabri movet manum, manus martellum, qui ferrum percuſſum extendit, ad quod fertur intentio artis. Per accidens autem, quando intentio cauſæ non procedit niſi ad proximum effectum: quòd autem ab illo effectu efficiatur iterùm aliud, eſt præter ordinem primi efficientis. Sicut cùm aliquis accendit candelam, præter intentionem ejus eſt, quòd iterùm accenſa candela accendat aliam, & illa aliam.* Hæc ibi.

Ex quibus intelligi poteſt, hæc tria invicem conjuncta eſſe; 1. Cauſas eſſe per ſe ſubordinatas inter ſe ſub una prima, quæ cæteras movet: 2. Effectus omnium cauſarum mediarum, quas prima ordine quodam movet, fieri ex intentione primi agentis. Ac 3. Ipſam virtutem, quâ cauſa prima cæteras movet, ſeu ipſum concurſum qui ipſam, ut ita dixerim, primæ cauſæ intentionem defert, non eſſe concurſum vagum, & indifferentem, ſed determinatum ex ipſa primæ cauſæ intentione quam defert, & executioni mandat.

Atque id omninò perſpicuum eſt exemplo artis, & artificis qui inſtrumenta movet. Quis enim dixerit v. g. motum ab artifice impreſſum manui, & media manu impreſſum penicillo eſſe vagum, ſuſpenſum, & indifferentem? Quid enim fieret, aut à quo determinaretur? Habet in animo Pictor Imaginem pingere: ex ea intentione artificioſo quodam modo manum admovet, manuique conjuncto inſtrumento motum imprimit: media manu penicillum inſtrumentum ſeparatum ducit, ac determinatum motum ad Imagi-

nem

nem conficiendam imprimit; atque hic motus ipsam veluti artificis intentionem defert, & est ipsa veluti intentio, & *virtus artis*, ut loquitur D. Thomas: ergo, ut hoc exemplo manifestum est, hæc tria conjuncta sunt, causas esse subordinatas sub prima: earum omnium effectus esse ex intentione primæ causæ: ac motum seu concursum esse determinatum ad quodlibet imaginis pingendæ lineamentum efformandum.

Contra verò altero exemplo quod affert S. Thomas etiam manifestum est, hæc etiam tria invicem conjuncta esse; 1. causas nullum inter se se ordinem servare, & per accidens alias supponere: 2. effectus cujusque causæ per accidens, & præter intentionem aliarum oriri: ac 3. demùm, concursum, seu motionem superioris esse indeterminatum. Etenim cùm plures faces nullo habito ordine ex una prima accenduntur, per accidens est, & præter intentionem illius qui primam facem accendit, quòd aliæ accendantur. Nec demùm si quis possit fingi concursus primæ facis accensæ, aut veriùs illius actio, quâ potest alias accendere, omninò indifferens est, ut aliæ vel non accendantur, vel accendantur.

Atque ex his evidens est D. Thomæ ratio, quam paucissimis verbis 1. par. quæst. 19. expressit, quòd *si distinctio contingentium à necessariis referatur solùm in causas secundas, sequitur, hoc esse præter intentionem, & voluntatem Divinam.* Quam rationem sæpiùs aliàs versat D. Thomas lib. 3. cont. Gent. & opusc. 14. de Angelis, de qua iterùm aliqua dicenda supersunt.

Rejecta igitur ea sententia, suam S. Thomas adversamque statuit; scilicet primam contingentiæ, ac libertatis rerum causam esse Divinam voluntatem, quæ per se efficit hanc in rebus distinctionem, quæque efficit sua ipsius motionis efficacia, ut causæ contingentes contingenter agant, necessariæ necessariò, liberæ liberrimè. Unde in Divinam voluntatem referendam esse contendit necessitatem, contingentiam ac libertatem omnium effectuum. Cur verò hanc in rebus distinctionem effecerit? causa est bonum, & ordo Universi quem constituere voluit, ut infra dicemus: & quem ut servet, necesse est inter causas inæqualitatem esse, ac diversos gradus. Atque ideò varias causas produxit, alias contingentes, alias necessarias, alias liberas, quas deinde non ideò veluti casui, & sorti committit, sed eas consentaneè ad earum naturam regit, movetque infinita suæ virtutis efficacia, ita ut causa sit, quòd aliæ contingenter, aliæ liberè suos effectus producant, & in iis vel contingentiam, vel libertatem, vel necessitatem efficiat.

Quare ita prosequitur S. Thomas. *Et ideò melius dicendum est, quòd hoc contingit propter efficaciam Divinæ voluntatis. Cùm enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantùm secundùm id quod fit, sed etiam secundùm modum fiendi vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activæ in semine cõtingit, quòd filius nascitur dissimilis patri in accidentibus quæ pertinent ad modum essendi. Cùm igitur voluntas Divina sit efficacissima, non solùm sequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult, vult autẽ quedã fieri Deus necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum Universi. Et ideò quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes: sed propterea quia Deus voluit, eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.* Hactenus S. Thomas.

En verissimam rerum omnium, & distinctionis graduum, omnisque perfectionis primam causam, & cur aliæ causæ necessariò, aliæ liberè agant, propter scilicet *efficaciam Divinæ voluntatis*. Et sanè quid apertius? quòd cùm aliqua *causa efficax est, effectus sequitur, non tantùm secundùm id quod fit*, & solam ac nudam naturam, sed etiam *secundùm modum fiendi*, omnemque alium modum, quisquis ille fuerit, qui naturæ adjungitur. Unde enim oritur, quòd Filius interdùm nascatur dissimilis Patri quantùm ad accidentia, seu robur, seu valetudinem, seu alia; nisi *ex debilitate virtutis activæ*, quę concursum indifferentem, & veluti in incertum confert, aut projicit; ut pro varia dispositione materiæ varia sit in accidentibus similitudo? neque ea omnia accidentia robur, valetudinem, magnitudinem, aliaque efficere potest. Ergo, *cùm* è contra *Divina voluntas efficacissima sit, non solùm sequitur, quòd fiant* quomodocumque *ea quæ Deus vult fieri, sed & quòd eo modo fiant quo Deus ea vult fieri*. Ita ut ipsa Divina voluntas suæ virtutis efficacia sic causas omnes moveat, ut efficiat etiam quòd causæ contingentes contingenter, liberæ etiam liberrimè agant. Atque in eo posita est summa illa, & invincibilis Divinæ virtutis efficacia, ut efficiat, causas omnes vel contingenter vel liberè operari, ut statim expendemus, ex ipsis solutionibus Argumentorum. Nè quid enim desit ad hujus verè aurei Articuli explicationem, & verissimam S. Thomæ sententiam intelligendam, etiam & ipsa argumenta quæ sibi objicit, & solutiones, quas iis diluendis adhibet reponere libet. Igitur in hoc art. 8. cui titulus: Utrùm voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat? Tria sibi objicit.

Primò: Videtur, quòd voluntas Dei rebus volitis necessitatem imponat; dicit enim Augustinus in Enchiridion (cap. 103.) *Nullus fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvari; & ideò rogandus est ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit.*

Secundò: Prætereà omnis causa quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit, quia & natura semper idem operatur, nisi aliquid impediat, ut dicitur in 2. physic. sed voluntas Dei nõ potest impediri, dicit enim Apostolus ad Rom. 9. Voluntati enim ejus quis resistit? Ergo voluntas

Dei

Dei imponit rebus volitis neceſſitatem.

Tertiò: Præterea illud quod habet neceſſitatem ex priori eſt neceſſarium abſolutè, ſicut animal mori eſt neceſſarium, quia eſt ex contrariis compoſitum: Sed res à Deo comparantur ad voluntatem Divinam ſicut ad aliquid prius, à quo habent neceſſitatem, cùm hæc conditionalis ſit vera: ſi aliquid Deus vult, illud eſt: omnis autem conditionalis vera eſt neceſſaria. Sequitur ergo quòd omne quod Deus vult, ſit neceſſarium abſolutè. Hactenus S. Thomas.

In quibus omnibus Argumentis obſervari velim, non agi hic ſolùm de Divina voluntate veluti à quocumque concurſu ſejuncta, quæ ſcilicet impediri quidem ipſa non poſſit, ſed tamen concurſum ſolùm indifferentem tribuat, quique impediri poſſit: licèt tamen eum vel ex præſcientia futuri eventus ita dirigat, vel ex concurſu aliarum cauſarum ita muniat, ut effectus vel contingens vel liber infallibiliter conſequatur; nullum enim vel unicum veſtigium hujus diſtinctionis in toto hoc S. Thomæ Articulo reperire eſt. Sed omnia non ad Divinam præſcientiam, non ad ordinationem Divinæ ſapientiæ, ſed ad efficaciam Divinæ virtutis D. Thomas reducit. Quamvis enim hæc diſpoſitio, & varius aliarum cauſarum concurſus quibus unius cauſæ effectus munitur, etiam hìc locum habere poſſit, & etiam dubio procul habeat: pertinet tamen ad Divinæ providentiæ, & ſapientiæ diſpoſitionem, quòd ita diverſas cauſas ordinet ac conjungat, ut effectus unius cauſæ oriatur: ſed tamen non ea ratio aut ſola, aut præcipua eſt, infallibilitatis effectus: hæc cauſarum diſpoſitio ad Divinam ſapientiam, non ad virtutem, & efficaciam Divinæ voluntatis referenda eſt, ut expreſsè S. Thomas obſervavit alibi referendus. Sed præterea ex ipſa efficacia Divinæ virtutis oritur, ut licèt ipſa immutabilis & invincibilis, efficiat tamen immediatè ſuaque illa virtute efficaciſſima, & immutabili, ut cauſæ contingentes contingenter effectus producant; ſicut ipſamet, licèt ſit ens immutabile omnibuſque modis neceſſarium, cauſas tamen contingentes liberaſque produxit. Nec ſanè difficilius eſt, quòd efficaciſſima, & immutabili ſua virtute cauſas contingentes liberaſque ut contingenter, & liberè agant, moveat, & eorum contingentiam, & libertatem efficiat; quàm quòd cauſas, & contingentes, & liberas ipſa Divina voluntas ſummum ens immutabile, & neceſſarium produxerit, aut ipſa immota ſtabiliſque det cuncta moveri.

Reſpondet igitur S. Thomas. *Ad primum ergo dicendum, quòd per illud verbum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis à Deo, non abſoluta, ſed conditionalis. Neceſſe eſt enim, hanc conditionalem veram eſſe, ſi Deus hoc vult, neceſſe hoc eſſe.*

Hanc duplicem neceſſitatem ſupra ejuſdē quæſtionis art. 3. explicuit. Abſoluta eſt, quando conſequens neceſſarium eſt in ſeſe, ut hominem mortalem eſſe; conditionata eſt, quando conſequens in ſe ſe liberum eſt, vel contingens; facta tamen ſuppoſitione infallibiliter ſequitur, ut v.g. ſi ſortes ſedeat, ſortem ſedere neceſſe eſt. Quę verò ex Divina voluntate neceſſitas oritur, ea ſolùm ex ſuppoſitione eſt, liber enim effectus in ſe, ex Divinæ virtutis efficacia infallibiliter oritur.

Ad ſecundum Reſpondet: *Dicendum, quòd ex hoc ipſo quòd nihil voluntati Divinæ reſiſtit, ſequitur quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quòd fiant contingenter, vel neceſſariò quæ ſic fieri vult.*

Brevis ſanè, ſed profundiſſima Reſponſio: non poteſt equidem Divina voluntas impediri; ſed non ideò effectus quem producit neceſſarius eſt. Quinimò ea vel maximè ratione liber eſt, quia propter infinitam virtutem quâ movet, ita movet, ut cauſa vel contingenter vel liberè agat; ipſa enim Divina motio, prout ſecum primæ cauſæ, & infinitæ virtutem, & efficaciam involvit, ſicut motio artificis, & ipſius artis virtus, ita cauſam liberam movet, ut eam ad liberè agendum adjuvet. Cur enim, ut jam diximus, Deus qui omninò neceſſariam cauſam, liberam, & contingentem producere potuit, etiam ſuæ virtutis efficacia cauſam liberam, ut liberè agat juvare non poſſit?

Atque illud ſimillimum eſt, quod inquit Sanctus Thom. q. 1. de Malo ad 3. quòd *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis quæ deficere non poteſt*: quamvis tamē *propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia Divina infallibiliter operatur, & tamen à cauſis cōtingentibus proveniunt effectus contingenter, inquantùm Deus omnia movet proportionabiliter unūquodq; ſecundùm ſuū modum.* Ita enim animo concipiendum eſt, quòd Deus infinita ſua vi producit cauſas neceſſarias, cauſas contingētes, & cauſas liberas: deinde ſua ipſa vi infinita movet neceſſarias, ut neceſſariò agant, ipſamque neceſſitatem efficit: movet contingentes, ut contingenter agant, & ipſam contingentiam efficit: movet liberas ut liberè agant, & libertatem efficit. Et quamvis ipſa motio quâ cauſas movet in ſe ſe in genere entis, ens infinitum eſſe non poſſit, eſt tamen agentis infiniti virtus, & ut vocat S. Thomas, *per modum intentionis* ipſam infinitæ virtutis efficaciam involvit, non ſecùs ac motio ab artifice impreſſa inſtrumento, eſt *virtus artis*, & totius artis virtutem, induſtriam, & artificium involvit. Unde eodem penicillo Pictor varias imagines, & variæ venuſtatis imagines efformat. Quin etiam, & vetuſtiſſimam interdùm imaginem, & deformem interdùm pingit, prout variè penicillum movet, ac ducit: quamvis nulla deformis imago dici poſſit ſi ad artem comparetur, & juxta regulas artis depicta fuerit, imò neceſſaria interdùm ſit, ut aliarum partium venuſtatem magis conſpicuam reddat. Quo exemplo uſus eſt S. Auguſtinus, ut ordinem Divinæ providentiæ commendaret, Serm. 110. de Diverſis;

Pictor

Pictor novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura, & Deus nescit ubi ponat peccatores, ut sit ordinata creatura? Atque etiam S. Ambrosius illud ex Isaia refert, *Ecce ego Jerusalem pinxi muros tuos*; cujus picturæ rationem diffusè deinde explicat &c. lib. 6. Hexam. c. 8.

Igitur, sicut motio qua pictor ducit penicillum, ipsam & artificis intentionem, & totius artis virtutem defert; ita planè Divina motio, ut à Deo descendit, ipsius, & intentionem, & infinitam vim veluti involvit: ideoque voluntatem ita movere potest immutabiliter propter sua vim, ut tamen libertatem servet propter voluntatis conditionem.

Ad tertium argumentum respondet S. Thomas. *Dicendum, quòd posteriora habent necessitatem à prioribus secundùm modum priorum. Unde & ea quæ fiunt à voluntate Divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutatem, vel conditionalem tantùm: & sic non omnia sunt necessaria absolutè.* Nihil addendum est, ut explicetur hæc Responsio, & solutio S. Thomæ cùm ex superioribus satis magnam lucem accipiat?

Ex his verò omnibus; quæ hactenus diximus observari facilè potest, quàm parùm germano sensu D. Thomam quidam explicent, & quantùm ejus textum torqueant hi, quibus, cùm objicitur ex S. Thoma, Divinam voluntatem efficacissimam esse; & in ipsam Divinæ voluntatis efficaciam, libertatis cum gratia concordiam referri, ipsaque Divinæ voluntatis efficacia libertatem voluntatis effici: Respondet, eam esse S. Thomæ sententiam ac mentem, non quòd sua efficacia immediatè voluntatem moveat Deus, ac libertatem efficacia; sed quòd *quibusdam effectibus aptaverit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant*. Ex quo inferunt, à Deo solum concursum indifferentem conferri, qui in causis secundis modificetur, & determinetur, ideoque & effectum indifferentem aut liberum oriri.

Atqui nihil magis D. Thomæ sententiæ adversum fingi potest: cùm expressè eam sententiam S. Thomas rejiciat, duplicique ratione refellat quam supra explicuimus. Aptat quidem Divina voluntas ad complementum Universi causas, & necessarias, & contingentes, ex quibus similes effectus oriantur: sed ideò aptat contingentes, & liberas, ut ipsa in causis contingentibus, & liberis, libertatem, & contingentiam efficiat, Nec verum est indifferentem solùm concursum offerri, qui deinde in causis ad certos effectus determinetur. Et Lectorem rogo, ut iterum dictum D. Thomæ Articulum legat, videatque quàm extorta sit ea responsio, & aliena ea explicatio sit, quam retulimus, & quam S. Thomæ quidam affingunt, cùm tamen omninò ea responsio textui repugnet.

Sed id apertius iterum fiet ex his quę ex S. Thoma subjungo Artic. seq.

ARTICULUS IV.

Altera ex D. Thoma explicatio, & probatio, efficaciam Divinæ voluntatis, causas omnes secundas prœmoventis, primam esse causam contingentiæ, libertatis, omnisque perfectionis.

NOn debet esse Lectoribus grave, si plura in eandem sententiam comprobandam ex S. Thoma advocemus, cùm vel ex hoc uno capite totius controversiæ resolutio dependeat. Nec dubitabit quisquam esse per sese efficacem gratiam præviamque motionem, si Divinæ voluntatis ac prævię motionis propriissimum munus sit, voluntatem immobiliter movere, ut liberè agat: & in eo posita sit ea Divinæ voluntatis, & prævię motionis efficacia, ut ipsam libertatem efficiat. Ita enim fiet ut nullum sit lædendæ libertatis periculum: quo periculo deterriti adversæ sententiæ Authores efficacem gratiam, & prævium motionem negare solent.

Igitur S. Thomas lib. 1. Perihermenias lib. 14. ubi ex Philosopho de prima radice contingentiæ agit, probatque non omnia ex necessitate evenire: in primis statuit quæ sit vera notio necessarii, & possibilis, sub quo contingens comprehenditur: rejicitque quorundam Veterum opinionem, quam Recentiores revocasse videntur; qui *necessarium* esse existimabant, *quod semper erit*: *possibile verò quòd quandoque erit, quandoque non erit*. Hanc enim definitionem rejicit D. Thomas quòd ea præposterа sit, à posteriori dumtaxat, & ab effectu. Non enim quia res semper erit, ideò necessaria est, sed econtrà quia necessaria est, semper erit. Unde ad propriam rerum naturam, & veluti constitutionem convertendum esse animum rectè S. Thomas cum Philosopho monet: atque adeò *necessarium* illud verè dici quòd *in sua natura determinatum est solùm ad esse*: *impossibile contra, quod est determinatum ad non esse*. Possibile quod ad neutrum determinatum est.

Ex quibus colligi facilè potest quàm parùm veræ definitionis regulis conformis sit ea futuri definitio, quâ dicitur *futurum esse quod erit*: similis enim est alteri rei necessariæ; quâ dicitur, *necessarium esse quod semper erit*, & quam S. Thomas rejecit. Futuri igitur vera notio ex causa desumenda est, unde naturam futurum habiturum est aliquando: & illud dicendum est futurum esse, quod habet determinationem in causa. Quâ vel unica futuri definitione totius scientiæ mediæ structura, qualem Recentiores admittunt, planè evertitur. Inde enim consequitur, nullum posse certò cognosci futurum contingens nisi in causa prima, Divinaque voluntate determinata decreto, & prædefinitione quâ de futu-

futuris, ut ipſi libet ſtatuit. De qua re aliqua infrà dicemus.

Sed poſteà D. Thomas, & neceſſitatem, & poſſibilitatem, & contingentiam rerum in providentiam Divinam Divinamque voluntatem reducendam eſſe affirmat: eò quòd ſicut *Eſſe ejus ſua virtute comprehendit omne illud quod quocumque modo eſt, inquantum ſcilicet eſt per participationē ipſius; Ita etiam ſuum intelligere, & ſuum intelligibile comprehendit omnem cognitionem, & omne cognoſcibile; & ſuum velle; & ſuum volitum comprehendit omnem appetitum, & omne appetibile quod eſt bonum: ut ſcilicet ex hoc ipſo quòd aliquid eſt cognoſcibile, cadat ſub ejus cognitione, & ex hoc ipſo quòd eſt bonum, cadat ſub ejus volūtate: ſicut ex hoc ipſo quòd eſt ens aliquid cadat ſub ejus virtute activa quā ipſe perfectè comprehendit, cùm ipſe ſit per intellectum agens.*

Hic iterum ex S. Thomæ ſententia alterum deſumptum Argumentum quo ſcientiæ mediæ opinio impeti poteſt; cùm S. Thomas omnia ad Divinam virtutem, & virtutis efficaciam, ſeu etiam ſummam, & infinitam eminentiam, & plenitudinem reducat, quæ omnia omninò continet. Ideò, inquit, cognoſcit Deus *omne* creatum *intelligibile*, quia *ſuum intelligibile*, ipſa ſcilicet ipſius natura, & eſſentia, *omne intelligibile comprehendit*, & quidquid intelligibile eſt, & ens, *cadit ſub ejus virtute activa quam ipſe perfectè comprehendit.*

Ubinam verò in illis S. Thomæ verbis reperietur vel tenuiſſima ſpecies, aut umbra illius cognitionis quâ Deus futura in ſeipſis cognoſcit ea ſola ratione quia futura ſunt. Equidem neceſſe eſt omnia à Deo cognoſci, etiam & futura conditionata libera quæcumque unquam erunt, ſed non in alio quàm in ſeipſo ea cognoſci poſſunt; ideoque poſſibilia, futura, & exiſtentia cognoſcit, quia ſuum *intelligibile* ſcilicet Divina eſſentia omne *aliud intelligibile comprehendit*, cùm omnia nihil aliud quàm participationes quædam ſint Divinæ eſſentiæ. Unde quo modo Divinam eſſentiam variè cognoſcit, ut ſolam, & ante omne decretum, vel ut decreto variè determinatam, eo modo in ipſa; & poſſibilia, & futura, & exiſtentia cognoſcit. Quod deinde clariùs exprimit D. Thomas, cùm addit, omne quodcumque ſit ens cognoſci, quia *cadit ſub ejus virtute activa quam ipſe perfectè comprehendit*. Quibus nihil apertius, & ſcientiæ mediæ adverſum magis afferri unquam poteſt. Sed tamen, ut puto, fatebitur quiſquis iſta leget, nihil ſublimius dici unquam poſſe, & quod ſummam, & Divinæ naturæ, & Divinæ cognitionis eminentiam & plenitudinem, & magnitudinem deceat. Hac enim ſemper dote S. Thomæ ſententia ubique cæteras ſuperat: quòd ubique, & quamcumque quæſtionem pertractet, jura ſemper ſeu Divinæ naturæ ſeu Divinæ cognitionis defendat, nec dignius Deo aliquid dici unquam poſſit: cùm opiniones cæteræ magis creaturæ jura defendant, & parum pro Majeſtate, & Divinæ cognitionis altitudinem, & Divinæ virtutis efficaciam explicare videātur.

Hæc verò poſtquam D. Thomas ita conſtituit, duo obiicit ſibi: ſcilicet, quòd *Si providentia Divina ſit per ſe cauſa omnium quæ in hoc Mundo accidunt, videtur quòd omnia ex neceſſitate accidant. Primò quidem ex parte ſcientiæ ejus: non enim poteſt ejus ſcientia falli, & ita quæ ipſe ſcit, videtur quòd neceſſe ſit evenire. Secundò ex parte voluntatis: voluntas enim Dei inefficax eſſe non poteſt. Videtur ergo quòd omnia quæ vult, ex neceſſitate eveniunt.*

Hic igitur veriſſimus locus eam quæſtionem pertractandi, quo pacto libertas voluntatis creatæ cum efficacia Divinæ voluntatis conciliari poſſit. Et ſtatim obſervat S. Thomas, *Quòd procedunt hæ objectiones ex eo quòd cognitio Divini intellectus, & operatio Divinæ voluntatis penſantur ad modum eorum quæ in nobis ſunt, cùm tamen multò differenter ſe habeant*. Inde enim error omnis oritur, quòd res Divinas ex creatis metiamur. Et de cognitione quidem res aperta eſt: cùm enim noſtra omnis cognitio tempore menſuretur; repugnat quòd futurum omne tempus tranſcendat, ipſique ita ſuperemineat, ut res futuro tempore menſuratas præſentes videat. At verò cùm econtrà Diuina cognitione æternitate menſuretur, & intra ipſam æternitatem ſit, quæ æternitas omnia futura complectitur; ideò res omnes etiam futuras ſua illa in æternitate præſentes intuetur. Et hoc pacto S. Thomas loco prælaudato, ut & ubique alibi primam difficultatem reſolvit, Divinam ſcientiam non poſſe falli, quia omnia futura, etiam ut præſentia ſemper cognoſcit, & videt.

Sed quòd ad alteram de Divinæ voluntatis efficacia quæſtionem attinet; antequam S. Thomæ ſolutionē referam, unum ab Erudito Lectore obſervari velim, ut apertius ſit utrùm Recentiores D. Thomæ ſententiam amplexi ſint: Obſervari inquam velim, quid ſoleant ad eam difficultatem reſpondere: communem enim Religionis fidem attingit, nec noſtræ Scholæ difficultas peculiaris eſt. Solent enim ſcientiam, ut vocant mediam, advocare, quâ ſcilicet Deus voluntatis humanæ conſenſum etiam ante omnem voluntatis determinationem futuram cognoſcat; cujus ſcientiæ beneficio Divinæ voluntatis aut Divinæ Providentiæ efficaciam cum voluntatis humanæ motæ libertate conciliari poſſe arbitrantur: Atqui nè unum quidem hujus ſcientiæ mediæ veſtigium in S. Thomæ reſponſionibus videre eſt, ſed potiùs, ut etiam mox obſervavimus adverſa omninò principia ſtatuit.

Et quidem, ut Divinæ ſcientiæ infallibilitatem defendat, eam ad præſentiam rerum in æternitate refert, ut diximus: quam etiam & S. Thomæ Diſcipuli alterum certæ, & infallibilis ac intuitivæ etiam cognitionis medium eſſe ſtatuunt. Sed de ſcientia media altiſſimum omninò ſilentium: & nè vel unicum verbum miſcet D. Thomas, quo eam vel leviſſimè innuat; ſed aliunde efficaciam, & Divinæ voluntatis concordiam cum libertate creata advocat, ſcilicet ex

ipſa Divinæ voluntatis efficacia, quæ prima radix, & prima cauſa eſt omnis contingentiæ, & libertatis cauſarum.

Et ſanè digniſſima ſunt S. Thomæ verba, quæ maxima attentione animi, & legantur, & expendantur. Ita igitur habet. *Similiter ex parte voluntatis Divinæ differentia eſt attendenda*, qua conditionem voluntatis humanæ infinito intervallo antecedit. *Nam voluntas Divina eſt intelligenda extra ordinem entium exiſtens, velut cauſa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias. Sunt autem differentiæ entis poſſibile*, ſeu contingens, *& neceſſarium: & ideò ex ipſa voluntate Divina originantur neceſſitas, & contingentia in rebus, & diſtinctio utriuſque ſecundùm rationem proximarum cauſarum. Ad effectus enim quos voluit neceſſarios eſſe, diſpoſuit cauſas neceſſarias; ad effectus autem quos voluit eſſe contingentes, ordinavit cauſas contingenter agentes, ideſt potentes deficere. Et ſecundùm harum conditionem cauſarum effectus dicuntur vel neceſſarii, vel contingentes, quamvis omnes dependeant à voluntate Divina: ſicut à prima cauſa quæ tranſcendit ordinem neceſſitatis, & contingentiæ. Hoc autem non poteſt dici de voluntate humana, nec de aliqua alia cauſa, quia omnis alia cauſa cadit jam ſub ordine neceſſitatis vel contingentiæ, Et ideò oportet quòd vel ipſa cauſa poſſit deficere, vel effectus ejus non ſit contingens ſed neceſſarius. Voluntas autem Divina indeficiens eſt, tamē non omnes effectus ejus ſunt neceſſarii, ſed quidam contingentes.*

Hæc S. Thomas. Quibus ſanè nihil profundius dici potuit, ut habeatur ſublimis, & quantum de Deo haberi decet cogitatio. Ita enim exiſtimandum eſt, Divinam voluntatem Deumque *extra* totum rerum omnium, *& entium ordinem exiſtere*. Et verò cùm nihil adhuc productum eſſet, Deus in ſe ſe ipſo erat, nedum primum, ſed etiam unicum, & neceſſarium ens. Imò etiam nunc unicum eſt, & verum ens, cùm nihil aliud ſit ens, niſi ſola participatione ipſius primi entis, & perpetuo influxu quo illam participationem infundit. Ita igitur exiſtimandum eſt, quòd Deus *extra* totum *entium ordinem exiſtens veluti cauſam quædam* eſt *profundens* ex ſeipſo *totum ens*. Unde & cùm totum ens perpetuò ex ſe ſe effundat, etiam & effundet perpetuò *omnes entis differentias*, ſcilicet *poſſibile, & neceſſarium. Et ideò ex ipſa voluntate Divina originatur neceſſitas, & contingentia in rebus, & diſtinctio utriuſque ſecundùm rationem proximarum cauſarum.* Cùm verò Divina voluntas Divinaque potentia nunquam manum amovere poſſet a ſuo opere; alioqui enim in nihilum ſtatim decideret: hinc fit ut perpetuò in ipſis cauſis ipſam neceſſitatem, & ipſam contingentiam ac libertatem quæ ſub contingentia continetur, perpetuò efficiat. Atque hæc prima ejus intentio: cùm ea non poſſit non verſari circa ordinem Univerſi, qui ordo eſt inſtar formæ totius Univerſi, quique conſtat ex variis, & inæqualibus gradibus, quibus rerum omnium conſtat diſtinctio. Cùm verò eum ordinem, illos gradus, illam diſtinctionem Deus voluiſſet in Univerſo conſtituere; etiam & diverſitatem cauſarum conſtituit; unde aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ contingentes, & liberæ. Atque etiam in his quidquid perfectionis eſt perpetuò efficit, rationem entis, ipſamque naturam aliarum perfectionum fundamentum, neceſſitatem, contingentiam, & libertatem, & univerſim quidquid rationem entis participat.

Ex quo conſequitur, primam & neceſſitatis, & contingentiæ, & libertatis cauſam, & originem, eſſe Divinam voluntatem quæ perpetuò omnia profundit. Quòd enim cauſæ creatæ etiam efficiant, ſuoſque effectus producant, quædam perfectio eſt: unde & eam perfectionem etiam Divina virtus cauſis omnibus præſens, & inexiſtens efficit, & infundit.

Atque ex his omnibus ſic in forma confici poteſt hæc ratio, ut efficacem eſſe prævium motionem probetur. Non poteſt ea motio non eſſe efficax quæ prima cauſa eſt omnis omninò perfectionis; quæque efficit ut cauſæ contingentes contingenter, & cauſæ liberæ liberrimè agant; quæque ipſam contingentiam, & libertatem efficit: Atqui prævia motio, ut Divinæ voluntatis, & virtutis quædam eſt participatio, ita cauſas omnes movet, ut etiam efficiat, quòd contingentes contingenter, liberæ autem ſponte ſua, & liberrimè agant: Ergo non poteſt Divina motio non eſſe efficax.

De Majori dubium eſſe non poteſt. Id enim eſt quod perpetuò Recentiores negant, poſſe prævium motionem impellere voluntatem vi ſua, & immutabiliter, & tamen ſupereſſe voluntati integram, & illæſam libertatem.

Minor verò ex S. Thoma aperta eſt: cùm enim Divina voluntas intelligenda ſit, ut cauſa profundens totum ens, & differentias entis ſcilicet contingentiam, & libertatem; impoſſibile eſt ab ea cauſa libertatem impediri, cùm eam efficiat: ſed in ipſam Divinam voluntatem, ut primam cauſam referendum eſt, quòd voluntas creata, & libertatem habeat, & cum agit liberè agat.

Et confirmatur ex eo diſcrimine quod D. Thomas obſervat inter primam cauſam Divinamque voluntatem, ac cæteras omnes cauſas. Poteſt Divina motio, ut eſt virtus primæ cauſæ, habere vim movendi voluntatem creatam infallibiliter, & immobiliter, & tamen in ipſa voluntate ſervare libertatem illæſam; ſive efficere quòd voluntas agat liberrimè: Ergo nulla ratio eſt cur ita fieri negetur, nec probanda Adverſariorum cogitatio, qui motione efficaci libertatem extingui putant. Antecedens probatur ex S. Thoma. Equidem fieri non poteſt quòd aliqua cauſa immutabiliter agat, & tamen ipſius effectus ſit contingens; quia omnis alia cauſa continetur, & cadit *ſub ordine vel contingentiæ, vel neceſſitatis*; ideoque neceſſe eſt ut huic ordini ſubdita ſit, ejuſque ordinis leges ſubeat: Unde ſi neceſſaria ſit, neceſſatiò, & immutabiliter agit, vice verſa ſi neceſſariò vel immobiliter agat, non poteſt

non

non est necessaria, nec possunt hæc duo conjungi, quòd causa non possit deficere, & quòd hujus effectus contingens sit: Atqui Divina motio est virtus causæ primæ, quæ huic ordini minimè subdita est, & est *extra* totum *omnium entium existens*, inter quæ solùm hæc necessitas vel libertas coarctata reperitur, ipsa verò *transcendit totum ordinem necessitatis, & contingentiæ*. Ergo Divina motio potest & immutabiliter movere voluntatem, & tamen ejus libertatem illæsam servare, seu efficere, quòd voluntas liberè agat, ita ut hoc utrumque servetur, & conjungatur, scilicet quidquid in necessitate perfectionis est, quod cum libertate conjungi potest, nimirùm quòd voluntas immutabiliter, & infallibiliter agat quidquid in libertate perfectionis est quod infallibilitati non repugnet, scilicet quòd agat cum indifferentia.

Atque hoc discrimen clarissimè explicat S. Thomas loco citato ex 1. Periherm. *Hoc autem*, inquit, *dici non potest de voluntate humana, nec de aliqua alia causa*, quod nimirùm, ut diximus, immutabilitatem agendi ex parte principii cum effectûs contingentia vel libertate actûs conjungat. Et rationem addit quam retulimus; *quia omnis alia causa cadit jam sub ordine necessitatis, vel contingentiæ*: nec extra sui ordinis fines egredi potest, ut alterius conditionem habeat; & ideò *oportet*, inquit, *quòd vel ipsa causa deficere possit, vel effectus ejus non sit contingens, sed necessarius*: quia fieri non potest ut causa immutabiliter agat, & effectus contingens sit. *Voluntas verò Divina*, inquit, *indeficiens est*, nec minùs in operando quàm in essendo. *Et tamen non omnes ejus effectus sunt necessarii, sed quidam contingentes*, & liberi. Quia cùm voluntas Divina sit supra omnem ordinem, & nullis legibus subjiciatur, utrumque habere potest, & immobiliter movere voluntatem humanam, & in ea illæsam libertatem servare.

ARTICULUS V.

Confirmatio superioris rationis: ex Sancto Thom. à Deo voluntatẽ immobiliter moveri, & servari tamen libertatem.

COnfirmatur iterùm ex alio etiam D. Thomę loco præclarissimo 6. Metaphys. lect. 3. ubi iterùm eandem difficultatem resolvit. *Videtur* enim, inquit, *quòd ex quo Providentia jam ponitur, quòd ejus effectum necesse sit sequi*. Atque ut eam difficultatem, quæ caput est Religionis, resolvat, & explicet; eadem principia advocat, quæ ubique alibi statuit: scilicet summam, & infinitam providentiæ Divinæ ac Divinæ voluntatis efficaciam, quæ cùm eminentissimè utriusque gradus, & necessitatis, & contingentiæ rationes complectatur, utrumque efficere potest: quo infinito intervallo creaturas omnes antecedit, quæ cùm necessitatis, & contingentiæ leges non constituerint, eis è contra subditæ sunt; neque constitutum sibi à Divina voluntate ordinem transilire possunt, & in alio se collocare; ita ut immobiliter agant, & tamen earum effectus contingentes vel liberi sint. At verò superior, & prima causa id potest; & immobiliter movet voluntatem humanam, & ejus libertatem servat. Sed referenda sunt quæ habet S. Thomas, ubi quamplurima singularia nos docet.

Sciendum est, inquit, *quòd ex eadem causa dependet effectus, & omnia quæ sunt per se accidentia illius effectus. Sicut enim homo est à natura; ita & omnia ejus per se accidentia, ut risibile, & mentis disciplinæ susceptibile. Si autem aliqua alia causa non faciat hominem simpliciter, sed hominẽ talem; ejus non erit constituere ea quæ sunt per accidẽtia hominis, sed solùm uti eis. Politicus enim facit hominem civilem, non tamen facit eũ mentis disciplinæ sulceptibilem; sed hac ejus proprietate utitur ad hoc quòd homo fiat civilis. Sicut autem dictum est, ens inquantùm ens est, habet causam ipsum Deum. Unde sicut Divinæ Providentiæ subditur ipsum ens, ita etiã omnia accidentia entis inquantùm est ens, inter quæ sunt necessarium, & contingens. Ad Divinam igitur Providentiam pertinet, non solùm quòd faciat hoc ens, sed quòd det ei contingentiam vel necessitatem. Secundùm enim quòd unicuique dare voluit contingentiam, vel necessitatem, præparavit ei causas medias, ex quibus de necessitate sequatur, vel cõtingenter. Invenitur igitur uniuscujusq; effectus secundùm quòd est sub ordine Divinæ Providentiæ, necessitatem habere. Ex quo contingit quòd hæc conditionalis est vera, si aliquid est à Deo provisum, hoc erit. Secundùm autem quòd effectus aliquis consideratur sub ordine causæ proximæ, sic non omnis effectus est necessarius, sed quidam necessarius, & quidam contingens secundùm analogiã suæ causæ. Effectus enim in suis naturis similantur cuusis proximis, non autem remotis, ad quarũ conditionem pertingere non possunt. Sic ergo patet, quòd cùm de Divina Providentia loquimur, non est dicendũ solùm, hoc est provisum à Deo ut sit; sed, hoc est provisum à Deo ut cõtingenter sit, vel ut necessariò sit. Unde non sequitur secundùm rationẽ Aristotelis hìc inductam, quòd ex quo Divina Providentia est posita, quòd omnes effectus sint necessarii; sed necessariũ est, effectus esse contingenter vel de necessitate. Quod quidem est singulare in hac causa, scilicet in Divina Providentia, Reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed constituta à superiori causa, utuntur. Unde causalitati cujuslibet alterius causæ subditur solùm quòd ejus effectus sit. Quòd autem sit necessariò vel contingenter, dependet ex causa altiori, quæ est causa entis, inquantùm est ens, à qua ordo necessitatis, & contingentiæ in rebus provenit.*

Hucusque S. Thomas, quæ fateor, cùm attentiùs perlegi, planè obstupui tantam profunditatem

tem miratus, cui si nullam parem in aliis Theologis Scholasticis minimè reperiri dixerim; nemini puto me injuriam facturum. Et quidem in his quædam habet superioribus simillima, licèt ex ea infinita copia qua præditus erat, novo modo explicet: sed alia præterea nondùm aliis locis observata etiam immiscet, quæ cæteris etiam soliditate inferiora non sunt.

Probatur itaque iterùm superior propositio, Motionem prævium, & gratiam sua ipsa vi efficacem esse, & movere immutabiliter voluntatem humanam, nec tamen libertatem auferre. Non potest efficax motio libertatem auferre dum voluntatem movet, si ipsamet motio libertatem efficiat, & ita moveat voluntatem, ut voluntas liberrimè agat: Atqui ita est, & esse necesse est: Ergo

Probatur Minor ratione S. Thomæ: etenim inquit S. Doctor: *Ex eadem causa pendet effectus, & omnia quæ sunt per se accidentia illius effectus*: Atqui per se tanquam propriissimus effectus, & quem solus Deus tanquam peculiarem sibique eximium terminum attingit, est ens, ut ens, nec attingi ulla ratione potest à causa secunda, nisi Divina virtute accepta, & *ens inquantùm ens, habet* dumtaxat *causam Deum*: aliundè verò accidentia entis inquantùm ens *sunt necessarium, & contingens*: Ergo necesse est, ut Deus sua motione efficiat utrumque modum, seu accidens, necessitatis, & contingentiæ, sub qua libertas continetur: cùm utrumque accidens per se enti sub ratione communi entis connexum sit.

Majorem probat D. Thomas, ac explicat egregio exemplo hominis qui scientiam acquirit. *Sicut enim homo est à natura, ita & omnia ejus accidentia, ut risibile, & mentis disciplinæ susceptibile*, ab ipsius natura oriuntur. Unde quòd homo scientiam acquirat, ad naturam hominis ac lumen intelligibile referri debet: etsi enim *Politicus faciat hominem civilem*, & doceat eam Philosophiæ Moralis partem, quâ regere alios possit: *non tamen facit eum mentis disciplinæ susceptibilem*: neque subindè ad ipsum hominem propriè acquisitio scientiæ referenda est; sed ad ipsam hominis naturam, & lumen intelligibile. Neque enim aliud Philosophus efficit, nisi ut *hac* solùm *hominis proprietate utatur*, quòd scilicet sit disciplinæ susceptibilis, *ad hoc quòd homo fiat civilis*: sed acquisitio scientiæ ad ipsum lumen intelligibile, & hominis naturam est propriè referenda: ea semper ratione, quòd *ex eadem causa dependet effectus, & omnia, quæ sunt per se accidentia illius*. Sicut etiam, ut docet S. Thom. qu. 11. de Veritate, seu de Magistro art. 1. ubi quomodò unus alium docere possit pertractat, atque hoc exemplo illustrat. Cùm homo æger sanitatem recuperat, ad ipsam naturam referenda est ista virium reparatio: quia *Medicus in sanatione naturæ est* solùm *Minister naturæ, quæ principaliter operatur, confortando naturam, & apponendo medicinas, quibus veluti instrumentis natura utitur ad sanationem*: quod idem de acquisitione deinde explicat.

Igitur, ut ex his exemplis constat, *ex eadem causa dependet effectus, & omnia quæ sunt per se accidentia illius*: quæ erat Major probanda.

Minor verò aperta esse videtur, & si D. Thomæ sententia consulatur, quam nos maximè inquirimus, de ea nulla ratione dubitari potest: expressè enim inquit: *Sicut autem dictum est, ens inquantùm ens est, habet causam ipsum Deum. Unde sicut Divinæ Providentiæ subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis inquantùm est ens, inter quæ sunt neeessarium, & contingens*. Ergo ex his manifestè consequitur, ut S. Thomas concludit, quòd *ad Divinam Providentiam pertinet, non solùm quòd faciat hoc ens, sed quòd det ei contingentiam vel necessitatem*.

Unde sicut ex D. Thomæ sententia nulla causa attingit ens sub ratione entis, nisi virtute à prima causa accepta, ad quam pertinet ens, ut ens, per se primò producere, ut toties aliàs demonstratum est; ita nulla causa (quod cuiquam forsitan mirum videri poterit:) nulla causa contingens, vel libera potest per se necessitatem vel contingentiam, sub ratione necessitatis vel contingentiæ: nisi virtute à Deo accepta attingere, quia cùm necessarium, & contingens sint per se accidentia entis ut ens est, sicut nihil attingit ens, ut ens, nisi virtute à Deo impressa: ita nihil attingere contingens potest, ut contingens est, nisi eadem virtute à Deo recepta, quia *ex eadem causa dependet effectus, & omnia, quæ sunt per se accidentia illius effectus*.

Confirmatur iterùm; atque ea confirmatione agnosci facilè poterit, quantùm à S. Thomæ sententia Recentiorum opinio recedat. Existimant enim, voluntatis creatæ libertatem, quæ, ut sæpiùs advertimus, sub contingentia continetur, non aliam habere causam determinantem quàm ipsam voluntatem, in quam ut primam causam libertas refundi debet, cùm ad hujus rationē pertinere arbitrentur, quòd à nullo alio, etiam nec à Deo priùs determinetur: Atqui illud ita abest à S. Thomæ sententia, ut è contra ex sententia S. Thomæ, nec ipsa voluntas creata efficiat libertatem sub ratione libertatis, nisi virtute à Deo accepta. Unde ad voluntatem quidem per se pertinet ut agat, liberèque etiam agat: ipsumque libertatis modum in actu involutum efficiat, sicut & rationem entis aliquo sensu efficit: sed quòd ipsam libertatem per se se attingat, non magis ad voluntatē pertinet, quàm quòd efficiat per se se, & propria virtute rationem entis: quia, ut inquit D. Thomas, *Causalitati cujuslibet alterius causæ subditur solùm, quòd ejus effectus sit: quòd autē sit necessariò vel contingenter, dependet ex causa superiori, quæ est causa entis inquantùm est ens, à quo ordo necessitatis, & contingentiæ in rebus provenit*. Denique

Confirmatur iterùm ex S. Thoma, ista duo quæ supra observavimus, debere necessariò conjungi, scilicet voluntatem immutabiliter moveri, & tamen illæsam ejus libertatem servari. Etenim certum est, effectum contingentem, & liberum ex duplici causa dependere, scilicet ex

causa

cauſa prima ſeu Providentia Divina ad quam pertinet, *ut non ſolùm faciat hoc ens, ſed quòd det ei contingentiam, vel neceſſitatem*: & prætereà dependet ex cauſa contingente, quam *Deus præparavit* ut effectus *fieret contingenter*, & ut *ei daret contingentiam*.

Atqui ex prima cauſa oritur, quòd effectus immobiliter fiat, & ex cauſa contingente quòd fiat contingenter vel liberè: Ergo quotieſcumque voluntas agit, & liberè agit; neceſſe eſt, hæc duo conjungi, & immobiliter agere; & tamen liberè agere: alterum ex efficacia Divinæ voluntatis, alterum ex conditione voluntatis creatæ.

Major ex ipſius D. Thomæ verbis contexta eſt: ipſa verò Minor expreſſiſſima eſt ejuſdem S. Thomæ, eamque ſtatim Majori poſitæ ſubjicit. *Invenitur*, inquit, *uniuſcujuſque effectus ſecundùm quòd eſt ſub ordine Divinæ Providentiæ neceſſitatē habere: ex quo contingit, quòd hæc conditionalis eſt vera, ſi aliquid eſt à Deo proviſum, hoc erit: ſecundùm autem quòd effectus aliquis conſideratur ſub ordine cauſæ proximæ, ſic non omnis effectus eſt neceſſarius, ſed quidem neceſſarius, & quidam contingens, ſecundùm analogiam ſuæ cauſæ. Effectus enim in ſuis naturis ſimilantur ſuis cauſis proximis, non autem remotis, ad quarum conditionem pertingere non poſſunt.*

Vide in ſingulis penè verbis nova eruditionis, & profunditatis argumenta. Non poſſunt creati effectus *ad conditionem* primæ *cauſæ pertingere*: & ideò neceſſe eſt, ut ſuis cauſis proximis aſſimilentur. Verùm cùm etiam à prima cauſa dependeant, neceſſe eſt, ut aliquid, & quidem quod in ipſis perfectius eſt, ab illa recipiant, ſcilicet rationem entis, & rationem neceſſitatis vel contingentiæ, quæ ſunt per ſe accidentia entis; & demum, quæ perfectio non cedit aliis, ut immobiliter agant: Ergo ex S. Thoma hæc duo nedum conjungi poſſunt, ſed etiam conjungi neceſſe eſt, ſcilicet quoties voluntas creata agit, quòd immutabiliter agat, & quòd agat liberè.

Atque hìc ſanè mirari ſubit præclariſſimum illum Divinæ Providentiæ conſtitutum ordinem, & efficaciſſimam ejus virtutem quâ illum ordinem ſervat, regitque cauſas omnes, nec extra conſtitutum ſibi ordinem egredi patitur: omnia vices ſuas peragunt. quælibet cauſa in ſuo gradu poſita eſt ſuamque ſtationem ſervat; neque neceſſaria cauſa liberè, neque libera neceſſariò agit. Sed hoc efficit illa Divinæ Providentiævis efficaciſſima, quæ, ut inquit Boëtius lib. 1. Metro 3. ita res ſervat, ut *Nihil antiqua lege ſolutum linquat propriæ ſtationis opus*. Efficit ut cauſa neceſſaria neceſſariò agat, cauſa libera agat liberè, & hoc immutabiliter efficit, neque hoc *caſſari unquā poteſt* 3. cont. Gent. cap. 94. oriturque ex eo quòd nihil poſſit reſiſtere voluntati Divinæ 1. par. quæſt. 19. artic. 8.

Sed deinde mirari ſubit, quàm profundè aliàs dixerit S. Thomas quæſt. 3. de malo, quòd Deus *immobiliter movet voluntatem, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt*: quamvis *propter naturam libertatis non inducatur neceſſitas, ſed remaneat libertas*. Utrumque enim conjungi neceſſe eſt ex his quæ jam hìc obſervavimus, quia voluntatis actus ex duplici cauſa dependet; ex prima quidem infinita, efficaciſſima, & in agendo immutabili, & ex cauſa ſecunda dificiente infirma ac mutabili: Ergo oportet quòd ex utraque aliquid habeat, & quidem utrique cauſæ conſentaneum: Igitur ex parte primæ cauſæ habet voluntas creata, quòd immutabiliter agat *propter efficaciam virtutis moventis*, ſcilicet Dei; & ex cauſa ſecunda mutabilitatem aut libertatem habet *propter naturam* ipſius *voluntatis* creatæ.

Sed demum mirari ſubit, quàm diverſam à S. Thomæ ſententia plurimi viam inierint: qui ut libertatis cauſam, & originem quærant, eamque à prævię motionis, ut putant, inſultibus in tuto reponant, undecumque voluntatis conditiones omnes perſcrutantur, & veluti quàm exactiſſimè rimantur; nihilque non tentant, ut ab ea prævia motione immobiliter movente voluntatem ſubducant. Alii concurſum indifferentem advocant; alii motionem moralem loco phyſicę ſupponunt; alii ad concurſum cauſarum, vel circumſtantiarum confugiunt: atque hìc unus eorum ſuſcepti laboris finis eſt, ut ab ipſa infallibiliter, & immobiliter movente motione voluntatem creatam eximant, cujus libertas extinguenda fit, ut putant; ſi immutabili, & immutabiliter moventi gratiæ, & motioni ſubjicatur. Atqui econtrà quòd in agendo voluntas libertatem habeat, & ſervet, ad Divinæ Providentiæ efficaciſſimam vim revocat S. Thomas: quia *Invenitur*, inquit, *uniuſcujuſque effectus ſecundùm quòd eſt ſub ordine Divinæ Providentiæ neceſſitatem habere: ex quo* fit, *quòd hæc conditionalis eſt vera, ſi aliquid eſt à Deo proviſum, hoc erit*, & quidem erit, & contingenter, & liberè; quia *Providentia Divina eſt per ſe cauſa, quòd hic effectus contingenter proveniat, & hoc caſſari non poteſt*, ut jam retulimus ſuprà ex 3. cont. Gent. cap. 74. & ut inquit hic 6. Metaphyſic. *Sic ergo patet, quòd cùm de Divina Providentia loquimur, nō eſt dicendum ſolùm, hoc eſt proviſum à Deo ut ſit, ſed hoc eſt proviſum à Deo, ut contingenter ſit, vel ut neceſſariò ſit. Unde non ſequitur, ex quo Divina Providentia eſt poſita, quòd omnes effectus ſint neceſſarii, ſed neceſſarium eſt effectus eſſe contingenter, vel de neceſſitate.*

Obſerva hæc verba egregia, & expende quàm profundè dictum ſit, quòd *Neceſſarium eſt, effectus eſſe contingenter*. Nam, ut ſæpiùs diximus, oportet, efficaciſſimam eſſe Divinæ voluntatis vim, ac Divinæ Providentiæ diſpoſitionem, nec poſſe non aliquam neceſſitatem inde oriri. At quænam neceſſitas eſt, aut in quo ea immobilis in agendo virtutis efficacia, eaque neceſſitas elucet, & poſita eſt? In eo forſitan quòd effectus omnes neceſſarii ſint? Quinimò, ſi ita fieret, falleretur Divina Providentia, & impediretur Divina voluntas. cùm plures effectus, & contingentes, & liberos eſſe voluerit. In quo igitur ea neceſſitas

repo-

repoſita eſſe poteſt? In eo ſcilicet, quòd *neceſſarium eſt, effectus eſſe contingenter*, aut effectus eſſe liberos: quia hoc ipſum efficit Divinæ voluntatis vis efficaciſſima, & in agendo immutabilis; & ut jam ex S. Thoma dictum eſt, in eo illa neceſſitas eſt poſita, quòd *Providentia Divina eſt per ſe cauſa quòd hic effectus contingenter proveniat, & hoc caſſari non poteſt*. Neceſſarium enim eſt, utrumque jungi. In eo demùm ea neceſſitas poſita eſt, quòd *cùm Divina voluntas ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd ea fiant quæ Deus vult fieri; ſed & quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult*, 1. par. quæſt. 19. artic. 8.

Confirmatur denique altera ratione, quam etiam hic affert S. Thomas, & ex diſcrimine quòd eſt inter primam cauſam omni ordine rerum ſolutam; ac in infinitum altiorem, & ſuperiorem univerſo ordini rerum; & intrà cauſam ſecundam in certo gradu, & ordine conſtitutam, & coarctatam. Impoſſibile quidem eſt, quòd ulla cauſa ſecunda, & creata immobiliter agat, & tamen libera ſit; quia cauſæ ſecundæ *non conſtituunt legem neceſſitatis, & contingentiæ*, ſed conſtitutam jam ſibi à cauſa prima ſcilicet Deo, legem ſervant neque ab ea eximere ſe ſe unquam poſſuut: unde neceſſe eſt, quòd ſi effectus liber ſit, ipſa etiam cauſa ita libera ſit, ut nullam neceſſitatem habeat; & econtrà, quòd ſi cauſa neceſſaria ſit, nulla ſit in effectu libertas: quia nulla cauſa in uno ſolùm ordine coarctata, ea quæ ſunt utriuſque ordinis, id eſt neceſſitatem aliquam ex parte principii, & libertatem conjungere, & conciliare ſimul poteſt: Atqui econtrà Divina volnntas, & utrumque ordinem, & utramque legem, & neceſſitatis, & contingentiæ inſtituit, utrique ſuperior eſt, utriuſque ut libuerit dotes ac jura conciliare poteſt, qui facit concordiam in ſublimibus: Ergo etiam & voluntatem creatam immobiliter movere poteſt, & tamen ipſius libertatem ſervare. Quam rationem apertiſſimè S. Thomas ultimis verbis expreſſit, *Quod* quidem, inquit, eſt *ſingulare in hac cauſa, ſcilicet Divina Providentia. Reliquæ enim cauſæ non conſtituunt legem neceſſitatis, vel contingentiæ, ſed conſtituta à ſuperiori cauſa utuntur. Unde cauſalitati cujuslibet alterius cauſæ ſubditur ſolùm quòd ejus effectus ſit: quòd autē ſit neceſſariò, vel contingenter, dependet ex cauſa altiori, quæ eſt cauſa entis inquantùm eſt ens, à qua ordo neceſſitatiis, vel contingentiæ in rebus provenit*. Vide quæ diximus Primo Tom. ex D. Aug. diſs. 1. quæſt. 4. art. 8. pag. 104. & ex Cajet. qu. 8. art. 5. pag. 168.

ARTICULUS VI.

Altera confirmatio: Divinam motionem eſſe cauſam cujuſque perfectionis. Voluntatem poſſe moveri infallibiliter, & tamen libertatem ſervari.

COnfirmatur iterum altera D. Thomæ obſervatione 3. contra Gent. cap. 94. ubi quæ adversùs Divinæ Providentiæ certitudinem objici poſſunt reſolvit, ac illud in primis, quòd *Si omnia quæ hìc inferiùs aguntur, etiam contingentia, Providentiæ Divinæ ſubduntur, oportet, ut videtur, vel Providentiam non eſſe certam, vel omnia ex neceſſitate contingere*. Ut verò commune illud argumentum reſolvat, quo caput Religionis impetitur: Primò ſtatuit, quòd *Cùm Deus ſit omnium exiſtentium cauſa, rebus omnibus conferens eſſe, oportet quòd ſuæ providentiæ ordo omnes res complectatur, quibus enim eſſe largitus eſt, oportet quòd & conſervationem largiatur, & perfectionem in ultimo fine conferat*.

At verò, addit deinde poſt multa, *inter partes totius Vniverſi prima diſtinctio apparet ſecundùm contingens & neceſſarium. Superiora enim in entibus ſunt neceſſaria, & incorruptibilia, & immobilia, à qua quidem conditione tantò magis deficiunt, quantò in inferiori gradu conſtituuntur*.

Atque his conſtitutis, diſcrimen hoc obſervat inter particulare agens, & univerſale, quòd ſcilicet *Quodlibet agens quod eſt pars Vniverſi intendit in quantùm poteſt in ſuo eſſe, & naturali diſpoſitione perſiſtere, & ſuum ſtabilire effectum. Deus autem qui eſt Vniverſi gubernator, intendit quòd effectus ejus, hìc quidem ſtabiliatur per modum neceſſitatis, hic autē contingēter, & ſecundùm hoc diverſas cauſas adaptat, his quidem neceſſarias, his autē contingentes. Cadit igitur ſub ordine Divinæ Providentiæ, non ſolùm hunc effectum eſſe, ſed hunc effectum eſſe contingenter, alium autem neceſſariò; & ſecundùm hoc quædā eorum quæ ſubdūtur Divinæ Providentiæ ſunt neceſſaria, quædam verò contingentia, non autem omnia neceſſaria*.

Atque ex eo diſcrimine, quod inter particulare agens, & univerſale intercedit, & ex univerſalis agentis conditione argumentum ſuperiùs poſitum ita ſolvit. *Patet ergo*, inquit, *quòd etſi Divina Providentia ſit per ſe cauſa hujus effectus .... non tamen ſequitur, quòd effectus ſit de neceſſitate futurus: Eſt enim Divina Providentia per ſe cauſa quòd hic effectus contingenter proveniat, & hoc caſſari non poteſt*. Hactenus S. Thomas.

Ex quibus hæc ratio ſuperiori ſimilis deduci poteſt. Si quæ ratio motionem prævíam, ac infallibilem determinationem ad unum negare compelleret, hoc unum in cauſa eſſet quòd cùm ea infallibili, & immutabili determinatione actuum voluntatis libertas conjungi non poſſet: Atqui id om-

id omninò falſum eſt ; & è contra neceſſe eſt, Divinam motionem ex ipſa ratione quòd vim agendi habeat immutabilem, efficere ut voluntas liberè agat : Ergo.

Minor probatur ex S. Thoma. Primò quia tantùm abeſt, ut ea Divinæ voluntatis infinita, & immutabilis efficacia exitialis ſit libertati noſtræ, ut econtrà libertatem ipſam efficiat, & quidem primò & per ſe, non minùs ac ipſam rationem entis. Ita ut ipſa libertas, & contingentia, niſi virtute à Deo accepta, attingi non poſſint, ut ſuprà ex S. Thoma obſervatum eſt. Atque id duplici ratione. Primò quia univerſalis agentis prima intentio ad illud ferri debet, quod per ſe primò ad ordinem Univerſi pertinet, ut toties dicit D. Thomas, & explicat comparatione Ducis qui per ſe primò, & directè ordinem exercitus diſponit ac conſtituit : quo exemplo uſus eſt Philoſophus 12. Metaphyſ. Atqui *inter partes Univerſi prima diſtinctio apparet ſecundùm contingens, & neceſſarium* : Ergo primò, & per ſe ad Deum infinitam ejus providentiæ efficaciam pertinet, ut per ſe in rebus omnibus ipſam contingentiam & libertatem efficiat.

Secundò id etiam altera ratio D. Thomæ evincis. Atque eam apertius explicat opuſc. 15. de Angelis cap. 15. ac egregia comparatione probat. *Neceſſè eſt*, inquit, *ut cujuſcumque virtuti ſubjicitur productio alicujus generis, ad illius etiã virtutẽ pertineat producere illius generis differentias proprias. Sicut, ſi ad aliquem pertineret conſtituere Triangulum, ad eum etiam pertineret conſtituere Triangulum æquilaterum, & Iſoſcelem: neceſſariũ autem & poſſibile ſunt propriæ differentiæ entis. Unde ad Deum cujus virtus eſt propriè productiva entis, pertinet ſecundùm ſuam præcognitionem attribuere rebus à ſe productis vel neceſſitatem, vel poſſibilitatem eſſendi.*

Apertiſſima ſanè ratio. Nulla enim ars eſt, quæ ſui objecti ſpecies omnes ſubjectas non attingat. Ad eandem artem Geometriæ ad quam pertinet Triangulum conſtituere, ad eandem per ſe pertinet omnes ejus ſpecies efficere. Acquilaterum, cujus omnia latera æqualia ſunt ; Scalenum ex adverſo oppoſitum, cujus omnia latera inæqualia ſunt ; Iſoſcelem in medio poſitum qui duo habet latera æqualia, tertium inæquale. Idem in cæteris artibus videre eſt. Arithmetica enim v. g. circa numerum, & parem, & imparem, & quadratum, & cubicum verſatur : cùm his omnes communi ratione numeri comprehendantur. Muſica etiam varias harmoniarum ſpecies, ſi tamen veræ ſpecies ſint, de quibus Ariſtot. 8. Politicor. cap. 5. Lydiam, Doricam, Phrigiam, cæteraque omnia per ſe neceſſariò connexa, intervalla, modos &c. docet, iiſque utitur : Ergo cùm neceſſarium, & contingens primò ens dividant, ſintque inſtar ſpecierum, aut per ſe accidentia eſſentiæ, & neceſſariò connexa ; neceſſe eſt, ut per ſe primò Divinæ potentiæ virtus, quæ ens efficit, etiam contingens, ac neceſſarium efficiat. Sed

Prætereà eadem Minor altera S. Thomæ ratione probatur, ex conſtituto diſcrimine inter univerſale agens, & particulare : quòd cùm particulare ſit *pars Univerſi* in certo ordine conſtitutum, *intendit in quantùm poteſt in ſuo eſſe & naturali diſpoſitione perſiſtere, & ſuum effectum ſtabilire* : nec aliud aut intendere aut agere poteſt, quàm ſimilem diſpoſitionem effectui imprimere ; cùm ea ſit effectus perfectio, ut omninò agenti ſimilis ſit. Unde neceſſe eſt, ut ſi cauſa neceſſaria ſit, & neceſſariò agat, etiam effectus neceſſarius ſit, & tota etiam ipſius ſeries, & veluti familia ejuſdem conditionis, & ordinis ſit ; nec ad alterum ordinem ita tranſeat, ut neceſſitas antecedens ex parte agentis cum effectu contingente, vel libero unquam conjungi poſſit : & ut ex S. Thoma ſuperiùs 1. Periherm. retulimus, *Oportet quòd vel ipſa cauſa poſſit deficere, vel ejus effectus non ſit contingens*, ſed *neceſſarius*. Impoſſibile enim eſt, in rebus creatis ubi omnia limitata ſunt, & ad certos gradus coarctata, utriuſque ordinis conditionem, ſcilicet immutabilitatem neceſſarii, & indifferentiam liberi ſimul conjungi.

Atqui econtrà cùm Deus ſit gubernator Univerſi, & utrumque ordinẽ, & neceſſarii, & contingentis produxerit, ac utriuſque perfectionem habeat : etiam efficere poteſt vi ſua, & motione immutabili, ut cauſa contingens contingenter, libera autem liberè agat : Ergo *ſub ordine Divinæ Providentiæ cadit, non ſolùm hunc effectum eſſe* : nota hæc verba, & lege iterum, quæ de Recentiorũ ſententia ſupra retulimus :) cadit inquam ſub ratione Providentiç effectum non ſolùm quomodocumque eſſe ; ſed etiam *hunc effectum eſſe contingenter* : & hoc ipſum immutabiliter efficit, neque hoc unquã caſſari aut impediri poteſt. Atque inde oritur quòd Divinæ Providentiæ certitudo, & ſumma voluntatis Divinæ efficacia cum effectus contingentia, aut libertate conciliari poſſit. Neque enim conſequitur, quòd ſi Providentia Divina immutabilis ſit, effectus cauſæ ſecundæ contingentis ſit neceſſarius : cùm econtrà *Divina Providentia ſit per ſe cauſa, quòd hic effectus contingenter proveniat, & hoc caſſari non poteſt*. Quàm egregiè dictum eſt : *Et hoc caſſari non poteſt*, nimirum quominus effectus contingens ſit, & liber. Atque in eo poſita eſt Divinæ Providentiæ vis ſumma, & infinita, & immutabilia Divinæ voluntatis efficacia, quòd effectus contingens ſit & liber quem contingentem, & liberum eſſe voluerit. Unde, ut ſuprà retulimus ; *Ex hoc ipſo quòd, nihil voluntati Divinæ reſiſtit ſequitur, quòd non ſolùm fiant, ea quæ Deus vult fieri ; ſed quòd fiant contingenter*, & liberè, *quæ Deus vult ſic fieri*, Hæc enim ſumma primæ cauſæ prærogativa eſt. ut ipſa vi ac motione immutabili effectum tamen liberum producat. Ergo nihil vetat quominus motionis primæ cauſæ vis immutabilis libertatem non lædat : quinimò id omninò ita fieri neceſſe eſt, ut ea motio cauſæ primæ habeat vim agendi immutabilem, nec impediri unquam poſſit, quòd ſub ea motione voluntas creata agat liberrimè ; & hæc duo conjungantur,

alte-

alterum ſcilicet ex efficacia motionis, alterum autem ex natura voluntatis, quæ libera eſt: id eſt, effectum eſſe infallibilem, & tamen eſſe liberum.

ARTICULUS VII.

Proſecutio ejuſdem argumenti, Divinã motionem, & gratiam eſſe per ſe efficacem, non indifferentem: voluntatem determinare, ſuaque vi ipſam actuũ libertatem efficere,

PRoſequimur idem argumentum, quod jam explicatione Articuli 8. quæſt. 19. 1. partis S. Thomæ fusè explicuimus; nec nimium in eo argumento immorari poſſumus, ex quo totius controverſiæ reſolutio dependet. Addimus verò hìc quæ habet Divus Thomas quæſt. 23. de Verit. ar. 5. ubi eandem quæſtionem verſat de qua egerat prælaudato loco primæ partis: ſcilicet *Utrùm Divina voluntas rebus volitis neceſſitatem imponat?* ut facilè animadverti poſſit, non ſemel, ſed ſæpiùs ac poſt longum ſtudium tradita fuiſſe à S. Thoma hæc principia, quibus de efficaci gratia ſententia ſtabilitur. Quædam tamen prætereà addit Sanctus Doctor hoc ſecundo loco de Veritate, omninò neceſſaria, ut quæ difficultatem aliquam ingerere poſſunt, facilè explicentur.

Sed in primis proponenda ſunt argumenta quæ efficaciam Divinæ motionis, & gratiæ probant; & quæ ex hoc S. Thomæ Articulo deduci poſſunt, quibus ſuperiora omnia egregiè confirmantur.

In primis, non poteſt non eſſe efficax gratia, ſi ea voluntatem determinet, neque ſuſpenſa, neque indifferens ſit, ex determinatione voluntatis habitura effectum: Atqui reipsà ita eſt: Ergo non poteſt gratia non eſſe per ſe efficax. De Majori non puto futuram eſſe litem: hoc enim unum in Motione ferre non poſſunt, qui adverſam motionibus ſententiam amplexi ſunt, quòd voluntatem determinet. Hanc enim prævenientem determinationẽ exitialem futuram libertati ſemper inclamant: unde non alium concurſum quàm indifferentem admittendum fore cenſent, quocum voluntas, & agere, & non agere, & agere unum, & agere aliud poſſit, quacumque potentia, etiam & contrariè oppoſitum. Adeòque illum concurſum indifferentem à cauſis ſecundis & determinari, & modificari contendunt.

Minor verò probatur hac ratione: nimirùm quòd idem cenſendum ſit, & reipsà Recentiores exiſtiment de gratia, & motione in ordine ſupernaturali, ac de concurſu communi, quo in naturæ ordine Deus cauſas ſecundas movet: Atqui judice D. Thoma dici non poteſt illum concurſum indifferentem eſſe, & à cauſis ſecundis determinari, & in rerum conditionem, ut in primam cauſam, & originem effectuum contingentiam revocari. Ergo.

Sed prætereà non poteſt ea motio eaque gratia non eſſe per ſe efficax, ſi ea cauſa ſit quòd voluntas agat, & quidem liberè agat; eaque motio ipſam libertatem efficiat: neque enim ulla vel minima ratio ſupereſſe poteſt, cur efficax per ſe ſe gratia negetur, ſi nullum periculum ſit, ea efficaci motione lædendam fore libertatem: Atqui ita eſt, ipſa enim Divina motio, ut eſt veluti ratio agendi Divinæ voluntatis, atque ea ſolùm ratione, quòd validiſſima, & efficaciſſima ſit, efficit ipſam libertatem voluntatis creatæ cùm agit, nec ſubinde periculum ullum ſubeſſe poteſt nè lædat libertatem. Ergo.

Argumenti Partes omnes ex ſola explicatione præfati Articuli S. Thomæ, manifeſtiſſimæ fient. Ita igitur habet Sanctus Doctor præfata quæſt. 23. de Veritate artic. 5.

Reſpondeo dicendum, quòd voluntas Divina non imponit neceſſitatem rebus omnibus. Cujus quidem ratio aſſignatur à quibuſdã, ex hoc quòd cùm volũtas ſit rerũ omnium prima cauſa, producit quoſdã effectus mediantibus cauſis ſecundis, quæ contingẽtes ſunt, & deficere poſſunt: & ideò effectus contingentiam cauſæ proximæ ſequitur, non autem neceſſitatem cauſæ primæ. Sed hoc videtur eſſe conſonũ his qui ponebant, à Deo omnia procedere ſecundùm neceſſitatem naturæ, ut quòd ab uno ſimplici procedebat immediatè unum habens aliquam multitudinẽ, & illo mediante procedit multitudo. Similiter ab uno omninò immobili dicunt, procedere aliquid quod eſt immobile ſecundùm ſubſtantiã, mobile autem, & aliter ſe habẽs ſecundum ſitum, quo mediante generatio, & corruptio in iſtis inferioribus accidit: ſecundùm quam viam non poſſet poni à Deo immediatè cauſari multitudinem, & res corruptibiles, & contingentes; quod eſt ſanæ fidei contrarium, quæ ponit multitudinem rerum corruptibiliũ immediatè à Deo cauſatam, utpotè prima individua arborum, & brutorum animalium.

Hæc prima hujus Articuli pars, quâ quorundã ſuorum temporum, ut videtur Theologorum ſententiam refert, & impugnat, qui exiſtimabant, à Deo immediatè cauſarum ſecundarum effectus non fieri, ſed productis jam cauſis, ipſique collata jam ſemel virtute agendi, veluti ſiſtere, & manum retrahere; ac deinde quamlibet cauſam immediatè ſuos effectus collata ſibi à Deo virtute producere: ideòque ex ſolâ conditione cauſæ ſecundæ, nulla habita ratione primæ cauſæ de effectibus eſſe judicandum; alios ſcilicet eſſe contingentes, alios autem neceſſarios: eò quòd quilibet ſuæ cauſæ, vel contingentis, vel neceſſariæ conditionem referret: quamvis tamen ab his dubio procul concurſus ſimultaneus non negaretur. Verum hanc ſententiam impugnat D. Thomas. Atque ut obſervet Eruditus lector quot alii errores ex eo primo oriãtur, aut cum eo connexi ſint, & S. Thomæ acutiſſimum ingenium

demi-

demirari poſſit qui occultiſſimas errorum fibras eſt perſcrutatus; eſt enim quædam errorum, ut & veritatum cognatio.

Igitur hanc quorundam ſui temporis Theologorum ſententiam, inquit Sanctus Thomas, affinem eſſe eorum Philoſophorum errori, qui omnia ex neceſſitate fieri exiſtimabant, & qui cùm animaduerterent, ut ait S. Doctor Opuſc. 15. cap. 10. *Primum rerum principium eſſe penitùs unum & ſimplex, exiſtimarunt, quòd ab eo non procederet niſi unum, quod quidem etſi rebus inferioribus ſimplicius ſit, & magis unum; deficit tamen à primi ſimplicitate, in quantùm ipſũ non eſt ſuum eſſe, ſed eſt ſubſtantia habens eſſe: & hanc nominant intelligentiam primam, à qua quidem jam dicunt poſſe plura procedere. Nam ſecundùm quòd convertitur ad intelligendũ ſuum ſimplex, & primum principium, dicunt quòd ab ea procedit intelligentia ſecunda, prout verò ſeipſã intelligit ſecundùm id quòd eſt intellectualitatis in ea, producit animam primi orbis. Prout verò intelligit ſeipſam quantùm ad id quòd eſt in ea de potẽtia, procedit ab ea corpus primũ, & ſic per ordinẽ uſque ad ultima corpornm, hunc proceſſum à primo determinant. Et hæc eſt poſitio Avicennæ*, alioquin præſtantiſſimi Phhiloſophi, quem reparatæ ſalutis anno 992. natum, ad 1050. perveniſſe ferunt; adeò Ariſtotelis Philoſophiæ addictum, ut ejus Metaphyſicæ libros duodecim ita didiciſſet, ut eos memoriæ affixos haberet, ſicut & Mahometis Alcoranum quem profitebatur. Unde fidei lumine deſtitutus, etſi magno ingenio præditus, in eum errorem lapſus eſt. Eundem hujus Arabis Philoſophi errorem paucioribus verbis, ut ſolet D. Thomas refert 1. par. quæſt. 47. ubi de rerum multitudine, & diſtinctione agit, quam veteres inquit, non immediatè Deo ſed cauſis ſecundis tribuebant, *Sicut Avicenna, qui dixit quòd Deus intelligendo ſe, produxit intelligentiam primam: in qua quia non eſt ſuum eſſe, ex neceſſitate incidit compoſitio actus, & potentiæ. Hæc igitur prima intelligẽtia in quantùm intelligit ſe ſecundùm quòd eſt in potentia, producit corpus Cæli quod movet: in quantùm verò intelligit ſe ſecũdùm illud quod habet ad de actu, produxit animam Cæli.* Pulchra Philoſophi etiã inter philoſophandum ſomniantis cogitatio: cui altera ſimilis eſt Philoſophi cujuſdã Iſaac, qui Angelum in umbra Dei productum dicebat; animam in umbra Angeli; corporeã formam in umbra animæ: quod ad Cabaliſtarum deliria pertinere videtur, & quamvis hęc ita inflecti poſſint, ut etiam principiis fidei cõſentanea ſint, ut & S. Thomus interdum iis rectè uſus eſt, ut aliàs diximus.

Nec verò unus in eo errore fuit Avicenna, inæqualitatem ſcilicet, ac multitudinem rerum ab uno ſimplicique principio prodire non poſſe. In eadem fracta navi verſabantur etiam Ariſtotele Antiquiores Philoſophi, à quibus variæ confictæ ſunt inæqualitatis rerum cauſæ. Quos inter alii, ut refert Divus Thomas 2. cont. Gent. cap. 39. non alia admittebant *principia quàm materialia, ſcilicet indiviſibilia corpora ejuſdem naturæ, ſed differentia figuris, poſitione, & ordine, ex quorum concurſu, quem oportebat eſſe fortuitum, cùm cauſam agentem negarent; ponebant eſſe diverſitatem in rebus propter prædictas tres Atomorum differẽtias, ſcilicet figuræ, ordinis, & poſitionis.*

A quo etiam veterum errore, quorumdam hujus ętatis Philoſophorum opinio non ſatis aliena eſſe videtur; unoque tantùm gradu ſejuncta, quòd ſcilicet cauſam agentem primumque principium non neget: cætera enim omnia nihilo ſecius ultro admittunt, (adeò nihil eſt ſub Sole novum,) rerum omnium differentias, ex eadem materia pro varia corpuſculorum inſectilium figura ordine, & poſitione eſſe diverſa.

Huic equidem errori voluiſſe ſe ſe opponere Origenes viſus eſt, ea parte qua Veteres multitudinem, diſtinctionem, ac inæqualitatem rerum in Deum Authorem non poſſe referri exiſtimabant, ut obſervat Sanctus Thomas, prælaudato Opuſc. cap. 12. Cùm enim fides, rectaque ratio nos doceant, omnia à Deo primo principio produci ac fieri, ſervato etiam graduum ordine, & inæqualitate conſtituta: Philoſophi veteres cùm negare non poſſent hunc rerum ordinem, eamque multitudinem, & varietatẽ quam ipſis oculis conſpicimus, negarunt, omnia immediatè à Deo fieri, eò quòd ab uno ſimplici principio diverſa emanare non poſſe arbitrarentur.

Econtrà verò Origenes, ut in Deum Authorem omnia referret, alteram multitudinis, & inæqualitatis rerum primam veluti cauſam commentus eſt, ſcilicet meritorum inæqualitatem: Ac in alterum extremum lapſus eſt, cùm difficile ſit veritatis non minùs quàm virtutis medium tenere. *Aliqui è converſò*, inquit Sanctus Thomas, *volentes ſalvare immediatum rerum proceſſum ab uno principio, totaliter ab eis naturæ ordinẽ ſuſtulerunt. Cujus poſitionis Author invenitur Origenes fuiſſe. Conſideravit enim, quòd ab uno juſto Authore res diverſæ, & inæquales nõ poſſunt procedere, niſi aliqua diverſitate præcedente: nulla autem diverſitas præcedere potuit primam productionẽ rerum à Deo, quæ nihil præſupponit: unde ponebat, omnes res à Deo primò productas, eſſe æquales. Unde, quia corpora incorporalibus ſubſtantiis æquari nõ poſſunt, poſuit, in prima rerũ productione corpora nõ fuiſſe; ſed quod poſtmodùm rebus à Deo productis diverſitas intervenerit ex diverſitate motuum voluntatis immaterialium ſubſtantiarum, quæ ex ſua natura habent arbitrii libertatem. Quædam igitur earũ in ſuum principiũ ordinato motu volũtatis converſæ, in melius profecerunt, & hoc diverſimodè ſecũdùm voluntarii motus diverſitatem. Unde & inter eas quædã ſunt aliis ſuperiores effectæ, aliæ verò inordinato motu volũtatis à ſuo principio, ſicut adverſæ, & hæ in deterius defecerunt, quędam plus, quædam minus: ita ut hæc fuerit corporũ producendorũ occaſio, ut eis immateriales ſubſtãtiæ ab ordine boni averſæ alligarentur, quaſi uſque ad inferiorẽ naturã prolapſæ. Unde & totam diverſitatẽ corporũ dicebat procedere ex diverſitate inordinationis voluntarii motus immaterialis ſubſtantiæ, & quæ*

minùs à Deo aversæ fuerant, nobilioribus corporibus alligarentur, quæ autem magis, ignobilioribus.

Hactenus Sanctus Thomas referens Origenis somnium, & commentum, quo satis comprobatum est, quòd ut, inquit Sanctus Augustinus, interdum *Quædam acutissima, & excellentissima ingenia tantò in majores errores ierunt, quantò præfidentiùs tanquā suis viribus cucurrerunt.* Epist. 52. ad Macedonium. Verùm & aliam etiam D. Thomas lib. 2. cont. Gent. cap. 44. & propinquiorem errori Origenis occasionem fuisse observat: quia, inquit, *Volēs Origenes resistere antiquorum Hæreticorum objectionibus, & erroribus, qui ostendere nitebantur, diversam naturam boni, & mali esse in rebus ex contrariis Authoribus, propter multā distantiā inventam tam in rebus naturalibus quàm in rebus humanis, quā nulla merita præcessisse videntur: scilicet quòd corpora quædam sunt lucida, quædam obscura, quidā homines ex barbaris, quidā ex Christianis nascuntur; coactus est ponere, omnem diversitatem in rebus inventam ex diversitate meritorum secundùm Dei justitiam processisse.*

Hæc Sanctus Thomas, & alia, quibus errorem Origenis, & refert; ac multis deinde omninò evertit. Atque inde in alium errorem posteà Origenes dejectus est: ut enim illam boni & mali insertam naturam longiùs depelleret, libertatem omninò solutam, & inter utrumque statum mediam sibi finxit, ut nullo nec summæ felicitatis, nec ultimę miseriæ vinculo constringi unquam posset. Ex quo iterum in alium, & graviorem errorem prolapsus est. Lib. 1. Periarchon. cap. 6. *Unamquamque rationabilem naturam posse ab uno in alterum ordinem transire, & per singulos in omnes, & ab omnibus in singulos pervenire, dum accessus profectuum defectuumve varios pro motibus vel conatibus propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur.* Ubi nedum inter Angelos loca mutari posse inquit; sed, quod mirum est, in mentem venire potuisse; etiam Dæmones posse, inquit, ex inferis emergere, ac in Cælum provehi, fierique Angelos: ea ratione quòd semper illæsam, solutamque, & in omnem partem æquè pronam libertatem servari necesse sit.

Inde iterùm, ut diximus, in alium errorem veluti pronus decidit, quem D. Thomas in Theologis sui temporis reprehendit: non alia ratione actiones voluntatis in Deum referri debere, nisi quatenus ipsa voluntas à Deo esset Authore: ut observat Sanctus Thomas 3. cont. Gent. cap. 89: *Quidam*, inquit, *non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque præjudicio libertatis; conati sunt has authoritates male exponere, ut scilicet dicerent, quòd Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantùm dat nobis virtutem volendi; non autem sic quòd faciat nos velle hoc vel illud, sicut Origenes exponit in 3. Periarchon. liberum arbitrium defendens contra authoritates prædictas.*

Hactenus hæc variorum errorum connexio, & veluti concatenatio ex hoc uno errore, quòd scilicet ex uno simplicique principio plura diversa ac inæqualia produci non possint. Inde enim *Primò*: Philosophi, ut paucis dicta complectar, cùm inæqualitatem rerum sensibus manifestam negare non possent, negarunt, omnia à Deo immediatè fieri. *Secundò*: econtrà verò Origenes alteram partem amplexus; ut omnia in Deum Authorem referret, causam aliam quæ Deum ad eam inęqualitatem producendam impelleret commentus est, inæqualitatem scilicet meritorum voluntatis quæ inæqualitate status, conditionis, etiam & corporis compensata fuit. *Tertiò*: Unde coactus est voluntatem, aut voluntatis libertatem in omnibus, nullo naturarum discrimine constituto, æqualem à Deo productam admittere, quæ sponte sua se se ipsam discerneret, & discretionis aut inæqualitatis omnium etiam corporum causa esse posset, aut ea producendi occasio.

Quartò: Inde etiā Manichęis se se opponere velle visus est, qui, cùm duplicem naturæ boni, & mali mixturam in homine ponerent, alteram necessariò bono addictam, alterā necessariò malo affixam, libertatem utriusq; capacem negabant.

Quintò: ex eodem principio, scilicet voluntatem primam esse omnium inæqualitatum causam; iterum deduxit Origenes, actiones hominum bonas non alia ratione referri in Deum posse aut debere, nisi quòd Deus voluntatem homini contulisset: ita ut Divinæ virtutis causalitas aut intentio in sola voluntate producenda sisteret, atque ea producta deinde voluntas sua ipsa virtute à Deo accepta seipsa agere inchoaret, & in eam, & exercitium libertatis, & actionum meritum referretur.

Sextò. Atque inde ortum fuisse Pelagianorum errorem, omninò compertum est. Fuisse enim Origenem Pelagianorum non minùs quàm *Arianorum fontem*, ut à S. Thoma observatum est, nemo dubitat. Nam etiam se se velle Manichæis opponere Pelagiani palàm profitebantur, & Catholicos, ipsumque etiam Sanctum Augustinum, ad creandam ipsis invidiam, ut Manichæos traducebant, ut patet ex ipso S. Augustino lib. 1. contra duas Epistol. Pelagianor. & alibi sæpiùs. Nec minùs cætera omnia Origenis principia, aut veriùs errores advocabant; illumque in primis, non alia ratione Deum esse bonarum actionum Authorem, nisi quòd voluntatem liberumque arbitrium homini contulisset, in eoque liberò arbitrio gratis collato gratiam positam esse: voluntatem hominis esse primam suæ discretionis ac meriti causam: libertatem semper æqualem esse; nedùm ab omni necessitate solutam; sed nec ullius etiam gratiæ determinationis esse.

Septimò: hinc iterum quidam S. Thomæ temporibus Theologi necessitatem, & contingentiam, seu libertatem omnium effectum in solam causarum contingentium conditionem, non in Deum primam, & immediatam causam referebant: ita ut ideò effectus necessarii essent, quòd ex causis necessariis orirentur, contingentes ex contingentibus, liberi demùm ex causis liberis, ut jam diximus suprà; nec Deus eam contingentiam effe-

ctuum

ctuum, & actuum humanorum libertatem efficeret. Quod ſanè idem eſt quod in Origene aliiſque reprehendit S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 89. Quòd cùm non intelligerent, qua ratione motum voluntatis Deus in nobis efficere poſſet abſque præjudicio libertatis, conati ſunt authoritates Sacræ Scripturæ ita exponere, ut Deus efficeret in nobis velle, & perficere, ea ſolùm ratione quòd virtutem volendi nobis contuliſſet, non quòd reipsà efficeret nos velle. Id enim planè eſt quod hi apud S. Thomam Theologi aſſerebant, contingentiam aut libertatem effectuum, ſeu actuum noſtræ voluntatis in ſolam libertatem eſſe refundendam: etſi tamen probabile non ſit, D. Thomæ temporibus ab ullo Theologorum negatam fuiſſe gratiam quæ præveniret voluntatem; cùm poſt Conciliorum definitiones, à quibus Pelagianos, & Semipelagianos damnatos fuiſſe compertiſſimum erat, nullus inter Theologos meritò recenſeri potuiſſet, qui Divina gratia præveniri voluntatem inter Fidei principia reponi dubitaſſet.

Et quidem non omnis gratia impedire poteſt, quominùs libertas; ac in ſtudio virtutis, libertatis exercitium, in voluntatem, ut primam cauſam referri poſſet. Si enim gratia indifferens ſolùm admittatur, & quæ phyſicè, ac in genere efficientis cauſæ, nec determinet nec moveat voluntatem; planum eſt, in voluntatem ſolam exercitium libertatis eſſe referendum: de quo plura infrà.

Hactenus pro explicatione primæ partis Artic. D. Tho: quibus omnibus longus ſatis veluti errorum funis deductus eſt, quem unico ictu abrumpi poſſe, eoque abrupto eos omnes errores concidere, animadverti facilè poteſt unico S. Thomæ principio: ex quo intelligi ſatis etiam poteſt, quàm opportunum ſit ac neceſſarium Fidei ſtabiliendæ, ac muniendæ, hæc D. Thomæ doctrina, quam ſubjungimus explicatione alterius partis Articuli; omnia ſcilicet in Deum Authorem ſimpliciter referenda eſſe, multitudinem, inæqualitatem, diverſitatem, diſcretionem, contingentiam, libertatem: neque cauſarum effectus contingentes aut liberos eſſe ſolùm, quòd cauſæ contingentes ſint aut liberæ; ſed quòd Deus efficaciſſimè, & inſuperabili ſuæ Omnipotentiæ vi efficiat, ut cauſæ contingentes contingenter, & cauſæ liberæ liberrimè operentur.

Igitur poſtquàm Sanctus Thomas eam ſententiam, de qua jam ſatis multa diximus retuliſſet; eam ita impugnat, & veriſſimam rationem explicat, unde & libertas, & contingentia oriantur. *Et ideò* inquit loco citato q. 23. de Verit. a. 5. *oportet aliam principalem rationē aſſignare contingentiæ in rebus, cui cauſa præaſſignata deſerviat.* Obſerva hæc verba quæ deinde explicabimus, & magni momenti exiſtimanda ſunt. *Oportet enim, patiens aſſimilari agenti, & ſi agens ſit fortiſſimum erit ſimilitudo effectus ad cauſā agentem perfecta; ſi autem agens ſit debile, erit ſimilitudo imperfecta; ſicut propter fortitudinem virtutis formativæ in ſemine filius aſſimilatur patri, nō ſolum in natura ſpeciei, ſed in multis aliis accidentibus. Econtrariò verò propter debilitatē prædictæ virtutis annihilatur prædicta aſſimilatio, ut dicitur in libro de Animalibus. Voluntas autē Divina eſt agens fortiſſimū; unde oportet, ejus effectū ei omnibus modis aſſimilari, ut nō ſolùm fiat id, quod eſt quaſi aſſimilari ſecundùm ſpeciem; ſed ut fiat eo modo quo Deus vult illud fieri, ut neceſſariò vel contingenter, citò vel tardè; quòd eſt quaſi quædā aſſimilatio ſecundū accidentia. Et hunc quidem modum rebus Divina voluntas præfigit ex ordine ſuæ ſapientiæ. Secundùm autē quòd diſponit, aliquas res ſic vel ſic fieri, adaptat eis cauſas illi modo quæ diſponit. Quē tamē modū poſſet rebus inducere etiam illis cauſis nō mediantibus. Et ſic non dicimus quòd aliqui Divinorum effectuum ſint cōtingentes ſolummodò propter contingentiam cauſarum ſecundarū, ſed magis propter diſpoſitionē Divinæ voluntatis quæ talem ordinem rebus providit.* Hactenus S. Thomas.

En igitur ex D. Thoma, veram ac primam, & contingentiæ, & libertatis cauſam, ſcilicet quòd *Divina voluntas eſt agens fortiſſimum*, ideoque *oporteat, effectum ei omnibus modis aſſimilari*, nec ſolùm cauſis contingentibus, vel liberis ex quibus proximè effectus oriuntur; ſed maximè oportet ei, ſcilicet voluntati Divinæ modum præfigenti, & efficienti *aſſimilari*: *ut non ſolùm fiat id* quomodocumque quod fit, *ſed ut* etiam *fiat eo modo quo Deus vult illud fieri*, ſcilicet vel contingenter, vel liberè. Ergo ex S. Thoma; veriſſima ac prima cauſa, cur voluntas hominis, quæ eſt cauſa libera, liberè operetur, ea eſt, quòd *Deus eſt agens fortiſſimum*, quòd *Divina voluntas eſt efficaciſſima*, ut inquit 1. par. quæſt. 19. art. 8. quòd ut habet in 2. diſt. 25. quæſt. 1. artic. 2. ad 1. *ſua Omnipotentia hoc facit*, ut voluntas liberè operetur. Ergo tantùm abeſt, ut ideò concurſus indifferens quærendus ſit, & paris conditionis indifferens gratia advocanda, nè voluntatis libertas extinguatur, & veluti præfocetur, ſi ab agente fortiſſimo, gratia efficaciſſima; Divinaque Omnipotentia voluntas hominis determinetur, & applicetur; ut econtrà ideò libertas integra ſit, & liberrimè voluntas operetur, quia ab agente fortiſſimo, gratia efficaciſſima, & Divinâ Omnipotentiâ voluntas applicatur. Quo unico S. Thomæ principio, ſi in hujus controverſiæ cauſa Judex Doctor Angelicus conſtituatur, res omninò confecta eſt, omniſque lis finita.

Sed obſervandum quod à D. Thoma dictum eſt, aſſignandam eſſe *principalem rationem contingentiæ in rebus, cui* altera *cauſa præaſſignata ſubſerviat*, quam ſcilicet ſui temporis Theologi aſſignabant, nimirum contingentiam rerum oriri ex cauſis ſecundis. Utrumque enim verum eſt: ſcilicet & contingentiam oriri ex cauſis ſecundis, & oriri etiam ex prima cauſa. Atque illud eſt quòd ſæpiùs plurimos fallit, potiſſimùm qui extrà D. Thomæ Scholam audiunt. Cùm enim apud Sanctum Doctorem legant, effectuum contingentiam, vel libertatem actuum, oriri ex eò quòd à cauſis contingentibus producantur; exiſtimant,

non aliam causam quærendam esse præter voluntatem. Unde tanquam principium usurpant, libertatem voluntatis in ipsam voluntatem tanquam primam radicem ita refundi, ut non possit immediatè esse à Deo, ut priùs movente; neque determinationem voluntatis liberam posse in Deum, ut primum agens, & causam priùs moventem referri. Atqui etiam expressè inquit Sanctus Thomas, duplicem causam esse contingentiæ (& libertatis) effectuum; scilicet alteram principalem, alteram verò quæ principali deserviat. Principalis est, quòd *Divina voluntas sit agens fortissimum*; unde oritur, effectum ei, scilicet Divinæ voluntati *assimilari, ita ut eo modo fiat, quo Deus vult fieri*: Altera verò minùs principalis est *præassignata* à sui temporis Theologis, scilicet contingentiam oriri ex eo quòd effectus producantur *mediantibus causis secundis, quæ contingẽtes sunt* (& liberæ) *&* quæ *deficere possunt*. Unde, ut rectè observat Sanctus Thomas, cùm hæc causa minùs principalis sit, necesse est ut alteri principali deserviat; atque inde etiam concludit Sanctus Doctor: *Et sic non dicimus, quòd aliqui Divinorum effectuum sint cõtingentes*, aut liberi, *solummodò propter contingentiã causarum secundarum, sed magis propter dispositionem Divinæ voluntatis quæ talem ordinẽ rebus providit.* Igitur dici equidem potest, ideò voluntatis actus liberos esse quia oriuntur à potentia libera, scilicet voluntate; sed id *non solummodò, sed magis* dicendum, liberos esse propter dispositionem Divinæ voluntatis; *quia voluntas Divina est agens fortissimum: Unde oportet, ejus effectum omnibus modis ipsi assimilari, ut non solùm fiat illud* quod vult fieri, *sed* etiam *ut fiat eo modo quo Deus vult illud fieri.*

Hæc pro explicatione Articuli D. Thomæ, quo Argumenti duplicis initio positi partes omnes apertissimè demonstrantur. Quisquis sincero animo cupiet S. Doctoris sententiam in hac gravi controversia nosse, nec seipsum decipere velit; consulo, utrumque hunc Doctoris Angelici Articulum 1. par. quæst. 19. art. 8. & quæst. 23. de Verit. art. 5. attentè perlegat, in quo totius controversiæ apertissimam resolutionem reperiet.

ARTICULUS VIII.

Triplex observatio ex S. Thoma. Prima Observatio. Quo sensu intelligendum, Divinum concursum in causis secundis determinari?

EX his omnibus quæ supra retulimus, seu ex libro Perihermenias, seu ex hoc ultimo Articulo D. Thomæ, tria facilè colligi possunt, & observatione digna esse existimo, quibus quàm facillimè, quæcumque objici possunt, resolventur. Ac in primis quod interdum à S. Thoma verissimè germano sensu dictum est, motionem primi moventis in causis, vel à causis secundis determinari.

Primò, itaque observandum, aliud de prima omnium causa, scilicet voluntate Divina: aliud verò de cæteris causis, etsi in suo ordine primæ dici possint, ut inter corpora sunt cæli, esse sentiendum. Etenim *omnis alia causa cadit sub ordine necessitatis, vel cõtingentiæ. Et ideò oportet, quòd vel ipsa causa possit deficere; vel ejus effectus non sit contingens, sed necessarius.* 1. Periherm. lect. 14. hoc enim utroque ordine quæcumquæ aliæ causæ quæ Universum constituunt, coërcentur, scilicet aut sub ordine necessariæ causæ, aut sub ordine contingentis positæ sunt, neque mutare unquam eum ordinem possunt, aut in alium transilire, ut sæpiùs dictum est. Unde si effectus contingens sit, id est sit positus sub ordine contingentiæ, etiam necesse est, sub eodem ordine causam positam esse, & posse deficere. Quòd si causa non posset deficere, effectus non esset contingens, sed necessarius, quia necesse est, & causam, & effectum sub eodem ordine contineri: aut, ut inquit Sanctus Thomas 6. Metaphys. lect. 3. sola prima causa est, à qua primariæ leges constitutæ sunt; reliquæ causæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed iis subditæ sunt, & ut subditæ agunt. Unde nunquam contingit, si sola rerum natura, & conditio spectetur, quòd causa agat immutabiliter, & effectus sit contingens.

At verò altioris in infinitum conditionis est prima causa, voluntas scilicet Divina, quæ nullo ordine continetur. *Nam voluntas Divina intelligenda est extra ordinẽ entium existens, veluti quædã causa profundens totum ens, & omnes ejus differentias*, scilicet *possibile, & necessarium: & ideò ex ipsa* eadem *voluntate Divina originantur necessitas, & contingentia*: sola enim voluntas Divina est, quæ constituit legem necessitatis, & contingentiæ.

Atque id sanè minùs attentis mirùm forsitan videri potest, quòd eadem causa, & necessitatem inducat, & contingentiam simul efficiat. Sed ea primæ causæ prærogativa est: nam aliæ causæ si contingentes sunt, contingentes solùm effectus producunt; si necessariæ necessarios; si liberæ liberos: sed hoc unum eximium, singulare, ac primâ causâ dignum est, quòd cùm utrique ordini necessitatis, & contingentiæ superemineat, utriusque ordinis effectus producere possit, sicut creatæ omnes causæ non movent nisi motæ: prima verò causa immota stabilisque manens dat cuncta moveri.

Atque inde facilè explicari possunt, quæ interdum habet S. Thomas, cùm primam causam ac Divinum concursum confert cum causarum secundarum, v.g. Cæli concursu, aut etiam animæ, quem concursum indifferentem esse, & à causis etiam secundis determinari, dubium non est: ea enim comparatio est semper intelligenda, salva

præ-

prærogativa cauſæ primæ, ut ſtatim altera obſervatione dicemus. Et quidem determinari cauſarum ſuperiorum influxum, ſæpiùs dixit S. Thomas; cæterarum enim cauſarum omnium concurſum indifferentem eſſe, ac propriè ab inferioribus cauſis determinari poſſe, nemo eſt qui dubitet, quòd tum in cauſis formalibus, tum in efficientibus ſatis perſpicuum eſt: à ſpecie enim genus determinari, & ab individuo ſpeciem, etiam tyrones docentur. Atque idem in cauſis efficientibus inferioribus obtinet: quòd enim virtus activa corporis cæleſtis determinetur, vel ad roſam, vel ad violam producendam, immò quòd ad florem vel leonem producendum, ex varia cujuslibet particularis, & veluti matricis cauſæ diſpoſitione determinetur, res etiam aperta eſt.

Atque de his cauſis infra primam poſitis intelligit S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 99. cùm inquit, quòd *Virtus activa univerſalis ad particularem effectum determinari poteſt .... per cauſam mediam particularem; ſicut virtus activa cæleſtis corporis determinatur ad effectum generationis humanæ per virtutem particularem quæ eſt in homine; ſicut in ſyllogiſmis virtus propoſitionis univerſalis determinatur ad particularem concluſionem per aſſumptionem particularem.*

Hæc S. Thomas. Quibus ſimillima ab ipſo ſæpiùs dici ultrò fatemur, quæ aliarum cauſarum concurſum indifferentem eſſe ſignificant, & à cauſis inferioribus determinari. Verùm indè nulla ratione deduci poteſt idem de Divino concurſu eſſe dicendum. Quin etiam aliud omninò eſſe ſentiendum, expreſſiſſimè D. Thomas obſervat, ut ſupra animadvertimus. Etenim 1. par. quæſt. 19. art. 8. cùm eorum ſententiam retuliſſet, qui exiſtimabant, ex Divina voluntate contingentiam rerum, non immediatè, ſed mediatè ſolùm oriri, & ea dumtaxat ratione quòd cauſas, vel contingentes, vel neceſſarias produxiſſet, ex quibus ſimiles effectus orirentur: Hanc ſententiam expreſsè impugnat S. Doctor. *Primò, quia effectus alicujus primæ cauſæ eſt contingens propter cauſam ſecundam, ex eo quòd impeditur effectus cauſæ primæ per defectum cauſæ ſecundæ, ſicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autem effectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat.*

En igitur apertum diſcrimen à D. Thoma conſtitutum. *Virtus ſolùm per defectum plantæ* interdùm *impeditur*. Et ideò nihil vetat, quominùs influxus Solis jam à Sole immiſſus, & ab ipſo ſejunctus, & indifferens ſit, & à cauſa ſecunda determinetur. Neque enim poteſt hic influxus duo hæc conjungere; quòd nimirùm immutabiliter cauſam ſecundam moveat, v. g. plantam ad emittendum florem, & quòd ipſa planta contingenter florem ferat. Unde neceſſe eſt, influxum poſſe impediri, & contingentem eſſe, ſicut ipſa planta eſt cauſa contingens. Atqui è contra cauſa prima cùm ſit extra ordinem omnium entium, poteſt utrumque conjungere, ſcilicet & immobiliter movere cauſam contingentem, & tamen efficere, ut contingenter agat, quia ipſam contingentiam efficere poteſt; & ideò prima omnium cauſa impediri non poteſt: & quia non poteſt impediri, ideò efficit ut effectus contingens ſit. Et ut advertimus ſupra, *Divina providentia per ſe cauſa eſt, quòd hic effectus contingenter proveniat, & hoc caſſari non poteſt.* 3. cont. Gent. c. 94.

Atque adeò minimè neceſſe eſt, quòd influxus cauſæ primæ indifferens ſit, & poſſit impediri. Quinimò è contra, quia impediri non poteſt, quia ſummè efficax eſt, ideò indifferens non eſt, nec à cauſa ſecunda determinatur; ſed eam determinat; & dum eam determinat, efficit quòd ipſa etiam contingenter agat, ipſamque contingentiam efficit. Et hoc ſingulare eſt in prima cauſa quæ infinitis dotibus ſuperat cæteras cauſas.

Sed prætereà nec cauſa prima poteſt indifferens eſſe altera ratione S. Thomæ. Quòd nimirùm ſequeretur, effectum præter intentionem cauſæ oriri: quam rationem ſupra proſecuti ſumus. Verum quidem eſt, ut notat D. Thomas præclariſſimo illo opuſculo de Angelis cap. 10. eam opinionem Avicennæ fuiſſe; quòd ab uno, ſcilicet Deo, non procedat niſi unum, ſcilicet prima intelligentia, & deinde cætera omnia ordine quodam: ſed eam opinionem impugnat S. Doctor ea ratione, quòd ſequeretur, diſtinctionem, & multitudinem rerum eſſe præter intentionem primi agentis, ut dictum eſt ſupra. Verùm notat Sanctus Doctor veluti Avicennæ partes agens: *Poteſt dici quòd rerum diſtinctio, & ordo procedit quidem ex intentione primi principii, cujus intentio eſt, non ſolùm ad producendum primum cauſatum, ſed ad producendum etiam totum Univerſum; ſed tamen quodam ordine, ut ipſe immediatè producat primum cauſatum, quo mediante alia per ordinem producat in eſſe.* Atque eadem ratione dici etiam forſitan poſſet, nihil vetare quominùs Divinæ gratiæ concurſus indifferens ſit, quia nihilo ſeciùs effectus cauſæ ſecundæ, & liberæ ex intentione Dei agentis oriri poſſet. Cur enim non potuerit Deus rerum naturas, & maximè voluntatem hominis ita conſtituere, quòd ſe ipſam primò moveret, ut major eſſet libertatis laus in bono opere; ut non alio concurſu unquam indigeret humana voluntas, niſi indifferentis gratiæ, quam ipſa voluntas pro ſuo arbitrio determinaret, & applicaret? Quo fieret, eandem eſſe conditionem prævenientis gratiæ, quæ à voluntate determinatur ad ſingularem actum, ſicut & concurſus Solis, qui à planta determinatur ad ferendum determinatum florem.

Verùm hæc omnia, ac in primis Avicennæ opinionem, aut veriùs errorem impugnat Sanctus Thomas, ac potiſſimùm ea omninò ſublimi, & altiſſima ratione, quæ probat, intentionem agentis primi, ut & ipſius cauſalitatem non poſſe non pertingere ad omnes quantumvis minimas rerum differentias. Atque adeò nunquam neque intentionem, neque cauſalitatem, neque concurſum primæ cauſæ poſſe eſſe indifferentem; cùm ipſe concurſus ſeu primæ cauſæ cauſali-

salitas omnia determinet, omnia quantumvis minima in suis gradibus, suisque sedibus collocet. Enimverò, inquit S. Thomas: *Quantò aliqua causa est superior, tantò est universalior, & virtus ejus ad plura se extendit.* Quod hoc exemplo apertissimè comprobatur: virtus enim Cæli, ut posteà explicat, extendit se se ad rationem corporis producendam, quæ quidem ratio ad res omnes sublunares descendit. Verùm in ea ratione corporis sublunaris producenda, virtus Cæli, ejusque influxus omninò sistit, nec inferiùs descendit ad singularia, & minutissimas differentias, nisi quatenùs à causis particularibus inferiùs magis pertrahitur, & determinatur ad hoc potiùs corpus quàm alterum producendum, v. g. hunc determinatum florem potiùs quàm alterius speciei. Unde necesse est, ratione suâ indifferentem esse, & ab aliis causis determinari. At verò quia prima causa altissima est, superatque supremum qui intelligi unquam possit rerum ordinem, ipsius operatio infrà res omnes descendit, & ad minutissima quæque pertingit, ac primum omnium rerum fundum primamque rationem producit. Unde nunquam sistere potest, ita ut deinde ab aliis causis inferiùs pertrahatur, & determinetur; sed ipsa res omnes in suis gradibus collocat, vel inferioribus, vel altioribus, ut se se variè communicat. Unde egregiè concludit S. Thomas, omnia non per gradus, non mediatè à Deo descendere, & dependere, sed immediatè à Deo produci: quod deinde præclarissimo exemplo explicat. *Assimilatur enim*, inquit, *talis productio processui, vel causalitati quæ in intelligibilibus invenitur, in quibus natura rei secundùm se ipsam non dependet nisi à primo: sicut natura senarii, & ejus ratio non dependet à ternario, vel binario, sed ab ipsa unitate. Non enim sex secundùm primam rationem speciei sunt bis tria, sed solùm sex, alioquin unius rei oporteret plures substantias esse.* Egregium omninò exemplum: unitas simplicissima est prima mensura regulaque numeri, & unica in suo ordine causa. Unde necesse est omnium numerum transcendat, & ad omnem seu maximum seu minimum perveniat: nam mille sunt semel, seu una solùm vice mille, centum semel centum, & quicumque numerus intelligi unquam possit, quæcumque sit multitudo, unitas locum habet, & veluti supereminet. Necesse enim est, esse unum numerum, esse unam multitudinem; nec ulla multitudo est nisi diffusione, & multiplicatione unitatis. Unde alibi confert S. Thomas unitatem cum centro respectu peripheriæ, & cum æternitate respectu temporis. Convolvit enim in se centrum lineas omnes quæ circumcirca diffunduntur; nec aliud est circumferentia quàm diffusio, & explicatio centri: quod de æternitate simplici, sed infinita faciliùs intelligi potest. Quod verò de unitate simplicissima dictum est, nulli numero convenire potest: quò magis compositus numerus est, minùs ad plura se se extendit: nam v. g. decem in centenario numero sunt dumtaxat decies decem. At verò unitas in centenario numero est centies. Ac deinde centum sunt una vice solùm centum. Unde unitas ad numerum omnem, quantumvis etiam minimum, pervenit, & tamen omnium maximo qui unquam intelligi possit semper supereminet: qua de re Platonici plura F. Nicolaus Cusa, Marsilius Ficinus aliique, imò & S. Dionys. de Divinis Nomin. c. 13. de Uno.

Eodem planè modo philosophandum esse censet D. Thomas de causis. Quò altior causa est ac simplicior, eò se se ad plura extendit: quod iterum hoc exemplo demonstratur. Si quæ variæ causæ sint variarum specierum animalis, v. g. equi vel leonis, ut Platonici ideas esse existimabant, à corporibus sejunctas, *Ad modum quo omnium artificialium principium est forma artis non in materia existens*, ut refert S. Thomas prælaudato opusc. 15. cap. 10. quas tamen causas secundùm Aristotelem veriùs, ut prosequitur D. Thomas, oportet ponere in corporibus cælestibus: sed ut ut sit, quælibet causa v. g. quæ speciei leoninæ præsidet, ad illam speciem extenditur solùm, in eaque producenda sistit, trahiturque à causis particularibus ad hunc vel alterum leonem producendum, sed intrà eandem speciem. Sed causa superior v. g. Sol, vel primum corpus mobile, seu absolutè Cælum, quod intelligi potest rebus omnibus sublunaribus influere, multò inferiùs descendit: quia non solùm ad speciem leonis, sed ad cæteras animalium ac plantarum omnes species se se extendit: indifferentem tamen eum concursum esse oportet, ut ad has vel illas minutissimas corporum species pertrahatur. Ergo causa simpliciter omnium prima, & altissima, necesse est quòd ad omnia simpliciter quantumvis infima, & minima se extendat, omnia determinet, omniaque constituat. Unde impossibile omninò est, unquam ejus concursum aut actionem indifferentem esse, sed necesse est, ut in ratione agentis causæ ad res omnes comparetur sicut esse, in genere formalis causæ; est enim esse, ut inquit Sanctus Thomas, *Actualitas actualitatum, & perfectio perfectionum.*

Atque iis principiis evertit S. Thomas solutionem quæ in gratiam Avicennæ adhiberi posset, & quam ipse S. Doctor supra retulit: probatque, non satis esse quòd supremi agentis intentio feratur ad primum productum, sed debere etiam ad omnia quantumvis minima, & infima se se extendere. Quia ratio, ut diximus, evidentissimè probat, nunquam Divinum concursum, ut indifferentem concipi posse, si primæ & altissimæ causæ conditionis ratio habeatur. Etenim tantundem sese extendit intentio agentis, quantùm ejus causalitas: cùm etiam in ipsa causalitate fundetur agentis intentio, ut præterea etiam docet Sanctus Doctor 1. par. quæst. **22.** art. 2. *Utrùm omnia sint subjecta Divinæ Providentiæ?* ac locis ibid. in margine annotatis. Unde quia causalitas, & concursus causæ superioris, v. g. corporis cælestis, non ultrà ferri potest, quàm ad rationem corporis sublunaris; ideòque in ea ratione solùm efficienda, intentio veluti cælestis

corpo-

corporis ſiſtit. Quoad cætera verò planè indifferenter ſe habet, & neceſſe eſt, ad unum potiùs quàm ad alterum trahi, & determinari conditione alterius cauſæ. Atqui de Deo longè aliter ſentiendum, ut mox diximus; cùm enim ſit ſuprema omnium, & altiſſima cauſa; neceſſe eſt, ad omnia etiam quantumvis minima, & ultimas etiam rerum differentias ſe ſe extendat, eoque penetret, ac pervadat. Unde impoſſibile eſt, Dei ſeu cauſæ primæ actionem, aut concurſum, aut intentionem indifferentem eſſe; ita ut ab altera cauſa pertrahatur, & determinetur ad aliquam alteram rationem producendam, quam ipſa prima cauſa directiſſimè, & immediatiſſimè, ut ita dixerim, non efficiat.

Et verò, quo pacto cauſa altera Divinum, ſeu cauſæ primæ concurſum ad rationem aliquam producendam pertraheret? A quo enim cauſa ſecunda haberet hoc ipſum quòd Divinum concurſum pertraharet? qua ſibi propria actione id ageret? ſed ad quam rationem efficiendam cauſam primam pertraheret, quam ipſam rationem prima cauſa ſeipſa immediatè non efficeret, aut efficere non intenderet?

Igitur intelligi quidem facilè poteſt, aliarum cauſarum concurſum indifferentem ac indeterminatum eſſe, & à cauſis inferioribus determinari. Sed de prima cauſa planè repugnat perfectiſſimæ, & univerſaliſſimæ ipſius cauſalitati, ita intelligi ejus concurſum vel actionem eſſe indifferentem, & à cauſis inferioribus poſſe determinari; ſed econtrà ipſa cauſa prima omnia efficit, omnia determinat, omnia ſuis in gradibus conſtituit, & collocat. Ex his facilè ſolvuntur quæ difficultatem aliquam ingerere poſſint. Et quidem ſemper præ oculis habendum eſt, quòd nullus Dei effectus quem intendit, impediri poteſt, ſed neceſſariò ex efficacia Divinæ virtutis conſequitur: & verum quidem eſt, non omnes effectus eſſe neceſſarios, ſed plures eſſe contingentes. Verùm non ideò impeditur effectus, aut efficacia voluntatis Divinæ, ſed magis impletur. Tandiu enim voluit Deus effectum eſſe, quandiu ab alio impeditus non eſt, quia *Res fiunt eo modo quo vult fieri, tardè, vel citò*, quæſt. 28. de Verit art. 5. ac longo vel brevi tempore durant, ut durare voluerit. Unde cùm S. Doctor eo loco citato 3. cont. Gent. cap. 99. inquit, quòd *Virtus Divina comparatur ad omnes virtutes activas ſicut virtus univerſalis ad cauſas particulares: virtus autē activa univerſalis activa ad particularem effectum determinari poteſt dupliciter, uno modo per cauſam mediam.* Illud intelligendum eſſe monet ſalvo diſcrimine, & ſervata prærogativa cauſæ primæ, quæ eſt efficaciſſima, cujus effectus nunquam impediri poteſt; quæque, cùm ſit extra omnem ordinem cauſarum, ipſam contingentiam efficit, nec ſubditur legibus contingentiæ (aut libertatis) aut neceſſitatis: quo infinito intervallo cæteras cauſas omnes ſuperat. Unde & S. Thomas ibid. inquit, quòd *Virtus activa univerſalis* (ſcilicet cauſæ ſecundæ, v. g. Solis) *ad particularem effectum producendum determinari poteſt dupliciter, uno modo per cauſam mediam*, eo ſcilicet modo quo diximus: ſed *alio modo*, inquit, determinari poteſt à Deo *qui poteſt producere immediatè omnem effectum quē producit quodcumque particulare agens*: quod nulla altera ſuperior cauſa efficere poteſt. Unde ſolùm Deus effectum quem efficit temperat ut libet, & ſi contingentem producat, tandiu ipſum producit, quandiu produci vult: & ſi vellet, nulla altera cauſa impedire effectum poſſet, quem vellet ipſe efficere.

Ex quo manifeſtiſſimum eſt, Divinum concurſum, & Divinam cauſalitatem eſſe primam omnis determinationis cauſam, nec poſſe unquam ab aliis cauſis determinari.

ARTICULUS IX.

Secunda obſervatio; Deum in cauſis ſecundis concurſum ac motionem temperare: non verò concurſum Divinū à cauſis ſecundis determinari.

ALtera, nec minùs neceſſaria obſervatio eſt, aliud eſſe, quòd Deus ſuum ipſe concurſum determinet, temperet, ac modificet: aliud verò, quòd à cauſa ſecunda determinetur, temperetur, & modificetur. Primum certum, & indubitatum eſt: ut enim ex D. Dionyſio cap. 4. de Divinis Nomin. refert S. Thomas, 1.2. qu. 1. ar. 4. *Ad Providentiā Divinam non pertinet naturā rerum corrūpere, ſed ſervare. Unde omnia movet ſecundùm eorum conditionem; ita quòd ex cauſis neceſſariis per motionē Divinā ſequantur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequantur effectus contingentes.* Et quis dubitet, quòd ſi vellet Deus contingentes natura ſua cauſas firmaret, & conſtringeret ut neceſſariò effectus producerent? ſed cauſas contingenter tandiu movet ut agant, firmatque ne deficiant, aliaſque cauſas arcet, quibus impediri poſſent, quandiu conſtitutus rerum ordo poſtulat. Semper enim ob oculos verſari debet, omnia ad Deum Authorem eſſe referenda, & in voluntatem Divinam, *ut eſt agens fortiſſimum*, quæ impediri non poteſt. Unde oportet, effectum ei omnibus modis aſſimilari, ut fiat eo modo quo Deus vult fieri, nec ſolùm neceſſariò, vel contingenter, ſed etiam *citò vel tardè*, quæſt. 23. de Verit. ar. 5. & longe vel brevi tempore durare, ut voluerit. Et verò, quis dubitet, varias rerum omnium cauſas à Deo conſtitutas, & juxta cujuslibet conditionem regi ac moveri? ut Boëtius fusè lib. 1. Metro. 5. explicat? Deus enim, ut deinde fusè, & egregiè proſequitur, Perpetuo æternoque ac immutabili nixus ſolio, omnia verſat ac movet „ *Legemque pati ſydera cogit.* Et cùm æſtas fervida Siriuſque ſegetes urit, ſeu Canis major ſtella primæ magnitudinis; „ *Tua vis*, inquit *variū tēperat annū*; etenim „ *Nihil antiqua*

quâ lege ſolutũ: „ *linquit propriæ ſtationis opus* „ *omnia certo fine gubernans* : ſcil. ſuum omnia ordinem, & veluti ſtationem ſervant. Atque eod. l. Metro 6. ſequente *Signat tempora propriis, aptãs officiis Deus* „ *nec quas ipſe coercuit*„ *miſceri patitur vices*. Quæ ultra Patres nemo eſt fermè ex Veteribus, qui non agnoverit.

Igitur ad primam cauſam pertinet, quòd res quaslibet propriis aptet officiis, & invicẽ miſcere non patiatur: nec quòd cõtingentes cauſæ effectus neceſſarios, vel neceſſariæ effectus cõtingentes producãt, niſi velit ipſe eas cauſas impedire.

Sed quòd cauſæ ſecundæ, & inferiores modificent, ac determinent concurſum, ac motionem cauſæ primæ, ex Divina intentione, & ut à Deo deſcendit, omninò, ut diximus, repugnat duplici illa ratione S. Thomæ: quia poſſet impediri, & quidem directè, & immediatè effectus cauſæ primæ, nec niſi veluti per ambages, & longo circuitu, & concurſu, ac diſpoſitione multarum cauſarum, poſſet certum effectum attingere, non verò ex eo quòd ſit agens fortiſſimum: ac deinde præter intentionem cauſæ primæ eſſet, quòd effectus contingens evaderet: eſſet enim indifferens concurſus, nec aliter eſſet ex Divina intentione, niſi quatenùs cauſas ſecundas condidiſſet, & in diverſos ordines digeſſiſſet; non verò ex eo quòd directè & intenderet, & efficeret ejuſmodi contingentiam in rebus. Neceſſe enim eſt, quòd hæc duo invicem conveniant, & Divina intentio, & Divina cauſalitas, ut ex S. Thoma jam ſæpiùs retulimus.

Atque ex hac ſecunda obſervatione explicanda ſunt ea omnia, quæ habet ſæpiùs D. Thomas, influentiam cauſæ primæ à cauſis ſecundis determinari: ut quæſt. 1. de Pot. art. 4. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quòd licèt cauſa primaria maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur*: & Opuſc. 2. cap. 69. *Quantò aliqua cauſa eſt magis univerſalis, tantò effectus ejus eſt univerſalior: nam cauſæ particulares effectus nniverſalium cauſarum ad aliquid determinatum appropriant*. Atque illud potiſſimùm quod ſæpiùs à D. Thoma dictum eſt, præſertim quæſt. 3. de Malo art. 2. *Quòd motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus*. Hęc enim omnia, & ſimilia ita explicanda ſunt, quòd Deus juxta Divinæ ſuæ ſapientiæ leges conſentaneum cauſarum naturæ, & conditioni impertit ſuum influxum: & ut dicitur Matth. 25. *Unicuique ſecundùm propriam virtutem*: Quæ verba ita explicat ibid. S. Thomas, ut poſſint etiam intelligi juxta capacitatem cujuſcumque rei naturalem: quod apertius etiam eſt in Angelis, quibus juxta naturæ menſuram gratia collata eſt, quod ad rationem Divinæ Providentię pertinet, ut centies repetit S. Thomas, ubi de Divina Providentia agitur.

Unde veriſſimum quidem eſt quod inquit S. Doctor quæſt. 1. de Potentia. *Quòd licèt cauſa primaria maximè influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur*. Sed quo ſenſu ita inquit? Forſitan quia hæc influentia merè indifferens eſt ſeipſa ad producendum vel florem, vel plantam, vel animal? Atqui nihil magis adverſum ſententiæ D. Thomæ, cùm, ut vidimus ſupra, eam expreſsè rejecerit. Et ſanè perindè eſſe videtur, ac ſi quis diceret, motum artis impreſſum penicillo à Pictore, æquè ad pingendam venuſtam imaginem, aut ad pingendum horrendum monſtrum indifferentem eſſe. Quo ſenſu igitur à Doctore Angelico dictum eſt, influentiam cauſæ primæ à cauſa ſecunda determinari? nimirùm quòd ipſa Divina Omnipotentia, & ſumma ſapientia Dei naturæ rerum, ſeu juxta diſpoſitionem cauſarum, aut, ut alicubi dicit, juxta prædominantem formam, concurſum tribuat, & unumquodque moveat juxta ejus exigentiam.

Et ſanè mirum eſt, ab his, qui iſta objiciunt, non fuiſſe obſervatam ſolutionem quam ipſemet D. Thom. veluti ſpontè in corpore Articuli exhibet. Sed cùm obſervata non fuerit, neceſſe eſt, eam à nobis explicari; nec dubito, quin ab Erudito Lectore maximè probanda ſit.

Quærit igitur S. Doctor art. 4. q. 9. de Potentia. *Utrùm ſit judicandum aliquid poſſibile, vel impoſſibile ſecundùm cauſas inferiores vel ſuperiores*: & Reſpondet: *Quòd ſi ſunt duæ ſcientiæ, quarum una conſiderat cauſas altiores, & alia minùs altas; judiciũ in utraq: non eodem modo ſumetur, ſed ſecũdùm cauſas, quas utraq; conſiderat; ut patet in Medico, & Aſtrologo, quorũ Aſtrologus conſiderat cauſas ſupremas, Medicus autẽ cauſas proximas. Unde Medicus dabit judicium de ſanitate, vel morte infirmi, ſecundùm cauſas proximas, id eſt, virtutẽ naturæ, & virtutẽ morbi: Aſtrologus verò ſecundùm cauſas remotas, ſcil. ſecundùm poſitionem ſyderum: Eodem modo eſt in propoſito: eſt enim duplex ſapientia; ſcil. mundana, quæ dicitur Philoſophia, quæ conſiderat cauſas inferiores, ſcil. cauſas cauſatas, & ſecundùm eas judicat; & Divina, quæ dicitur Theologia, quæ conſiderat cauſas ſuperiores, id eſt Divinas, ſecundùm quas judicat. Dicuntur autem ſuperiores cauſæ Divinæ attributa, ut ſapientia, bonitas, & volũtas Divina, & hujuſmodi. Sciendũ tamen, quòd iſta quæſtio fruſtrà moveretur de effectibus, qui non poſſunt eſſe niſi ſuperiorũ cauſarũ, id eſt, quos ſolus Deus facere poteſt: illos enim non convenit dici poſſibiles, vel impoſſibiles, ſecundùm cauſas inferiores. Sed hæc quæſtio movetur de illis effectibus, qui sũt cauſarum inferiorũ: hi enim effectus ſunt inferiorum, & ſuperiorum. Sic enim poteſt in dubitationem verti. Similiter etiam iſta quæſtio non habet locũ in illis poſſibilibus, & impoſſibilibus, quæ non dicuntur ſecundùm aliquam potentiam, ſed ſecundùm ſe ipſa. Effectus autẽ cauſarum ſecundarũ de quibus eſt quæſtio, ſecundùm judicium Theologi, dicuntur poſſibiles, & impoſſibiles ſecundùm cauſas ſuperiores: ſecundùm autẽ judiciũ Philoſophi, dicũtur poſſibiles, vel impoſſibiles ſecundùm cauſas inferiores. Si autẽ conſideretur iſtud judiciũ quãtùm ad naturam ejus de quo judicatur, ſic patet, quòd effectus debẽt judicari poſ-*

ſibiles

ſibiles vel impoſſibiles ſecundùm cauſas proximas, cùm actio cauſarum remotarum ſecundùm cauſas proximas determinetur, quas præcipuè effectus imitantur: & ideò ſecundùm eas præcipuè judiciũ de effectibus ſumitur: & hoc patet etiam per ſimile de potentia paſſiva; nã materia non dicitur propriè loquendo in potẽtia ad aliquid, quæ eſt remota, ſicut terra ad ſcyphũ, ſed quæ eſt propinqua ex uno motore potens exire in actum, ut patet per Philoſophũ 9. Metaphyſ. ſicut aurum eſt potentiâ ſcyphus, ſola arte educente in actum: & ſimiliter effectus inquantùm eſt ex ſui natura, non niſi ex propinquis cauſis poſſibiles, vel impoſſibiles dicũtur. Hactenus S.Tho.quibus nihil magis Theologo dignum dici unquam potuit. Atque ea omninò conſentanea ſunt iis quæ ex D.Auguſtino retulimus l.3.deTrinit. cap. 7. *Licuit vanitati Philoſophorum etiam cauſis aliis ea tribuere vel veris, ſed proximis, cùm omninò videre nõ poſſent ſuperiorem omnibus cauſam, id eſt voluntatem Divinam.*

En igitur apertiſſimam totius difficultatis reſolutionem. Inquiris, quæ cauſa ſit poſſibilitatis vel impoſſibilitatis rerum, quæ cauſa neceſſitatis & contingentiæ, quæ cauſa determinationis & indifferentiæ? Reſpondeo: duplicem cauſam eſſe, unam ſuperiorem, alteram inferiorem: & quidem ex utraque etiam judicium ferri poteſt. At ſi cauſæ inferioris dumtaxat inſpiciantur, Philoſophi dumtaxat judicium eſt: ſi verò ſuperiores, Theologi. Quiſquis igitur exiſtimat, aſſeritque, rerum poſſibilitatem, vel contingentiam, aut determinationem ex cauſis inferioribus ſolùm oriri, & veram quidem cauſam reperit, ſed inferiorem dumtaxat: Atqui vanam eſſe eam ſcientiam D. Auguſtinus exiſtimavit, quæ omnia ex inferioribus metitur, nec ad ſuperiora aſſurgit. At quiſquis poſſibilitatem, contingentiam, neceſſitatem, aut libertatem, ac determinationem cauſarum in primam, & ſuperiorem cauſam, ſcilicet Divinam voluntatem referet: is verè Theologum agit, & veriſſimam unde cæteræ omnes cauſæ oriantur cauſam, Divinam voluntatem reperit. At utriuſque partes interdùm S. Thomas agit, & Philoſphi, & Theologi. Philoſophi quidem: interdum enim rationes inferiores conſulit, inſpicitque naturas rerum, & cauſas proximas, ideoque effectus poſſibiles eſſe ac contingentes, in ea determinata ſpecie conſtitutos, inquit, *ex cauſis veris, ſed proximis.* Sed non in eo gradu naturæ infimo ſiſtit: aſſurgit enim altiùs, & rationes ſuperiores conſulit, & ut Theologum decet, *conſiderat cauſas ſuperiores, ideſt Divinas, ſecundùm quas & judicat*: eoq; pacto *ſecundùm judiciũ Theologi* inquit, *eſſe poſſibiles*, & cõtingẽtes, ac determinari *ſecundùm cauſas ſuperiores*, quia ipſa voluntas Divina ſola conſtituit leges neceſſitatis & contingentiæ: profundit totum ens, & omnes ejus differentias, ſcilicet poſſibile, & contingens: ac demum ex ea cauſa ſuperiori *origiantur neceſſitas, & contingentia*, omniſque determinatio.

Ex quibus manifeſtum eſt, mirè inter ſe conſentire, quæ in D. Thoma invicem opponi Recentiores arbitrantur, & ut adverſum nobis objiciunt. Unde etiam cætera facilè conciliari poſſunt: illud præſertim, quòd *Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus*, quæſt.3.de Malo art. 2. Conciliatur enim, & nullo labore, cum altero ſcilicet quòd *Deus omnia movet ſecundùm rationẽ mobilium, ut levia ſurſum, & gravia deorſum*, quæſt. 6. de malo artic. unico. Utrumque enim veriſſimè dictum eſt. Primum quidem ſecundùm cauſas inferiores, alterum verò ſecundùm ſuperiores: & ſi ab inferioribus ad ſuperiorem cauſam progreſſus fiat, dicendum, quòd *Motus primi movẽtis nõ recipitur uniformiter in mobilibus*, quia primum movens, ſcilicet *Deus, omnia movet ſecundùm rationem mobilium*. Quòd ſi econtrà à ſuperiori, & prima cauſa ad proximas, & ſecundas cauſas deſcenſus fiat; dicendum, quòd primum movens, ſcilicet Deus, *omnia movet ſecundùm rationem mobilium*, & ideò *Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus*. Atque eo pacto primæ cauſæ, ut æquum eſt, ſemper prærogativa ſervatur.

Et ſanè ex ipſo de quo ibi agit argumẽto S.Thomas, ſenſus poterat facilè intelligi. Agit enim *utrùm actio peccati ſit à Deo*: & inquit, quidquid perfectionis eſt in actu, eſſe à Deo; quidquid autem eſt deformitatis, eſſe ex pravitate voluntatis. Sicut quidquid perfectionis eſt in pullulatione plantæ, oriri ab influxu Solis: quidquid autem inutilitatis, ex corrupto germine. Sicut etiam quidquid eſt perfectionis in motu, eſſe ex perfectione tibiæ, quidquid claudicationis, ex curvitate. Atque ut hæc omnia explicet, aſſumit commune principium, quòd *Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus*. Quis verò in dubium revocet, Deum poſſe ita movere voluntatem ſi vellet, ut omnem ejus defectum impediret?

Animadvertendum enim ſemper eſt illud diſcrimen quod ſtatuit Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 19. art.8. *Quòd nullus defectus cauſæ ſecundæ poteſt impedire, quin voluntas Dei producat ſuum effectum*, quem voluerit, & ut voluerit: *Sicut interdum virtus Solis per defectũ plantæ impeditur.* Superat enim infinitis partibus virtutem Solis, ac virtutem motivam animæ, Divinæ voluntatis virtus, quia hæc *efficaciſſima eſt*. Unde *ſequitur, non ſolùm quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed & quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult.* Quæ dubio procul cæteris cauſis inferioribus virtus deeſt. Poſſet igitur Deus, ſi vellet, efficaciſſimam voluntati vim agendi conferre, quæ non ſolùm ſubſtantiam actus, ſed & perfectionem moralem actus attingeret. At cùm ita exigunt hujus ſapientiæ infinitæ, ac providentiæ leges, minorem concurſum tribuit, qui ſubſtantiam dumtaxat actus efficit, & deformitatem voluntatis permittit. Cur verò permittat, in longum imus ſi explicare id aggrediamur. Sed fusè in ſolutionibus argumentorum explicuimus, ubi ſemper ex parte voluntatis cauſam eſſe ex S. Thoma demonſtravimus, atque hìc ſupponimus.

Igitur certa est, ac communis sine ulla planè exceptione regula, quòd *Deus omnia movet secundùm rationem mobilium*, ac juxta causarum dispositionem. Atque eo sensu *Motus primi mobilis non recipitur*, ut inquit D. Thomas, *uniformiter in omnibus mobilibus*: v. g. cùm voluntas virtutum habitibus instructa est, veluti *leve sursum movet*, ac juxta dispositionem illius concursum tribuit, quo & actum voluntatis, & bonitatem moralem attingit. Cùm autem pravis habitibus voluntas corrupta est, & ad inferiora, & terrena curvatur; veluti *grave deorsum movet*, & cadere permittit: & concursum tribuit quo substantiam actus solùm attingit, & permittit voluntatis malitiam. Unde semper hæc duo concurrunt, ac invicem conciliantur: Deus prima causa est, quæ causam secundam determinat, etsi ex parte causæ secundæ ratio sit cur ita veluti objectivè determinetur, scilicet ex propria ipsius conditione, & dispositione, quamvis & ipsam eandem dispositionem, ubi de bono agitur, Deus infunderit: Nam sicut in ordine naturæ, *Deus aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes proveniant*, quibus causis cōsentaneum concursum tribuit, quo ita moventur, ut tamen deficere possint: eodem planè modo *voluntatē præparat*, quā deinde majori auxilio, & hujus dispositioni, & præparationi consentaneo adjuvat. Ubi autem de malo seu peccato agitur, eam dispositionem habet sola voluntas à se ipsa, & suo ipso fundo, aut origine, ut ex nihilo est.

Hæc ex tertia observatione majorem lucem accipient.

ARTICULUS X.

Tertia observatio: contingentiam, & libertatem in Deum ut causam principalem, & causas secundas ut minùs principales, referri debere.

TErtia observatio addenda est, nimirum quòd cùm duplex ex S. Thoma, causa contingentiæ, & necessitatis rerum concurrat; altera *Principalis, quòd Divina voluntas ut agens fortissimū omnibus modis effectum assimilet, ut non solùm fiat id quod vult fieri, sed etiam fiat eo modo quo vult fieri, necessariò, vel contingenter*, vel liberè; qu. 23. de Verit. art. 5. Altera verò minùs principalis, *& quæ alteri subservit*, scilicet quòd *effectus contingentiam causæ proximæ sequatur*, & quòd ideò effectus contingentes sunt, quia ex causis contingentibus oriuntur: inde fit utrumq; verum esse, & rectè dici: Primò quidem, effectus ideò contingentes esse, quia à causis contingentibus fiunt: Secundò, ideò contingentes esse, quia voluntas Divina agens fortissimum illam contingentiam immediatè efficit.

Verùm nunquam prætermittendum quod monet S. Thomas, primam rationem principalem esse, scilicet Divinam voluntatem, & voluntatis efficaciam: alteram verò solùm esse secundariam, quæ alteri subserviat, scilicet causarum creatarum contingentiam. Atque, ut exactissimè res explicetur, dicendùm cum D. Thoma quæst. citata de Ver. *Et sic non dicimus, quòd aliqui Divinorum effectuum sint contingentes*, vel liberi, solummodò *propter contigentiam causarum secundarum*; sed magis *propter dispositionem Divinæ voluntatis quæ talem ordinem providit*; quæque, cùm sit agens efficacissimum, etiam eam contingentiam immediatè efficit.

Atque eadem observatio est, quam jam suprà ex S. Thoma explicuimus, aliud esse judicium Philosophi, qui inferioris rerum rationes inspicit, & effectus contingentes esse inquit, ex causis contingentibus: Aliud verò esse judicium Theologi, qui contingentiam rerum, & libertatem actuum in Divinam voluntatem, ejusque summam, & infinitam efficaciam refert.

Ex ea verò observatione explicari quàm facillimè possunt, quæ habet interdum S. Thomas, & quibus contingentiam effectuum contingentiæ causarum secundarum adscribit, ut 1. par. qu. 14. art. 3. ad 1. quòd, *Licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentiam*; *sicut germinatio plantæ propter proximam causam contingentem, licèt motus Solis, qui est causa prima, sit necessarius: & similiter scita à Deo sunt contingentia propter causas proximas, licèt scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria*. Similia habet S. Doctor 3. contra Gent. cap. 94. & in 1. dist. 38. quæstione unica articulo 5.

Quod quidem verissimum est: ea enim etiam ratio licet minùs principalis, concurrit tamen ad contingentiam effectuum, quòd scilicet, *Effectus contingentiam causæ primæ sequitur*. Verùm *oportet etiam principalem rationem assignare in rebus cui causa præassignata subserviat*, nimirum quòd Divina *voluntas sit agens fortissimum*: Atque adeò *non dicimus, quòd aliqui Divinorum effectuū sint contingentes* (vel liberi) solummodò *propter contingentiam causarum secundarum*. sed magis *propter dispositionem Divinæ voluntatis*, quæ ita causam secundam movet, ut contingens hujus effectus sit, & quidem infallibiliter contingens.

Quod autem Solis exemplum affertur, qui est prima causa corporea, intelligendum est salva semper prærogativa primæ causæ, & cum eo discrimine quod est à S. Thoma observatum 1. par. quæst. 19. art. 8. virtutem Solis impediri posse, non verò posse impediri voluntatem Divinam; in quam subindè omnes rerum omnium perfectio, necessitas, contingentia, ac libertas, ut in primam simpliciter causam referenda est.

Atq; ex hac triplici observatione facilè solvi, & refelli possunt, aut explicari, quam vim habeant ea omnia exempla quibus aliqui hanc indeterminationem Divinæ motionis astruere conantur: & quamvis forsitan opportuniùs de his agi posset

infrà,

infrà, cùm opinionem ſingularem Joſephi à vita refellemus. Attamen cùm hìc ſeſe occaſio offerat, viſum eſt hìc ea refellere, ut ſic etiam amoveatur ſcrupulus, qui ex variis exmplis injici poſſet, quæ interdùm circumferuntur, & quæ triplici obſervationi jam poſitæ adverſari viderentur.

Quatuor verò exempla colligit Joſephus, & ita pauciſſimis verbis comprehendi poſſunt, quæ ipſe fusè ſatis expendit. Per vitrum coloris viridis determinatur radius Solis. ut viride lumine emittat: determinatur eadem actio, & influentia Solis, ut liquefaciat ceram, & lutum induret: emiſſus ex follibus flatus in organum pro varia fiſtularum capacitate varium ſonum edit: in machina qua fila ſerica præparantur, dum ex unico ac ſimpliciſſimo motu volvitur; attamen fuſa torquent fila, & rhombi ea glomerant &c.

Quibus omnibus exemplis conſtat, radium Solis, flatum ex follibus emiſſum, machinæ motum variè modificari ex variis ſubjectis, ut varias qualitates inducat, aut varios effectus producat; radius viridis fiat, flatus varios ſonos edat, machina varia inſtrumenta torqueat.

Sed opportuniſſimum omnium exemplum eſſe exiſtimavit Joſephus, illud quod ex D. Thoma in 3. diſt. 23. quæſt. 3. art. 1. refert, quod ſanè præclariſſimum eſſe dubitari non poteſt, ſed quo non prævidit profligandam omninò eſſe ipſius ſententiam de indifferentia, & indeterminatione Divinæ motionis, ut deinde oſtendemus. Unde & verba omnia ex S. Thoma referenda ſunt; ſic igitur habet: *Dicendum, quòd in agentibus ordinatis fines agentium ſecundorum ordinatur in finem agentis primi, ſicut totum univerſum ordinatur ad bonum quod eſt Deus, ut dicit Philoſophus in* 11. *Metaph. & ideò actio primi agentis eſt prior, & poſterior: prior in movendo, quia actiones omnium ſecundorũ agentium fundantur ſuper actionem primi agentis, quæ cùm ſit una communiter omnes firmans, ſpecificatur ejus effectus in hoc & in illo ſecundùm exigentiam illius, ſicut uno præcepto Ducis præcipientis bellum, unus accipit gladium, alius parat equum, & ſic de aliis: eſt autem poſterior in utendo aliorum actibus in bonum proprium, & ſic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionem agentis primi.*

Hæc D. Thomas, quibus nihil ſolidius, & pro dignitate primæ cauſæ nihil ſublimius dici potuit: *Fundantur*, inquit, *actiones omnium ſecundorum agentium ſuper actionẽ primi agentis*. Quàm egregiè, ac ſolidè id dictum eſt. Neque verò ea ſolùm prima Dei operatio, quæ Mundum produxit, Mundum ipſum ſuſtinet; atque ea prima Imperialis vox, ut loquitur Tertullianus, aut efficax verbum quod eduxit Mundum ex nihilo, omnia portat, qua ratione cùm ipſa voce aut verbo, virtutem & potentiam Apoſtolus conjunxit: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*.

Sed præterea niſi Deus res cauſaſque moveret perpetuò quoties acturæ ſunt, inertes omninò eſſent, nec ſtatio eſſet terris, nec motus cælis, nec actio cauſis; ſed omnia, quæ motu vivunt, extinguerentur, aut ſine motu eſſent: quia cùm ex ſeſe nihil ſint, nihilque habeant, nihilque agant, tantùm habent, tantùm valent, tantùm agunt, quantùm ipſis Divina motione, & Divina operatione tribuitur: ſi ipſis eſſe tribuatur, ſunt; ſi accepto eſſe ad agendum impellantur, agunt; ſi ſervato eſſe Deus eas ad agendum non moveat, inertes ſunt, neque agunt niſi applicentur, neque movere ſe poſſunt niſi moveantur à Deo, quia ex ſe nihil ſunt omninò, nec poſſunt: de quo plurima aliàs dicta ſunt. Unde neceſſe eſt, ut egregiè monet D. Thomas, quòd *actiones omnium ſecundorũ agentium fundentur ſuper actionem primi agentis*.

Verùm, quod in his D. Thomæ verbis obſervat prædictus Author, illud eſt, quod inquit S. Thomas, *Quòd cùm ſit una communiter omnes firmans ſpecificatur ejus effectus in hoc & in illo ſecundùm exigentiam illius; ſicut uno præcepto Ducis præcipientis bellum, unus accipit gladium, alius parat equum, & ſic de aliis*. Ergo. inquit Joſephus, etiam primi moventis actio, ſeu motus unicus & ſimpliciſſimus, pro varia cauſarum diſpoſitione ad varios effectus determinatur, ut perpetuò hoc axioma obtineat, *Quòd motus primi moventis recipitur in unoquoque, ſecundùm proprium ipſius modum*.

Verùm, ut & ipſe exemplis agam, in quo ſeſe Joſephus agnoſcat *In eodem prato bos herbam, canis leporem, ciconia lacertam quærit*, ut inquit alicubi Seneca. Ità planè ex iiſdẽ exemplis, ac potiſſimùm D. Thomę exemplo quibus colligi debuerat, Divinam motionem cauſas omnes modificare, & temperare: colligit econtrà hic Author, motum Divinum, ſeu Divinam motionem modificari, & determinari à cauſis ſecundis.

Unde Reſpondeo, quòd quæcumque exempla referantur, ſervãda eſt prærogativa primæ cauſæ: quare huic motui de quo perpetuò loquitur hic Author, addenda eſt vis illa quæ conſtituit veram Divinæ motionis notionem, & ea motio omnia efficit, omnia movet, nec immutatus ipſa, ſed omnia immutat. Etenim, ut inquit S. Thomas, *Deus omnia movet ſecundùm rationem mobilis, ut levia ſurſum, & gravia deorſum*, quæſt. 6. de malo art. unico. Omnia enim in Deum ut primam, & principalem cauſam referenda ſunt: quamvis enim varii ſint cauſarum effectus, alii contingentes ſint, alii liberi; non ea ſola ratio eſt, quòd cauſæ proximæ, unde oriuntur, variæ ſint, *ſed oportet etiam principalem rationem aſſignare contingentiæ* (libertatis, & varietatis effectus) *cui cauſæ præaſſignatæ deſerviant*. Hæc verò principalis cauſa *voluntas Divina eſt*, quæ eſt agens fortiſſimum, Divinaque motio, quæ eſt agentis fortiſſimi virtus. Unde oportet, ejus effectum *Ei*, ſcilicet & Divinæ voluntati, fortiſſimo agenti, & hujus virtuti Divinæ motioni *Modis omnibus aſſimilari, ut non ſolùm fiat id, quod eſt aſſimilari ſecundùm ſpeciẽ, ſed ut fiat eo modo quo Deus vult illud fieri, ut neceſſariò, vel contingenter, vel tardè, vel citò. Et hunc quidẽ modum Deus præfigit ex ordine ſuæ ſapientiæ* de ver. q. 1ſt. ar. 5. Vid. ſup. locũ integrum.

Unde dubitari non potest, quin hi qui ejusmodi exempla usurpant, iisque Divinæ motionis naturam explicare conantur, parùm pro dignitate motionis Divinæ hujus nobis notionem effingant; cùm in rebus creatis, ut dictum est sæpiùs, nihil motioni Divinæ simile esse possit: intelligenda enim est quædam participatio Divinæ virtutis ac Divinæ Omnipotentiæ, quæ omnia efficit, suumque consummat opus. Quæ verò comparatio cum levissimo statu qui pro varia tuborū dispositione vel comprimitur ad edendum acutiorem sonum, vel dilatatur, ut sonus gravior sit? Quæ comparatio cum rota majori, quæ inferiores, aliaque inserta instrumenta ducit; vel cum radio lucis qui per media diverso colore infecta transmittitur? Quæ comparatio demum cum Divinæ virtutis operatione, & Divinæ ac infinitæ artis motione? Addatur quæ addi deberet his omnibus infinita vis agendi, quæ Divinæ motioni eximia est, & quâ Deus, ut primum agens, & ut causa principalis, agit; hæc vis si desit; nulla comparatio est: quia Divina motio, ut est Divinæ Omnipotentiæ participatio, efficit, & quamcunque effectus rationem, & omnem ejus modum quicunque intelligi possit, quia omnia attingit sub ratione entis, quæ omnia comprehenduntur.

Sed multò opportunius exemplum est alterum ex D. Thoma assumptum, ex imperio Ducis in exercitu. *Sicut* enim *uno præcepto Ducis præcipientis bellum, unus accipit gladium, aliùs parat equum, & sic de aliis . . . . . & sic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionē primi agentis.* Aptissimum enim exemplum, quantùm in rebus creatis esse possit, sed quo etiam profligatur omninò adversa sententia: dubitari enim non potest, quin moraliter suoque imperio Dux exercitus omnium causa sit, ac moraliter applicet, alium quidem ut tympanum pulset, alium ut classicum canat, alium ut equum paret, alium ut gladium stringat, & hostem feriat. Unde ea omnia Duci præcipienti, ut causæ morali tribuuntur. Unde hoc unum Ducis imperium virtute multiplex intelligi debet, ita ut jubeat alteri ut vexillum erigat, alteri ut sequatur, & congrediatur cum hoste. Neque intelligendum est hoc imperium per modum qualitatis mortuæ instar lucis, aut instar alicujus motus; sed est viva vox, efficax in suo genere imperium, cui ea vis inest, ut quemlibet ad suum munus peragendum applicet. Et objectivè quidem determinatur Dux ut pro cujusque vario statu, & conditione, suum munus peragat, cuique imperet: neque enim tympanotribæ juberet, ut vexillum erigeret: sed ea cujusque conditione, & officiorum varietate suppositā, quemlibet moraliter ad suū munus actionemq; ab ipso peragendam movet, impellit, & applicat.

Hoc sanè exemplo, ut dixi, adversa sententia omninò profligatur; loquimur enim hic, resque omnis agitur in ordine physico: Ergo & in ordine physico Deus Universi rector ac Dux, ad cujus militiam etiam astra pertinent, suppositō omnium causarum discrimine, quas quidem ipse pro suo arbitrio constituit, quamlibet ad suum opus, suumque munus peragendum movet, & applicat: & quamvis, ut de exercitus Duce dictum est, Deus objectivè moveatur, ut quamlibet causam juxta ipsius genium applicet neque enim glaciem applicat ad calefaciendum, nisi statutum ordinem invertere velit, quod tamen potest si velit, sicut luto visum cœco Christus restituit, quo tamen magis eum excœcare potuisset. Sed constituta suppositaque causarum varietate, sua ipsa operatione, & motione omnium agentium actiones modificat, ut advertit D. Thomas, & falsum omninò est, quòd ex actionibus aliorum agentium hujus operatio, aut motio modificetur.

Sed, ut advertimus sæpiùs, causa deceptionis est, quòd Divina motio instar motus alicujus emortui cogitetur, quique nullam singularem, & multò minùs multiplicem virtutem habeat. Unde nil il mirum, quòd alius motus veluti hinc inde, ut ita dixerim, distrahatur, & discerpatur, atque hujus partem quælibet causa, ut eget accipiat. At quàm longè diversa ratio est Divinæ motionis, aut Dei moventis, qui infinitam ac multiplicem virtutem habet, ut possit pro cujusque captu causam omnem movere. Unde hujus actio, non solùm quomodocumque, & veluti lapidum instar, mortuum fundamentum est aliarum causarum actionum, sed, ut loquitur S. Thomas, actiones omnes sustinet, ac firmat, activè scilicet, & per modum causæ efficientis: homines enim de quibus potissimùm loquimur, nedùm Deo, sed & sibi vivunt, lapides vivi, & omnis vitæ primæ origini, ut fundamento inædificantur. Unde rectè ac verissimè concludit D. Thomas: *Sic omnes actiones aliorum agentium modificantur per actionem agentis primi*. Agit movetque primum agens; cætera aguntur, & moventur, quamvis etiam agant, quia ut agant aguntur, & Divina actio cæteris omnibus causis modum agendi imprimit, eas modificat, & ut libet applicat, & impellit, quia nihil in effectibus, nihil in actionibus secundorum agentium intelligi potest, quod causalitatem primi agentis, & Divinæ motionis effugiat. Hoc de exemplis à Josepho propositis.

Sed si exemplis agendum sit, non desunt etiam nostræ sententiæ, quibus explicari possit, Divinam motionem virtute multiplicem, varios pro subjectorum diversitate effectus producere posse. Et in primis, exemplum ignis admittam, addatur solùm, aut addi fingatur, quòd deest, scilicet pro suo arbitrio ignem agere. Experimur enim, *Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit, uno eodemque igne* Eclog. 8. ac pro varia dispositione materiæ, variè ignem agere, fusè explicat S. Augustinus lib. 21. de Civit. cap. 4. *Salamandra* enim, inquit, *in ignibus vivit*. Quin etiam, si Fides habeatur Senecæ, in igne generatur. Naturalium enim Quæst. lib. 5. cap. 6. inquit: *Ignis qui omnia consumit, quædam etiam creat; & quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est*,

eſt, animalia igne generantur. Magis ferendum eſſet quod alibi dixit, ut ſapientem malorum domitorem eſſe ſignificaret, quædam per ignem innoxia tranſeunt. Sed hanc de Salamandra fabulam negat D. Thomas, ſcilicet etiam flammis nutriri, in 4. diſt. 44. quæſt. 3. art. 1. ubi inquit, quòd ſecundùm Philoſophum in lib. de Proprietatibus Elementorum, nullum animal in igne vivere poteſt, (diù ſcilicet). Galenus enim in lib. de ſimplici Medicina dicit, quòd nullum corpus eſt, quod tandem ab igne non conſumatur. *Quamvis quædam corpora ſint quæ ad horam ſine læſione permaneant, ut patet de ebeno.* Inde quod dicitur de Salamandra, intelligendum eſt, *quòd non poſſet perſeverare finaliter in igne*: neque aliud D. Auguſtinus intellexit. Sed ut ſit de his, quæ non ſatis conſtant, ex varia diſpoſitione rerum quibus admovetur, variè ignem agere, fusè proſequitur, & explicat D. Auguſtinus loco citato: & omninò commune exemplum eſt, quòd ignis ſua ipſa vi, & duritiem in luto, & mollitiem in cera efficiat.

Addatur igitur, aut addi fingatur, virtuti effectrici ignis, eam infinitam eſſe, quæ nulla reſiſtentia vinci poſſit, & deinde pro ſuo arbitrio ignem agere, ut ſuum calorem emittat, imprimat, retineat, & retrahat, ut libuerit. Tunc enim adæquatum ſimillimumque erit exemplum. Si duplex ad ignem ſtatuatur imago, altera lutea, altera cerea, ut duplicem ſtatutam eſſe à venefica illa, Virgilius finxit Eclog. 8. altera dureſcet, liqueſcet altera; ſed dureſceret altera, quantùm, & quanto tempore ignis vellet: ageret enim pro arbitrio ſuo, neque ulla diſpoſitio obſiſtere poſſet. Ita verò de Deo agente, & movente dicendum: pro cujuſque cauſæ diſpoſitione eam movet Deus, & quandiu, & quantùm voluerit, omnia enim in poteſtate ejus ſunt poſita. Quin etiam, etſi voluerit, diſpoſitionem cauſarum mutabit, & limus ut cera liqueſcet, & cera ut limus dureſcet: quia, quod majus argumentum potentiæ eſt, ex lapidibus, cùm voluerit filios Abrahæ ſuſcitare, poterit.

Alterum de aqua exemplum aliàs attulimus. Alterum de panacæa illa omnium morborum expultrice, ſeu univerſali remedio, & quod omnium virtutem continet, afferri poſſet, ſi quod unquam hujuſmodi fuerit.

Sed quid exempla quærimus, cùm rem ipſam D. Paulus nobis ob oculos ponat 1. ad Cor. 12. ubi de gratiis à Deo collatis Corinthiis agit. *Diviſiones*, inquit, *gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus.* Id aſſumat ut exemplum, quiſquis voluerit. Dubitari non poteſt, quin ſit opportuniſſimum. Advertit S. Thomas, tria ab Apoſtolo explicari. Primò, ipſam quidem facultatem operandi, quæ eſt ipſum donum gratiæ collatum, vel prophetiæ, vel poteſtatis faciendi miracula. Secundò, ipſam authoritatem agendi per aliquod miniſterium, puta Apoſtolatum, vel alterum gradum Eccleſiæ, qui quamvis ſublimis ſit, miniſterii tamen nomine intelligitur, non enim aliam habet Eccleſia poteſtatem quàm miniſterium. Immò, ut advertit D. Joan. Chryſoſtomus, quæcumque poteſtas ſit, *honor videtur, miniſterium eſt*, quod exemplo partium corporis probat. Tertiò, ipſam executionem ſeu poteſtatis ſeu miniſterii, quæ fit per ipſam operationem: quæ omnia per partes ſolùm hominibus tribuuntur, ſed omnium in Chriſto Capite Eccleſiæ plenitudo eſt. Ut autem inquit D. Paulus, hæc omnia efficit idem Spiritus, *qui operatur omnia in omnibus*. Sed quo pacto hæc operatur? Forſitan quia hæc Divini Spiritus operatio indifferens eſt inſtar flatus cujuſdam emortui: & ſicut idem flatus in diverſos organi tubos fiſtulaſque immiſſus, pro cujuſque tubi varia diſpoſitione, varios ſonos edit; ita etiam ea operatio Divini Spiritus in Fideles immiſſa, pro cujuſque varia diſpoſitione, in altero donum ſapientiæ, in altero donum linguarum, in altero poteſtas miraculorum efficitur? bella ſcilicet interpretatio. Ecquis unquam ita fingere audeat? Et verò quis dubitet, longè aliud à D. Paulo intelligi? *Alii*, inquit, *datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii Fides, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum, quæ operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Operatur igitur, non prout ſinguli affecti ſunt, ſed operatur, prout vult ipſe Divinus Spiritus. Atqui D. Paulo Authore, & Interprete S. Thoma, idem ſentiendum eſt de Divina motione in rebus omnibus, quia eadem eſt operatio Dei, *qui operatur omnia in omnibus, ſicut*, inquit D. Thomas, *prima cauſa creans omnes operationes.* Ergo ſicut abſurdum eſſet exiſtimare, quòd ea Spiritus Sancti operatio in largiendis gratiis gratis datis, indifferens eſſet, & modificaretur, ac determinaretur ab his, quibus hæ gratiæ conferuntur: ita repugnat, Divinam motionem in cauſis, & à cauſis ſecundis modificari, & determinari. Sed contra, Divina ipſamet motio, ſeu Deus, cauſas ſecundas movens, eas determinat, eaſque modificat, & impellit, prout vult.

Idem quidem principium, ſed diverſa eſt operatio, quâ in rebus neceſſariis neceſſitatem, in contingentibus contingentiam, in liberis libertatem efficit: aut ſi eadem ſit veluti quoad entitatem motio, diverſa tamen eſt motionis vis, & intentio, ut à Deo deſcendit, ſicut hujus principium, ſcilicet *Spiritus Dei unicus eſt, & multiplex.* Et in inſtrumento artis varia eſt modificatio illius motionis, quâ artifex, juxta regulas artis, & ad molienda diverſa opera, variè eadem inſtrumenta verſat. Et planè abſurdum eſſet exiſtimare, eundem penicilli motum, ut ducitur à pictore ad pingendam venuſtam v. g. Veneris imaginem, omninò indifferentem eſſe ad pingendum etiam deformem Therſitem. Sed de his vide quæ infra dicenda ſunt de opinione Joſephi à Vita.

AR-

ARTICULUS XI.

Probat S. Thomas, initium salutis fore ex sola voluntate, nisi Deus voluntatem prævie moveret.

DUbitari non potest, quin initium salutis Fideique in Deum authorem, referendum sit; cùm indè petenda sit prima discretionis ratio, quam nemo, nisi Divinæ gratiæ ingratus, ut sæpè loquitur S. Augustinus, sibi unquam tribuere possit. *Quis* enim *te discernit*? ut inquit Apostolus, *Aut quid habes quod non accepisti*? Unde à SS. Tridentino Concilio dictum est sess. 6. cap. 5. *Ipsius justificationis exordium in adultis à Deo per Christum Jesum præveniente gratia, sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur*. Atque, ut sæpiùs legit D. August. ex Cant. Cantic. 4. ex versione Septuaginta Interpretum, *Venies, & pertransibis ab initio Fidei*. Vide Tom. 1. quæst. 9. art. 4. pag. 417. ubi plura diximus.

Et sanè in eo D. Thomas Pelagianorum, & Massilienſium errorem reposuit, quòd salutis initium in voluntatem refunderent. 1. par. qu. 23. art. 5. *Posuerunt*, inquit, *Pelagiani, quòd initium benefaciendi sit à nobis, consummatio autē à Deo*. Qua ratione existimabant Pelagiani, prædestinationem fieri ex meritis, *quia unus initium dedit se præparando, non alius*. Et 2. 2. qu. 6. art. 1. notat, quòd cùm quātùm *ad assensum hominis in ea quæ sunt Fidei, possit considerari duplex causa, una quidem interiùs inducens, sicut miraculum visū; vel persuasio hominis inducentis ad Fidem: neutrum est sufficiens causa* (assentiendi.) *Videntium enim unum, & idem miraculum, & audientium eandē prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt: & ideò oportet ponere aliam causam interiorē quæ movet hominē interiùs ad assentiendū his quæ sunt Fidei*. At verò, inquit: *Hanc causā Pelagiani ponebant, quod initium Fidei est ex nobis*. Hæc S. Thomas, quod sæpiùs alibi repetit.

Et observatione etiam dignum esse arbitror, S. Thomam, Pelagianos à Semipelagianis, ac Massilienſibus, ea in re, minimè fuisse sollicitum distinguere, quòd in eo communi errore, & puros Pelagianos, & Massilienses Semipelagianos convenire existimaverit; quòd arbitrarentur, initium Fidei esse ex nobis, quasi ex nobis. Alioquì enim certum est, proprium fuisse Semipelagianorum errorem, initium salutis esse ex nobis, consummationem autem ex Deo: ut ex Epistolis S. Prosperi, & S. Hilarii ad S. Augustinum, & ex ipso S. Augustino libris ultimis, ab eo scriptis de Prædest. Sanct. & de Dono Perseverantiæ, satis compertum est. Idque etiam aliquando satis expressit ipsemet S. Thomas Quodlib. 1. art. 7. ubi inquit, quòd cùm de præparatione ad gratiam agitur, in primis, *Cavendus est error Pelagii, qui posuit, quòd per liberum arbitrium homo poterat adimplere legem, & vitam æternam mereri; nec indigebat auxilio Divino, nisi quātùm ad hoc, quòd sciret quid facere deberet, secundùm illud Psalmi 142. „Doce me facere voluntatem tuam.„ Sed quia hoc nimis parùm videbatur, ut solùm scientiam haberemus à Deo, charitatem autē quâ præcepta legis implentur, haberemus à nobis: ideò postmodùm Pelagiani posuerunt, quòd initium boni operis est homini ex se ipso, dum consensit Fidei per liberum arbitrium, sed consummatio est homini à Deo*. Hæc ibi D. Thomas. Ubi distinguit duplicem statum erroris Pelagianorum, quorum ultimus pertinere satis liquet ad posteriores Pelagianos, qui distinctionis causâ Semipelagiani dicti sunt.

In eo igitur, seu Pelagianorum, seu Massilienſium errorem reposuit S. Thomas, quòd existimaverint, initium bonorum operum, seu Fidei ac salutis, esse ex nobis; nec sollicitus videtur fuisse D. Thomas, ut inquireret, utrùm Pelagiani in hoc secundo statu prævenientem gratiam admiserint, vel negaverint, quòd nimirùm existimaverit omninò perindè esse, sive affirmarent, sive negarent, ea ratione, quòd, nisi ea præveniens gratia voluntatem moveret, & applicaret, ac nisi Divina motio admitteretur, crediderit S. Thomas initium Fidei in solam voluntatem humanam esse referendum. Unde, ut infra referemus, non alia ratione hunc errorem impugnat rejicitque; nisi quòd *Homo indiget Divino auxilio, quantùm ad interiorem motum, prout cor hominis interiùs movet ad bonum, secundùm illud Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*. Ibid. Quodlib. 1.

Et quidem si nulla admitteretur præveniens gratia, esset Fides omninò *à nobis*, sed quantumvis admitteretur prçveniens gratia, nisi ea moveret, & nisi admitteretur ea Divina motio, Fides non esset quidem à nobis solis, sed tamen esset *à nobis quasi ex nobis*. Ita enim advertit D. Thom. 2. ad Cor. 2. lect. 1. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid*, scil. *à nobis quasi ex nobis. Hoc est*, inquit, *contra Pelagianos dicentes, quòd inchoatio boni operis est ex nobis, sed perfectio est à Deo: sed ex hoc nè videatur tollere libertatem arbitrii dicit, „à nobis quasi ex nobis;„ quasi dicat: possum quidem aliquid facere quod est liberi arbitrii: sed hoc quod facio, non est ex me, sed ex Deo, qui hoc ipsum posse confert: ut sic libertatem hominis defendat, cùm dicit, à nobis, id est à nostra parte, & Divinam gratiam, cùm dicit, quasi ex nobis*.

Et quidem, utrùm Massilienses gratiam prævenientem adjunctam Fidei admiserint, an secùs, non eadem est omnium sententia: alii enim affirmant, alii verò negant, alii etiam distinguunt, eaque distinctione, utramque partem adversam conciliant: advertunt enim ex Epistola D. Prosperi ad S. Augustinum, quosdam ad Pelagianos accessisse propiùs, alios verò longiùs recessisse: & illos quidem magis Pelagianis affines, prævenientem gratiam negasse, alios verò remotiores,

admi-

admisiſſe : quod ex ea S. Proſperi epiſtola colligi putant . Ubi ita inquit : *Quidam horum*, ſcilicet Maſſilienſium, *intantùm à Pelagianis ſemitis non declinant*, ut velint *ad hanc gratiam quâ in Chriſto renaſcimur pervenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando, ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introëat, quia bono naturæ benè uſus, ad iſtam ſalvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire*.

Quidã igitur ex D. Proſpero ita ad Pelagianos accedebant, ut vellent, hominem per ſolam facultatem naturæ ad ſalvantem gratiam, quâ renaſcimur, pervenire : conſequens igitur eſt, ut cùm non omnes, ſed quidam ita exiſtimarent, etiam quidam alii, nimirùm qui magis à ſemitis Pelagianorum declinarent, arbitrarentur, nos ad hanc gratiam, quâ renaſcimur, non per ſolam facultatem naturæ pervenire . Alii igitur inter Maſſilienſes, prævenientem omnem gratiam ad initium Fidei, & ſalutis pernegarunt, ut quidam ſentiunt : ab aliis verò, ea præveniens gratia admiſſa eſt, ut iſti ſentiunt Theologi. Atque id iterùm probari putant, quòd ex Maſſilienſibus, aliqui ad quodlibet bonum opus prævenientem gratiam admiſerint, quia ita expreſsè à S. Auguſtino dictum arbitrantur lib. de Prædeſtinat. Sanctor. cap. 1. ubi, cùm eos prætermiſiſſet, qui minùs à Pelagianis receſſerant, ut eos adoriretur, cum iiſque pugnaret, qui magis receſſiſſent, inquit : *Pervenerunt hi fratres noſtri, pro quibus ſollicita eſt pia charitas veſtra*, Maſſilienſes ſcilicet, de quibus S. Proſper, & S. Hilarius ſcripſerant ; *ut credant cum Eccleſia Chriſti, peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo niſi per juſtitiam ſecundi hominis liberari. Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominũ Dei gratia, fateantur, atque ut ad nullum opus bonũ, vel incipiendum, vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant. Retenta ergo iſta, in quæ pervenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt* : quamvis tamen, nec ideò eos rectè ſatis de gratia ſenſiſſe idem S. Auguſtinus exiſtimet, eoſque integro illo libro impugnet. Prævenire enim multis modis volũtatem intelligi poteſt, & pravè eam prçvenientis gratiæ vim Maſſilientes intellexiſſe, etiam colligunt ex eadem ad S. Auguſtinum Epiſt. *Nec conſiderant, ſe gratiam Dei quã comitem non præviam humanorum volũt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundùm ſuã phantaſiam non negant eſſe præventas*. Duo enim his verbis ſignificant quæ parùm cohærere videntur ; nimirùm voluntatem præveniri Divinâ gratiâ, & tamen eam gratiam non eſſe præviam, ſed comitem. Quod ſanè non alio pacto intelligi potuiſſe à Maſſilienſibus : hi Authores, quorũ ſententiam referimus, cenſent, niſi ea ratione, quòd vellent, præveniri quidem voluntatẽ Divinâ gratiâ, ſed tamen quòd ea gratia voluntati ſubdita eſſet, aut voluntatem non ipſa gratia flecteret, ſed contra voluntas flecteret gratiam ; & ut inquit S. Proſper, voluntas humana Divinæ gratiæ ſibi opem pareret . Ita enim poſteà ſubdit S. Proſper, & ex Maſſilienſibus refert . Cùm *Duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt obedientiam eſſe quàm gratiam : ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat, & voluntas hominis Divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem*.

Ex quibus manifeſtum putant Authores quorum ſententiam referimus, hæc duo potuiſſe à Semipelagianis in ſpeciem adverſa affirmari ; ſcilicet, voluntatem præveniri Divinâ gratiâ, & tamen gratiam non eſſe præviam, ſed comitem aut pediſſequam : quia licèt gratia voluntatem præveniret, tamen cùm eam non ſubjiceret, prior erat hominis obedientia ; neque dici poterat, quòd ideò homo vellet, quia eum Divina gratia veluti prior adjuvaret ; ſed ideò eum adjuvaret veluti poſterior, quòd priùs homo vellet. Quod iterùm ex Maſſilienſibus S. Proſper refert, in quo & totius Pelagiani dogmatis virus omne aut latere, aut effuſum eſſe exiſtimavit. *In iſtis*, inquit, *Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè collocatur : ſi Divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur ; ut ideò quis adjuvetur quia voluit : non ideò quia adjuvatur velit*.

Cæterùm in ea quam retulimus Obſervatione illud animadverti velim : in primis ſemper, & quocumque modo res iſta explicetur defendendum eſſe quod à SS. Pontificibus contra Janſenium definitum eſt : Falſam eſſe eam Propoſitionem nulla limitatione coërcitam, Semipelagianos admiſiſſe neceſſitatem prævenientis gratiæ etiam ad initium Fidei . Id enim cùm à SS. Pontificibus falſum eſſe declaratum ſit, in dubium revocari non debet : & reverà eam univerſalem propoſitionem falſam eſſe etiam ex ſuperioribus omninò compertum eſt .

Verùm quidquid ſenſerint aliqui, nullam in præſentiarum partem amplecti neceſſe eſt, & perindè eſſe arbitror, ſive prævenientem gratiam admiſerint, ſive negaverint, cùm idem robur probationes D. Thomæ habeant : ideòque, ut advertimus ſupra, Pelagianos, & Maſſilienſes ſæpiùs Sanctus Doctor non diſtinxerit, quòd exiſtimaverit, utroſque eodem errore verſari, quòd initium ſalutis in ſola voluntate repoſuerint, ea vel unica ratione, quòd voluntatem moveri à Deo, & applicari negaverint. Unde nullo in præſentiarum habito reſpectu ad ea quæ à Pelagianis, vel Semipelagianis dicta ſunt .

Probatur quòd titulo polliciti ſumus, & ſic formari poteſt Argumentum . Certum eſt, & à SS. Tridentino ſeſs. 6. c. 5. in Doctrina Fidei tanquam Fidei fundamentum conſtitutum ; *Ipſius juſtificationis exordiũ in adultis à præveniente gratia* oriri ; quia alioquin homo diſcerneret ſe ipſum, quod eſſet contra illud ab Apoſtolo dictum, *Quis te diſcernit?* Atque niſi ea gratia prævenies, voluntatem prævie & primò determinet, eamque moveat, & applicet, & quidem primò, &

ſim-

ſimpliciter, id eſt prævièe, & phyſicè, ſeu *per modum cauſæ efficientis*, ut loquitur S. Thomas quæſt.22. de Ver.art.9. voluntas à ſeipſa habebit primum ſuæ ſalutis initium, ſeque ipſam diſcernet: Ergo niſi voluntas determinetur motione prævia ſeu gratia efficaci, in voluntatem primum ſalutis initium, primaque diſcretio refundetur.

Minor probatur. Si enim v. g. cùm occurrit miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad Fidem, ut loquitur D. Thomas loco citato 2.2.qu.6. art.1. & cùm videntium unum, & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt; ſi inquam gratia voluntatem non movet interiùs, nec eam flectit, determinatque etiam primò, & phyſicè ſeu per modum cauſæ efficientis, ut credere velit: Ergo neceſſe eſt, quòd voluntas ſe ipſam primò, & determinet, & flectat ut credere velit: Ergo & primum initium ſalutis, & Fidei in voluntatem; ut in primum principium refundetur. Atque eam rationem habet S. Thomas loco citato 2.2. Ubi inquit: *Cùm videntium unum, & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credant, & quidam non credant; ideò oportet ponere aliam cauſam interiorem, quæ movet hominem interiùs ad aſſentiendum his quæ ſunt Fidei. Hanc autem cauſam Pelagiani ponebāt ſolum liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant, quòd intium fidei eſt ex nobis; inquantùm ſcilicet ex nobis eſt quòd parati ſumus ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei: ſed conſummatio fidei eſt à Deo per quem nobis proponuntur ea quæ credere debemus. Sed hoc eſt falſum*, inquit S. Thomas, *quia cùm homo aſſentiendo his quæ ſunt fidei, elevetur ſupra naturam ſuam; oportet quòd hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interiùs movente, quod eſt Deus: & ideò fides, quantùm ad aſſenſum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deo interiùs movente per gratiam.* Et ut addit ad primum: *Verum quidem eſt quòd per ſcientiam*, ut ex S. Auguſtino refert, *gignitur fides, & nutritur per modum exterioris perſuaſionis, quæ fit ab aliqua ſcientia: ſed principalis, & propria cauſa fidei eſt id quod interiùs movet ad aſſentiendum.* Hæc D. Thomas: quibus rationem interſerit, qua Divinæ motionis neceſſitatem probet: ſcilicet quòd aſſenſus fidei ſit ſupernaturalis, atque adeò ſupernaturalem cauſam requirat; quam rationem nos infra explicabimus. Sed ea etiam ratione prætermiſſa, manifeſtum eſt, ea ratione quam diximus, requiri à S. Thoma Divinæ gratiæ effectricis neceſſitatem, ut initium fidei in ſolam libertatem non refundatur. Neque medium reperit D. Thomas, nec ſanè ullum eſſe poſſe videtur. *Oportet ponere aliquam cauſam interiorem quæ movet interiùs ad aſſentiendum his quæ ſunt fidei.* Impoſſibile autem eſt, alteram eſſe cauſam præter ipſam voluntatem, quæ ſeipſam flectit, vel ipſam gratiam, qua Deus *interiùs movet hominem ad aſſentiendum, & qui eſt principalis, & propria cauſa fidei.* Si verò primum admittatur, conſequitur, liberum arbitrium primam eſſe causā ſuæ ſalutis.

Confirmatur ea ratio, quòd, ut ſæpius à D. Thoma dictum eſt: *Per modum cauſæ efficientis..... ex parte voluntatis mutare actū voluntatis non poteſt, niſi quod operatur intra voluntatem: & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa voluntatis, quod ſecundùm fidem ſolus Deus eſt. Unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis quā ei dedit, tranſferre de uno in aliud prout vult.* quæſt.22. de Ver. art.9. Ergo iterum ex S. Thomæ ſententia non datur medium. Nihil intra voluntatem operatur, & quidem per modum cauſæ efficientis, & transferendo inclinationem de uno in aliud; quæ ſanè operatio non poteſt non eſſe phyſica; nihil inquam ex D. Thoma operatur intra voluntatem, niſi vel ſola voluntas ſeipſam flectens, vel Deus qui dedit eſſe voluntati, quique voluntatem movet interiùs, & quidem *per modum cauſæ efficientis*, quod ſæpiùs repetendum eſt, & transferendo inclinationem de uno in aliud. Niſi hoc ſecundum admittatur, nihil aliud reperit S. Thomas præter voluntatem, & liberum arbitrium: unde conſequitur, initium ſalutis eſſe ex nobis.

Nec verò quidquam juvat, aut hujus rationis vim minuit, ſi quis dicat, medium eſſe, ſcilicet gratiam prævenientem, non quæ voluntatem flectit, & applicat, ſed ſub qua voluntas ſeipſam flectit. Contra enim: neque enim D. Thomas id ignorare potuit, ſed tanquam inutile effugium prætermiſit. Recurrit enim, ac recurret ſemper eadem vis Argumenti. Vel enim ipſa gratia vi ſua *per modum cauſæ efficientis* movet interiùs, flectitque voluntatem, & transfert inclinationem de uno in aliud: vel ipſa voluntas ſub ipſa gratia, veluti ſub habitu, quo exemplo uti ſolent adverſæ ſententiæ Authores, ſeipſam movet, & flectit, & inclinationem de uno in aliud transfert. Si hoc ſecundum: Ergo ipſa voluntas, à ſeipſa ſe ſe primò determinat, & eſt primum ſuæ ſalutis, & diſcretionis initium. Si verò primum admittatur: Ergo ſeipſa gratia, & prævia, & efficax eſt. Unico verbo, vel efficit gratia in genere cauſæ efficientis, vel non efficit: vel transfert voluntatem de uno in aliud, vel non transfert: ſi efficit in genere cauſæ efficientis, & phyſicæ: Ergo & effectrix motio, prævia, & phyſicè efficax eſt. Si verò non efficit: Ergo ſola voluntas ad ſolam præſentiam gratiæ, eaque nihil phyſicè efficiente ſola voluntas efficit, & in ſolam voluntatem agente, præſente quidem, ſed nihil phyſicè agente gratia, initium ſalutis refunditur.

Dices prætereà, efficere quidem gratiam, & concurrere, ſed ſimultaneè, non prævièe: cùm enim aſſenſus fidei ſupernaturalis ſit, exigit ſupernaturalem cauſam, prævenientem ſcilicet gratiam, quæ eundem omninò aſſenſum efficit, quem efficit ipſa voluntas. Unde longiſſimè abeſt ea ſententia ab errore Pelagianorum: Cùm ut expreſsè inquit S. Thomas, *Hanc cauſam Pelagiani ponebant ſolum liberum arbitrium.*

Sed contra. Eadem eſt vis omninò ſuperioris Argumenti, nullumque medium agnovit aut probavit D. Thomas. Etenim, ut jam dictum eſt:

quæ-

quæcumque gratia præveniens ſit, vel ipſa ita efficit, ut primò moveat flectatque voluntatem, cum priùs nihil vellet. aut aliud vellet; & inclinationem voluntatis primò ab uno in aliud transfert; vel ipſa voluntas ſeipſam primò movet ut velit, cùm priùs nihil vellet: neceſſe enim eſt ut primò ab aliquo motus ille incipiat. Nolebat antea voluntas aſſentiri Myſteriis Fidei, Deus gratiam confert ut voluntas aſſentiri velit, & jam vult reipsà voluntas aſſentiri: à quo oritur primus ille motus; & prima illa determinatio voluntatis quæ vult aſſentiri? Debet enim primò ab aliqua cauſa motus omnis inchoari: Vel igitur à Divina gratia primò inchoatur illa voluntatis determinatio; vel primò inchoatur ab ipſa voluntate preſente gratia. Si primum; Ergo gratia prævia eſt, & principium ſalutis. Si ſecundum: Ergo voluntas primum phyſicè movẽs eſt, & in ipſam primò ſalutis initiũ refunditur. Unde, ut diximus, parùm ſolicitus fuit S. Thomas, utrùm diſtinguerentur Semipelagiani à Pelagianis, nec ne? Utrùm admitteretur præveniens aliqua gratia, vel negaretur, niſi illa efficeret actum voluntatis? Et verò ſi nihil efficiat; nulla etiam ipſius ratio habenda eſt, nec impedit quominus in ſolam voluntatem, & ſolum liberum arbitrium referatur.

Confirmatur: ex eo quòd adverſæ ſententiæ Authores ultro concedant, & tanquam etiam principium aſſumant, voluntatem phyſicè non determinari, quòd hujus, ut putant videretur libertas lædi; neque ſui ipſius domina eſſet ſi ab alio moveretur: Ergo concedant neceſſe eſt, quòd primò ſeſe ipſam determinet. Neque enim hæc conſecutio negari poteſt. Non determinatur primò ab alio: Ergo determinatur primò à ſe in eo genere in quo ab alio non determinatur. Qua verò ratione negari poterit, quòd ſi à ſe primò determinetur, ab ipſa non ſit primum initium Fidei, primaque radix diſcretionis. Quod autem de concurſu ſimultaneo dicitur, parùm opportunè ingeritur: de prima enim determinatione, quæ ſimultaneum concurſum antecedat, hìc agitur. Aut enim gratia priùs determinat voluntatem, aut voluntas gratiam; ut veluti deinde ſimul, & ſemel concurrant. Concludendum, igitur veriſſimè à S. Thoma dictum fuiſſe; quòd ideò *Initium Fidei non eſt à nobis*; quia, quòd aſſentiamur his quæ ſunt Fidei, oritur *ex ſupernaturali principio interiùs movente, quod eſt Deus. Et ideò Fides quantùm ad aſſenſum qui eſt principalis actus Fidei, eſt à Deo interiùs movente per gratiam.* Atque adeò ſi Deus non movet interiùs per gratiam ad aſſenſum Fidei, aſſenſus hic Fidei erit ex nobis. Vid. Tom. 1. pag. 45. diſs. 1. quæſt. 3. art. 8. & infra etiam dicetur in impugnatione adverſæ ſententiæ.

ARTICULUS XII.

Proſecutio ejuſdem Argumenti, quòd voluntas eſſet primum ſuæ converſionis, & ſalutis principium. Impugnatur ſolutio communis, quæ recurrit ad concurſum ſimultaneum.

PRoſequitur iterum idem argumentum, quòd nullum majoris momenti eſſe exiſtimãdum ſit, cùm ad Fidem pertineat, primum ſalutis exordium initiumque Fdei, & diſcretionis fidelis ab infideli, in Deum primam cauſam primumque principium refundendum eſſe.

Probatur iterum igitur, quòd niſi Deus efficaciter moveat applicetque voluntatem ad initium Fidei, ipſa voluntas erit ſuæ ſalutis initium: & quamvis, quod Lector animadvertet, non ſit abſolutè voluntas ſola ſuæ ſalutis cauſa; eò quòd Deus cum voluntate concurrat, de quo nullum dubium eſt; dabit tamen voluntas ſuæ ſalutis initium, niſi à Deo, & prævie, & phyſicè, ac etiam per modum cauſæ efficientis moveatur. Etenim dubitari non poteſt, quin voluntas ſit agẽs phyſicum, efficiens cauſa, & in genere cauſæ phyſicæ, & efficientis conſtitutæ: Ergo niſi ab alio priori in eodem genere cauſæ efficientis, & phyſicæ moveatur, neceſſe eſt, à ſeipſa primò in genere cauſæ efficientis, & phyſicæ moveri. Hoc argumentum ex D. Thoma ſumimus quæſt. 6. de malo ad 17. ubi ita inquit: Certum eſt, *Quòd voluntas aliquando incipit eligere, cùm priùs non eligeret. Aut ergo quia mutatur à diſpoſitione in qua priùs erat, aut non: ſi non, ſequitur quòd ſicut priùs non eligebat; ita nec modo, & ſic non eligens eligeret, quod eſt impoſſibile. Si autem mutatur ejus diſpoſitio, neceſſe eſt, quòd ab aliquo ſit mutata, quia omne quod movetur, ab aliquo movetur*: & quidem in eodem genere in quo eligit, & agit, ſcilicet in genere cauſæ efficientis. Ergo cùm voluntas in ordine, & genere phyſico moveatur, cùm tamen antea non moveretur, neceſſe eſt, quòd à Deo primò moveatur. Quòd ſi à Deo primò non moveatur, neceſſe eſt à ſeipſa primò moveri, & eſſe primum ſui motus, ſuæ electionis, ſuæ diſcretionis, ſuæque ſalutis initium.

Dices. Malæ Fidei eſſe, quòd hoc ex S. Thoma argumentum in noſtræ ſententiæ gratiam referatur; cùm illud argumentum ſibi S. Doctor objiciat, ipſique Reſpondeat. Et verò Reſpondet S. Thomas quod adverſæ ſententiæ Authores dicere ſolent, traſmutationem voluntatis eſſe quidem à voluntate, ſed tamen ſimul eſſe à Deo. Ita enim habet S. Doctor ad 17. *Dicendum, quòd voluntas, quando de novo incipit velle, tranſmutatur ſua priori diſpoſitione, quantùm ad hoc quòd priùs erat eligens in potentia, & poſtea fit eligens actu; & hæc quidem tranſmutatio eſt ab aliquo movente, in*

quantùm ipsa voluntas movet seipsam ad agendū, & in quantùm etiam movetur ab aliquo exteriori principio, scilicet Deo, non tamen ex necessitate movetur, ut dictum est. Ira, inquies, Respondet S. Thomas, quibus nihil consentaneum magis adversæ sententiæ dici potest.

Unde dices iterum; movere quidem seipsam voluntatem, seque determinare; sed tamen etiam moveri voluntatem à Deo; ab eoque esse etiam determinationē voluntatis: atque adeò non in voluntatem initium salutis refundendū esse, sed magis, & principaliter in Deum, qui tunc per concursum simultaneū efficit quidquid efficit voluntas.

Sed contrà impugnatur hæc solutio. Ac in primis, mala fides nulla esse potest, cùm ultrò fateamur, rationem quâ usi sumus ex S. Thoma, ab eodem S. Doctore inter argumenta, quæ sibi objicit, reponi: ipsam etiam solutionem quam adhibet S. Thomas, & quæ favere videatur Adversariis referamus, quam forsitan etiam inculcarent quàmsæpissimè, si eam aliquando in S. Thoma advertissent: non memini enim me eam unquam in Authoribus adversæ sententiæ legisse. Sed facile est eam S. Thomæ solutionem explicare, ut compertissimum sit, minimè adversariorum sententiæ favere.

In primis hic animadverti velim; quantùm necesse sit, cùm Patres leguntur, & occasionem scribendi quam habuerunt, & finem ac scopum ad quem collimarunt expendere. Quæstionem hanc pertractat eo loco S. Thomas: *Utrum homo habeat liberam electionem actuum, aut ex necessitate agat?* Hunc enim titulum Articulo præfigit. Huc itaque argumenta omnia, & solutiones collimant. Unde & post ea verba, quæ retulimus, aut eam rationem quâ usi sumus. quamque reponit inter argumenta quæ objicit, postquam dixisset, *Quòd omne quod movetur ab alio movetur*: statim subdit; *movens autē imponit necessitatem mobili, aliàs non sufficienter moveret ipsum: Ergo voluntas ex necessitate movetur.* Vides quò tendat, aut quò inflectat S. Thomas eam rationem, quam suprà ex ipso retulimus; nimirùm ut probet quod objicit, voluntatem non habere liberam electionem suarum actionum; sed quòd ex necessitate moveatur, & eligat: quia cùm antea voluntas non vellet, & tamen modò velit; necesse est, & mutari, & ab alio moveri: si verò ab alio moveatur, libera non est; Quia *movens imponit necessitatem mobili, aliàs nō sufficienter moveret.* Ita enim sibi objicit.

At verò in eundum scopum collimat illius argumenti solutio. Respondet S. Thomas: minimè id sequi, nullamque imponi necessitatem; quia *transmutatur quidem à sua priori dispositione, & hæc transmutatio est ab aliquo movente.* A quo autem? etiam ab ipsa voluntate, & non solùm à Deo; *& hæc*, inquit, *transmutatio est ab aliquo movente, in quantùm voluntas movet seipsā ad agendum, & in quantùm etiam movetur ab aliquo exteriori agente, scilicet Deo*: & statim subdit, *non tamen ex necessitate movetur, ut dictum est suprà.* Hæc Sanctus Thomas. Ac sanè nihil verius aut apertiùs dici unquam potuit, aut dici poterit unquam, ut explicetur, quòd voluntas etiam dum movetur à Deo, habeat integram libertatem. Neque enim existimandum est, quòd Deus ita moveat voluntatem, ut voluntas nihil agat, & seipsam non moveat: nam etiam voluntas seipsam movet, cùm à Deo movetur: & ea ratione manifestum est, *quòd non ex necessitate movetur*, quia *movet seipsam ad agendum*. Huc igitur collimat S. Thomæ solutio. Unde constat, nullo planè modo favere adversæ sententiæ eam S. Thomæ Responsionem: Cùm ea solutione non agat S. Thomas de ordine quē servari necesse est inter Deum & voluntatem; sed solùm statuat, voluntatem, etsi à Deo moveatur, non tamen ex necessitate moveri, ex eo, quòd etiam seipsam moveat. Sed explicata jam ea S. Thomæ solutione, ex qua nihil commodi reportare adversam sententiam, compertissimum est.

Impugnari jam potest ea quæ adhiberi solet Responsio: solo concursu simultaneo fieri, ut initium salutis in Deum primum Authorem referatur. Etenim præter ea quæ jam superiùs dicta sunt; nihil efficit concursus simultaneus, si dum voluntas, & seipsam movet, & simul à Deo movetur, in negotio salutis necesse sit servari ordinem secundùm prius, & posterius; & quidem in eodem ordine efficientis causæ physicæ, in quo dubitari non potest, & Deum, & voluntatem agere dum agunt, & movent: Atqui ex S. Thoma cùm Deus voluntatem movet, & simul voluntas movet seipsam; necesse est, servari eum ordinem secundùm prius, & posterius, id est, necesse est ut Deus voluntatem moveat priùs, quàm voluntas movet seipsam: Ergo concursus simultaneus nihil efficit.

De majori nullum dubium esse potest; quamvis enim cum simultaneo concursu esse possit prioritas quædā, & dignitatis, & universalitatis, & Deus nobiliori, & universaliori modo actum voluntati efficiat, quàm ipsa voluntas; in eo tamen agendi, & operandi physicè genere, seu *per modum causæ efficientis*, nulla prioritas esse potest, & si quæ sit, nulla supereſt disputandi ratio. Nihil enim aliud à nobis quæritur, quàm quòd Deus priùs physicè, & *per modum causæ efficientis*, moveat voluntatem, quàm voluntas seipsam moveat.

Minor verò ex D. Thoma probatur, & quidem ex eodem Articulo, ex quo ea solutio sumpta est. Expressè enim inquit S. Doctor quòd voluntas, & movet seipsā, & movetur à Deo, ut ab extrinseco principio: sed tamen, quòd ideò voluntas seipsam moveat, quia à Deo ut primo principio movetur. Etenim, inquit eadem quæst. 6. de Malo ad 4. *Dicendum: quòd voluntas aliquid confert cùm à Deo movetur; ipsa enim est quæ operatur*, & quidem physicè, & per modum causæ efficientis, *sed mota à Deo, & ideo motus ejus, quāvis sit ab extrinseco, sicut à primo principio, non est violentus* nec necessarius, sed liber. Igitur ex S. Thoma movetur voluntas à Deo, sicut à primo principio: nec dubium quin eodem genere in quo movet seipsam,

Hæc

Hæc igitur veriſſima S. Thomæ ſententia, & quæſtionis reſolutio. *Se ipſam voluntas movet; eſt enim ipſa quæ operatur*; ideòque & libera eſt; ſed tamen non movet neque operatur, niſi *mota à Deo ſicut à primo principio.* Alioqui enim, niſi ab alio ut primo principio moveatur, intelligi non poteſt quin ipſa ſit primũ ſuę electionis principiũ.

Confirmatur *primò*, expreſſiùs ex quæſt. 3. de Potent. art. 3. cùm univerſim de omni operatione, & quidem phyſica loqueretur: *Non impeditur*, inquit ad 3. *quin natura, & Deus ad idem operentur, propter ordinem qui eſt inter Deum, & naturam.* Quis verò ille ordo ſit, explicat ſtatim ad 4. *Dicendum*; *quòd tam Deus quàm natura immediatè operantur, licèt ordinentur ſecundùm prius, & poſterius, ut ex dictis patet*; in corpore ſcil. Articuli: quia *virtus inferior non cõjungitur effectui niſi per virtutẽ ſuperioris.* Nam verũ equidem eſt, quòd *de ratione virtutis inferioris eſt, quòd ſit aliquo modo operationis principiũ in ſuo ordine, id eſt, ut agat ut inſtrumentum*, ſed non excluſa alterius agentis motione, & virtute movente. *Unde excluſa*, inquit, *ſuperiori virtute, inferior virtus operationem non habet*, ad 5. Vide quæ jam aliàs dicta ſunt, & infra etiam dicentur: tot enim de hoc habet S. Thomas, ut nec uno loco comprehendi omnia poſſint.

Confirmatur *ſecundò*, quòd verùm quidem ſit, quòd quoties voluntas incipit velle, *Tranſmutatur à priori diſpoſitione*, & quod hęc *tranſmutatio eſt ab aliquo movente, inquantùm* ipſa *voluntas movet ſe ipſam ad agendum, & inquantùm etiam movetur ab aliquo exteriori agente ſcilicet Deo*: ſed tamen quòd volũtas ſe ipſam moveat, non aliundè oritur, niſi quòd moveatur à Deo, *ſicut à primo principio*; quia neceſſe eſt, eſſe *ordinem prioris, & poſterioris, & virtutem inferioris* volũtatis *conjungi effectui per virtutem ſuperioris agentis, ſcilicet Dei.* Si enim à Deo priùs non moveretur, neque explicari, neque intelligi poteſt, quin primò voluntas ſe ipſam moveret, ac ſubindè eſſet ſuæ primæ electionis, & primæ determinationis principium.

Confirmatur *tertiò*, quòd recurrat argumentum ex D. Thoma deſumptum. Certum eſt, quòd voluntas aliquando incipit eligere, cùm priùs non eligeret; ideòque neceſſe eſt, eam à priori diſpoſitione in qua anteà erat, immutari. A quo igitur primò ab ea priori diſpoſitione immutatur, & ad alteram transfertur? Impoſſibile enim planè eſt, quòd motum mobilis non antecedat motio aliqua moventis. Si à ſe primò immutatur: Ergo à ſe primum habet operationis, electionis, & diſcretionis principium. Si autem non à ſe primò: Ergo à Deo priùs voluntas immutatur & movetur quàm ſe ipſam moveat. Et reipsà ita eſt: Unde proſequitur S. Thomas. *Si autem mutatur ejus diſpoſitio, neceſſe eſt, quòd ab aliquo ſit mutata, quia omne quod movetur ab aliquo movetur: ipſa enim eſt quæ operatur, ſed mota à Deo.* Unde *motus ejus eſt ab extrinſeco, ſicut à principio*: quæ verba jam ſupra retulimus. Et nè quis quamcumque motionem fingere poſſit, jam dixerat ad 3. quòd Deus voluntatem *immobiliter movet.* Et nè quis iterùm eam immutabilitatem ex alio capite oriri exiſtimaret, addit quòd Deus movet *immutabiliter propter efficaciam ſuæ virtutis.* Et nè quis tandem objiceret, quòd perpetuò adverſæ ſententiæ Authores in ore habent, ſcilicet quòd ſi voluntas moveatur *immutabiliter*, lædatur libertas; addit S. Thomas, quòd propter naturam voluntatis, cum ea immutabilitate conjungi poteſt libertas. *Deus*, inquit, *movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad multa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas.* Ibid. q. 6. de Malo ad 3.

Confirmatur *quartò*: & quidem adeò validum ac expreſſum argumentum eſt, quod ex loco hìc pertractando erui poteſt, ut non aliud fieri à me debeat, quàm ut Articulum ipſum integrum fermè exſcribam, & quibuſdam obſervationibus explicem. Loquitur equidem S. Thomas de actione peccati, ut actus voluntatis quidam eſt; ſed generale, & commune principium ſtatuit, quòd niſi voluntas cùm agit, priùs à Deo, ut Authore motore generali, & Authore totius naturæ, moveretur, voluntas eſſet primum ſui actus, motûsque principium. Atque id potiori jure dicendum de voluntate cùm in ordine ſupernaturali operatur, nemo dubitabit; cùm in eo ordine nedùm communi, & generali auxilio voluntas indigeat, ut in ordine naturæ, ſed ſingulari ac ſpeciali auxilio movenda ſit; cùm ipſe ſupernaturalis ordo non aliud quàm ſingularem Dei benevolentiam, ipſam ſcilicet Divinam gratiam, pro fundamento habeat.

Igitur in 2. diſt. 37. qu. 2. art. 2. ubi S. Thomas inquirit, *Utrùm actio peccati, in quantùm actio, ſit à Deo?* Univerſaliſſimis, ut ſolet ubique, principiis eam quæſtionem reſolvit, & quæ ad omnes voluntatis actus, etiam virtutũ, communia ſunt: eaque ratio, ut dixi, multò potiori jure uſurpari hic poteſt, quòd apud omnes conveniat, omnia quæ ſunt in actu virtutis in Deum Authorem referri, quod de actu peccaminoſo dici non poteſt. Ac in primis quorundam opinionem refert Divus Thomas, quæ didebat: *Actus peccatorum, nullo modo, nec etiam in quantùm actus ſunt, eſſe à Deo.* Et *hanc opinionem*, inquit, *ad præſens nulli vel pauci tenẽt, quia propinquiſſima eſt errori duplici.* Ac deinde duplicem errorem refert, eumq; impugnat iis principiis, quæ, ut diximus, actibus omnibus etiam ſtudioſis communia ſunt.

Sed ex omnibus, quæ habet D. Thomas, hæc ſolùm à nobis referenda ſunt. Ita igitur habet, & hoc pacto eam opinionẽ impugnat. *Primò*, inquit, *quia ex ea videtur ſequi, quòd ſint plura prima principia; hoc enim eſt de ratione primi principii, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agẽtis, & influẽtia ejus. Unde, ſi voluntas humana actionem aliquã poſſet producere, cujus Author Deus non eſſet, voluntas humana rationẽ primi principii haberet.*

Quamvis ſolvere hoc nitantur dicentes, quòd voluntas, etſi per ſe poſſit actionē producere ſine influentia prioris agentis, non tamen habet à ſe eſſe, ſed ab alio; quod etiā exigeretur ad rationē primi principii. Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à ſe eſſe non habet à ſe agere poſſit; cùm etiam per ſe durare non poſſit quod à ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute: unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet, quòd virtus, & operatio ab alio ſit. Et præterea, quamvis per hanc reſponſionem evitaretur, quòd non eſſet primum ſimpliciter; non tamen poſſet vitari quin eſſet primum agēs: ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, ſicut in cauſam.

Hæc omnia S. Thomas; in quibus adeò aperta probatio eſt hujus quod à nobis hactenùs dictum eſt, ut velle plura addere, rem planè ſit in clariſſima luce poſitam accenſa face velle illuſtrare, & oſtendere. Igitur quoties voluntas agit *ſine auxilio prioris agentis, & influentia ejus*; toties voluntas habet rationem *primi principii*: Atqui voluntas in negotio ſuæ ſalutis, & quantùm ad initium Fidei, ageret ſine auxilio prioris agentis, & influentia ejus: Ergo voluntas in negotio ſuæ ſalutis haberet primi principii rationem.

Major à D. Thoma in terminis poſita eſt; *hoc enim eſt*, inquit, *de ratione primi principii, ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis, & influentia ejus*. Minor, ſi negetur prævia motio, non minùs evidens eſſe videtur. Nunquam enim intelligi poterit, quòd Deus ſit primum agens, & primum influens in actionem voluntatis. Eſtò enim vocatio antecedat, priùſque moveat: at ea neque ad primum agens pertinere dici poteſt in ordine phyſico, de quo hìc agitur; neque in actum voluntatis influere poteſt. Eſtò iterùm quòd gratia altera ſufficiens, aut quęcumque alia per modum habitûs conceſſa, & in voluntate poſita antecedat; at ea priùs influere in actum voluntatis dici non poteſt. Ergo niſi admittatur prævia motio, intelligi non poteſt, quin voluntas quòd ad illum actum attinet, non habeat rationem primi principii. Sed ut hujus rationis vis quæ dubio procul maxima eſt ab omnibus apertiùs percipiatur.

Confirmatur & *Quintò*, ea ratione, quòd non poſſint iſta quæ à D. Thoma dicta ſunt, non intelligi in genere phyſico, & in vero ordine efficientis cauſæ, de qua ſolùm dubitari poterat, utrùm actus omnes voluntatis in Deum Authorem referri poſſint; de illa enim ſolùm cauſalitate agebatur: Ergo intelligit S. Thomas, quòd niſi in ordine phyſico, & genere cauſæ efficientis voluntas *Priori auxilio, & priori influentia in ipſum actum voluntatis* moveatur; voluntas habebit *rationem primi principii*. Sed prætereà

Confirmatur, & *Sextò*: quòd à D. Thoma exiſtimatum ſit, pertinere ad rationem ſecundi, & inferioris agentis, ut non poſſit agere *ſine auxilio primi agentis, & influentia ejus*. Quid verò intelligi aliud unquā poſſit nomine *prioris auxilii*, aut nomine *influentiæ* in agens ſecundum, ut agat, & quo agat, niſi motio prævia intelligatur? Hoc enim ſæpiùs repetimus, nihil aliud phyſicæ motionis, & præviæ nomine à nobis intelligi, quàm *auxilium Dei primi agentis, & ejus influentiam*: aut, ut ibidem inquit, & ſtatim referemus; *Efficaciam agendi quam Deus potentiæ confert, & quà agenti influit ut agat*. Ibid. ad 3. Ergo quoties voluntas agit, quoties eligit, ut habeat rationem ſecundi agentis, indiget *auxilio prioris agentis, & influentia* ejus, quâ agat, & moveatur, & in agendo à Deo primo agente, auxilio priùs adjuvante, & priùs influente dependeat.

Confirmatur *Septimò*, altero S. Thomæ argumento, & impugnatione ſolutionis adverſariorum: Prævidit enim D. Thomas aliud dici poſſe requiri ad rationem primi principii, nimirùm quòd, ut voluntas eſſet primū principium, deberet eſſe à ſe ipſa, quod planè impoſſibile eſt. Sed impugnat eam reſponſionem S. Thomas: hac ratione, quòd impoſſibile ſit, ut *Illud quod à ſe non habet eſſe, à ſe agere poſſit*. Idque probat, *Primò* quidem, quia quod non habet eſſe à ſe, *etiam per ſe durare non poteſt*: Ergo neque poteſt per ſe agere: utrumque enim connexum eſt, & ex eodem fonte oritur. Duo enim ſunt Divinæ gubernationis effectus: quòd res conſervet, & quòd ad agendum eas moveat, ut docet S. Thomas 1. par. quæſt. 104. & 105. *Secundò*: quia ad eandem Divinam operationem quâ rebus illabitur, & quæ eſt à priori ratio Divinæ immenſitatis, ut aliàs probavimus; pertinet, ut quidquid eſt in ipſa re perpetuo influxu conſervet, ac efficiat: Ergo cùm voluntatem agere quædam perfectio ſit, neceſſe eſt ut Deus voluntati inexiſtens, etiam perpetuò voluntatem conſervet, moveatque ut agat. Unde profundiſſimè à S. Thoma dictum eſt, quòd *Impoſſibile eſt, quod illud quod à ſe non habet eſſe, à ſe agere poſſit; cùm etiam per ſe durare non poſſit*. Cùm omninò neceſſe ſit, hæc duo conjuncta eſſe, & eadem origine derivari, & conſervari, & agere. *Tertiò*: impugnat Sanctus Thomas eandem Reſponſionem altera ratione: quia, inquit, *Omnis virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute. Unde cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus, & operatio ab alio ſit*. Etenim neceſſe eſt, eundem ordinem ac dependentiam ſervari inter virtutem agendi, & eſſentiam: & inter actionem, & virtutem agendi: Ergo, *Cujus eſſentia eſt ab alio, neceſſe eſt, quòd etiā virtus agendi, & quòd actio ſit ab alio*. Ergo impoſſibile eſt, iſta duo ſimul conjungi; quòd voluntas, ut agat, à priori agente non dependeat; & tamen quòd ut ſit, ab altero primo agente dependeat; cùm eadem dependentia eſſe debeat, & ut ſit, & ut agat. *Quartò*, ſed demùm impugnat D. Thomas eam ſolutionem hac ratione; quia *Quamvis per eam Reſponſionem*, inquit, *evitaretur, quòd voluntas non eſſet primum ſimpliciter*, & in omni ordine; cùm ab alio, & non à ſe ſuum eſſe habeat; attamen nulla ratione *vitari poteſt, quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquid prius*

agens

agens non reduceretur, ſicut in causâ, in eo ordine de quo ſolùm dubitari poteſt, & de quo agitur, ſcilicet phyſico: Atquì ſi in negotio ſuæ ſalutis, & cùm primò ut revelatis à Deo intellectus aſſentiatur, ipſa voluntas pio affectu ducitur, & movetur; ſi, inquam, voluntas prævièà Deo, & phyſicè non moveretur ad eum credendi pium affectum; *In aliquod prius nō reduceretur ſicut in cauſam* in eo ordine phyſico. Ergo, quòd attinet ad illum actum, piumque credendi affectum, qui eſt ſalutis initium, voluntas eſſet in eo ordine primum agens.

Confirmatur etiam *Octavò*, altero principio quod S. Thomas eodem loco ad 3. uſurpat, quodque aliàs ex eodem retulimus, neque hìc prætermitti debet, cùm in illius Articuli explicatione verſemur. *Bonarum actionum.* inquit S. Thomas *Deus non eſt Author, niſi ſecundùm quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert*, qua voluntati *influit, & ut agat, & ut benè agat*, adde etiam & ut liberè agat: quia *Deus eſt Author bonarum operationum, non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam, ſed etiam quantùm ad perfectionem, ſecundùm quam bonæ dicuntur*, & liberæ ſunt; bonitatis enim moralis libertas fundamentum eſt: Ergo niſi Deus conferat voluntati *efficaciam agendi*, ipſique *influat, & ut agat, & ut benè agat*, Deus non erit *Author bonarum actionum*: nec erit quòd grato humilique animo in Deum Authorem voluntas referat, quòd benè agat, ſed ſibi tribuere poterit, quòd à ſe primum habeat ſuæ ſalutis initium.

Confirmatur demùm, quòd aut unica omninò, aut præcipuam ſaltem ſemper in Eccleſia controverſia fuiſſe videatur de præveniente, & effectrice ac præoperante gratia, non verò de gratia cooperante, ſeu concurſu ſimultaneo, quem nulla ratio erat, ut eum ultrò non admitterent. Atque id apertiſſimè conſtat ex ipſo S. Auguſtino Epiſt. 107. ad Vitalem, ubi cùm 12. Regulas in ea quæ verſabatur inter eos de gratia controverſia, tanquam omninò de Fide certas conſtituiſſet; deinde inquit: *Recognoſcis me, ut puto, in his quæ nos ſcire dixi, non omnia quæ ad Fidem Catholicam pertinent commemorare voluiſſe: ſed ea tantùm quæ ad iſtam, quæ inter nos agitur, de Dei gratia quæſtionem: Utrùm præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem? hoc eſt; ut planiùs eloquar, utrùm ideò nobis detur, quia volumus; an per ipſam Deus etiam efficiat ut velimus.* Hæc S. Auguſtinus. Ex quibus apertiſſimè liquet, ad hoc unicum totam controverſiam à S. Auguſtino reſtringi, *Utrùm per ipſam* gratiã *Deus efficiat ut velimus*: quod de præveniente dumtaxat, & nullo modo de cooperante ſolùm gratia, ſeu ſimultaneo ſolùm concurſu intelligi poteſt. Atque id multò adhuc apertius eſt ex eo quòd utramque gratiam, & præoperantem, & cooperantem explicari olim S. Proſper à S. Auguſtino petierit. Etenim cùm plurima ex Maſſilienſibus retuliſſet: *Tribue*, inquit, *nobis in cauſa.... Pater optime, quantùm donante Domino potes.... ut quæ in iſtis quæſtionibus obſcuriora, & ad percipiendum difficiliora ſunt, quàm lucidiſſimis expoſitionibus digneris aperire. Ac primùm quia plerique non putant, Chriſtianam Fidem hac diſſentione violari, quantùm periculi ſit in eorum perſuaſione, patefacias. Deinde, quomodò per iſtam PRÆOPERANTEM, ET COOPERANTEM gratiam liberum non impediatur arbitrium*; ubi apertiſſimè utramque, *& præoperantem, & cooperantem gratiam* à S. Auguſtino explicari poſtulat D. Proſper, de qua, controverſia verſabatur. Neque ſanè præoperans ſolùm moraliter gratia huc advocari poteſt, de qua S. Proſper intellexerit, cùm ipſe S. Proſperi loquendi modus omninò reclamet, nec niſi incongruè duo adeò adverſa jungi ſimul potuiſſent, & præoperans moraliter, & cooperans effectrix gratia; neque ulla de præoperante moraliter ſolùm gratia eſſe controverſia poterat, quæ meretur à S. Auguſtino explicari, *Quomodò per iſtam præoperantem* moraliter *gratiam* liberum non impediatur arbitrium. Et ſi quæ eſſe poſſet, nè quis eat inficias, non de ſola cooperante gratia, ſed & *de præoperante* id poſtulat S. Proſper. Et inſuper de ea præoperante gratia potiſſimam fuiſſe concertationem ſatis ſignificat, cùm jam verbis immediatè præmiſſis, in eo præſertim reprehendendos eſſe Maſſilienſes, dixiſſet, *Quòd principium ſalutis malè in homine collocatur, ſi Divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur; ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò quia adiuvatur velit*. Igitur in eo poſita erat præcipua controverſia, *An quis ideò adjuvatur, quia voluit; an quia adjuvatur velit?* Unde & referente S. Auguſtino lib. 1. contra Julian. cap. 95. operis ultimi. Cùm Julianus admiſiſſet imprimis gratiam quæ *in baptiſmate non ſolùm peccata condonat*, ſed etiam *quæ cum hoc indulgentiæ beneficio, & provehit, & adoptat, & confecrat.* Cùm hæc inſuper verba Julianus adjunxiſſet: *Bonæ volũtati innumeras adjutorii Divini adeſſe ſpecies non negamus*; ſed ita ut *non cuiquam neceſſitas credatur incumbere: verùm ut arbitrio libero omne adjutorium cooperetur.* Hæc enim unica ratio erat, qua validam illam fortemque gratiam negaret, quam admittendam eſſe S. Auguſtinus contendebat; quòd nimirùm ſub ea voluntas neceſſitate adacta occumberet. Alioquin enim *innumeras adjutorii Divini ſpecies adeſſe* non diſſitebatur: ac expreſsè etiam adjutorium quod *arbitrio libero cooperetur*, ultrò admittebat. Verùm reprehendit Julianum S. Auguſtinus, quòd admiſſa ea cooperante gratia, prævenientem non admitteret. *Si non*, inquit, *Deus prævenit, ut operaretur eam, ſed priùs exiſtenti voluntati gratia cooperatur, quomodò verum eſt, Deus in nobis operatur, & velle? quomodo præparatur voluntas à Domino? quomodò charitas ex Deo eſt?* Hæc ibi S. Auguſt. quibus de præveniente gratia concertationem eſſe apertiſſimè inquit, non verò de cooperante gratia. Et rationem ſubjungit quam nos hoc Articulo urgemus, quòd ſcilicet nunquam intelligi ſatis poſſit, ſola cooperante gratia Deum efficere ut faciamus. Etenim; ſi *priùs exiſtenti*

ſtenti voluntati gratia cooperatur; quomodo verũ eſt: Deus in nobis operatur & velle? Enim verò ſi dumtaxat præveniens moraliter gratia ſolùm antecedat, neceſſe eſt quòd voluntas ſub ea gratia in ordine phyſico in quo agit, ſe priùs determinet. Priùs ergo, non quidem tempore, ſed natura agit voluntas, cui gratia cooperatur. Atque id ita conceſſit Bellarminus lib. 4. de gratia cap. 15. Quæ tamen verba ipſius operibus inſerta fuiſſe ipſe non dubito. *Licèt*, inquit, *in eodem prorsùs momento temporis & naturæ, Deus & voluntas operari incipiant; tamẽ Deus operatur quia voluntas operatur, & non econtrà: & hoc eſt quod aliqui docent, priùs natura operari quàm Deum, non prioritate inſtantis in quo, ſed à quo.* Igitur, & in ea ſententia, à qua reipſa eorum qui prævias motiones, & effectricem prævenientem gratiam negant, diverſa ſententia eſſe non poteſt, in ea inquam ſententia verum habet quod refert S. Auguſtinus: *priùs exiſtenti voluntati* non tempore ſed natura, nec prioritate inſtantis in quo, ſed à quo, *gratia cooperatur*. Et ſi ita ſit, quo pacto intelligi poteſt, ut rectè ſubſumit S. Auguſtinus: *Quomodò verum eſt; Deus in nobis operatur, & velle?* Vide quæ dicta ſunt Tom. 1. diſſert. 2. quæſt. 9. art. 5. ubi plurima alia dedimus ex quibus colligi etiam poteſt, non immeritò à nobis inquiri poſſe, num etiam cum iis quæ ex SS. Auguſtino, & Proſpero retulimus, & quæ ipſi reprehendunt, *non ideò adjuvari voluntatem, ut velit, ſed ideò adjuvari, quia voluit*; num inquam nimiùm conſentanea ſint ea verba quæ ex Bellarmino retulimus; & ea quæ retulimus etiam ex Leſſio, *Liberum arbitrium directè eſſe cauſam, cur hìc, & nunc Deus influat in opus tum per dona ſua tum per ſeipſum; non autem Deum aut gratiam, cur liberum arbitrium hìc, & nunc influat?*

Atque ex his omnibus manifeſtum eſt, quæ ſit S. Thomæ ſententia: & quamvis in primis non ſoleat D. Thomas telum imbelle ſine ictu conjicere, nec fuerit frigida bello dextera; & quæ ex S. Thoma argumenta confecimus, validiſſima ſint, neque ulla ſolutione confringi poſſint: attamen quamvis ea omnia argumenta ſolutione aliqua excipi poſſent; illud tamen negari non poteſt, quod probandum à nobis ſuſceptum fuerat; ſcil. eam eſſe certam firmamque S. Thomæ ſententiam: quòd ſi voluntas prævia motione, & quidem phyſica, ſeu efficaci gratia non moveretur, ſalutis fideique initium in ſolam voluntatem, ut primum principium, refundendum eſſet.

ARTICULUS XIII.

Altera ex D. Thoma probatio: quòd gratia per ſe efficax ſit, quia uſus gratiæ eſſe debeat ab ipſa gratia.

Affinis eſt hæc ratio ſuperiori, & hæc duo omninò conjuncta ſunt, gratiam ſui ipſius uſum voluntati conferre, eamque primum eſſe voluntatis determinationis principium. Unde ſi gratia ſui ipſius uſum voluntati non tribuat; aperta conſecutione deduci videtur, voluntatem eſſe primum ſuæ determinationis principiũ; quæ determinatio non poteſt non eſſe primum ſalutis initium. At verò compertum omninò habuiſſe D. Thomam, gratiam ſui ipſius uſum voluntati tribuere, dubitari non poteſt. Unde ea ratione contendit, prædeſtinationis nullam poſſe cauſam intelligi ex parte hominis, ſed eam omninò gratuitam eſſe; quia ſi quæ eſſe poſſet cauſa, ea eſſet maxime prævisus bonus gratiæ collatæ uſus. At, inquit, uſus gratiæ eſt effectus ipſius gratiæ, & prædeſtinationis quâ gratia confertur: nõ igitur eſſe poteſt uſus gratiæ cauſæ prædeſtinationis: cùm ille uſus gratiæ, ut cauſa prædeſtinationis deberet antecedere, quam tamen ſubſequitur, cùm ſit prædeſtinationis effectus. Unde ſic]

Probatur, & ſic formatur hæc ratio, quâ ſuperiùs dicta omnia confirmantur, & potiſſimùm efficacia Gratiæ, & Divinæ motionis oſtenditur. Neceſſe eſt, uſum gratiæ ex vi ipſius gratiæ oriri: quatenus ſcilicet gratia collata homini efficit, ut homo ipſe gratiâ utatur; ita ut ipſa gratia ſibi ſubjiciat voluntatem, non voluntas ſibi gratiæ pariat opem. Atqui niſi gratia ſit per ſe efficax, uſus gratiæ non erit ex ipſa gratia, ſed ex libero arbitrio, quod gratiâ utetur, ut voluerit: Ergo neceſſe eſt, gratiam eſſe per ſe efficacem.

Sed audiendus eſt S. Thomas 1. par. quæſt. 23. art. 5. ubi, rejectis Origenis, & Pelagianorum erroribus, ita inquit. *Unde fuerunt alii, qui dixerunt, quòd merita ſequentia prædeſtinationis effectum, ſunt ratio prædeſtinationis; ut intelligatur quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & præordinavit ſe ei daturum, quia præſciuit eum benè uſurũ gratia; ſicut ſi Rex det alicui militi equum, quẽ ſcit eo benè uſurum. Sed iſti videntur diſtinxiſſe inter id quod eſt ex gratia, & id quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit eſſe idem ex utroque. Manifeſtum eſt autem, quòd id quod eſt gratiæ, eſt prædeſtinationis effectus: & hoc non poteſt poni ut ratio prædeſtinationis, cùm hoc ſub prædeſtinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte noſtra ſit ratio prædeſtinationis, hoc erit præter effectum prædeſtinationis. Non eſt autem diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione: ſicut nec eſt diſtinctum quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſa prima. Divina enim providentia producit effectus per*

opera-

operationes cauſarum ſecundarum, ut ſupra dictum eſt: unde & id quod eſt per liberum arbitrium, eſt ex prædeſtinatione.

Hæc S. Thomas: ex quibus facilè argumenti ſuperiùs propoſiti partes omnes omninò ex Sancti Thomæ ſententia demonſtrantur. Ac in primis ſuperioris argumenti major propoſitio, ſcilicet gratiæ uſum eſſe ab ipſa gratia, apertiſſima eſt S. Thomæ ſententia.

Minor verò, ſcilicet non poſſe gratiam ſui ipſius uſum conferre, niſi per ſe efficax ſit, probatur; quia neceſſe eſt, quòd ſi ſui ipſius uſum tribuat, ipſa ſua vi, & efficacia moveat, & applicet voluntatem: quia S. Thomas 1. 2. qu. 16. ubi propriiſſimam usûs notionem refert, Art. 1. ita inquit. *Dicendum, quòd uſus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem. Unde & operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur uſus ejus: ſicut equitare eſt uſus equi, & percutere eſt uſus baculi.* Unde & ibid. art. 4. ad 5. tanquam principium de quo dubitare non liceat, illud aſſumit; *quòd voluntas utatur aliis potentiis, in quantùm movet eas.* Ergo ex S. Thoma, aut veriùs ex communi omnium ſenſu, & ſimpliciſſima usûs ratione, impoſſibile eſt, gratiam tribuere ſui ipſius uſum voluntati, niſi voluntatem moveat applicetque ad operationem. Sed

Dices ex ea notione usûs nihil colligi poſſe quod faveat previę motionis ſententiæ, ſed potiùs ex ea notione oppoſitum omninò colligi; quia & voluntas ipſa etiam utitur Divinâ gratiâ, & cùm uti re aliqua, ſit eam applicare ad operationem, ſequitur etiam, & voluntatem applicare ipſam gratiam. Atque ita etiam aperte ex S. Thoma colligitur. Etenim 1. ad Cor. cap. 15. lect. 1. cùm illud D. Pauli explicat. *Gratia ejus in me vacua non fuit*: ita inquit S. Thomas. *Gratia Divina Pauli non fuit in ipſo vacua, id eſt otioſa, quia eâ uſus eſt ad ea ad quæ data eſt ſibi.* At cùm ex eodem S. Thoma, uti re aliqua, ſit eam applicare ad operationem, etiam conſequitur prævenientem gratiam jam in voluntate exiſtentem liberè à voluntate applicari ad opus. Sed

Impugnatur facilè ea reſponſio. Et primò quidem juſta eſt conquerendi cauſa, quòd dimidiata S. Thomæ loca referantur, quæ ſi integra referrentur, nullus eſſet de ejus mente dubitandi locus. Ita enim ſuperiora verba referuntur, ac ſi S. Thomas iis innueret, prævenientem gratiam voluntati collatam, & indifferentem eſſe, & veluti ſuſpenſam manere, ut applicationem voluntatis expectet: Atqui alieniſſimus eſt à mente S. Thomæ hic ſenſus; immò & à verbis Apoſtoli quæ S. Thomas expendit. Cùm enim dixiſſet Apoſtolus, *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei*: ut explicaret, nihil ſibi tribuere velle, etſi ſe ipſum Apoſtolum nuncuparet, quę ſumma dignitas eſt; ita proſequitur: *Gratiâ autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit: ſed abundantiùs illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quibus explicat, nihil ſibi tribuere, quòd ſe Apoſtolum nominet: quia ex ſola Divina gratia Dei Miniſter eſt. Et quidem ea gratia minime in eo otioſa fuit, cùm eâ uſus fuerit; ſed qua ratione uſus? quia ſcilicet & ipſa gratia ſui ipſius uſum contulit: *Non* enim *ego* ſolus, *ſed gratia Dei mecum.*

Sed audiendus eſt S. Thomas, cujus explicatio nõ dimidiata, ſed integrare reponẽda eſt. Advertit igitur S. Thomas, quòd his verbis D. Paulus *commendat conditionem ſuã quantùm ad ſtatum. Dicit ergo, ex me nihil ſum; ſed id quod ſum, gratiâ Dei ſum, id eſt ex Deo, non ex me.... Sed qualiter uſus ſit, & executus ſtatum ſuũ, oſtendit dicẽs, & gratia ejus in me vacua non fuit. Ubi primò oſtendit quomodò uſus ſit gratiâ iſtâ, quia ad bonum: & ideò dicit, in me vacua non fuit, id eſt otioſa, quia eâ uſus eſt ad id ad quod data eſt ſibi... ſecundò manifeſtat quomodò alios exceſſit, & ideò ſubdit, quod abundantiùs illis omnibus, id eſt Apoſtolis, laboravit prædicando. Tertiò oſtendit uſus efficaciam, quia hoc non à ſe ſolo, ſed ex inſtinctu, & adjutorio Spiritus Sancti: & ideò dicit: (non autem ego) ſolus operor, ſed gratia Dei mecum, quæ movet voluntatem ad hoc.* Iſai. 26. „ *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.*„ *Ad Philip. 2. Qui operatur in nobis.* „ *Deus enim non ſolùm infundit gratiã, quâ noſtra opera grata fiant; ſed etiã movet ad benè utendum gratiâ infusâ.* Hactenus S. Tho. ut explicet quod à D. Paulo dictum fuerat.

Vide qua ratione dixerit S. Thomas, quòd S. Paulus gratiâ ſibi datâ uſus eſt, & quo pacto hæc ad indifferentem gratiam trahi poſſint. Nihil enim magis S. Tho. adverſum eſſe poteſt, quàm ea gratia indifferens, & ſuſpenſa, quæ voluntatis determinationem expectet. Equidem verum eſt, voluntatem Divinâ gratiâ uti, neque enim otioſa voluntas eſt: ſed unde uſus ille voluntatis oritur, niſi ex ipſius Divinæ gratiæ *efficacia*? non ergo ſuſpenſa gratia eſt, aut voluntatis determinationem expectat; ſed ipſa *gratia movet voluntatem ad hoc* quòd ſcilicet voluntas Gratiâ Divinâ utatur. Atque id omninò manifeſtum eſt ea vel ſola ratione, quòd gratia ſui ipſius uſum tribuere dicitur. Unde hæc ſimillima ſunt iis quæ ſupra ex S. Thoma quæſt. 6. de Malo diximus, quòd *Voluntas movet ſe ipſam, & movetur etiam ab aliquo exteriori agente, ſcilicet Deo.* Conſtat enim, quòd *voluntas aliquid confert cùm à Deo movetur; ipſa enim eſt quæ operatur*, & ſe ipſam movet: *ſed mota à Deo, ſicut à primo principio.* Hæc veriſſima illius loci explicatio, quâ conſtat, ea ratione ſolùm gratiam ſui ipſius uſum voluntati tribuere, quòd voluntatem moveat applicetque ad opus; nec poſſit intelligi, quòd gratia ſui ipſius uſum tribuat, niſi voluntas moveatur gratiâ Divinâ.

Impugnatur ſecundò, & ſuperior etiam ratio confirmatur altera ratione ex S. Thoma eodem loco ſupra relato deſumpta. Si uſus gratiæ non eſſet ab ipſa gratia movente, & applicante vo-

lunta-

luntatem, liberumque arbitrium, *distingueretur inter illud quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non posset esse idem ab utroque*: Atqui id tanquam falsum omninò rejicit S. Thomas; & reipsà distinguendum non est inter illud quod est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio: Ergo necesse est, usum gratiæ esse ab ipsa gratia movente, & applicante voluntatem, liberumque arbitrium.

Solùm in Majori difficultas esse potest: facilis est tamen probatio; quia cùm gratia, exempli causa, prævenit voluntatem, si ipsa gratia voluntatem non applicet, sed ipsa voluntas gratiam jam in voluntate existentem ad opus applicet; manifestum est, eam applicationem, quæ est à voluntate non esse à præveniente gratia: non enim, ut Adversarii existimant, gratia physicè applicat voluntatem: Ergo ea applicatio non est ab ipsa gratia: Ergo distinguitur quod est à gratia, & quod est à libero arbitrio. Et verissimè ita sentiunt Authores adversæ sententiæ, cùm expressè affirment, voluntatem & Divinam gratiam esse partiales causa instar duorum trahentium currum, quorum quilibet pro sua parte currum trahit, sed unus non efficit quòd alter trahat neque vim alteri trahendi influit, aut hujus tractionem efficit: de quo jam aliàs multa diximus. Et præterea ad libertatem pertinere arbitrantur: quòd voluntas sese ipsam determinet, neque determinetur ab alio: Ergo illa determinatio quæ est à voluntate, non est etiam à gratia, quamvis deinde sit à concursu simultaneo. Atque adeò ex eorum sententia distinctum *est illud quod est ex gratia, & id quod est à libero arbitrio, quasi non possit esse idem ab utroque*.

Confirmatur ex his quæ sæpius alibi retulimus ex S. Thoma 3. cont. Gent. cap. 70. ubi explicat *Quomodò idem effectus sit à Deo & à naturali agente*: expressè enim inquit; quòd *Non sic idem effectus causæ naturali, & Divinæ virtuti*, & gratiæ *attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat: sed totus ab utroque secundùm alium & alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus*. Quod sanè idem est ac Deum, & causam secundam, non esse partiales causas, sed omninò quidquid à voluntate fit, etiam à Divina gratia fieri: sicut *nec est distinctum quod est ex causa secunda, & causa prima*. Quo sensu etiam à S. Anselmo dictum est lib. de concordia voluntatis cap. 10. *Quamvis sua voluntas utatur potestate, nihil tamen facit quod Deus non faciat in bonis suâ gratiâ*. Ut enim nulla in naturæ ordine res esse potest, nullum ens quod à Deo Authore naturæ productum non sit; ita planè nulla vel minima perfectio in ordine gratiæ intelligi potest, quæ ex Divina gratia non oriatur. Supernaturalem verò esse eam primam applicationem, quæ non potest non esse primum salutis initium, nullus esse potest dubitandi locus. Et verò, ut hinc facilè dignosci possit, qui verè D. Thomæ sententiam reverà amplexi fuerint; inquirendum solùm, quinam Authores illi sint qui distinguendum esse putent inter illud quod est ex gratia, & quod est ex libero arbitrio? quinam operationem voluntatis inter Deum ac voluntatem veluti inter partiales causas dividant? nulla enim ratione distinguendum esse S. Thomas contendit: cùm ipse solus Deus causa sit, quòd voluntas agat. Vide S. Tho. ad Rom. 9. lect. 3.

ARTICULUS XIV.

Altera ex S. Thoma probatio efficacis per se gratiæ. Dici non posse, quòd Deus faciat ut faciamus, nisi ea ratione, quòd prævie, & in genere causæ efficientis moveat voluntatem. Utramque motionem, & moralem, & effectricem necessarium esse.

INter potissimas hæc ratio existimanda est, quòd de Fide sit, *Deum facere ut facimus* & omnia quæ maximè ad salutem consequendam conducere possunt, in nobis licet non sine nobis, efficere; ac communis etiam Religionis sensus sit, omnia esse in Deum Authorem referenda. Et verò nihil frequentiùs SS. Scripturæ inculcant, variisque modis exprimunt, quod Esai. cap. 21. apertiùs explicari videtur; cùm dictum est, *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*: quæ refert sæpiùs D. Thomas tum ad ea quæ ad ordinem naturæ spectant, tum ad ea quæ ad ordinem gratiæ pertinent. Nec minùs apertè ad Philipp. 2. *Qui operatur in nobis, & velle, & perficere*. Sed apertiùs præterea id explicari videtur, cùm dicitur, Deum facere ut faciamus: Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*: quo loco ut Argumento invictissimo S. Augustinus perpetuò ubique utebatur, ut efficacem esse gratiam, sua ipsa vi & voluntatem flectere, & applicare demonstraret. Unde sic

Probatur in forma, & Argumentum sic proponitur. De Fide est, aut si quæ hìc Durandi sententiæ ratio habenda sit, sine gravi errore negari non potest, Deum omnia in nobis efficere, nec minùs in supernaturali ordine, quàm in ordine naturæ; nec solùm quocumque modo, & impropriè operationes voluntatis nostræ efficere, sed propriissimè etiam: ex quo sequitur, Deum *facere ut faciamus*, seu efficere quòd nostra ipsa voluntas agat: Atqui intelligi non potest, Deum *facere ut faciamus*, nisi ea ratione, quòd voluntatem moveat prævie, ac per modum causæ efficientis, quod à S. Thomæ Discipulis dicitur, movere physicè: Ergo etiam in ordine supernaturali Deus prævie, & physicè movet voluntatem, in qua Divina motione efficacia Divinæ gratiæ reposita est.

Major

Major de Fide eſt, nec ab ullo Theologo negari periculum eſt, quamvis variis modis intelligi poſſit. Sed apertus ac germanus ſenſus, & ſine ambagibus eſſe videtur Deum *facere ut faciamus*. Et ſanè, cùm voluntatem agere perfectio quædam ſit, imò omnium potiſſima, cùm quælibet potentia ad operationem veluti ultimum finem à natura ordinata ſit, ut arbor ad ferendos fructus; neceſſe eſt eam perfectionem à Deo conferri, nec ſolùm voluntatis actiones quocumque modo fieri, ſed etiam ſub ea peculiari ratione qua exit à voluntate, ſeu potiùs Deum eſſe voluntati cauſam agendi; & ipſam voluntatem ex potentia, & otio in quo intelligitur antequam agat, à Deo in actum reduci: in quo poſita eſt præcipua voluntatis perfectio: & quidem reduci in eo ordine in quo agit, ſcilicet efficientis cauſæ, & phyſicæ: quod ſanè non alia unquam apertiori ratione explicari poterit; quàm cùm dicitur. Deum *facere ut faciamus*.

Minor verò probatur: ſcilicet hæc omnia quæ modò diximus ex S. Thomæ ſententia non aliter intelligi poſſe niſi ea ratione, quòd Deus voluntatem phyſicè moveat, & applicet ad operationem. Etenim D. Thomas 1. 2. quæſt. 80 art. 1. communiſſimum principium ſtatuit, qua ratione aliquod agens dici poſſit alterius agentis actus eſſe cauſa directa. Sed, cùm ea quæ habet S. Thomas eo Articulo, maximi mommenti ſint ad intelligendam veram cauſalitatis directæ, & indirectæ, phyſicæ, & moralis notionem, referendus eſt integer D. Thomæ Articulus ubi luculentiſſimè eam omnem cauſalitatem explicat. Solent enim qui contrà ſentiunt, moralem & indirectam cauſalitatem loco efficientis, & phyſicæ ſupponere; adeò ut efficaciſſimam gratiam qua S. Paulus converſus eſt, ad ſolam moralem motionem vocationis referendam eſſe arbitrentur: quibuſdam verbis D. Auguſtini non ſatis rectè intellectis adducti, quibus inquit S. Auguſtinus, converſum, & proſtratum Paulum, quia tale ei viſum apparuit quo moveretur, de quo aliàs diximus. Ita igitur habet S. Thomas. Ubi inquirit *Utrùm diabolus ſit homini directè cauſa peccandi.* Et ita quæſtionem reſolvit.

Reſpondeo Dicendum: quòd peccatum actus quidam eſt. Unde hoc modo poteſt eſſe aliquid directè cauſa peccati, per quem modum aliquis directè eſt cauſa alicujus actus. Quod quidem non contingit, niſi per hoc quòd proprium principium illius actus movet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati eſt voluntas, quia omne peccatum eſt voluntarium. Unde nihil poteſt directè eſſe cauſa peccati, niſi quod poteſt movere voluntatem ad agẽdum. Voluntas autem, ſicut ſuprà dictum eſt (quæſt. 9, art. 1. 4. & 5.) à duobus moveri poteſt, uno modo ab objecto, ſicut dicitur quòd appetibile apprehenſum movet appetitum: alio modo ab eo quod interiùs inclinat voluntatem ad volendum. Hoc autem non eſt niſi vel ipſa voluntas vel Deus, ut ſuprà oſtenſum eſt (quæſt. 9. art. 3.) Deus autẽ non poteſt eſſe cauſa peccati, ut dictum eſt (qu. 79. art. 1.) Relinquitur ergo, quòd ex hac parte ſola voluntas hominis ſit directè cauſa peccati ejus. Ex parte autẽ objecti poteſt intelligi, quòd aliquid moveat voluntatem tripliciter: uno modo ipſum objectum propoſitum; ſicut dicimus quòd cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum: alio modo ille qui proponit vel offert hujuſmodi objectum. Tertio modo ille qui perſuadet objectum propoſitum habere rationẽ boni: quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati, quod eſt rationis bonum verum vel apparens: Primo igitur modo res ſenſibiles exteriùs apparẽtes movẽt voluntatem hominis ad peccandum. Secundo autem, & tertio modo vel diabolus, vel etiam homo poteſt incitare ad peccandum, vel offerendo aliquid appelibile ſenſui, vel perſuadendo rationi. Sed nullo iſtorum trium modorum poteſt aliquid eſſe directa cauſa peccati; quia voluntas non ex neceſſitate movetur ab aliquo objecto, niſi ab ultimo fine, ut ſuprà dictum eſt (qu. 10. art. 2.). Unde non eſt ſufficiens cauſa peccati, neque res exteriùs oblata, neque ille qui eam proponit, neque ille qui perſuadet. Unde ſequitur, quòd diabolus non ſit cauſa peccati directè vel ſufficienter, ſed ſolùm per modum preſuadentis vel proponentis appetibile.

Hæc omnia S. Thomas. Quæ neceſſe eſt aliqua meditatione expendi, cùm nihil opportunius umquam vel apertius dici poſſit ad veram, & propriiſſimam directæ, & propriæ cauſalitatis rationem explicandum. Atque inde

Probatur illa Minor, Deum facere, ut faciamus movendo per modum cauſæ efficientis. In tantum Deus eſt cauſa ut faciamus, in quantum eſt directè cauſa ipſius actus: Atqui, ut inquit D. Thomas, illud *non contingit niſi per hoc quòd proprium principium illius actus movet ad agendum*, & quidem per modum efficientis cauſæ: quia inde colligit S. Thomas, quòd dæmon proprium principium, ſcilicet voluntatem ad actum movere non poſſit; ideòque diabolus dici non poſſit eſſe homini ac voluntati cauſa peccandi: quæ omnia manifeſtum eſt, à D. Thoma de ordine phyſico, & de vera ac propria cauſalitate phyſica, & intelligi, & reipſa intelligenda eſſe; cùm in ordine morali, ſuadendo, inſtigando, appetitus excitando, diabolus voluntatem movere poſſit. Sed hæc à cauſalitate propria, & directa excluduntur: cùm non alia unquam ratione fieri poſſit, agens aliquod eſſe alteri cauſam agendi, niſi quatenus, non moraliter ſolùm, ſed phyſicè & in genere effectricis cauſæ *proprium principium illius actus movet ad agendum.* Unde ſubdit D. Thomas. *Proprium autem principium actus peccati eſt voluntas: quia omne peccatum eſt voluntarium. Unde nihil poteſt directè eſſe cauſa peccati, niſi quod poteſt movere voluntatem ad agendum.* At verò ſubdit S. Thomas. *Voluntas autem, ſicut ſupra dictum eſt, (quæſt. 9. art. 1. 4. & 5.) à duobus moveri poteſt: uno modo ab objecto, ſicut dicitur, quòd appetibile apprehenſum movet (ſenſũ;* (quod fit moraliter:) *alio modo ab eo quod interiùs inclinat voluntatem ad volendum;* (quod fit di-

verso modo, scilicet physicè. Quodnam verò agens potest hoc modo interiùs inclinare voluntatem? *Hoc autem*, subdit S. Thomas, *non est nisi vel ipsa voluntas, vel Deus, ut suprà ostensum est*, (*qu. 9. art. 3. ac deinceps*). Cum verò palàm sit, nosque etiam ipsa ratio doceat, ait D. Thomas, quòd *Deus non potest esse causa peccati, ut dictum est* (*q. 7. 9. art. 1.*). Concludit D. Thomas: *relinquitur ergo quòd ex hac parte*) physicè scilicet) *sola voluntas hominis sit directè causa peccati ejus*.

Confirmatur, quia certum est, diabolum esse homini causam peccati, & ut hoc art. refert D. Thomas ex S. Augustino 4. de Trinitate cap. 12. *suæ societati malignos affectus inspirare*, & ex Beda super Act. Apost. 6. 5. *animam in affectum malitiæ trahere*: & ex Isidoro lib. de summo bono *corda hominum occulis cupiditatibus replere*: Atqui id intelligitur solùm de indirecta motione, quatenus objecta proponit, & appetibilia suggerit, & ut explicat S. Thomas 3. 4. & 5. hujus quæstionis articulis, quatenus interiùs instigat ad peccandum. Et ut ex S. Augustino lib. 83. quæst. refert art. 3. *quatenus serpit hoc malum per omnes aditus sensibiles; dat se figuris, accommodat se coloribus, adhæret sonis, infundit se saporibus*: Ita enim excitat, & accendit ac movet hominem diabolus. Sed ea motio indirecta solùm est ac impropria, & ex parte objecti, ac solùm in genere causæ moralis; non verò directa, & propria sive ex parte principii, & per modum causæ efficientis, & physicæ: Ergo cùm eeontrà actus studiosi, & virtutis Deus sit causa propriè, directè, & ex parte principii, & non solùm ex parte objecti, ut dixit Divus Thomas; necesse est ut voluntatem inclinet, moveatque ad agendum, & quidem in genere causæ efficientis, & physicæ, ac in eodem ordine in quo ipsa voluntas agit.

Confirmatur, quòd hæc intelligi non possint de coucursu simultaneo. Quia, ut dictum est à D. Thoma, non contingit quòd *aliquod agens sit recta causa alterius actus, nisi per hoc quòd proprium principium illius actus movet ad agendum*: Atqui evidens est, id non posse intelligi de concursu simultanao. Certum quidem est, Deum etiam concursu simultaneo causam esse actus voluntatis, qui concursus si deesset, nullus esset voluntatis actus: sed concursu simultaneo non movet ad agendum: neque ea difficultas erat quæ D. Thomam morari deberet. Quis enim dubitet actum jam productum à Deo perpetuo influxu indigere? in hoc enim positus est concursus simultaneus. Sed difficultas solùm versabatur de causa agendi, qua ratione scilicet unum agens alteri esse possit causa agendi. Atqui concursu simultaneo Deus non est voluntati causa agendi, neque voluntatem movet ad agendum: Ergo

Confirmatur demum, & ut hæc omnia faciliùs explicentur, atque ut apertè gravissima de Divinis auxiliis controversia ex D. Thoma sententia omninò dirimatur; hæc omnia ejusdem Doctoris Angelici D. Tho. principia. & quæ de dæmone ad malum instigante dicta sunt, paululùm immutari possunt, ut ad Deum referantur, à quo voluntas ad bonum movetur. Igitur similis quæstio potest institui: & ut ex hoc uno Articulo totius controversiæ resolutio apertissimè deduci posse demonstremus.

Quæri potest, *Utrùm* Deus *sit homini causa agendi*. Atque mutatis ex eo S. Thomæ Articulo verbis, ac paucis immutatis quæ ænimadvertere ipse poterit Eruditus Lector, ita quæstionem resolvo; cùm integer S. Doctoris Articulus nè mutato quidem apice supra exscriptus sit: cujus collatione observare poterit quæ à nobis immutentur. Igitur

Respondeo, dicendum: quòd actio bona *actus quidam est. Unde hoc modo potest esse aliquid directè causa* actionis bonæ *per qnem modum aliquis directè est causa alicujus actus. Quod quidem non contingit, nisi per hoc, quòd proprium principium illius actus movet ad agendum. Proprium autem principium* actiouis bonæ *est voluntas: quia* omnis actio bona *est voluntaria. Unde illud potest directè esse causa* actionis bonæ, *quod potest movere voluntatem ad agendum. Voluntas autem, sicut supra dictum est, à duobus moveri potest. Uno modo ab objecto, sicut dicitur quòd appetibile apprehensum movet appetitum: alio modo ab eo quod inclinat voluntatem ad volendum. Hoc autem est vel ipsa voluntas vel Deus, ut supra ostensum est. Deus autem potest esse causa* actionis bonæ. *Relinquitur ergo, quòd ex hac parte*, & Deus & *voluntas* sint *directè causa* actionis bonæ; quatenus scilcet Deus voluntatem movet quæ est principium proprium actionis bonæ. *Ex parte autem objecti potest intelligi, quòd aliquid moveat voluntatem triplicitèr. Uno modo ipsum objectum propositum, sicut dicimus quòd cibus excitat desiderium hominis ad comedendum: Alio modo ille qui proponit vel offert hujusmodi objectum: Tertio modo ille qui persuadet objectum propositum habere rationem boni; quia & hic aliqualiter proponit proprium objectum voluntati; quod est rationis bonum verum vel apparens. Primo igitur modo res sensibiles exteriùs apparentes*, varietas & pulchritudo rerum universi, stellæ, ac Cæli, quæ enarrant gloriam Dei, piæ imagines, visa miracula, & alia ejusmodi, *movent voluntatem hominis* ad benè agendum. *Secundò autem & Tertio modo* Deus *vel etiam homo, potest incitare* ad bene agendum, *vel offerendo aliquid appetibile* voluntati, cujusmodi sunt cælestes deliciæ, *vel persuadendo rationi*, ut Oratoris eloquentia flexanima homines etiam agrestes interdum commovere potest; quod magis etiam Deus efficere potest, & Divina vocatio quâ Deus homines vocat, eo modo quo congruum est, vocati sequantur. *Sed nullo istorum trium modorum potest aliquid esse directa causa* actionis bonæ; *quia voluntas non ex necessitate*, seu infallibiliter, *movetur ab aliquo objecto, nisi ab ultimo fine, ut supra dictum est* (*quæst. 10. art. 1.*) *Unde sequituur, quòd* Deus *sit causa* actionis bonæ dupliciter. *Primò directè vel sufficienter*, quatenus

tenùs *voluntatem inclinat ad volendum*: ſecundò *per modū perſuadentis, vel proponentis appetibile*. Hactenùs ex D. Thoma.

Ex quibus ſanè apertiſſima eſt graviſſimæ controverſiæ reſolutio, & explicatio pleniſſima totius œconomiæ de Divina gratia, qua dupliciter Deus voluntatem movet, & directè & indirectè, ſeu ex parte principii, & ex parte objecti. Et quidem ex parte objecti Deus voluntatem movet. Neque enim moralis motio ab his qui phyſicam adſtruunt, umquam negata eſt; ſed utramque, cùm neceſſariam eſſe fateantur, ſolam phyſicam eſſe contendunt, quæ efficit ut faciamus. Igitur moraliter etiam, & ex parte objecti Deus movet: idque fit tribus modis quos S. Thomas collegit. *Primò*, cùm ex Divina Providentia Divinaque ſapientia ea præparantur objecta quæ voluntatem movent, ut à S. Auguſtino dictum eſt, lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. converſum fuiſſe D. Paulum, ac una voce proſtratum, *Occurrente utique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta ſævitia, & retorqueretur, & corrigeretur ad Fidem.* Iis enim objectis, circūfuſa undique luce, terrifica Chriſti voce, eaque majeſtate ad incutiendum terrorem compoſita, potuiſſe commoveri D. Paulum dubium non eſt. Sed *Secundò* etiam interdum Deus nullis exteriùs objectis propoſitis, interiùs ſolum objecta exhibet, quibus voluntas moveatur. Atque utrumque hunc motionis modum S. Auguſtinus conjunxit quæſt. 2. ad Simplician. ſtatim initio. *Incipit homo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad Fidem.* Et deinde de Cornelio loquens: *Nullo modo autem*, inquit, *credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur.* Et Tract. 26. in Joan. cùm plurima de Divina tractione dixiſſet, & quòd voluntatem trahit non neceſſitas ſed voluptas. Deinde dicit; *Ramum viridem oſtendis ovi & trahis illā: nuces puero demonſtrantur, & trahitur .... Amando trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo iſta quæ inter delitias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum eſt, trahit ſua quemque voluptas; non trahet revelatus Chriſtus à Patre? quòd enim fortius deſiderat anima quàm veritatem.* Et jam *antea dixerat, Trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, ſed voluptas, non obligatio ſed delectatio: quantò fortiùs non dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum: qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt.* Hæc ibi: quæ habet etiam S. Thomas in Joan. cap. 6. ad quem modum revocari facilè poteſt ea vocatio, quæ fit internis delitiis, quibus interdum perfruuntur animæ piæ, quas Deus his illiciis, & amoris vinculis ad ſe pertrahere ſolet: quamvis & in illa victrici delectatione multi non ſolum moralem, ſed & veram effectricem motionem, & vim agendi propriam reponant: de quo dictum eſt ſuprà. Sed *Tertiò* demum Deus movet interiùs ſuadendo objectum propoſitum habere rationem boni, dum intellectum illuminat, & rerum pericula demonſtrat: qua de re plurima colligit S. Auguſtinus ad Bonifac. lib. 1. quæſt. 2. Quin etiam, & ipſi Divinæ gratiæ hoſtes infenſiſſimi, minimè eam vocationem negarunt. Cur enim negarent? quin etiam nimiùm in ea commendanda immorati ſunt; cùm non alteram majorem, & efficaciorem agnoſcerent, quæ ſit *effectrix bonæ voluntatis*, ut ibidem eam vocat S. Auguſtinus. Unde & Julian. apud D. Auguſt. lib. 1. operis ultimi cap. 95. inquit *quod bonæ voluntati innumeras adjutorii Divini adeſſe ſpecies non denegamus.*

His igitur tribus modis, quos etiam D. Thomas ſuprà recenſuit, Deus homines movere ſolet: Atque ad illum triplicem movendi modum facilè cæteri revocari poſſunt, etſi in ſingulari infiniti eſſe poſſint, *& alii aliter diverſis, & innumerabilibus modis vocentur ut reformentur.* Ex S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 5. ſed, ut dixi, ad hunc triplicem modum cæteri omnes revocari poſſunt, nec prætermiſſis calamitatibus quæ ad ſenſibilia objecta pertinent, & quem modum alibi, ut Quodlibeto primo expreſſe D. Thomas recenſet: ita ut pauciſſimis verbis S. Doctor complexus ſit quæ interdum alii libris integris fusè diffundunt, nec admodum utili labore Theologis, quos magis rationibus quàm verbis abundare convenit.

Verùm quo nomine cenſenda eſt ac vocanda ea Divina motio? Si quis S. Thomam conſulat, & audire loquentem velit; intelliget eſſe motionem ex parte objecti, moralem, quæque minimè ſufficiat; ac demum indirectam. Cur verò ea motio moralis ſolùm cauſa indirecta ſit? nimirum qui a longè alia eſt conditio directæ motionis, & cauſæ, hæc non ſolùm objectum repreſentet, ſed etiam principium ipſum afficiat, moveatque: ea verò omnia ad motionem moralem pertineant, & ex parte objecti. At verò *voluntas non ex neceſſitate* ſeu infallibiliter, *movetur ab aliquo objecto, niſi ab ultimo fine. Unde non eſt ſufficiens cauſa neque res exteriùs oblata, neque ille qui eam proponit, neque ille qui perſuadet.*

Confirmatur quòd liberaliſſimum fuiſſe Pelagium in admittendis etiam eo ſenſu, & ex parte objecti innumerabilibus modis, conſtare videatur ex his, quæ refert S. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 7. ubi quæcumque in mentem venire poterant, ſatis diligenter collegit. Deus inquit; *Adjuvat nos per Doctrinam, & Revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat; dum diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi, & ineffabili dono gratia cæleſtis illuminat.* Plura addidiſſet ſi veniſſent in mentem; nec enim erat quòd in his recenſendis, ac ultrò admittendis parcus eſſet.

Atqui præter illa omnia, cùm ea ſolùm voluntatem alliciant, nihil verò efficiant, majorem aliquam gratiam neceſſariam eſſe contendit

S.Augustinus ibid.cap.24.*Intueãtur* inquit, *atque fateantur, non lege atque doctrina insonante foris, sed interna atq; occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Atque ea causa est directa actionis: Ergo.

Confirmatur iterum: ex eo quòd ea motio moralis, & indirecta, à D. Augustino non negata unquam fuerit, sed alteram secretiorem admittẽdam esse contendat, qua ineffabili potestate Deus operatur in cordibus hominum: unde utramque semper conjungi voluit. Enim verò pertinet ad Divinam Providentiam, ut quemlibet hominem consentaneè ad hujus dispositionem moveat. Atque inde fit, quod, ut inquit S. Augustinus lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. & fusè explicat: *Vidimus alios aliter iisdem rebus demonstratis, vel significatis, ad credendum moveri*: quod multis Scripturæ Sacræ exemplis, ac fusè demonstrat. Simeon enim Infantem JESUM Christum ulnis complexus amore accenditur & credit. Nathanaël ad ea verba Christi JESU, *Cum esses sub ficu, vidi te.* Joan. 3. stupet & credit. Miraculum in Cana Galileæ factum plurimi admirantur, & credunt. Verùm etiam subdit D. Augustinus: Christus *Multos loquendo invitavit ad Fidem: multi nec suscitatis mortuis crediderunt: de Cruce atque morte ejus cõterriti etiam Discipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit.* Quod evidentissimum signum est, minimè satis esse eam motionem moralem, nisi efficacior accedat, quæ cor aperiat, & intra voluntatem operetur. Et sanè, quod mirum videri potest, cùm visa stupenda suscitatione Lazari multi quidem credidissent; attamen Jo. 11. expressè dicitur *Quidam autem ex ipsis*, qui scil. miraculi testes fuerãt, *abierunt ad Pharisæos, & dixerunt, eis quæ fecit Jesus: quasi* ut observat D. Tho. *miraculo exacerbati*. Quid verò Pharisæi? *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant. Quid faciamus, quia hic homo multa signa facit.* Stupenda consecutio. *Ergo*; Quia à Christo tot signa facta fuerant, capiendum consilium est, ut cùm de medio tollant, & Cruci affigant. Adeò scil. nulla motio moralis est, nulla visorum etiam miraculorũ suasio, qnæ possit flectere animum, nisi effectrix motio ipsum flectat.

Confirmatur iterum: quòd ad Divinam Providentiam pertineat equidem, ut quemlibet juxta dispositionem in qua constitutus est, moveat; sed hoc non impedit, quominus etiam per modum efficientis causæ, & motione effectrice voluntatem moveat; quin etiam utraque motio, & moralis ex parte objecti, effectrix ex parte principii jungenda est. Unde parùm assecuti S. Augustini mentem videntur, qui toties illud objiciunt, conversum D. Paulum, *occurrente tali viso*, quo mens ejus commota est. Cur enim id etiam ad conversionem non contulerit, nec recenseretur inter eos modos quibus mens moveri potest? Ita exigebat, & dispositio Sauli furiis invecti, ac efficacissima illa gratia, qua Deus auribus cordis illius insonuit, ut omnia invicem consentirent. Sed aliud est, eam motionem requiri; aliud, solam esse: requiritur equidem, quòd ad Divinæ Providentiæ leges pertineat, ut miris, & innumerabilibus modis hominem moveat: maxima enim est, *gratiæ Dei varietas*, ut D. Prosper inquit: sed ea minimè dubio procul sufficeret, cùm indirecta sit ex parte objecti, & planè inefficax; nisi adesset altera ex parte principii, quæ semper est efficax. Quare præter illam motionem indirectam ex parte objecti, quæque minimè sufficit, cùm ex necessitate, idest infallibiliter ex illa effectus non consequatur; altera etiam motione debet voluntas à Deo moveri:

Atque id probatur egregia observatione ipsius S. Augustini lib. de gratia Christi cap. 45. ubi, cùm advocasset contra Pelagium illud D. Ambrosii in Luc. lib. 10. cap. 96. *Bonæ lacrymæ, quæ culpam lavant. Denique quos Jesus respicit, plorant delictũ. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus: negavit secundò, & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit & tertiò, respexit Jesus, & amarissimè flevit*: Hæc cùm retulisset, observat egregiè, non de oculorum Christi externo contuitu, sed de Divinæ gratiæ intùs operantis vi, hæc esse intelligenda. *Legant isti*, inquit, *Evangelium, & videant Dominum Jesum tunc intùs fuisse, cùm à Sacerdotibus & Principibus audiretur: Apostolum verò Petrum foris, & deorsum in atrio cum servis ad focum, nunc sedentem, nunc stantem; sicut verissima, & concordissima Evangelistarum narratione monstrantur. Unde non potest dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admovendo respexerit. Et ideò, quod ibi scriptũ est: „ Respexit eum Dominus; „ intùs actum est, in mente actum est, in voluntate actum est: Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit; interiore gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit, & produxit affectum. Ecce quemadmodùm Deus adjuvando adest voluntatibus, & actionibus nostris, seu quemadmodum velle, & operari operatur in nobis*. Egregia omninò D. Augustini observatio, qua satis liquet, veram animorum mutationem, non ad externum apparatum, non ad objecta solùm visa, sed ad Divinæ gratiæ vim, quæ intùs operatur, esse referendam. Sed quamvis de contuitu externo oculorum Christi hæc possent intelligi, sicut & de cantu galli, quo revocatum est in memoriam Petro quod à Christo ipsi prædictum fuerat: cur etiam, ut diximus, hæc externa objecta, & signa aliquid non contulerint? ut scilicet moraliter, & humano more, idest, sensibilibus signis Petrus moveretur, sicut & Paulus. Sed aliud est, reperiri motionem moralem, seu externam seu internam, quæ cum altera conjuncta est; aliud verò eam esse solam. Hæc equidem signa ex Divina Providentia præparata fuerãt, ut veluti modo humano, & sensibili cum Petro ageretur: sed vis omnis Divinæ gratia, & motionis, non in illis externis signis. seu intuitu Christi, seu cantu galli, reposita erat: Sed *intùs actum est, in mente actum est, in voluntate actum est.* Unde idem

quod

quod aliàs ex S. Auguſtino retulimus, accidit: ſicut in aratro plurimæ partes ſunt, & quidem neceſſariæ, non ut ipſæ agant, ſed ut conjunctæ ſint illis, quæ agunt. Solo vomere ſcinditur terra, ſed tamen prætereà quot veluti membra aut partes aratri requiruntur, ut terram ſcindat? Vide Tomo 1. diſs.2. quæſt.9.art.6.pag.438. Ad Divinam igitur Providentiam pertinet, ut iſta omnia præparet, ut ſibi invicem omnia conſentiant, cùm nec ſemper miracula fiant. Et forſitan ut à Divino Spiritu hæc invicem conſentire innueretur, hæc etiã uno eodemq; loco Scripturæ conjũcta ſunt Pſ.67.verſ.7. *Educit vinctos in fortitudine*; vel ut Hebraicum habet מוצא אסירים בכשרות *Motze aſirim becoſaroth*, quæ ita explicari poſſunt: *Educens vinctos in compedibus*; vel ut plurimi alii legũt, *in congruentiis, vel opportunitatibus, vel convenientiis*, id eſt congruo tempore, congruiſq; mediis. Hęc ſanè omnia mirum in modum ſibi conſentiunt. *Vinctos in compedibus educit in fortitudine, & in congruentiis.* Neque enim ea in totũ gratia congrua, ſeu ex congruentiis ableganda eſt: etiam & ſuum locum habet; ſed ita ut pertineat ad motionem moralem, præter quam tamen altera major, & efficax requiritur, ut utrumque verum habeat; *Educit in congruentiis*: *Educit in fortitudine.* In hac enim animarũ venatione, ubi Deus ipſe venator eſt, & ut dicitur Jeremiæ cap.16.verſ.16. *Mittit venatores qui venabuntur omnes de omni monte*: In hac inquã venatione accidit quod in ferarum venatione accidere ſolet. Muniuntur viæ omnes quibus evadere fera poſſet, excitatur ingens clamor, ſtrepituſque quo fera terreatur, & impeditis viis omnibus ac obſtructis, unica quà tranſeat, relicta via eſt, ubi eam venator expectat, & fugientem ſiſtit, ſagittâque configit. Solâ ſagittâ fera proſternitur: ad id tamen conferunt cætera, quæ adhibentur, neque inutilia eſſe exiſtimanda ſunt. Ita planè ſola Divinæ gratiæ efficaci motione cor hominis transfigitur. Eâ ſagittâ cor Pauli transfixum eſt, ut explicat D. Auguſtin. in illud Pſ.44. *Sagittæ tuæ acutæ*, & nos alibi retulimus. In ea poſita eſt vis omnis, & fortitudo, cætera *ad congruentias*, & opportunitates pertinent: ſed & utrumque jungendum eſt, ut jungunt SS. Auguſt. & Thomas, ut è ſuo ſtatu peccator, & *in cõgruentiis, & in fortitudine educatur*. Atque etiam, ut inquit D. Proſper Carmine de Ingratis: *Omnipotens hominẽ dum gratia ſalvat: Ipſa ſuũ conſummat opus.* Non ideò tamẽ non adhibet interdùm officia miniſtrorum: ſed *quamvis* ipſi *multa admoveant mandata vocantis: Pulſant, non intrant animas*: ſola enim Divina gratia eſt, quæ cor aperit, & intrà ipsã voluntatem operatur. Attamen utrũque jungi neceſſe eſt, nè vis voluntati humanę inferatur. Neq; enim, ut ita dixerim, ſtatim fores effringuntur: pulſatur interdùm, & longo interdùm tempore, Deus per miniſtros ſtat ad oſtium, & pulſat: ſed iſta ad motionẽ moralem pertinent, *pulſant, non intrant animas*: ſola deinde gratia cum Deo libuerit cor referat, ſibique aditum facit: & tunc *nec moribus ullis - fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.* Quin etiam interdùm ut Deus ſe nullius ope egere monſtret, *nec quod ſola poteſt, cura officioque miniſtri - exequitur, famuliſve vicẽ committit agendi.* Sed tandem cùm eorum opera utitur, *pulſant*, ut diximus, *nõ intrant animas*; & ſola vis effectrix, & efficax Divinæ gratiæ efficit, ut peccator convertatur. Igitur ex SS. Auguſtino, & Thoma utrumque ſimul jungi neceſſe eſt, utrũq: Divina Providentia conjungit. Deus movet indirectè motione morali, ſuadendo, præcipiendo, terrendo: ſed prætereà movet etiã directè, & ex parte principii, ita ut ex neceſſitate, id eſt infallibiliter effectus conſequatur: quia certa fixaque regula eſt, non contingere unquam, quòd *aliquis directè ſit cauſa alicujus actus, niſi per hoc quòd propriũ principiũ illius actus movet ad agendũ. Unde illud ſolùm poteſt directè eſſe cauſa actionis, quod poteſt movere volũtatẽ ad agendũ.*

Ergo tandem, ut hanc rationem concludam, cùm Deus cauſa directa eſſe debeat actionis voluntatis, nec dici, aut etiam fieri poſſit, modum quo Deus voluntatem movet, non eſſe nobiliorem, aut efficaciorem, eo quo dæmon voluntatem movere poteſt, qui ſolùm indirectè, & ex parte objecti veluti præſtigiis illudere hominis menti poteſt; neceſſe eſt Deum voluntatem hominis ex parte principii, prævię, phyſicè, per modum cauſæ efficientis, ac in eodem ordine quo voluntas agit, movere. Atque eo ſenſu dumtaxat intelligi poſſe videtur quod ad commendandam Divinam gratiam dictum eſt, *Deum facere ut faciamus*.

ARTICULUS XV.

Refellitur quorundam comparatio, quâ Divinam gratiam cum tentatione dæmonis conferunt.

EX his etiam colligi poteſt quàm aliena ſit à S. Thomæ ſententia ea comparatio, quâ Suarez lib.3.de auxiliis Divinæ gratiæ cap. 10. n. 5. & 7. efficacis gratiæ vim cum ipſa tentatione dæmonis confert; eaque comparatione ſuam ſententiam explicat, ſcilicet Deum poſſe internis, atque adeò vehementibus ſuaſionibus hominem impellere, ut infallibiliter aſſenſũ eliciat morali infallibilitate: phyſicam enim, aut *metaphyſicam, id eſt ita exactam, ut repugnet deficere*, n.7. omninò repugnare libertati, pro fundamẽto cõſtituit. Id verò Deum poſſe probat, quia etiam dæmon id poteſt. *Dæmon*, inquit, *ſua tentatione poteſt ita hominem opprimere, ut infallibiliter ſequatur conſenſus: Imò & unus homo ſi probè cognoſcat alterius ingenium, & conditionem, ſitque efficax in perſuadendo, poteſt efficaciſſimè illũ pertrahere ad id quod vult: quid ergo non poterit Deus?* Mitius

fuiſſet

fuiſſet ſi dixiſſet, poſſe Angelum ita hominem illuſtrationibus, & ſuaſionibus internis allicere, ſollicitare, urgere, ut tandem voluntas hominis, fatigata conſentiat.

Atque indè etiam argumentum efficaciſſimum deſumo, quod inſtar demonſtrationis eſſe poſſit, & quo phyſicę motionis Divinæ ultra motionem moralem neceſſitas comprobetur: ac in primis evidentiſſimum ſit, alieniſſimam eſſe eam ſententiam à ſententia S. Thomæ. Dubitari enim non poſſe videtur, quin Scriptura Sacra, & Patres, atque apertiùs D. Thomas, & efficaciorem, & nobiliorem movendi modum Divinæ gratiæ tribuant, quàm dæmoni tribui poſſit.

Etenim D. Thomas 1.par. quæſt. 119. *Utrùm Angelus poſſit immutare voluntatem hominis?* Statim tanquam principium de quo dubitare non liceat, ſtatuit: quòd *Immutare voluntatem eſt proprium Dei, ſecundum illud „ Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud. „* Angelos verò dici ad Hebr. 1. *flammas ignis*, & ut gloſſa explicat, *vitia noſtra urere*, noſque ad virtutem accendere, longè alio ſenſu; ſcilicet, non immutatione voluntatis, & per modum operationis; (Deo enim dumtaxàt eximimium eſt, ut intrà ipſam voluntatem operetur:) ſed ſolùm per modum perſuaſionis. Ubi apertè S. Thomas diverſum eſſe modum explicat ex Sacra Scriptura, quo Deus hominem movet, & Angelus illum movere poteſt.

Atqui niſi admittatur hæc phyſica motio Divina, quæ ipſamet ſua vi infallibiliter nedùm infallibilitate morali, ſed etiam phyſica, intrà ipſam voluntatem hominis operetur, & conſenſum efficiat, nihil magis tribui Divinæ gratiæ efficaciæ poterit, quam tribuatur vi gravis tentationis dæmonis: cùm etiam dęmon ita hominem movere poſſit, ut infallibiliter conſenſus ſequatur, ut citatus Author ultrò faſſus eſt: Ergo

Confirmatur *primò*, & ut diximus apertiſſimo argumento demonſtramus huic ſententiæ è diametro oppoſitam eſſe S. Thomæ ſententiam. Non enim alium movendi modum tribuunt Divinæ gratiæ, qui adverſam phyſicis motionibus Divinis ſententiam amplexi ſunt, quàm tribuant dæmonis tentationi; quamvis dubium non ſit, quin quantùm ad intenſionem, & gradum, majorem vim Divinæ gratiæ tribuant, quàm tentationi dæmonis cùm hæc à Divina gratia, & vinci, & ſupervinci etiam poſſit; ſed quantùm ad motionis, & efficaciæ modum aut genus, palàm eſt, ipſique affirmant, non alium eſſe motionis modum, & genus, & utramque motionem eſſe moralem; atque ea ratione unam cum alia conferunt: nam quæ diverſi ſunt generis, invicem conferri non poſſunt. Atqui diverſiſſimus eſt movendi modus quem tribuit tentationi dæmonis. Etenim, ut vidimus ſupra, duplicem expreſſiſſimis verbis motionis modum diſtinguit S. Doctor: alterum *ex parte principii*, quod ſcilicet *directè* movetur & *quo interiùs inclinatur voluntas ad volendum*: alterum verò *ex parte objecti*, quo indirectè voluntas movetur, ſicut cùm *perſuadet objectum, propoſitum habere rationem boni.* Atque primum movendi modum *ex parte principii*, affirmat S. Thomas Deo omninò eximium eſſe, nec dæmoni, nec Angelo convenire unquam poſſe: quia nulla cauſa eſſe poteſt, quæ *inclinet voluntatem ad volendum, niſi vel ipſa voluntas, vel Deus.* Alterum autem dumtaxat dæmoni cõcedit S. Doctor, ſcilicet *ex parte objecti: hoc enim*, inquit, *modo, vel diabolus, vel offerendo aliquid appetibile ſenſui, vel perſuadendo rationi*: Ergo à S. Thomæ ſententia, ab eaque ratione, quâ ejus ſententia ſtabilitur alieniſſima eſt ea ſententia, quę effectricem motionẽ non admittit, ſed ſolùm moralem.

Confirmatur *ſecundò*, urgerique magis poteſt ſuperius argumentum hac iterum ratione, quòd ea ſententia non aliam tribuat infallibilitatem Divinæ gratiæ, præter moralem dumtaxat, qualem etiam tentationi dæmonis tribuunt; nam phyſicam infallibilitatem lædere libertatem autumant: Atqui multò majorem vim tribuit Sanctus Thomas, & verè tribuenda eſt etiam Divinæ gratiæ, quàm dæmoni. Ideò enim negat S. Doctor, dæmonem eſſe *cauſam directam* actionis voluntatis, *quia voluntas non ex neceſſitate*, vera ſcilicet certaque infallibilitate, movetur ab aliquo objecto: è contra verò idcircò affirmat, Deum eſſe cauſam directam, quia ex neceſſitate, id eſt, vera certaque infallibilitate nedum morali, ſed etiam phyſica, voluntas movetur à Divina gratia, & ex parte principii: Ergo &c.

Confirmatur *tertiò*, & ut apertiſſimum ſit, Divinam motionem, quâ Deus voluntatem hominis movet, inclinat, & immutat, multò majorem, & efficaciorem eſſe, ac alterius diverſique generis ab ea motione morali, quà vel homo vel dæmon, vel etiam Angelus movere poteſt hominis volun. tatem; referenda ſunt hic aliqua ex his, quæ à S. Auguſtino gratiæ Divinæ tribuuntur: & animadvertendum deinde, utrùm ea motioni morali vel dæmonis vel Angeli convenire poſſint; ita enim fiet ut comparatione effectuum, vel conditionum utriuſque motionis perſpici facilè poſſit, utrùm illa motio quâ Deus hominem movet jure merito conferri potuerit cum ea motione quâ Angelus hominem movet. Hæc verò habet S. Aug.

Primo: *Ut de Cælo vocaretur* (Saulus) *& tam magna, & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola*: lib. de Gratia, & Lib. Arbitr. cap. 5. dicitur verò eſſe *gratia ſola*, quia ea eſt Dvinæ gratiæ vis, ut ſi cum ipſius voluntatis viribus conferatur, gratia ſola movere voluntatem dici poſſit, ideòque dicitur: Quicumque *ſunt filii Dei, ſpiritu Dei aguntur.* Rom. 9. non ea ratione, quòd ipſi non agant; ſed quia hoc ipſum quòd agant, habent ex ipſa Divina gratia; ideòque eo ſenſu dicitur eſſe ſola, ſicut ſola principalis cauſa dicitur agere, quia quòd inſtrumentum agat, habet ab ipſa cauſa principali, de quo fuſiùs infra.

Secun-

Secundò, dicitur Divina gratia habere *humanorum cordium, quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem: & magis habere* Deum *in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*, de Correpț. & Grat. cap. 14.

Tertiò, quòd *Facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*, de Grat. & Libero Arbitr. cap. 16.

Quartò, quòd *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum.* de Grat. & lib. Arbitr. cap. 21.

Quintò, quòd *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, inſuperabiliter ageretur, & ideò quāvis infirma, non deficeret, neque adverſitate ulla vinceretur.* De Correpț. & Grat. cap. 12. Item, quòd *Infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè vellent.* Ibid.

Sextò, quòd *Tunc in clariſſima luce Sapientiæ videbitur..... quàm certa & immutabilis, efficaciſſima ſit voluntas Dei: quàm multa poſſit, & non velit; nihil autem velit quod non poſſit.... quod utique non eſt verum ſi aliqua velit, & non fecit: & quod eſt indignius, ideò non fecit, quoniam, nè faceret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Enchirid. cap. 95. Hæc omnia Authore S. Auguſtino gratiæ Divinæ attributa ſunt, quibus colligi ſatis poteſt, quæ ſit hujus Divinæ gratiæ conditio, quæ vis, & efficacia in immutanda hominis voluntate.

Atque his ita conſtitutis, inquiro, utrùm iſta illuminationi ac ſuaſioni quâ Angelus Cuſtos v. g. ſuum clientem movere poteſt, convenire jure meritoque dici poſſint? Quæ mens Sancto Auguſtino fuiſſet olim, ſi iſta etiam, & in Angeli motionem, & quod eſt gravius, in Dæmonis ſuggeſtionem referre audiviſſet. Et quidem ſi non alia, præter moralem, vis agendi, & efficacia, Divinæ gratiæ ineſſet, hæc dubio procul non immeritò etiam piis Angelorum illuſtrationibus, & impulſibus quibus ad virtutem hominem movent & impellunt, adſcribi facilè poſſent; quia cùm totam naturam humanam comprehendant, hominiſque genium, indolem, mores, ac ſtudia cognoſcant, & apertiſſimè videant; nihil non poſſunt, ut opportuno tempore, congruiſque ſuaſionibus moveant, & ita moveant, ut infallibiliter etiam conſenſum obtineant. Hoc enim unum ex D. Thoma Angelis negatum eſt, quòd directè in hominis voluntatem agant, in eaque operentur: ut enim à S. Thoma egregiè dictum eſt, quantùm ad corpus vireſque corporeas, immediatè homo corporibus cæleſtibus ſubjicitur: quantùm ad intellectum, & ea quæ cognitioni deſerviunt ſubjicitur Angelis, ab iiſque dependet: at voluntas ſoli Deo patet, cæteriſque porta hæc clauſa eſt; de quo multa alibi. Unde ſi ſolius ordinis naturæ, & virium Angeli ratio habeatur, & Adverſariorum principia vera ſint, dubium non eſt, quin Angelus hominem ita movere poſſit, ut effectus infallibiliter conſequatur.

Atque, ut advertimus, id ultrò Suarez fatetur. Nec erit abs re, ſi quædam ex ipſo referantur, ut deinde cum his, quæ ex S. Auguſtino retulimus conferri poſſint. Ita igitur citato ſuperiùs „ cap. 10. num. 7. cùm inquireret. „ An poſſit „ hæc determinatio, ſcilicet moralis, pervenire „ ad ſummū quendam gradum, in quo ſit exacta „ certitudo, & infallibilis connexio talis effectus „ cum tali cauſa, ſcilicet conſenſus liberi voluntatis cum excitatione Divina ex ſola efficacia „ morali talis excitationis? Deinde ita Reſpondet. Dicendum, cenſeo poſſe perveniri in hac „ determinatione ad moralem infallibilitatem, „ quę ſimpliciter dici poſſit nunquā deficere; non „ tamen ad metaphyſicam, ut ſic dicam, infallibilitatem, id eſt, ita exactam ut repugnet deficere. Id verò ſtatim ita probari nititur: ratio, „ inquit, prioris partis eſt, quia Deus comprehendit capacitatem, & inclinationem humanæ „ voluntatis, & omnes vias, & modos quibus ad „ conſenſum inclinari poteſt, vel impediri. Ergo „ poteſt ita circumvenire, ſeu præparare voluntatem, ut infallibiliter faciat eam conſentire, „ infallibilitate morali: nam morale eſt ut voluntas ſe ſinat ferri à vehemente propenſione, „ maximè, ſi ex parte intellectûs, objectum aptè „ proponitur, & avertuntur ea quæ impedire „ poſſunt, quod facilè poteſt efficere Divina gratia. Denique hoc modo multa liberè facimus „ vel omittimus, quę infallibilitate quadam morali operamur: & dæmon ſua tentatione poteſt „ ita hominem opprimere, ut infallibiliter ſequatur conſenſus, niſi gratia Dei ſubveniat. „ Imò & unus homo, ſi probè cognoſcat alterius „ ingenium, & conditionem, ſitque efficax in „ perſuadendo, poteſt efficaciſſimè illum pertrahere ad id quod vult. Quid ergo non poterit facere Deus? Poſteriorem verò partem, ſcilicet eam infallibilitatem non eſſe metaphyſicam, ita ſtatim probat, ſubjungit enim: Ratio verò poſterioris partis eſt; quia cùm tota hac determinatione manet integra libertas; Ergo & poteſtas non conſentiendi, etiam in ſenſu compoſito, ſeu præſuppoſita tali gratia antecedente: „ Ergo abſolutè non repugnat, neque eſt impoſſibile, non ſequi talem effectum poſita tali „ gratia: Ergo neque erit ſimpliciter infallibile, ita ut non poſſit deficere.

En veriſſimam Suaris ſententiam, ipſiuſque verbis expreſſam, cui cæteros facilè aſſenſuros credi poteſt; cùm Suarem inter cæteros Societatis Doctorem eximium agnoſcant, & quo nullum adhuc præſtantiorem habuerint.

Ex quibus hæc colligi poſſunt. 1. Deum moraliter movere, & determinare voluntatem hominis, cui determinationi moralis infallibilitas ineſſe poſſit. 2. Id verò Deum poſſe, quia comprehendit capacitatem, & inclinationem voluntatis humanæ; & ut ſupra idem Suarez dixerat, complexionem, mores, habitus, & affectus voluntatis, ac demùm omnes vias, & modos quibus ad conſenſum inclinari poteſt, vel impediri. 3. Eodem genere motionis, ſcilicet moralis, dæmonem poſſe hominis voluntatem impellere, & ho-

minem

minem ita tentatione urgere,& opprimere,ut infallibiliter consequatur consensus,nisi gratia Dei subveniat. 4. Atque id à dæmone fieri posse eadem ratione quâ fit à Deo, scilicet quia cognoscit hominis ingenium, & conditionem, estque efficax in persuadendo. 5. Nec Deum nec dæmonem posse ita hominis volũtatem movere,ut infallibiliter infallibilitate metaphysica effectus consequatur, quia non potest non manere integra libertas cum quacumque determinatione. Atq; adeò absolutè, & simpliciter non repugnat, nec est impossibile,cum ea gratia,quæcumq; illa sit,non sequi consensum voluntatis humanæ.Unde illa infallibilitas non potest esse metaphysica.

Sed præterea, etiam in eo hujus Authoris discursu animadverti potest, nullam operationis Divinæ gratiæ intrà ipsam voluntatem, mentionem fieri,& ut reipsà fieri etiam non debuit,cùm de sola determinatione morali ageretur,quâ validiorem aliam non agnovit. Hac enim motione morali, id est, iis illustrationibus, suasionibus, variisque impulsibus, circumveniri quidem potest voluntas, ut putant, ac veluti obsideri, atque etiam possunt viæ omnes occupari, quæ ad voluntatem ducunt: sed tamen nullus unquam ingressus intrà ipsam voluntatem patere potest, ex sola motione morali: omnibus insultibus superior est voluntas, & inexpugnabilis, nisi ipsa ultrò januam patefaciat, & ut dicitur Cantic. cap. 7. *pessulum ostii* ipsa aperiat. Et quamvis Deus etiam intrà voluntatem agere dici possit, cùm indeliberatos motus, amorem beatitudinis, volitionem finis aliosque similes voluntati immittit: attamen in ea sententia cùm ad consensum liberum perventum est, arx quædam est intrà ipsam voluntatem adeò munita, ut nec ab ipso etiam Deo expugnari unquam possit:& possit Deus quidem blandè inclamare animæ, *Aperi mihi soror mea sponsa*: stet sæpiùs *ad ostium*, & pulset; attamen nulla vi potest expugnare eam munitam arcem consensus liberi voluntatis, nisi priùs voluntas creata pulsanti Deo fores referet, aditumque permittat. Cùm tamen dictum sit Act.16.14.quòd Deus *Aperuit cor lydiæ purpurariæ* (quæ sanè verba operationem physicam, & per modum causæ efficientis significant,) quia *Deo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium*, de Correpț. & Grat. cap. 14.

Secundò etiam observari potest, hæc omnia citati Authoris verba de præveniente gratia dicta esse, de qua solùm est controversia; de concursu enim simultaneo nulla unquam fuit cum D. Augustino, quod sciam, controversia. Unicus Durandus concursum simultaneum negasse fertur, quamvis etiam hi qui pentitiùs ejus mentem perscrutati sunt, non concursum simultaneum, sed prævium dumtaxat negasse arbitrentur. Igitur ea gratia, de qua olim cum Pelagio gravis, aut saltem præcipua Augustino concertatio fuit, ea est cui solùm vim moralem agendi Recentiores tribuunt, & cui ea infallibilitas moralis concessa est.

Atque ex his omnibus liquidò constat, & compertissimum est, eam esse Recentiorum sententiam, scilicet,non esse diversæ conditionis, & veluti diversi generis motionem, quâ *Deus voluntatem* movet ad bonum, & quâ dæmon eam *impellit ad malum*. Utramq; enim solùm moralem esse contendunt, & utrique infallibilitatem solùm moralem inesse. Atque hac una solùm parte dæmonis vim Divinæ motioni inferiorem esse, quod dæmonis vis possit gratiâ Divinâ impediri. Sed si dæmonis vis non impediatur, tantundem potest dæmonis vis,& suggestio ad malum, quantùm potest Divinæ gratiæ impulsio ad bonum, cùm possit utrique infallibilitas moralis inesse, nulli autem infallibilitas metaphysica inesse possit.

His verò ita constitutis, resumenda sunt quæ ex S. Augustino, & Thoma retulimus supra; & expendendum est, utrùm quæ D.Augustinus, & D. Thomas gratiæ Divinæ tribuunt, rectè aut suggestioni dæmonis, aut etiam impulsioni Angeli quantùm ad vim agendi conveniant, & meritò adscribi possint.

Primò. Cui verò in primis in mentem venire possit, quòd suggestio Angeli sola causa sit quòd voluntas agat, ut de gratia dictum est, *gratiam Dei fuisse solam*, quòd S.Paulus conversus fuerit. Et de gratia quidem facilè intelligi potest; cùm, ut diximus, gratia sit causa principalis, cui voluntas,ut instrumentum, subjicitur; cùm nec voluntas agat, nisi à Deo mota. Qua verò ratione dici possit de Angelo, suggestionem causam principalem esse quâ voluntas hominis agat, nec voluntatem agere nisi ab Angelo motam? Idque rectæ rationi repugnare magis quisque statim intelliget, si ad dæmonis instigationem ad malum referat. Quis enim ferret, dici, dæmonem esse causam principalem cur voluntas agat, & voluntatem non agere nisi motam ab ipso dæmone; cùm, ut jam ex D. Thoma dictum est, solius Dei sit immutare voluntatem, & ut statim ex eodem referemus, nulla creatura possit agere intrà ipsam hominis voluntatem, quamvis *possit extrinsecùs aliquid proponendo, eam aliqualiter inducere, non tamen immutare*.

Secundò: Sed præterea:quis eadem ratione ferre possit, & illud etiam de Angelo dici, quod à S. Augustino de Divina gratia, Deoque per gratiam agente dictum est, *habere* Angelum *humanorum cordium quò placet inclinandorum Omnipotentissimam potestatem, & habere magis in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas*? Quorsùm enim advocaret S. Augustinus Divinam Omnipotentiam, si vel Angelus eodem genere motionis voluntatem hominis moveret,nec minùs infallibiliter voluntatis consensum obtinere posset, quàm ipsemet Deus obtineat: atque in eo solùm discrimen positum esset, quòd Deus faciliùs quàm Angelus hujusmodi consensum voluntatis humanæ obtinere possit.

Tertiò: Sed insuper, quo sensu intelligi posset, Angelum agere *in cordibus hominum etiam motũ*

volun-

voluntatis eorum ; Angelum *facere ut faciamus præbendo efficaciſſimas vires voluntati.* Neq;enim moralis motio vires ullas ipſi voluntati intrinſecas confert: Ab Angalo *ſubventum eſſe infirmitati voluntatis humanæ*,ut eo ad bonum impulſu *indeclinabiliter,& inſuperabiliter ageretur.*Non eſt quòd his expendendis diutiùs immoremur .

Quartò . Adde demùm quòd expreſsè D. Auguſtinus modum agendi quo Deus in ipſa voluntate operatur, motioni morali opponat, ut ab ea omninò diverſum:cùm enim in ea motione morali commendanda , & explicanda vires omnes ingenii Pelagius contuliſſet, ut refert S.Auguſtinus lib.de Gratia Chriſti cap. 7. & 10. quibus tamen non receſſit à *commendatione legis* , *& doctrinæ*, ut ibidem inquit S.Auguſtinus eod.cap.7. & veriſſimè quidem : cùm hæc motio moralis ad intellectum pertineat ad quem doctrina refertur; *quâ demonſtrat* quidem & revelat *Deus quid agere debeamus,non quâ donat,atq; adjuvat, ut agamus*; Verùm poſt plurima quæ toto libro reſperſit cap-24.ita concludit: *Legant,& intelligant,intueantur atque fateantur non lege,atque doctrina inſonante forinſecùs,ſed interna atq; occulta mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum,non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates*:de Grat.Chriſti c.24.

Ubi morali motioni D. Auguſtinus opponit operationem in cordibus hominum ex *interna occulta,mirabili , & ineffabili poteſtate* . Eodem ſenſu c. 13. operationem internam motioni morali oppoſuerat. Hęc gratia,inquit,*ſi doctrina dicenda eſt,certè ſic dicatur ut altiùs,& interiùs eā Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere..... Ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem : ſic enim docet Deus eos qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ſimul donans , & quid agant ſcire , & quod ſciant agere* . Integer D. Auguſtini liber exſcribendus eſſet , ſi quæ habet in eo opere referrentur .

Quintò. Sed prætereà quid apertiùs dici poteſt, quàm quæ ex S. Thoma retulimus , & plurima etiam infrà referemus , ubi expreſsè duplicem motionem explicat,alteram ex parte objecti,quę ipſa motio moralis eſt: alteram verò ex parte principii,quæ interiùs , & intrà ipſam hominis voluntatem ipſius operationem efficit . Et primam quidem ſeu ex parte objecti ad Angelum poſſe pertinere concedit , cùm & Angelus poſſit ad bonum virtutemque voluntatem impellere : at verò intrà voluntatem operari , ſeu illam movere ex parte principii , negat cuiquam creaturæ convenire unquam poſſe. *Quia cùm actus*,inquit, *voluntatis ſit medius inter potentiam, & objectū , immutatio actus voluntatis poteſt conſiderari vel ex parte ipſius voluntatis , vel ex parte objecti : ex parte quidem voluntatis mutare actum voluntatis non poteſt,niſi quod operatur intrà voluntatem, & hoc eſt ipſa voluntas , & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quòd ſecundùm Fidem eſt Deus. Unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis quā ei dedit, transferre de uno in aliud,ſecundùm quòd vult* . Hæc prima mutatio ex parte principii intrà ipſam voluntatem , quæque ſoli Deo eximia eſt , & nec dæmoni , nec etiam Angelo convenire unquam poteſt . At quantùm ad alteram motionem ſpectat,& ex parte objecti, ſeu,ut inquit Divus Thomas, *Mediante objecto,poteſt aliqua creatura inclinare aliquatenùs voluntatem, non tamē neceſſariò immutare : ſicut patet cùm aliquis perſuadet alicui aliquid faciendum , perſuadendo ei ejus utilitatem, & honeſtatem : tamen in poteſtate voluntatis eſt ut illud acceptet,eò quòd non eſt determinata ad unum. Sic igitur patet, quòd nulla creatura poteſt directè immutare voluntatē , quaſi agendo intrà ipſam voluntatem : poteſt autem extrinſecùs aliquid proponendo voluntati eam aliquatenùs inducere , non tamen immutare.*

Hæc D. Thomas : quibus apertiſſimè docet duo convenire Deo , quæ nulli creaturæ convenire poſſunt . *Primò* , quòd intrà ipſam hominis voluntatem operetur , ipſamque immutet . *Secundò* , quòd ita voluntatem moveat , ut ex neceſſitate , id eſt , vera certaque infallibilitate effectus conſequatur ; cùm Angelus poſſit , *extrinſecùs aliquid proponendo voluntati , eam aliqualiter inducere, non tamen immutare.* Ex quibus intelliges nihil potuiſſe unquam magis à Divi Thomæ ſententia alienum dici , ea comparatione quâ Divinæ gratiæ efficacia cum dæmonis tentatione confertur .

Dices . Alterum eſſe quod nec dæmonibus , nec Angelis etiam convenire poſſit : ſcilicet , quòd Deus infinitâ ſuâ ſcientiâ prænoſcat quid actura ſit in illis , vel illis circumſtantiis hominis voluntas, quibus objectis, & quibus ſuaſionibus conſenſura ſit: quâ directione præſcientiæ ſeu ſcientiæ mediæ poteſt Deus multò infallibiliùs hominis voluntatem ad bonum movere , quàm poſſit dæmon, aut Angelus voluntatem ad bonum movere & impellere : hoc enim Divinæ ſcientiæ judicium neceſſe eſt eſſe infallibile , nedùm moraliter, ſed etiam abſolutè, & phyſicè,& metapyhſicè, cùm impoſſibile ſit Divinam ſcientiam falli : quod judicium ex directione ſcientiæ mediæ oritur . Sed contra .

Impugnatur hæc ſolutio : in primis quòd argumentum ex ea comparatione inter Divinam gratiam , & ſuggeſtionem dæmonis , quod urgemus ex conceſſis ſolùm ab Adverſariis deſumptum ſit: atque id ſolùm à SS. Auguſtini , & Thomæ ſententia alieniſſimum eſſe contendimus , quòd efficacia gratiæ Divinæ cum efficacia ſuggeſtionis dæmonis conferatur , quòd dæmon poſſit infallibiliter conſenſum ad malum à voluntate hominis obtinere , eademque aut ejuſdem generis infallibilitate morali , quâ ſecundùm adverſam noſtræ ſententiam Deus præveniente gratia conſenſum ad bonum à voluntate humana obtinere poteſt . Hoc enim unum æquale in Deo , ac dæmone conſtituere velle , à D. Auguſtini , & D. Thomæ ſententia , alieniſſimum eſſe contendimus, noſque eviciſſe etiam arbitramur, quamvis deinde alia diſcrimina eſſe poſſint . Sed

Impugnatur secundò, quòd hæc scientiæ mediæ directio planè inutilis sit, nec admodùm opportunè huc advocetur, si in ipsa executione nulla major in pręveniente gratia, quàm in ipsa suggestione dæmonis efficacia, nulla major infallibilitas, seu major inter Divinam gratiam, & dæmonis suggestionem cum consensu voluntatis connexio esse possit. Quid enim ad salutem hæc scientię directio juvare possit, si in ipsa executione majorem efficaciam Divinæ gratiæ non conferat? Neque enim in ipsa pręcognitione scientię Divinæ, sed in ipsa executione salus hominis reposita est: Atqui reipsà ita est, in ipsa executione nulla major gratiæ prævenienti ac Divinæ vocationi efficacia adscribitur, nullaque major infallibilitas in obtinendo voluntatis humanæ consensu, quàm in dæmonis instigatione ad malum inesse possit efficacia. Enim verò in executione, quando voluntas reipsà Divinâ gratiâ prævenitur; aut eâ gratiâ infallibiliter infallibilitate metaphysica obtinet, & infert voluntatis consensum; aut solùm infallibilitate morali. Si primũ: Ergo jam priora principia abjiciuntur, nec infallibilitas metaphysica adversatur libertati. Si secundum: ita urgeo. Atqui etiam infallibiliter dæmon infallibilitate morali potest ab humana voluntate consensum obtinere: nec quidquam juvat ea prænognitio scientiæ. Enimverò quamvis Deus infinito lumine naturam omnem supercomprehendat, certum tamen est, quòd etiam dæmon naturam creatam comprehendit naturali suo lumine, ac videt apertissimè vias, & modos quibus voluntatem adoriri possit, quæ objecta illam allicere ad malum possint: & *si unus homo*, ut Suarez dixit, *probè cognoscat alterius ingeniũ, & conditionem, sitque efficax in persuadendo, potest efficacissimè illum pertrahere ad id quod vult.* Quid non agere possit dæmon? Cùm enim virtus agentis superat resistentiam passi, potest & passum vincere sibique subjicere: Atqui in ordine naturæ virtus dæmonis humanæ totius naturæ resistentiam vincere potest, si agere permittatur; potest adhibere objecta, captare occasiones, explorare affectus, congruasque cogitationes immittere; eodemque modo potest voluntatem hominis sibi subjicere, ac ipse Deus potest: cùm juxta eam sententiam quam impugnamus, nec Deus possit nisi ex parte objecti, & motione morali, seu vocatione quam videt voluntati congruere, illam moraliter movere. Nec verò tam multis opus est: cùm & ab his ipsis Authoribus concessum sit, posse dæmonem infallibiliter morali infallibilitate consensum à voluntate hominis obtinere: nimirùm, quòd suo naturali lumine etiam apertè videat, quæ suasio voluntati conveniat. Quid verò aliud Deus possit juxta illos? cùm in eorum sententia Deus nunquam infallibiliter metaphysica infallibilitate quidquam à voluntate hominis obtinere possit.

Nec verò quidquam juvat dicere, quòd Deus, & supercomprehendat voluntatis naturam, & faciliùs consensum omnem obtinere possit; cùm ea supercomprehensio, & major efficacia minimè necessaria esse possit ad voluntatem subjiciendam: quas enim habet dæmon vires, eæ satis superque esse possunt ad obtinendum infallibiliter infallibilitate morali consensum voluntatis humanæ. Adde his demùm illud D. Bernard. tract. de Grat. *Diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas: Deo subjicit gratia non nostra voluntas.* Quibus explicat quàm longè aliud sentiendum de potestate diaboli, & de potestate Divinæ gratiæ.

ARTICULUS XVI.

Ejusdem Argumenti prosecutio sola Divina motione prævia ex S. Thoma Deum facere ut faciamus.

PLurima sunt apud D. Thomam quæ evidentissimè id evincunt; quorum aliqua hìc veluti ex ampliſſima sylva, aut veriùs cultissimo nemore producenda sunt.

Confirmatur igitur superius Argumentum. *Primò*: de fide est, Deum nedùm actionis bonæ quomodocumque Authorem esse, sed prætereà Deum esse voluntati causam benè agendi, id est, cùm non aliis verbis apertiùs id explicari possit, Deum facere ut faciamus: Atqui non alia ratione ex S. Thoma inlelligi potest, nisi eo sensu quòd Deus voluntatem prævè moveat ad benè agendum. Ergo.

Major in confesso est apud omnes. Minor verò probatur ex S. Thoma 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. ubi cùm inquireret: *Utrùm actio peccati in quantùm est actio, sit à Deo*: Quæstionem resolvit affertivè, quia alioc in sequeretur voluntatem esse primum princi¡um. *Hoc enim est de ratione primi principii ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus Author non esset Deus, voluntas rationem primi principii haberet.* Rationem hanc aliàs infrà prosequemur.

Sed ea assertione posita ac probata, Argumentum sibi objicit S. Doctor: Quòd si actio peccati, ut actus quidam voluntatis est, in Deum Authorem referri posset, Deus æquè esset peccati Author ac boni. Atque ut huic Argumento vim omnem tribuat, assumit commune principium, qua ratione unum agens alteri esse possit causa agendi; unde sic habet. *Bonarum actionum Deus non est Author, nisi secundùm quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert, quia determinatio operis ex libero arbitrio est, ut supra dictum est. Si igitur Deus ipsarum actionum malarum, inquantùm actiones sunt à potentia egredientes, causa esset, eodem modo dicendus esset author malarum actionum, sicut est author bonarum.*

Hæc

Hæc S. Thomas: nihil enim à nobis prætermiſſum eſt, nè quis conqueratur fuiſſe aliquid omiſſum, quo vis Argumenti infringi poſſet. Igitur certum eſt apud D. Thomam conſtanſque principium, ea ſolum ratione Deum actionum bonarum Authorem eſſe, ſeu quod in idem recidit, Deum eſſe voluntati cauſam bene agendi, *quia potentiæ agendi efficaciam confert*: Atqui ea potentiæ collata agendi efficacia, nihil aliud eſſe poteſt præter ipſam motionem; & nemo unquam ex S. Thomæ Diſcipulis aliud intellexit; Ergo ex D. Thomæ ſententia, ea ſolum ratione, Deus eſt voluntati cauſa agendi, quia prævia motione voluntatem ad agendum movet ac impellit.

Nec verò quiſquam exiſtimet S. Thomam Reſponſione ad Argumentum, commune illud principium aut negare aut ita explicare ut minorem vim habeat: quin etiam novum robur, novamque lucem addit. Admittit igitur illud commune principium, ac ſolùm diſcrimen affert inter actionem bonam actumque pravum, quòd virtutis actio nihil habeat, quod in Deum refundi non poſſit: actus verò pravus malitia inficiatur quæ in Deum referri non poteſt. Unde ſic habet. *Dicendum quòd Deus dicitur cauſa bonarum operationum, non ſolùm quantùm ad eſſentiam actus, ſed etiam quantùm ad perefectionē, ſecundùm quā bonæ dicuntur. Utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut bene agat: ſed in malis actionibus, quāvis ſit cauſa earum quantùm ad eſſentiam, non tamen quantùm ad defectum: & ideò abſolutè dicendus eſt cauſa bonorum operum, non autem peccatorum.* Hæc D. Thomas. Ex quibus

Confirmatur *Secundò* ſuperius commune principium addita etiam nova luce. *Confert Deus potentiæ* (ſeu voluutati) *efficaciam agendi.* Quò verò hæc efficacia tendit? etſi res ſatis aperta ſit, explicat tamen apertiùs D. Thomas his verbis, *influit agenti, & ut agat, & ut bene agat.* Hæc niſi præviam motionem, & efficacem per ſe ſe gratiam ſignificent, nullis unquam verbis ſignificari poſſe exiſtimandum eſt. *Prrmò*: Agitur hìc in ordine Phyſico: influit ergo Deus voluntati agenti phyſicè. *Secundò*: influit voluntati non ipſi actui: non poteſt igitur de concurſu ſimultaneo intelligi, qui in effectu non in cauſa recipitur. *Tertiò* demum influit voluntati agenti, ut agat: Ergo neceſſe eſt ut ille influxus phyſicus prævius ſit. Parùm D. Thomæ mentem perciperet dubio procul, quiſquis in his præviam motionem non intelligeret.

Confirmatur *Tertiò*, ex aliis S. Thomæ verbis, certaque ratione ex his verbis deducta. Quia certum eſt, non ſolùm operationes quocumque modo, & veluti ſecundùm ſe, & ſolitariè ſumptas, eſſe debere à Deo: ſed præterea neceſſe eſt, actiones *in quantum actiones ſunt, à potentia egredientes*, oriri etiam à Deo: ita enim expreſsè animadvertit D. Thomas: Atqui non alia ratione poſſint ut à potentia, & voluntate egredientes eſſe à Deo, niſi quatenus Deus voluntati influit efficaciam agendi; ut agat: ideſt, prævìè voluntatem movet, ut eas actiones à potentia egredientes voluntas efficiat: Ergo. Utraque Propoſito ex D. Thoma Probatur Opuſc. 15. de Angelis cap. 24. ubi cùm probet Divinam Providentiam ad omnia ſe extendere, ita inquit. *Primum movens immobile quod Deus eſt, omnium motionum principium eſt, ſicut & primum ens eſt omnis eſſe principium. In cauſis autem per ſe ordinatis tantò aliquid magis eſt cauſa, quātò in ordine cauſarū prior cauſa eſt, cùm aliis conferat quòd cauſæ ſunt: Deus igitur ſecundùm hoc, omniū motionum vehementiùs cauſa eſt, quàm etiam ſingulares cauſæ moventes.* Igitur ex D. Thoma Deus aliis cauſis confert quòd cauſæ ſint: nec ſolùm in actu primo, ſed ita ut etiam reipsà agant quod nulla alia ratione aut explicari aut intelligi poteſt, niſi quatenus cauſas movet, & applicat, confert novam *efficaciam* agendi, & *influit ut agant*.

Confirmatur *Quartò* ex eodem S. Thoma ibid. in diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. ubi etiam idem principium ſtatuit, Deum ideò cauſam eſſe voluntati quòd agat, quia *inclinat voluntatem in bonum, adminiſtrando virtutem agendi, & directè movendo ad bonum*: Atqui non poteſt his verbis non intelligi prævia Dei motio, qua inclinatur voluntas, qua movetur ad bonum, quæ eſt ipſa *ſubminiſtratio ſpiritus* & virtutis, ſeu virtus ſubminiſtrata, & collata voluntati. Ergo

Confirmatur *Quintò*, altero evidentiori loco in quo apud omnes convenit admiſſam eſſe à S. Thoma veram motionem prævìam. Integrum Articulum non refero, quòd jam initio primæ Diſſertationis à nobis relatus fuerit, & tanquam totius operis fundamentum conſtitutus: quæſt. 3. de Potent. art. 7. Igitur inſtauratur iterum Argumentum. De Fide eſt, Deum eſſe voluntati cauſam agendi, & quidem multò efficaciùs, & nobiliùs, quàm quælibet inferior cauſa reſpectu alterius eſſe poſſit: Atqui dum una cauſa alteri agendi cauſa eſt, eam movet, applicat, & virtutem agendi ei confert, & virtutem ipſius motivam cum effectu conjungit, qua virtute, & applicatione non poteſt prævia motio & effectrix non intelligi: Ergo. &c.

Minor probatur ex S. Thoma eadem quæſt. 3. de Potent. art. 7. Nam ut unum agens ſit alteri cauſa agendi, neceſſe eſt quòd nedum ipſi virtutem agendi contulerit, nedum quòd eam virtutem perpetuo influxu conſervet; ſed etiam quòd eam moveat ad agendum, eo modo quo principalis cauſa inſtrumentum quo utitur ad opus conficiendum movet, applicat, verſatque, ut faciendo operi congruit: ac demum neceſſe eſt quòd ipſi virtutem influat, non quidem habitum aut qualitatem, aut formam permanentem, ſed ſi de voluntate creata loquamur, veluti auram quandam; & afflatum vitalem, & ut dicitur Job 32. *Inſpiratio omnipotentis*, aut ut hebræum habet נשמת יהוה *afflatus Omnipotentis*: ſicut corpus cæleſte inſuit perpetuam virtutem rebus inferioribus; v.g. plantæ, ut florem fructumque emittat.

Sed multò feliciùs se se explicat D. Thomas, ex quo multis prætermissis quæ alibi consuli possunt, hæc non pauca exscribo. *Sciendum*, inquit *quòd actionis alicujus rei res alia potest dici causa multipliciter. Uno modo quia tribuit ei virtutem operandi, sicut dicitur 8. physic. quòd generans movet grave, & leve, in quantum dat virtutem per quam consequitur talis motus. Secundò: quia eam virtutē ulteriùs conservat..... sicut dicitur quòd Medicinæ conservantes visum faciunt videre. Tertio modo dicitur una res, esse causa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum. In quo nō intelligitur collatio aut cōservatio virtutis activæ,* (quæ jam collata est, & conservatur) *sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc ipso quòd applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Quartò: sed ulteriùs invenimus, secundùm ordinem causarum, esse ordinem effectuum, quod necesse est propter similitudinem effectus & causæ. Nec causa secunda potest in effectum causæ primæ per virtutem propriā, quamvis sit instrumentū causæ primæ respectu illius effectus. Instrumeutū enim est causa quodāmmodo effectus principalis causæ, non per formā vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis à quo movetur, & eam quodammodò participat. Unde, Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumēti. Et hoc modo etiā oportet dicere quòd Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum Divinæ virtutis operantis. Sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutē qua fit actio, sic virtus superioris causę erit immediatior effectui, quā virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris, ut dicitur in lib. de causis; Quod virtus causæ primæ priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum. Sic ergo opportet, virtutē Divinā adesse cuilibet rei agenti; sicut virtutē corporis cælestis oportet adesse cuilibet corpori elemētari agenti. Sed in hoc differt; quia ubicumque est virtus Divina, est essentia Divina, non autē essentia corporis cælestis est ubicūq; est sua virtus. Et iterū Deus est sua virtus, non autem corpus cæleste. Et ideò potest dici quòd Deus in qualibet re operatur, in quantum ejus virtute quelibet res indiget ad agēdum; nō autem potest propriè dici quòd cælum semper agat in corpore elementari, licèt ejus virtute corpus elementare agat. Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantū ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum cōjunxerimus his quòd Deus sit sua virtus, & quòd sit intra rem quālibet non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rē in esse, sequetur, quòd ipse in quolibet operante immediatè operetur, nō exclusa operatione voluntatis & naturæ.* Hactenus S. Thomas: ex quibus manifestissima est Minor Propositio superiùs posita: Ut agens alteri sit causa agendi propriè, directè, ac immediatè, necesse est quòd ipsum applicet, moveatque, ac virtutem agendi conferat; sicut agens principale applicat, movetque instrumentum, & virtutem artis ipsi confert; & sicut Cælum virtutem influit qua inferiora fovet vegetatque: Ergo ut Deus sit voluntati causa agendi, & verissimè dici possit *facere, ut faciamus*, necesse est quòd eam moveat, applicetque, & virtutem ipsi conferat; sicut agens principale movet, & applicat instrumentum, puta dolabram quam in omnē partem versat; & sicut Cælum influxibus suis inferiora omnia movet ac vegetat: quæ motio, & applicatio, & collatio virtutis est ipsa physica motio. Et sanè velim, cùm artifex securim aut dolabram movet ad moliendum opus, num ea impressa motio verissimè, & prævia, & effectrix sit? num ea motio dum Ludimagister pueri manum tenet, movet, ducit, regitque ad efformandos characteres, primaque elementa litteraria; num inquam ea motio, & prævia, & effectrix sit? Utrùm quis putet eam motionem indifferentem esse, & eadem qua pueri manum movet ad efformandum v. g. primum elementarii syntagmatis characterem Alpha, eadem inquam posse describi ultimum Omega? nam eo scriptionis exemplo utitur S. Thomas quæst. 3. de Malo. Idem etiam inquiri potest de cæteris. Num v. g. Cælum cùm immissis influxibus aut calore fovet humum, arboresque, ac plantas, easque movet; & vegetat, num ea immissa virtus, & motio aut vegetatio activa, si dici ita debeat, prævia sit ac effectrix? Atqui ita S. Thomas existimat, Deum naturam omnem, ipsamque voluntatem movere; ipsique virtutem agendi conferre, sicut artifex instrumentum movet, sicut Cælum inferiora immisso calore fœcundat; Ludimagister pueri characteres formantis manum movet: Ergo &c.

Unde abuti terminis videntur, qui voluntatem instar instrumenti se habere contendunt, & negant tamen, eam esse prævenientem gratiam efficientem, & præviam motionem, determinantem, & actus effectricem. Atque in ea re S. Thomæ sententiæ dupliciter adversantur. *Primò* quidem: quia expressè negat S. Doctor, voluntatem propriè instrumentum dici posse. cùm variæ dotes sint, & conditiones instrumenti, & potentiæ vitalis, quæ seipsam sub Motione Divina movet, quæque in suo ordine causa principalis est; quamvis, si cum Divina gratia conferatur, minùs principalis causa sit, & instrumenti vices gerat, ut sæpè observat S. Thomas, nos aliàs diximus. Sed *Secundò* esto ita sit, eaque in re iis qui ita sentiunt assentiamur: Atqui si voluntas veram, & propriam instrumenti rationem habeat, apertiùs S. Thomæ sententiæ, & rectæ rationi adversantur. Qua enim ratione negari possit, prævenientem Divinam gratiam, & verè effectricem esse, & præviam physicè, ac per modum causæ efficientis; si habeat rationem causæ principalis, & voluntas sub prævenientis Divinæ gratiæ motione instrumentum sit? Hæc sanè nulla ratione jungi unquam poterunt. Ab his

equi-

equidem Divina gratia dicitur cauſa principalis, quòd negari non pōſſit, cùm etiam à Concilio Senonenſi expreſsè dictum fuerit: ſed reipsà negata prævia motione, negatur, Divinam gratiam eſſe cauſam principalem; cùm etiam, ut jam ex S. Tho. ſupra evicimus, nulla ratione intelligi poſſit, Deum, Divinamque ejus gratiam eſſe voluntati noſtræ cauſam agendi, & facere ut faciamus, niſi prævia motione, & efficaci gratia Divina, voluntas noſtra applicetur, & moveatur, ac determinetur.

Attamen in ea comparatione, qua corpus cæleſte inferiora ſuo calore, ſuiſque influxibus, plantæ v. g. virtutem excitat, ac fovet; obſervandum eſt latiſſimum diſcrimen eſſe, quod jam ſupra fusè ex S. Thoma obſervatum eſt; nimirum quòd hic influxus, & Cæli concurſus indifferens ſit, & propriiſſimè poſſit à cauſis ſecundis, & impediri, & determinari: at verò hic Divinæ gratiæ concurſus à nulla creatura impediri poſſit; neque legibus neceſſitatis, & contingentiæ ſuperior ſit, ut utramque poſſet imprimere in rebus, ut obſervat D. Thomas, 1. par. 19. art. 8. aliiſque locis. Nihil enim à nobis vel minimum affertur, quod expreſsè à S. Doctore obſervatum non fuerit. Sed ea parte comparatio opportuniſſima eſt, quòd negari non poſſit, influxum Solis prævium eſſe, ac in genere efficientis cauſæ, quamvis altera parte, qua Solis influxus indifferens eſt, longè diſſimilis ſit. Sed altera comparatio inſtrumenti, & cauſæ principalis omni ex parte multò opportunior eſt quæſtioni reſolvendæ.

Confirmatur *Sextò* ex his S. Thomæ apertiſſimis verbis, *virtus inferior non conjungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris* cauſæ: Atqui quacumque vi, & in quamcumque partem hæc verba pertrahantur, nihil aliud quàm effectricem, & phyſicam motionem ſignificare poſſunt. Quod enim aliud cum alio conjungit, neceſſe eſt antecedat. Neque hic motioni morali locus eſſe poteſt; ubi de cauſis naturalibus agitur: Ergo cùm hæc etiam S. Thomas de ipſa voluntate intelligat, neceſſe eſt quòd cauſa prima, ſeu cauſæ primæ virtus ipſaque motio, aut efficax gratia Divina, phyſicè ac præviè conjungat cauſam ſecundam, ſcilicet voluntatem, cum actu quem efficit, ſitque cauſa ut voluntas agat.

Confirmari *Septimò* poteſt, quod ut cenſet Suarez, & quidem rectè 3. par. diſp. 9. ſect. 2. dicendum ſit, *Sacramenta novæ legis eſſe vera inſtrumenta, per veram, & phyſicam efficientiam, & veram gratiæ productionem*. Idque probat ea ratione, quòd niſi admittatur cauſalitas vera, & phyſica in Sacramentis, minimè explicari poſſint, quæ à Scriptura Sacra tribuuntur Sacramentis, quæ dicunt mundare, lavare, regenerare, efficere, producere, immutare, aliaque ejuſmodi; quæ propriiſſimam cauſalitatem ſignificant: *Poſita autem phyſica hac effectione Sacramentorum, propriiſſimè intelliguntur dictæ locutiones: juxta alias verò ſententias non niſi valdè impropriè*: quæ ratio ex S. Thoma deſumpta eſt 3. par. qu. 62. art. 1. ubi de cauſalitate Sacramentorum quæſtionem inſtituit. Atqui ea quæ Divinæ gratiæ ac motioni Divinæ tribuuntur, non minùs cauſalitatem veram, & phyſicam efficientiam ſignificant: poſitaque hac cauſalitate propriiſſimè intelliguntur locutiones Scripturæ Sacræ: negata verò hac cauſalitate, non niſi impropriè explicari, & intelligi poſſunt: Ergo non minus Divinæ gratiæ cauſalitas, & efficacia prævia, & phyſica tribui debet, quàm Sacramentis Novæ Legis phyſica cauſalitas tribuitur; nam præviam eſſe cauſalitatem Sacramentorum abſurdum eſſet in dubium revocare.

Minor apertiſſima eſſe videtur, cùm ipſiſſimis etiam verbis quibus Sacramentorum cauſalitas ſignificatur, etiam, & Divinæ gratiæ efficacia, viſque agendi explicetur qualia ſunt mundare, immutare cor hominis, efficere, ac producere virtutem in anima &c. Et verò quibus verbis apertiùs ea vera cauſalitas ſignificari poſſit, quàm his Apoſtoli verbis ad Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in vobis velle, & perficere*. Et ut græcum habet. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν. Ubi Apoſtolus verbo utitur quo nullum aliud, majorem efficaciam ſignificare poſſit: Unde & Latini nomē *Energiæ* uſurparunt, quòd non alio maximam in agendo efficaciam ſignificari poſſe exiſtimaverint. Quid verò aliud etiam ea verba ſignificat, *facit ut faciamus*? Et quidem animadverti non immeritò poteſt, nullum dubium eſſe, quin voluntas dum agit, veriſſima efficientia agat: Ergo cùm dicitur, Deum efficere ut faciamus, intelligendum eſt, Deum id in nobis efficere verè ac propriiſſima efficientia, eademque prorſus qua nos agimus: id eſt in genere cauſæ verè efficientis. Quis enim ſibi perſuadeat, in tam paucis verbis *facit ut faciamus*, mutari ſenſum; & cùm poſteriùs ubi de voluntate operante agitur; de vera, & propria efficientia phyſica intelligatur, primum verbum, ſcilicet *faciat*, quod de Deo in nobis operante ut operemur, intelligitur, de alia cauſalitate, & efficientia impropria ſolùm, qualis eſt moralis debere intelligi. Eſſet enim ſumma ambiguitas, & errandi periculum, ſi in iis verbis uno tenore dictis *facit ut faciamus*, utrumque de eadem cauſalitate; ſcilicet phyſica, non intelligeretur.

Unde etiam obſervari poteſt, verbis ſuperiùs allatis, D. Paulum eodem verbo uſum fuiſſe, cùm de Deo in voluntate hominum operante, & de ipſa voluntate operante loquitur. *Deus eſt*, inquit, ὁ ἐνεργῶν *qui operatur*, ſcilicet cum energia, & efficacia, *in nobis velle* & τὸ ἐνεργεῖν *ipſum operari* cum energia, & efficacia. Et veriſſimè quidem: quòd enim actu reipſa phyſicè, & per modum efficientis cauſæ voluntas operetur, habet ex ipſo Deo in voluntate noſtra operante, & ex ipſa Divinæ gratiæ ἐνεργεία: Ergo cùm utrobique eadem omninò verba uſurpentur; eodem ſenſu explicari neceſſe eſt: & ſicut voluntas, vera, & propria cauſalitate agit, etiam

& gra-

& gratia propria, & vera causalitate efficit, ut voluntas agat: & sicut Sacramenta physicè, & præviè hominem immutant, & gratiam producunt; etiam & efficax gratia physicè, & præviè voluntatem immutat, in eaque producit virtutis actum.

Confirmatur hæc ratio: quòd si præter Scripturam Sacram, etiam Scripturæ Sacræ Interpretes SS. Patres consulamus, quos in illis explicandis Magistros ut audiamus jubet Concilium Tridentinum; quid unquam de causalitate Sacramentorum à SS. Patribus dictum est, qnod etiam ad explicandam Divinæ gratiæ efficaciam dictum non fuerit? Quinimò superant dubio procul, & multò expressiora snnt, quæ de efficacia Divinæ gratiæ à SS. Patribus referuntur. Apertissimum enim est quæsita à S. Augustino ea verba ac usurpata fuisse, quibus summa illa efficacia explicaretur, qua nulla unquam major posset intelligi. Quid enim unquam dici fortius, & validius posset ad explicandam eam causalitatem gratiæ, quàm quod à S. Doctore dictum est, Deum tribuere vires efficacissimas voluntati; gratiam esse *efficacissimam, omnipotentissimam, indeclinabilem, insuperabilem.* Lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Subventum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.* Lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 2. *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum.* Et cap. 16. Deus *facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Adde celebre illud ex oratione desumptum quæ in Conciliis recitari solet ad efflagitandam Spiritus Sancti gratiam, quæ Tom. 1. Conciliorum, apud Binium pag. 5. & refertur ex Isidoro Mercatore: atque hic Romæ in Congregationibus SS. Officii quæ qualibet quarta feria haberi solent, semper ad petendam Divinam opem in principio recitatur. *Domine esto solus, & suggestor, & effector judiciorũ nostrorũ: junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono.* Adde & illud ex S. Cyrillo Alexandrino lib. de Spiritu. Ubi notat, Angelos apprehendisse manum Loth. Genes. 19. & quandam vim intulisse; quod argumento esse existimat duplex à Deo nobis beneficium concedi, dum *persuadet admonitionibus ut subsidium inveniamus, & fortius illud præstat quàm ut malũ præsens, & violentum prævalere possit.* Omitto cætera qaæ plenissima manu colligi possent, & quæ ex SS. Patribus, D. Augustino, à nostris aliisque gratiæ efficacis defensoribus, collecta sunt, ut velle plura addere, esset planè in sylvam ligna ferre. Ergo eadem ratione qua causalitas, & efficientia physica, & verè effectrix, Sacramentis novæ Legis adscribitur, ut ea quæ Scriptura Sacra, & SS. Pattes docent, in sensu proprio, & germano intelligantur; eadem omninò ratione etiam adscribenda est Divinæ gratiæ physica efficientia, ut quæ à Scriptura Sacra ejusque legitimis Interpretibus SS. Patribus de vi Divinæ gratiæ dicta sunt, in proprio ac germano sensu explicentur.

Confirmatur eadem ratio, & urgeri magis ea comparatio potest, quòd ea de Divina gratia certò dicenda sint, quæ nemo de Sacramentis dixerit. Et meritò quidem: cùm Sacramenta sint quædam dumtaxat instrumenta, gratia verò Divina principalis causa sit. Ita enim à Concilio Senonensi expressè dictum est in Prologo, *Incumbendum esse bonis operibus, in quibus efficiendis, & liberum arbitrium operatur, & gratia: Primò tamen, & principaliter gratia.* Quodque jam antea diu Magister Sententiarum in 2. dist. 27. ita expresserat, *In bonis merendis causæ principalitas gratiæ attribuitur, quia principalis causa bonorum moritorum est ipsa gratia, qua excitatur liberum arbitrium.* De S. Thoma infrà referemus. Quæ omnia minimè de Sacramentis dici unquam possunt; quòd diversa sit eorum conditio: Atqui de Sacramentis nihil unquam dictum est, aut dici etiam posset, si eorum conditio permitteret, quod magis veram causalitatem propriissimam, & in rigore sumptam, id est physicam, & per modum causæ efficientis significare possit, quàm quod de efficaci gratia dictum est, scilicet esse causam principalem actus voluntatis: Ergo si vera, & physica, & effectrix causalitas Sacramentis adscribenda sit, ut quæ à Scriptura Sacra, & SS. Patribus de Sacramentorum causalitate dicta sunt, propriè dicta intelligantur; non potest etiam non adscribi eadem Divinæ gratiæ efficacia, ut quæ in commendationem vis, & efficaciæ gratiæ Divinæ, toties Scriptura Sacra, & SS. Patres asserunt, etiam in proprio ac germano sensu explicentur, nec in alienos sensus metaphoricos, & improprios detorqueantur. Unde compertum esse videtur, quòd si hæ duæ sententiæ, quæ modò Scholas omnes dividunt, invicem conferantur, altera Thomistarum sententia, quam esse SS. Augnstini, & Thomæ ostendi; altera verò Recentiorum; compertum inquam esse videtur, ea ratione semper futuram superiorem SS. Augustini, & Thomæ sententiam, quòd Scripturæ Sacræ verba in germano, ac proprio sensu explicet, & intelligat, & qualem ipsa per se verba exhibent: cùm consentiente Suare, eadem de Sacramentis dicta verissimam, & propriè sumptam causalitatem significent, id est verè physicam, ac in genere efficientis causæ, & qualem nos gratiæ Divinæ adscribimus: econtrà verò Recentiorum sententiam ea parte semper videri posse inferiorem, quòd ut se se tueatur ac defendat, planissima Scripturæ Sacræ verba in alium sensum, & quem ipsa per sese verba minimè significant, sicut nec ipse diffitetur Suares ut diximus, inflectere cogatur. Vide plurima quæ addidimus Dissert. 2. quæst. 9. art. 6. pag. 429.

Sed dices ea quæ Scriptura Sacra habet, explicanda quidem semper esse in germano ac proprio sensu, dum nihil obstat, nec periculum est aliquod Fidei principium evertendi: At verò hic aliud plurimùm obstat: opprimeretur enim libertas voluntatis humanæ, quam de Fide est

ſartam tectamque ſervandum eſſe, ſi Divina gratia phyſicè voluntatem moveret : quod tamen periculum nullum ſubeſt, ſi ea cauſalitas phyſica Sacramentis tribuatur. Unde facilè de propriiſſimè ſumpta cauſalitate explicari poſſunt quæ à SS. Patribus Sacramentis attribuuntur : quæ tamen de eadem phyſica cauſalitate, & propriè ſumpta vetat explicari conditio libertatis voluntatis noſtræ. Sed

Impugnatur *Primò*. Etenim pace eorum Authorum dixerim, & eâ licentiâ quæ Theologis dum vim Argumentorum urgent, conceſſa eſt : ſimilis eſt Hæreticorum reſponſio, cùm Theologi præſentiam realem Corporis Chriſti in Sacramento SS. Euchariſtiæ probant ex ipſis conſecrationis verbis, quæ ſimpliciſſimè à Chriſto dicta, in vero ac proprio ſenſu quem verba exhibent explicari debeant. Reſpondent enim, ita fore explicanda in germano & proprio ſenſu, niſi alia etiam Chriſti verba, aliaque myſteria obſtarent, quæ jubent ea conſecrationis verba tropicè ſolùm, & ſenſu improprio explicari. Verùm ſi ea cuique licentia concedatur : quid certi ex Scriptura Sacra erui unquam poterit ? Equidem obſtare conditionem libertatis, quam phyſica motione opprimendam ſentiunt, hi quibuſcum decertamus, arbitrantur. Sed longè aliud SS. Auguſtino, & Thomæ, ut probavimus, viſum eſt, qui commodiſſimè, & libertatis, & gratiæ jura defendunt, eaque conciliant.

Secundò : Sed prætereà vincit ſemper, ut diximus, S. Auguſtini, & S. Thomæ ſententia ea parte quòd magis Scripturæ Sacræ verba, quæ vim Divinæ gratiæ explicant, in germano & propriiſſimo ſenſu explicat.

Tertiò : Cùm hìc de duplici jure ſervando agatur, hinc una ex parte de jure Divini Dominii, & efficacia ipſius Dei gratiæ, quâ ſibi ſubjiciat voluntatem creatam ; indè verò alia ex parte agatur de jure voluntatis creatæ, & ut voluntas libertatem ſibi conceſſam innumeratam ſervet ; ab erudito, & pio Lectore, rectoque Judice petam, ſi hæc duo invicem ſatis commodè jungi non poſſent, cujus vim, & poteſtatem juſtius, & æquius eſſet paululùm imminuere aut flectere, ut alteri palma concederetur ? Et quis neget Divina ſemper creatis anteponenda eſſe : cùm etiam inſitum naturæ creatæ ſit, quòd ſe ſe Deo Diviniſque operationibus ſubjiciat, nec vim unquam ullam res creatæ pati poſſint, quidquid Deus in rebus creatis egerit, ob eam rerum omnium inferiorum conditionem, & naturalem indolem, quâ ſe ſe ſponte ſuperioribus ſubjiciunt : quam legem in Univerſo etiam ſervari quàmplurima etiam exempla demonſtrant.

Quartò : Sed tandem indè apertiſſimo Argumento colligi poteſt ſpuriam eſſe libertatis notionem, quæcumque tandem illa ſit, quæ cum ea Divinæ gratiæ efficacia, quam Scriptura Sacra Divinæ gratiæ, & motioni adſcribit, conciliari non poteſt. Et verò dum Recentiores inquiunt, eam Divinæ gratiæ efficaciam, quam Scripturæ verba ſignificant, cum libertate voluntatis creatæ ſatis jungi non poſſe. Quærendum eſt de qua libertatis notione intelligant ? An de ea quæ in omnimoda indifferentia, atque omnis determinationis impatiente, poſita eſt ? Atqui eam notionem exactam non eſſe, vel indè ſatis colligi poteſt, quòd cum ea gratiæ efficacia qualem ſimpliciſſima Scripturæ Sacræ verba explicant, conjungi non poſſit : conſtitutum enim eſſe debet certum, conſtans, firmumque principium, de quo nunquam dubitare liceat in re dogmatica Fidei ; ſcilicet, verba Scripturæ Sacræ in germano, & propriiſſimo ſenſu quem verba indicant, accipienda eſſe ; ac falſum eſſe omninò illud omne quod cum iis verbis, eoque proprio ſenſu verborum cohærere non poteſt. Indè ſemper diſputatio omnis inter Theologos inchoanda eſt : hæc tanquam prima certaque regula conſtituenda eſt, ex qua deinde cæteras res utraque contendentium pars metiatur, nè ſe fallacibus inanis Philoſophiæ argumentis ſeduci patiatur. Atq; adeò ſi ea verſatilis, & nullo fræno coërcitæ libertatis notio cum Scripturæ Sacræ verbis, illorumque germano, & proprio ſenſu cohærere non poſſit : ea omninò, ut Scripturæ Sacræ adverſa rejicienda eſt. At de libertatis notione qualem explicant S. Auguſtinus, & S. Thomas, & nos plura ex utriuſque ſententia ſatis multa diximus, omninò à vero alienum eſt, eam efficaciam gratiæ qualem Scripturæ Sacræ verbis propriiſſimè intellectis ſignificant, non poſſe conjungi : cùm è contra libertatis conditio Divinam motionem exigat, quâ foveatur, & quâ ſtabiliatur, & quâ firmetur : cùm, ut inquit S. Auguſtinus, voluntas non libertate gratiam conſequatur, ſed gratia libertatem, quæ ut perfecta ſit, gratiam ut parentem agnoſcit.

ARTICULUS XVII.

Confirmatio ſuperioris rationis, nõ poſſe intelligi, Deum propriè, & perfectè voluntati cauſam eſſe agendi, niſi admittatur prævia, & efficax motio.

SUpponimus iterùm quod jam ſatis demonſtratum eſt, Deum propriiſſimè ſuâ Divinâ gratiâ facere ut faciamus, ſuâque cauſalitate operationem voluntatis, non minùs quàm ipſa voluntas efficiat, efficere ; immò & perfectiùs efficere : cùm gratia Divina, ut jam tetigimus, ſit cauſa principalis, & ut loquitur S. Thomas, ſit tota ratio agendi ; de quo fuſiùs erit infrà agendum. Hìc verò addimus ex S. Thomæ veris, certiſque principiis, Deum nulla ratione dici poſſe perfectè cauſam operationis voluntatis, niſi voluntatem prævièe, & per modum efficientis cauſæ moveat. Ut verò id præſtari facilè, & commodè

modè possit, explicandum est ex D. Thoma, quæ sit vera causa effectûs, vero, & proprio sensu dicta, & ut à causa solùm disponente distinguitur. Sed proponenda priùs ratio est.

Probatur igitur, & in hanc formam ratio reducitur. Certum omninò est, Deum esse propriissimè causam cur voluntas agat, & ut diximus aliàs ex Tridentino, conversio Pauli est *propriè*, & per se ipsius, & prævenientis gratiæ opus: Atqui id affirmari non posset, nisi præveniens gratiâ voluntatem physicè, & per modũ efficientis causæ moveret: Ergo &c. Utraque propositio probatur ex D. Thoma. Etenim qu. 3. de Malo art. 3. ubi eandem quæstionem instituit quam instituerat loco superiùs citato 1. 2. *Utrùm*, scil. *Diabolus sit causa peccati*? ut explicet quæ sit vera causalitas, ita inquit. *Respondeo dicendum, quòd causa aliquid movens multipliciter dicitur. Quandoque enim dicitur causa id quod est disponens, vel quod est consilians, vel quod est præcipiens. Quandoque verò dicitur causa id quod est perficiens; & hæc verè, & propriè causa dicitur. Quia causa est ad quam sequitur effectus: ad actionem autẽ perficientis statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis: suasio enim non cogit invitum, ut Augustinus dicit in lib. 83. quæstionum*: (id est, ex volentibus ac repugnantibus non efficit volentes, & consentientes.) *Sic ergo dicendum, quòd Diabolus humani peccati causa esse potest per modum disponentis, vel persuadentis, interiùs, aut exteriùs, aut etiã per modum præcipientis, ut apparet in his qui se manifestè Diabolo subdiderunt: sed per modum perficientis causa peccati esse non potest. Sicut enim in formis producendis, causa perficiens est ex cujus actione directè consequitur forma; ita in actibus eliciendis causa perficiens est, ex cujus actione agens directè inclinatur ad agendum. Peccatum autem non est forma, sed actus. Illud ergo per se potest esse causa peccati, quod potest directè movere voluntatem ad actum peccati.* Hactenùs S. Thomas.

Ex quibus sic instauratur argumentum. Extra controversiam omnem esse debet, Deum esse propriissimè, & perfectissimè causam, cur voluntas creata benè agat, potissimùm in ordine supernaturali, ad quem ut assurgat voluntas nullas ex se ipsa vires habet, sed meram dumtaxat capacitatem, ut à Deo erigatur; & mota ac veluti compulsa ipsa etiam se se movet quidem, sed instar infirmi, qui dum aliena ope erigitur, ipse etiam erigit se ipsum, & pro modulo erigentis adjutorii ipse conatur, suasque vires addit: Atqui nisi Divina motio, & efficax Dei gratia voluntatem moveat, & quidem physicè, & per modum causæ efficientis, nec moraliter solùm; intelligi non potest Deum perfecta, & propria causalitate movere voluntatem: Ergo &c.

Minor probatur, aut veriùs statim incurrit in oculos ex constitutis jam D. Thomæ principiis. Et *Primò* quidem sola *perficiens* seu efficiens causa *propriè, & verè causa dicitur*: Ergo nisi Deus physicè, & secundùm genus causæ efficientis moveat voluntatem creatam, Deus dici non potest esse propriè, & perfectè causa cur voluntas agat, *Secundò*. Sola causa *consilians, & præcipiens*, quæ movet ex parte objecti ex S. Thoma non est *propriè, & verè* causa: Ergo quantumcumque Deus ex parte objecti motione morali moveat voluntatem, dici nunquam Deus poterit propriè, & verè voluntatem movere, & esse causam agendi voluntati. *Tertiò*. Nec verò solis verbis hæc statuit D. Thomas, & veluti in aëra jactat; sed etiam solidissimè probat; quia ea perfecta, & propriè causa censenda est, ex qua effectus consequitur: neque enim aliter vera, & propriè dicta causa definiri potest, quàm cùm dicitur *ad quam sequitur effectus*; & quidem *de necessitate*, id est infallibiliter, & necessitate quam vocant consequentiæ; quod etiam exemplo aperto D. Thomæ manifestatur. *Sicut enim in formis producendis causa perficiens est, ex cujus actione directè consequitur forma: ita in actibus eliciendis causa perficiens est, ex cujus actione agens directè inclinatur ad agendum*: Ergo quantumcumque Deus voluntatem moraliter moveat per modum suadentis, vel per modum consiliantis, aut præcipientis, tamen dici non potest esse perfectè voluntati causa agendi, seu planiùs, dici non potest *facere ut faciamus*, nisi adsit effectrix motio.

Confirmatur *Primò*: ex eodem D. Thoma. Nulla dici potest causa perficiens seu perfecta, nisi voluntatem inclinet interiùs, in eaque operetur, & quidem in genere causæ effectricis, & physicæ; id est, ut inquit qu. 22. de Verit. art. 9. *per modum causæ efficientis*; quod semper addi oportet; etsi penè inutile sit, si bona fide res agatur, cùm necesse sit eodem genere moveri voluntatem, quo voluntas operatur, quam nemo negare potest agere non metaphoricè, sed propriè, & in genere causæ efficientis: Atqui intelligi non potest Deum interiùs in ipsa voluntate operari, ut agat, seu voluntatem ad agendum inclinare sine physica, & prævia motione. Ergo &c. Utraque propositio, & Major, & Minor ex S. Thoma expressa videtur eo loco quem supra retulimus. Cùm enim dixisset, voluntatem posse moveri dupliciter ex parte objecti, & ex parte principii: & ex parte quidem objecti, nunquam posse certò, & infallibiliter, aut ex necessitate moveri, nisi ab objecto quod voluntatem rapiat, nec sinat eam sui juris esse, sicut est summum bonum, seu Deus clarè visus: nullum verò alterum bonum, cùm hujus bonitas integra esse non possit, omninò trahere posse voluntatem, *& ideò nulla persuasio ex necessitate*, id est infallibiliter, seu vera, & propriè dicta infallibilitate *movet hominem ad agendum*. Posteà verò inquit hic quæstione 2. de Malo. *Est autem considerandum, quòd voluntas ad aliquid inclinari dicitur dupliciter: uno modo ab exteriori, alio modo ab interiori. Ab exteriori quidẽ sicut ab objecto apprehenso; nam bonum apprehensum movere dicitur voluntatem: & per hũc modum dicitur movere consilians, vel suadens, in quãtum scilicet*

facit

facit apparere aliquod eſſe bonũ. Ab interiori autẽ movetur voluntas ſicut ab eo quod producit ipſum voluntatis actum. Objectum autem propoſitum voluntati, non ex neceſſitate movet voluntatem, niſi ſit objectum perfectum, quale eſt Deus in ſe ſe viſus, ut multis hìc proſequitur S. Doctor. *Patet ergo,* inquit, *quòd objectum non ex neceſſitate movet voluntatem; & ideò nulla perſuaſio ex neceſſitate* (id eſt infallibiliter) *movet hominem ad agendũ. Relinquitur ergo, quòd cauſa perficiens, & propria voluntarii actus, ſit ſolùm id quod operatur interiùs: hoc autẽ nihil aliud eſſe poteſt quàm ipſa volũtas, ſicut cauſa ſecũda; & Deus ſicut cauſa prima. Cujus ratio eſt: quia actus voluntatis nihil eſt aliud quàm inclinatio quædam volũtatis in volitũ: ſicut & appetitus naturalis nihil eſt aliud quã inclinatio naturæ ad aliquid: inclinatio autẽ naturæ eſt & à forma naturali, & ab eo qui dedit formã: unde dicitur quòd motus ignis ſurſùm eſt ab ejus levitate, & à generante, quod talẽ formam creavit. Sic ergo motus directè procedit à voluntate, & à Deo qui eſt voluntatis cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumq; voluerit.* Hactenus S. Thomas. Ex quibus utraq; propoſitio argumenti, quod ſupra confecimus apertiſſimè demonſtratur. Sed præterea confirmari hęc poſſunt multis, quæ ex ſuperioribus manifeſta conſecutione deducũtur. Unde

Confirmatur *Secundò*: quia cauſa propriè dicta ea eſt ex eodem D. Thoma non quæ voluntatẽ ad actum eliciendum diſponit, ſed quæ actum ipſum efficit; ſola enim *cauſa perficiens, verè & propriè cauſa dicitur,* inquit D. Thomas, *quia cauſa eſt, ad quam ſequitur effectus*: & quidẽ ex vi ipſius cauſæ, ac ex neceſſitate, id eſt, infallibiliter, ſenſu deinde explicando. Niſi enim cauſa vi ſua, & propria cauſalitate actũ efficiat, & producat, quo ſenſu & qua ratione intelligi poteſt eſſe propria, & propriè dicta cauſa. Atque id in phyſicis nemo negat, ubi ſola efficiens, propriè, & vera cauſa eſſe dicitur. Atque hac unica eſſe poteſt veræ, & propriè dictæ cauſæ notio, Ergo niſi Deus per modum efficientis cauſæ, & gratia præveniente effectrice voluntatem moveret, dici nulla ratione poſſet, propriè cauſa eſſe cur voluntas ageret.

Confirmatur *Tertiò*, quòd ut indè conſequitur moralis cauſa, ac moraliter ſolùm agens, ſeu conſilians, ſeu præcipiens, ſeu vocans, ſeu perſuadens ſit, ſeu quocumq; alio nomine nuncupetur. cauſæ propriè dictæ nomine non poſſit intelligi; cùm ea non ſit ejuſmodi, ut voluntatis creatæ actum infallibiliter efficiat, ſed ſolùm volũtatem ad agendũ diſponat: quia cùm cauſa moralis agat ſolùm propoſitione objecti facta voluntati, quandiu ab eo totius boni fonte, ſcilicet Deo, remotiores ſumus, ipſa etiam Divina bonitas ab intellectu noſtro propoſita voluntati, rapere voluntatem non poteſt, nec infallibiliter eam movere: quod fuſiùs probat S. Thomas eodem loco ſupra citato, & nos tanquam certum ſupponimus: Ergo ſi Deus ſolùm moraliter voluntatem moveret, nulla ratione dici poſſet, eſſe propriè, & perfectè cauſam cur voluntas ageret.

Confirmatur *Quartò*: Etenim ut ex ea iterùm cauſæ propriè dictæ notione conſequitur, cauſa propriè dicta actus voluntatis, ea eſſe dumtaxàt poteſt, quæ actum ipſum efficit, ac verè producit, ac intrà ipſam voluntatem operatur: Atqui inquit D. Thomas ibidem: *Hoc nihil aliud eſſe poteſt, quàm ipſa voluntas ſicut cauſa ſecunda; & Deus, ſicut cauſa prima.* Unde nec etiam intellectus intrà voluntatem operari dici poteſt; quamvis *extrinſecùs*, ut jam ſupra ex S. Thoma dictum eſt, intellectus aliquid conferre poſſit voluntati; nam voluntatis porta omni creaturæ clauſa eſt, ac ſoli Deo patet: quia intellectus non aliter quàm propoſitione objecti voluntatem movet, conſiliando, præcipiendo, vocando, & hujuſmodi: quæ omnia ad diſponentem, remotè, & indirectè agentem cauſam dumtaxàt pertinent. At verò intellectum intrà ipſam voluntatem operari omninò impoſſibile eſt: quod multò potiori ratione de Angelo verum habet: ut enim inquit D. Bernardus lib.5.Conſider.c.5. *Angelus quidem adeſt animæ, ſed tamen non ineſt*, eò quòd ea præſentia, & operatio ſoli Deo eximia ſit. Unde egregiè obſervatum à S. Thoma aliàs diximus, hominem equidem quantùm ad corpus, & inferiorem partem affectuum, & appetitionum ſedem, corporibus cæleſtibus ſubjacere, ab iiſque poſſe variè moveri. Unde illud *ad Lunæ motum variant animalia corpus*: quòd ad intellectum verò ſpectat, ſubjici hominem cæleſtibus mentibus, ſeu intelligentiis, quæ mentem hominis illuſtrant, purgant, ac perficiũt, ea operatione, quæ ad moralem cauſam pertinet, & quæ fit ſola propoſitione objecti, ſuadendo, conſiliando &c. ut explicat S. Thomas 1.par.qu.111. At verò quòd ad voluntatem attinet, eam ſoli ſubjici Deo, & in ea ſolùm ipſius Authorem operari poſſe, ideòque Deum unicum eſſe ſcrutatorem cordium, ac voluntatis noſtræ motus omnes cognoſcere, & efficere: de quo vide quæ primo Tomo diximus.

Confirmatur *Quintò*: & ex his omnibus iterùm ſuperius argumẽtum inſtauratur, nimirum quòd ex Sacra Scriptura compertum ſit, Deum *facere ut faciamus*, & quidẽ, ut diximus propriè, & perfectè in eodem genere in quo ipſa voluntas agit; imò & perfectiùs, quod ad efficaciam agendi pertinet; cùm Deus *magis habeat in poteſtate ſua voluntates hominum quàm ipſi ſuas*, ut inquit S. Auguſtinus: & ut addit S. Thom. *ſicut voluntas poteſt immutare actũ ſuum in aliud; ita & multò ampliùs Deus.* qu.22. de Verit.art.8. ſcil. ea ratione, quòd Deus ſit cauſa principalis, & principalior quàm ipſa volũtas, quantùm, ut diximus, ad efficaciã agendi: & iterũ ex S. Tho. quæſt. ſupra citata de Malo, *Deus eſt voluntatis cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit*: & tandẽ cauſa verè, & propriè dicta ea ſolùm eſſe poteſt, quę non ſolùm vocat, ſuadet, aut præcipit; ſed quæ eſt cauſa perficiens, id eſt, quæ efficit actum voluntatis, & intrà voluntatem operatur, & quæ voluntatis inclina-

tionem immutat, & ex uno in aliud transfert; & demùm quæ voluntatem movet, & applicat, ac cum effectu seu actu conjungit: Atqui impossibile est ea omnia rectè explicari, & intelligi, nisi admittatur effectrix præveniens gratia, & Deus per modum efficientis causæ moveat voluntatem: Ergo nec alia ratione potest intelligi Deum *facere ut faciamus*, nisi quia physicè, & per modum causæ efficientis movet, applicatque voluntatem ad actum.

Huic argumento quid reponi possit sanè non video, nisi negetur Deum propriè causam esse cur voluntas agat; eaque Scripturæ Sacræ verba, *faciam ut in mandatis meis ambuletis*, & alia ejusmodi plurima, non esse in germano, ac proprio sensu, sed impropriè solùm intelligenda asseratur. Cùm enim, ut supra dictum est, unica propriè dictæ causæ notio sit ea quàm supra ex D. Thoma, atque omnium Philosophorum, ac hominum rectè sentientium communi consensu retulimus: nulla ratione intelligi potest, Deum *facere ut faciamus*, nisi reipsà voluntatem moveat, & proprium principium actus moveat ad agendum, & tribuat voluntati efficaciam agendi, & ejus virtus collata voluntati, conjungat voluntatis potentiam cum effectu seu actu.

Confirmari demùm potest eodem argumento, quod supra prosecuti sumus, nimirùm illud à S. Thoma tribui Deo respectu actionis studiosæ, quod omninò negatur Angelo respectu ejusdem actionis; vel etiam dæmoni respectu actus peccati, ad quem suasione, vel instigatione movere quidem exteriùs potest, sed non intrinseca, & interiori operatione intrà ipsam volũtatem operari. Unde inflecti possunt quæcumq; ex D. Thoma supra retulimus: ita ut etiam quæ de morali motione refert S. Doctor, atque Angelo tribuit, ea etiam Deo tribuantur, quem certum est hortari, impellere, & vocare homines ad studium virtutis: ac prętereà etiam Deo illud tribuatur quod idem S. Doctor negat Angelis in actibus bonis; & dæmoni in actibus pravis. Atque eo pacto perfectissimè explicatur Divinę gratiæ in hominis voluntate operatio, in utroque ordine morali, & physico ex parte objecti, & ex parte principii, ab interiori, & exteriori: quo utroque modo affirmat S. Thomas, voluntatem hominis moveri à Deo.

ARTICULUS XVIII.

Deum non esse, nec dici posse principalẽ causam actionis bonæ nisi ratione solius motionis pręviæ, & prævenientis gratiæ effectricis, & præoperantis.

SImile est argumentum, quod non minoris momenti existimandum est, cùm, ut jam etiam supra diximus ad Fidem pertineat, Deum esse principalem causam actionis bonæ: atque etiam principaliorem quam sit ipsa voluntas: quod equidem licèt specie tenùs, ac verbis, qui motiones prævias negant, admittere aliquando videantur; reipsà tamen eorum principiis capitaliter adversatur, nec ulla verisimili ratione explicari posse videtur, nisi prævię motiones, & gratiæ Divinæ bonæ hominis voluntatis effectrices, admittantur. Unde

Probatur assertio, & solita forma argumentum, sic proponi potest. De fide est, Divinam gratiam, seu Deum Divinâ suâ gratiâ prævenientem hominis voluntatem, esse causam principalem bonæ actionis voluntatis, ac principaliorem etiam quàm sit liberum arbitrium: Atqui non alia ratione potest Deus esse causa principalis bonæ actionis voluntatis, nisi quia voluntatem prævię movet, ac determinat, & confert illi virtutem agendi in eodem genere, in quo ipsa voluntas agit, physicam scilicet, & in genere causæ efficientis, & bonæ actionis voluntatis effectricis: Ergo &c.

De majori nullum dubium est, cùm & Concilium Senonense in Prologo expressè dixerit, incumbendum esse bonis operibus; *In quibus efficiendis, & liberum arbitrium operatur, & gratia, primò tamen & principaliùs gratia. Quapropter qui hominem benè operari, & salutem consequi arbitrantur, absque gratia; aut primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est.*

Atque idem habet Magister sententiarum in 2. dist. 27. ubi inquit, merita ex Divina gratia proficisci: *Quæ* tamen merita, *cùm ex sola gratia dicuntur, non excluditur liberum arbitrium, sed in bonis merẽdis causæ principalitas gratię attribuitur; quia principalis causa bonorũ meritorum est ipsa gratia, quâ excitatur liberũ arbitriũ, & sanatur, atque juvatur volũtas hominis ut sit bona; quæ ipsa etiã donum Dei est, & hominis meritum, imò gratiæ; quia ex gratia principaliter est.* Unde observat posteà, ea ratione dictũ fuisse à S. August. epist. 107. ad Sixt. *Quòd cùm Deus coronat tua merita, nihil aliud coronat quàm sua dona. Unde vita æterna, quæ in fine à Deo meritis precedentibus redditur, quia & eadem merita quibus redditur, nõ à nobis sũt. sed in nobis facta sũt per gratiã, rectè ipsa vita gratia nũcupatur, quia gratis datur.*

Et

Et ſanè ita etiam ſenſiſſe D. Auguſtinum, nemo ejus principiis imbutus unquam ambiget; cùm id toties expreſſerit; ac præſertim cùm explicat illud D. Pauli ad Roman.9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, in Enchirid.cap.32. & Epiſt.107. ad vitalem: ubi inquit, quod dictum eſt à S. Paulo ita debere intelligi: *Ut totum detur Deo, qui voluntatem præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Plura ex D. Thoma referemus in probatione Minoris. Neque enim in ea Majori ſtabilienda immorandum eſt; cùm jam fermè Recentiores omnes aſſentiant, quamvis initio aliqui id planè negaſſe videantur, ut infra dicemus, qui vel Concilium Senonenſe non viderant, vel hujus authoritate non admodum movebãtur.

Minor itaque ex S. Thoma probatur; in primis enim 3.cont.Gent.cap.67. quod integrum primo tomo explicuimus, ſex rationibus probat, *Quod nihil dat eſſe, niſi in quantum agit virtute Divina*: non quidem virtute cum ipſa natura congenita, ut quoſdam explicuiſſe ſatis ſupra obſervatum eſt: id enim planè eſſet illud quod rejicit ipſe S.Thomas 3.cont.Gent.cap.88.his verbis. *Quidam non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has authoritates* (Scripturæ Sacræ) *malè exponere; ut ſcilicet dicerent, quòd Deus cauſat in nobis velle. & perficere, in quantùm dat nobis virtutem volendi, non autem ſic, quod faciat nos velle hoc vel illud.* Non igitur de ea virtute voluntati congenita loquitur Divus Thomas, ſicut nec de ea virtute, quæ omninò ad actum primum, ac ſolam agendi potentiam pertinet, quam nec ipſe Pelagius negaſſe videtur. Cùm adeo ſolerter, ut refert S. Auguſtinus, hæc tria diſtingueret, *poſſe, velle, & agere*. Nec poſſibilitatis gratiam negaret, dummodo actionem non efficeret: quòd nimirum, abſque præjudicio libertatis humanæ, motum ipſum voluntatis intra ipſam voluntatem fieri poſſe non intelligeret. Non igitur de ea virtute ſeu congenita, ſeu ſolius poſſibilitatis intelligit S. Thomas; ſed de ipſa virtute Divina cauſæ ſecundæ, & cùm agit, & ut agat, impreſſa. Unde ratione quarta inquit; quòd *complementum virtutis agentis ſecundi, eſt ex virtute agentis primi*: quo ſcilicet agens primum movet ſecundum, illudque applicat ad agendum. In quo, ſi admittendum ſit, non negat Suarez poſitam eſſe motionem, qualem admittunt Divi Thomæ Diſcipuli, prævium & effectricem: ſed commentitium eſſe putat hoc complementum, nec ab ullo Authore admiſſum cujus authoritate debeat admodum permoveri. Quæ verba cùm ſcripſit Suarez, aut nondum legerat eum S. Thomæ locum, aut locus ille è memoria exciderat. Sed poſtea ex eo jam principio conſtituto conſequi exiſtimat D.Thomas, *quòd Deus eſt cauſa omnibus operantibus, ut operentur*, quod cap.67. proſequitur: ac numero 5. ita habet. *In omnibus cauſis agẽtibus ordinatis sẽper oportet, quòd cauſæ ſequentes agant in virtute cauſæ primæ; ſicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cæleſtium; & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur ſecundùm imperium ſupremi Architectoris. In ordine autẽ cauſarum agentium Deus eſt prima cauſa, ut in primo oſtenſum eſt*: (cap.13.) *Ergo omnes cauſæ inferiores agentes agunt in virtute ipſius. Cauſa autem actionis magis eſt id cujus virtute agitur, quàm etiam illud quod agit. Sicut principale agens magis agit quàm inſtrumentum, Deus igitur principaliùs eſt cauſa cujuslibet actionis, quàm etiam ſecundæ cauſæ agentes*. Hæc S. Thomas.

Ex quibus hæc ratio conficitur. Ea ratione *Deus eſt principaliùs cauſa cujuslibet actionis quã etiã cauſa ſecunda, quia* ſcilicet *cauſa actionis magis eſt id cujus virtute agitur, quàm etiam illud quod agit*: Atqui ex S. Thomæ expreſſa ſententia illa cauſa actionis qua voluntas agit, & cujus virtute fit ipſa actio volũtatis humanæ, eſt ipſa Divina motio, & Divina gratia prævenians, & efficax: Ergo ea ſolùm ratione Deus eſt principaliùs cauſa actionis voluntatis, quia præveniente gratia efficaci, ſeu Divina motione movet voluntatem.

Minor probatur, quia ex S. Thoma, illa virtus qua agit voluntas, eadem eſt quàm D. Thomas vocat *complementũ virtutis agentis ſecundi*, quod *eſt ex virtute agentis primi*: aut eſt ipſa virtus agentis primi impreſſa agenti ſecundo, ut agat; & cùm agit; qua virtute accepta voluntas dat eſſe actui quem producit, ideſt, actum à ſe productum efficit, ut probat cap.66. & quæ eſt cauſa operandi voluntati; ut probat cap.67. Atqui evidens eſt, nec ut diximus, diffitetur qui primum inter eos, qui motiones prævias negant, locum habet, in eo complemento virtutis poſita eſt Divina motio phyſica, & prævia: Ergo cauſa actionis qua voluntas agit, & cauſa principalis conſtituitur, eſt ipſa Divina motio, & præveniens efficax, & effectrix Divina gratia.

Confirmatur *Primò*: quia eadem ratione, qua ex S. Auguſtino obſervatum eſt creatæ voluntatis merita Deo tribui, quòd ſint effectus Divinæ prævenientis, & effectricis gratiæ: eadem planè ratione ibidem S. Thomas c.67. advertit omnia, tum naturæ, tum gratiæ opera, Deo tribui: quia Deus eſt omnibus operantibus cauſa operandi, & quia omnia agunt in virtute Divina. *Hinc eſt*, inquit, *quod dicitur Iſai. 26. omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine, & Joan. 15. Sine me nihil poteſtis facere, & ad Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Et hac ratione*, ſubdit S.Doctor, *frequenter in Scriptura naturæ effectus operationi Divinæ attribuuntur; quia ipſe eſt qui operatur in omni operante per naturã, vel per voluntatẽ. Sicut illud Job.10. nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & nervis compegiſti me*: *& in Pſal.17. Intonuit de Cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando, & carbones ignis*. Etſi enim hæc omnia effecta in cauſas ſecundas referenda ſint; attamen quia nõ fiunt niſi *virtute Divina*, quæ *operatur in omni*

operante per naturam vel voluntatem; ideò ejusmodi effectus licèt à causis secundis producti, Deo tamen operanti tribuuntur: imò & potiori jure Deo, quàm causis secundis; præclarissimo illo principio suprà à S. Thoma constituto, quod totius Christianæ pietatis fundamentum non immeritò dici possit: *Quòd causa actionis magis est id in cujus virtute agitur, quàm etiam illud quod agit: sicut principale agens magis agit quàm instrumentum*. Videsis utrumque prælaudatum caput 66. & 67. ex lib. 3. cont. Gent. quod alias integrum retulimus.

Confirmatur *Secundò*: ex his, quæ habet Divus Thomas in Epistolam ad Roman. 9. lect. 3. ubi quod à D. Paulo dictum est, non esse volentis hominis velle, neque currentis currere, sed utrumque esse Dei miserentis: probat S. Thomas, non aliter intelligi posse quàm superiori ratione; scilicet, quòd actio magis principali agenti, quod movet, tribui debeat, quàm inferiori quod movetur: Atqui cùm Deus & homo simul agunt; Deus primum est agens quod hominem movet, tum ad internum voluntatis actum, tum ad externum etiam currentis motum: Ergo potiùs miserenti Deo volentis hominis actus, & currentis cursus est tribuendus, quàm homini volenti, & currenti. Verba D. Thomæ hæc sunt. Postquam alterum sensum quo possunt hæc verba intelligi, retulit, ita habet. *Potest*, inquit, *aliter intelligi, ut sit sensus, omnia procedunt ex Dei misericordia. Igitur non est volentis, scilicet velle, neque currentis, scilicet currere, sed utrumque est miserentis Dei, secùndùm illud* 1. *Cor.* 15. „ *non autem ego, sed gratia Dei mecum.* „ *Et Joan.* 15. „ *Sine me nihil potestis facere.* „ *Sed*, subdit S. Thomas, *si hoc solùm intellexisset Apostolus, cùm etiam gratia sine libero arbitrio hominis nō velit, neque currat; potuisset è cōverso dicere, non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis. quod aures piæ non ferunt. Unde plus aliquid est ex his verbis intelligendū; ut scilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur. Semper enim actio magis attribuitur principali agenti, quàm secūdario: puta si dicamus quòd securis non facit arcā, sed artifex per securim. Volūtas autē hominis movetur à Deo ad bonum. Unde sup.* 8. *cap. dictum est* „ *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei*: „ *& ideò hominis operatio interior, non est homini principaliter, sed Deo attribuenda. Philipp.* 2. „ *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona volūtate.* „ Idem repetit D. Thomas infrà. Cùm enim sibi objecisset, quòd *Si non est volentis velle, neque currentis currere, sed Dei moventis ad hoc hominem; videtur quòd homo non sit Dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii.* Verùm Respondet S. Thomas. *Dicendum est, quòd Deus omnia movet; sed diversimodè, in quantum scilicet unumquodque movetur ab eo secundùm modū naturæ suæ: & sic homo movetur à Deo ad volendum, & currendum per modum liberæ voluntatis: Sic ergo velle, & currere est hominis, ut liberè agentis; non autē est hominis ut principaliter moventis, sed Dei.* Idem docet D. Thomas lect. 4. sequenti. *Quidquid boni habet homo, debet bonitati Divinæ quasi principali agenti adscribere*: idque probat ex Scriptura Sacra *Isai.* 64. *Nunc Domine Pater es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opus manuum tuarum omnes nos.*

Igitur quod à D. Paulo dictum est, ea solùm ratione ex sententia S. Thomæ verè intelligi potest, non volentis esse hominis velle, sed miserentis ipsius Dei; quia etsi homo velit, attamen Deus principalis causa est ut homo velit; ideòque cum D. Paulo dicendum est, *Non volentis hominis esse velle, neque currentis currere, sed miserentis Dei: quia principalitas seu actionis voluntatis, seu motus currentis*, Deo adscribenda est. Qua autem ratione hujusmodi principalitas Divinæ possit gratiæ adscribi? quia inquit S. Thomas, *voluntas hominis movetur à Deo ad bonum* velle, & agere: & quia ea causa, quæ alteram movet, principalis, ac semper altior, fortiorq; existimanda est. Unde cùm Deus voluntatem hominis moveat, & causa movēs principalis sit, indè cōsequitur quòd actio seu *hominis operatio interior nō est homini nec ejus volūtati principaliter, sed Deo attribuenda; quia* scilicet *semper actio magis attribuitur principali agenti quàm secundario*. Et

Confirmatur *Secundò*, aut ipse D. Thomas confirmat id experimento, & argumento sensibili in rebus corporeis. *Sicut si dicamus*, inquit, *quòd securis non facit arcam, sed artifex per securim.* Ideò enim magis artifici securim moventi, & versanti, confectio arcæ tribuitur, quàm securi quam artifex movet; quia scilicet artifex causa principalis est hujusmodi arcæ confectionis, securis autem dumtaxàt instrumentum est: Atqui dubitari non potest, & ut Tertulliani verbo utar, Homericis etiam oculis perspicuum est, ideò artificem causam esse principalem operis, quod molitur, quia movet instrumentum, illudque applicat, & prævièe, & physicè: Ergo ea etiam solùm ratione Deus est principalis causa actionis voluntatis hominis, quòd voluntatem hominis prævièe, & physicè suâ Divinâ gratiâ ad actum moveat, & applicet.

Confirmatur *Tertiò*: egregio illo D. Pauli loco quem refert ipse D. Thomas ad Rom. 8. Quòd *qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*. Sed hujus D. Pauli loci explicatio ex S. Thomæ Commentario petenda est, & observari etiam poterit quod sæpiùs diximus, utramque motionem explicari à D. Thoma; & præter moralem majorem etiam, quæ nonnisi physica, & effectrix esse potest, fuisse admissam. *Quicumque spiritu Dei aguntur, id est, reguntur sicut à quodam ductore, & directore; quod quidem in nobis facit Spiritus. scil. in quantùm illuminat nos interiùs quid facere debeamus psal.* 142. „ *Spiritus tuus bonus deducet me &c.* „ *Verùm*, subdit S. Doctor, ut quod potissimū est explicet. *Sed quia*, inquit, *ille qui ducitur, ex se ipso operatur: homo autē spiritualis non tantùm instruitur à Spiritu Sancto quid agere debeat, sed etiā cor ejus à Spiritu S. movetur; ideò plus intelligendū est in hoc quod dicitur*: Quicūq;

Spiri-

Spiritu Dei aguntur. Illa enim agi dicuntur, quæ quodam ſuperiori inſtinctu movẽtur: unde de brutis dicimus, quòd nõ agunt, ſed aguntur: quia à natura moventur, & non ex proprio motu ad ſuas actiones agendas. Similiter autẽ homo ſpiritualis non quaſi ex motu proprię voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sãcti inclinatur ad aliquid agẽdũ, ſecundùm illud Iſai. 56. „ *Cùm venerit quaſi fluvius violentus, quẽ ſpiritus Dei cogit.* „ *& Luc. 4. quòd Chriſtus agebatur à Spiritu in deſerto.*

Igitur Interprete D. Thoma, ea ratione, & quidem ſola ratione, homo non eſt principaliter ſuæ actioais cauſa, quia ſcilicet ex inſtinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum: & ita inclinatur ut non tam agere, quàm agi dici poſſit; & ita agi, ac ea efficacia prævenientis gratiæ impelli, ut vim quandam veluti pati, & cogi lato quodam modo dici poſſit: Atqui hæc de indifferenti, & ſuſpenſa ex arbitrio voluntatis creatæ, & in omnem partem vertibili gratia, ſatis nunquam poſſent intelligi: & mirum eſſet, tam magnificis verbis vim adeò tenuem ſignificari: Ergo neceſſe eſt ea intelligi de vera, & effectrice gratia præveniente, qua Deus eſt cauſa principalis actuum voluntatis.

Dices: neque enim poteſt non venire ſtatim in mentem; ſi homo agitur, potiùs quam agit, & tantùm voluntas non cogitur, quo pacto liberi arbitrii eſſe poteſt? Verùm nec illud prætermiſit S. Tomas, in utroque hoc loco quem laudavimus. Etenim eo cap. 9. lectione etiam 3. ſtatim poſt ea quæ ſuperiùs retulimus, ſubjicit: *Si non eſt volentis velle, neque currentis currere, ſed Dei moventis; videtur quòd homo non ſit Dominus ſui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii.* Sed Reſpondet D. Thomas, & advocat çommune principium, ſcilicet Deum movere unumquodque juxta cujuſque naturam: *Dicendum*, inquit, *quòd Deus omnia movet, ſed diverſimodè; in quantum ſcilicet unumquodque movetur ab eo ſecundùm modum naturæ ſuæ: & ſic homo movetur à Deo ad volendum, & currendum per modum liberæ voluntatis.* At verò eo cap. 8. lect. 3. alterum principium advocat, ſcilicet quòd Deus ipſam libertatem efficiat. Unde ſic habet. Cùm dixiſſet hominem magis agi quàm agere ſubdit. *Non tamen per hoc excluditur quin viri ſpirtuales per voluntatem & liberum arbitrium operentur, quia ipſum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis cauſat, ſecundùm illud Phil. 2.* „ *Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate ſua.* Atque ex his

Confirmari demum ſuperiora poſſunt, & probari, ideò Deum eſſe cauſam principalem, quia voluntatem movet, & quidem non morali motione, neque ſimultaneo dumtaxat concurſu, ſed motione verè effectrice: Quia ex D. Thoma Deus ea motione voluntatem movet, de qua dubitari jure poteſt, num vehementiſſimi hujus impulſus, vi, & tantùm non cogentis Spiritus Sancti motu, ita voluntas abripiatur, ut in ſua poteſtate libertatem non ſervet: Atqui parùm congruum foret exiſtimare, auferri aut minimùm lædi libertatem, vel ſola motione morali, vel ſimultaneo dumtaxat concurſu, & niſi hujus vehementis, & efficacis Spiritus, prævenians, effectrix, & præoperans gratia intelligatur: Ergo &c.

Atque ex his omnibus ſatis colligi poteſt, ut initio monuimus, quòd licet qui motiones negãt, aliquando verbis affirmare videantur, Deum eſſe principalem cauſam operationis voluntatis, & eſſe voluntati cauſam agendi; id tamen planè eorum principiis omnino adverſatur. Unde etiam cùm initio plurimi liberiùs ſuam ſententiam proderent, non defuerunt qui planè id negarent, & exertè aſſererent, liberum arbitrium eſſe cauſam principalem agendi, non autem gratiam Divinam. Ita enim expreſsè, & apertè Leſſius inquit de gratia efficaci cap. 12. num. 3. *Quòd converſio hic, & nunc potiùs fiat, quàm aliàs, & alio modo; hujus cauſa directa, & principalis eſt liberum arbitrium, quamvis non ſine auxilio gratiæ.* Et ſanè id ex communibus principiis eorum à quibus præmotiones negantur, apertè conſequi, compertum ſatis eſſe videtur. Si enim motio ſolùm moralis ſit, ſi præveniens gratia in ordine phyſico voluntatem non moveat, nec determinet; cùm apertum ſit voluntatem in eo genere phyſico ſe ſe ipſam movere, & determinare, in qua determinatione voluntatis poſita eſt hominis converſio; manifeſtum eſt voluntatem & determinationis, & converſionis non poſſe non eſſe omninò cauſam principalem. Quis enim neget, efficientem cauſam cum morali comparatam, vi & efficacia ſuperiorem eſſe; & eſſe ſimpliciter principalem. Igitur apertè hæc invicem connexa eſſe videntur, voluntatem non moveri à Deo phyſicè, & voluntatem eſſe cauſam principalem ſuæ operationis. Et verò cùm ab eodem Leſſio dictum eſt eodem loco cap. 11. num. 11. *Fatemur liberum arbitrium directè eſſe cauſam, cur hìc & nunc Deus influat, tum per dona ſua, per ſe ipſum, non autem Deum, aut gratiam, cur liberum arbitrium hìc, & nunc influat*, quis dubitet primatum operationis hominis conceſſum eſſe voluntati, & datam gratiæ vim poteſtati voluntatis inferiorem, & poſteriorem: ex quo etiam videtur conſequi in ea ſententia, gratiam Divinam eſſe pediſſequam voluntatis creatæ. Neque etiam aliud exiſtimari poſſe videtur ab his qui Divinam Omnipotentiam ſubjectam eſſe voluntati non diffitentur, & qui uſum gratiæ Divinæ libero hominis arbitrio ſubjiciunt. Quomodò enim fieri poſſet, ut qui hæc tanquam principia certa defendunt; exiſtiment Divinam gratiam principalem cauſam eſſe voluntatis operationis; cùm è contra eò recto tramite ea principia tendant, ut voluntati humanæ, non autem gratiæ Divinæ primatus humanæ actionis tribuatur,

ARTICULUS XIX.

Communis ſolutio refertur, & rejicitur, concurſu ſcilicet ſimultaneo Deum facere, ut faciamus.

PLurima reponi poſſunt, ac etiam ſolent, ut hoc ex S. Thoma ſumptum argumentum elevetur, quæ jam ex parte impugnata ſunt, aut deinde etiam refellentur.

Reſpondent enim, etiam prætermiſſa phyſica ac prævia motione, Deum efficere ut faciamus: & quidem multis modis: tum quia ſua vocatione voluntatem Deus movet, eamque impellit, ipſique etiam eſt cauſa agendi: tum quia ipſa vocatio in voluntatem phyſicè influit, ut quidam arbitrantur; vel ſaltem ſi id negandum ſit, ut alii negandum eſſe cenſent; ſaltem vocatio ſemper conjuncta eſt cum habitibus ſupernaturalibus, qui vires voluntatis augent, & ſunt ipſi cauſa agendi: tum demum, & maximè quia ſolo concurſu ſimultaneo Deus propriiſſimè cauſa eſt cur voluntas operetur, & faciat ut faciamus: quia ſcil. ſolo concurſu ſimultaneo Deus efficit quidquid eſt in voluntatis actu, ſeu determinatio ſit, ſeu quidquid aliud fingi poſſit, quòd entis rationem habeat. Atque hujus duplex potiſſima ratio eſſe poteſt. Prima quòd voluntatem aut ſeipſam determinare, aut à Deo determinari, non ſit plus concurrere, ſed aliter, nec ſpectet ad quantitatis influxum, ſed ad varium concurrendi modum. Sive enim ſeipſam ſola voluntas determinet, ſive à Deo determinetur, non ideò plus minuſve concurrit aut agit, ſed aliter ſolùm. Unde etiam nihil impedit, quominus à Deo dependeat, cùm per concurſum ſimultaneum nihil omninò ſit quod Deus non efficiat. Accedit & altera ratio, quòd ſcilicet ipſa voluntatis creatæ determinatio nihil aliud ſit, quàm ipſamet actio voluntatis. Falli enim videntur prævia motionis Authores, quòd ipſam determinationem voluntatis aliud præter actionem voluntatis eſſe imaginetur. Quid enim illud eſſet? determinatur voluntas, moveturque, & agit ſua ipſa actione: atque adeò cùm ea actio à Deo concurſu dumtaxat ſimultaneo dependeat, etiam ſolo concurſu ſimultaneo Deus propriè ac perfectè cauſa eſſe dicitur actionis creaturæ, & cauſa etiam cur voluntas creata agat, ſeu apertiùs dicitur Deus facere, ut faciamus.

Hæc, ut puto, potiſſima ſunt, quibus ad argumentum ex S. Thoma deſumptum reſponderi poteſt, quæ omnia licèt ſuperioribus articulis jam ſatis confutata ſint; refelli tamen adhuc quàm facillimè poſſunt ex iiſdem principiis jam ſuprà à S. Thoma conſtitutis, quem ducem ubique ſequimur. Et in primis admittendum ultrò eſſe ſimultaneum concurſum, nullum dubium eſſe poteſt: & quidquid voluntatis eſt, aut eſſe poteſt, à Deo concurſu ſimultaneo dependere, quis neget? cùm nihil aliud ſit ſimultaneus concurſus, quàm ipſa voluntatis operatio, aut quidquid ineſſe ipſi poſſit ut à Deo dependet. Sed præterea alterum admittendum eſſe ex S. Thomæ ſententia contendimus. Unde

Impugnatur *Primò*: quia non ſolùm actus voluntatis à Deo dependet, ut eſt quoddam ens participatum, ſed etiam dependet, ut actus eſt, & ſub ea ratione qua à voluntate fit: Atqui impoſſibile eſt, quòd à Deo dependat ſub ea ratione qua fit à voluutate ratione ſolius concurſus ſimultanei: Ergo admittendus eſt alius &c. Minor probatur: quia concurſu quidem ſimultaneo fit actus voluntatis ut à Deo abſolutè, & veluti in ratione entis de pendet; ſed non efficitur eo concurſu, ut actio ſub ea ſpeciali ratione, & ſub ea dependentia qua exit à voluntate, ut cauſa ſecunda, etiam à Deo dependeat. Etſi enim actionem à voluntate ut cauſa dependere, nulla alia entitas ſit actioni ſuperaddita; apertiſſimum tamen eſt ſpecialem eſſe rationem, & dependentiam actus à voluntate. Atque id clariſſime expreſſit Divus Thomas iiſdem ferè locis quæ jam ſuprà memoravimus, ubi commune principium ſtatuit: ſcilicet, quòd in omni voluntatis actu duo diſtinguenda ſint. Etenim inquit 1. 2. qu. 79. art. 2. in omni actu quicumque ille ſit. *Eſt ens; & eſt actus, & ex utroque habet quod ſit à Deo. Omne enim ens quocumque modo ſit, oportet ut derivetur à primo, ut patet per Dionyſium, 5. cap. de Divinis Nomin. Omnis autem actio cauſatur ab aliquo exiſtente in actu, quia nihil agit niſi ſecundùm quòd eſt actu: omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicet Deum, ſicut in cauſam, quia eſt per ſuam eſſentiam actus. Unde relinquitur quòd Deus ſit cauſa omnis actionis in quantum eſt actio.* Hæc ibi S. Thomas, quæ paulò fuſiùs ut ſolet, in quæſtionibus diſputatis explicat quæſt. 3. de malo art. 2. ubi idem principium ſtatuit: quòd ſi actus eſſentia attendatur, *Oportet ponere eſſe à Deo, duplici ratione. Primò quidem ratione communi, quia cùm ipſe Deus ſit ens per ſuam eſſentiam, quia ſua eſſentia eſt ſuum eſſe, oportet, quòd omne quod quocumque modo eſt, derivetur ab ipſo. Nihil enim aliud eſt quod ſit ſuum eſſe, ſed omnia dicuntur entia per quandam participationem. Omne autem quod per participationē dicitur tale, derivatur ab eo quod eſt per eſſentiam, ſicut omnia ignita derivantur ab eo quod eſt per eſſentiam ignis. Manifeſtum eſt autem quòd actio* (omnis voluntatis) *eſt quoddā ens, & in prædicamento entis poſitum: unde neceſſe eſt dicere quòd ſit à Deo. Secundò autem idē patet ratione ſpeciali. Neceſſe eſt enim, omnes motus ſecundarum cauſarum cauſari à primo movēte, ſicut omnes motus inferiorum corporum cauſā. tur à motu Cæli. Deus autem eſt primum movens reſpectu omnium motuum, & ſpiritualium, & corporalium, ſicut corpus cæleſte eſt principium omniū motuum inferiorum corporum.* Hæc S. Thomas, quæ ubique confirmat ex S. Auguſtino 3. de Trinit. cap. 4. *Quòd voluntas Dei eſt prima, & ſumma*

ma cauſa omnium corporalium ſpecierum ac motionum. Ergo ex D.Thoma neceſſe eſt,duplicem in operatione voluntatis rationem diſtingui : ut *Ens eſt*, & ut *actus eſt*, ſeu ut ſpecialem habet à voluntate dependentiam . Neque hallucinantur Thomiſtæ à quibus hæc duo diſtinguuntur,ſed in D. Thomæ principiis magis verſati ſunt,ex quibus hæc duo diſtingui didicerunt. Quamvis enim ratio entis omnia tranſcendat, ipſaque voluntatis determinatio ſit ipſa hominis operatio ; neq; ea à voluntate dependentia novam addat entitatem ; quis dubitet tamen poſſe ac debere hanc utramq; rationem diſtingui in actione ſecundùm ſe, & ut ens , & ut actus eſt. Quod apertiùs adhuc cognoſci poſſet,ſi vera eſſet quorundam Veterum ſententia , qui exiſtimabant poſſe à Deo immediatè actionem vitalem , v. g. viſionem beatam produci , & intellectui paſſivè ſolùm ſe habenti , eamque ſolùm excipienti, imprimi : procederet enim immediatè à Deo hæc actio , non penderet tamen à Deo, prout ab intellectu elicita. Unde

Inſtauratur argumentum ſupra poſitum.Certum eſt , operationem voluntatis , non ſolùm quomodocumque , ſed etiam ut exit à potentia , debere eſſe à Deo . Atqui ſub ea ſpeciali ratione quâ exit à potentia , actio non poteſt fieri à Deo concurſu ſimultaneo , ſed neceſſe eſt fieri à Deo altero concurſu prævio : Ergo parùm opportunè ingeritur hic ſimultaneus concurſus . Utramque propoſitionem non tam probant,quàm ingerunt etiam oculis, quæ ſupra ex S. Thoma retulimus; Diſtinguit enim in operatione voluntatis hanc duplicem dependentiam , quam evidens eſt duplici diſtincto concurſui correſpondere. Etenim, inquit , duo habet quilibet voluntatis actus, ſcilicèt, quòd *ſit ens* , & quod *ſit actus* . Utraque ratione à Deo dependet , ſed diverſo modo. Ut ens quidem dependet à concurſu ſimultaneo ; *Omne enim ens quocumque modo ſit, oportet,quòd derivetur à primo ente*, ut inquit S.Thomas in primo loco citato : quia ut altero loco addit , cùm ipſe *Deus ſit ens per ſuam eſſentiam,oportet,quòd omne quod quocumque modo eſt,derivetur ab ipſo*,quadam entis infiniti participatione : *quod autem per participationem dicitur tale , dèrivatur ab eo quod eſt per eſſentiam;ſicut omnia ignita derivantur ab eo quod eſt per eſſentiam ignis* . Quidquid igitur in actu voluntatis eſt , ſeu determinatio , ſeu quæcumque alia ratio quæ entis rationem participat , à Deo eſt per concurſum ſimultaneum ; cùm ea concurſus ſimultanei notio ſit , quòd ſit res ipſa ut à Deo in eſſe , & fieri dependet. Sed præterea, inquit S. Doctor, aliud requiritur : nam hæc prima ratio communis eſt.*Communi* enim *ratione*,inquit,actus voluntatis àDeo dependet,ut ens eſt . Quid enim eſſe poſſit in rerum natura, niſi ſola participatione entis Divini, & infiniti. Sed præterea, inquit idem Sanctus Doctor , *ratione ſpeciali neceſſe eſt , omnes motus cauſarum ſecundarum cauſari à primo movente , ſicut omnes motus inferiorum corporum cauſãtur à motu Cæli* : Atqui ea ſpeciali ratione,actus voluntatis ut motus quidam ſunt , ſeu, ut à voluntate creata , ſecundo, & inferiori agente, & movente, egrediuntur ; à Deo dependere nequeunt concurſu ſimultaneo.Tum quia concurſus ſimultaneus verſatur ſicut ejuſmodi actus ratione communi,ut præcisè habent rationem entis: unde ſi per impoſſibile actus à nulla cauſa creata eſſent producti; vel ſi vera eſſet ſententia Veterum de qua diximus ſupra,ſcilicet actus intellectus,& voluntatis immediatè produci poſſe à Deo , & intellectui ac voluntati poſſe imprimi; attamen nihilominùs à Deo dependerent perpetuo influxu , quo ceſſante in nihilum reciderent ; neque tamen à Deo dependerent ut actus cum potentia connexi aut ab ea producti . Tum quia concurſus ſimultaneus non convenit primæ cauſæ , ut prima eſt ; cùm prima cauſa prioritatem ſignificet, ſimultaneus verò concurſus ſimultatem explicet . Unde & D. Thomas profundiſſimè inquit , quòd actus *ut ens* eſt dependet à Deo , *ut primo ente* : At verò ut actus dependet à Deo , *ut primo agente* : quia primum agens non verſatur circa actum, niſi in ratione actus, & ut exit à ſecundo , & inferiori agente , quod impoſſibile eſt ſe movere,niſi moveatur,appliceturque à primo agente & movente. Atque adeò concurſu ſimultaneo Deus hominẽ equidem ut veluti concauſam, & ſociam ſibi conjungit , non præit tamen, ſed jam ſupponit pro aliquo priori hujus determinationem:ut penè dici poſſit:*Hunc cape conſilii ſocium, & conjunge volentem* . Virg. Neque enim ſimultaneus concurſus quidquam in cauſa ſecunda efficit , ſed ſimul cùm cauſa efficit , & producit dumtaxàt effectum : ut in ipſo quod afferri ſolet exemplo duorum trahentium navem, vel ferentium lapidem , ſatis compertum eſt, de quo aliàs jam ſatis dictum ; neque enim unus alteri dici poteſt eſſe agendi cauſa , ſeu efficere , ut agat: Ergo cùm è contra certum ſit,noſque Fides doceat , *Deum facere* , & quidem propriè *ut faciamus*, impoſſibile eſt , hæc ſatis intelligi de ſolo concurſu ſimultaneo, ſed neceſſe eſt addi concurſum prævium,ſeu influentiam primi agentis, quâ influit in ſecundum agens , & ut agat , & dum agit , ut jam diximus ex D. Thoma .

Confirmatur præterea utrumque concurſum requiri : neque ſimultaneo concurſu ſatis explicari poſſe , & defendi ea quibus Scriptura Sacra aſſerit Deum facere ut faciamus, quod à me dicitur ea licentia ſolùm quæ diſputantibus conceditur . Et ſuppono æquiſſimè damnatum fuiſſe Pelagium alioſq;quòd ſalutem æternam hominis in ejus voluntatem ſolùm referrent, & negarent Deum facere ut faciamus . Hoc enim maximè à S. Auguſtino in Pelagio reprehenſum fuiſſe , totius libri *de Gratia Chriſti*,univerſæ penè nedùm paginæ, ſed & lineæ inculcant. Nec ſolùm quòd meritis gratiam adſcriberet , aut ut faciliùs ſolùm voluntas ageret neceſſariam eſſe arbitraretur : neque enim id ſolùm in Pelagio à Sancto Auguſtino reprehenſum fuit , ſed potiſſimùm quòd negaret eam vim gratiæ quæ verè efficit ut

facia-

faciamus. Unde à D. Auguſtino dictum eſt l. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 16. *Certum eſt, nos facere cùm facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*: de actuali enim gratia agebatur, quæ eſt cauſa agendi: Atqui ſi vera eſſet ea reſponſio, quæ ſolo concurſu ſimultaneo exiſtimat ſatis poſſe explicari, Deum eſſe voluntati cauſam agendi, immeritò videri poſſet damnatum fuiſſe Pelagium. Etenim concurſum ſimultaneũ à Pelagio fuiſſe admiſſum vix dubitari poſſe videtur: cùm referente S. Auguſtino l. 2. de Nuptiis, & Concupiſc. cap. 4. Julianus ultrò fateretur, quòd Deus *Maris creator, & fœminæ, gigni corpora de corporibus ordinavit, quorum tamen efficientiæ potentia Dei operationis intervenit, omne quod eſt ea adminiſtrans virtute quâ condidit*. Eaque ratione excludi originale peccatum exiſtimabat, quòd nihil in generatione interveniat, cujus Deus Author non ſit. Unde & cap. 7. notat Evam poſtquàm Cainum peperit, dixiſſe, *Acquiſivi hominem per Deum. Unde conſtat*, inquit, *opus Dei eſſe quod per Deum acquiſitum Scriptura teſtatur*. Quibus verbis non poteſt non intelligi ſaltem concurſus ſimultaneus quo Deus movet, & adminiſtrat ea quæ condidit. Quid enim aliud eſſe poſſit ea efficientia Dei, & operatio, eaque virtus quæ adminiſtrandis, & regendis rebus intervenit, niſi concurſus Dei ſimultaneus. Sed prætereà à Pelagio admiſſum fuiſſe ſimultaneum concurſum in ordine ſupernaturali, vel ex illo D. Auguſtini in Enchirid. cap. 32. percelebri loco ſatis demonſtrari poteſt. Ubi cùm explicaret illud Apoſt. ad Rom. 9. *non* eſt *volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*: Falſam explicationem refert quam dubium non eſt fuiſſe Pelagianorum, ut ſic dictũ accipiamus. *Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, niſi ſit etiam miſericordia Dei*. Quam explicationem rejicit S. Auguſtinus, quia cùm etiam ſola Dei gratia id non impleat, non immeritò inverti poſſent Apoſtoli verba, & dici. *Non eſt miſerentis Dei, ſed volentis hominis. Quod ſi*, inquit, *nullus Chriſtianus id audebit dicere, nè apertè Apoſtolo contradicat, reſtat ut propterea dictum intelligatur, non eſt volentis hominis, ſed miſerentis Dei ut totum detur Deo qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatã*. Ubi, cùm dictum ſit, quòd non ſufficit ſola voluntas hominis, niſi ſit etiam miſericordia Dei, manifeſtum eſt admiſſam eſſe à Pelagianis Divinæ miſericordiæ opem aliquam, quam non poterant non intelligere ſaltem concomitantem.

Nec ſanè erat cur Pelagius negaret ſimultaneum Dei concurſum, eamque concomitantem gratiam, vir procul dubio non obtuſi ingenii; cùm nulla indè liberi arbitrii ruina timenda foret, ſi Divina miſericordia voluntatem non præveniret, ſed ſubſequeretur, aut comitaretur ſolùm. Quæ omnia de Semipelagianis multò certiùs conſtant, viris alioquin, & virtute, & doctrina non vulgari præditis, de quibus ſaltem dubitari non poteſt, quin concomitantem gratiam admiſerint, cùm illis D. Proſper tribuerit, quòd gratiam pediſſequam ſolùm, & comitem, non ducem, & prævium eſſe affirmarent. *Nec conſideranti* inquit, *ſe gratiam Dei quam comitem, non præviam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere quas ab eo ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas*. Ergo cùm à Maſſilienſibus admiſſa fuerit gratia concomitans, & ſimultaneus concurſus, immeritò videri poſſet eos damnatos fuiſſe ea ratione quòd negaſſent, Deum efficere ut faciamus, ſi vera eſſet ſolutio quam impugnamus. Reponere enim potuiſſent nihil eſſe in operatione voluntatis humanæ, ſeu ipſa voluntatis determinatio ſit, ſeu quidquid aliud fingi poſſit, quòd in Deum Authorem ſolo concurſu ſimultaneo agentem referri non poſſit. Atque illud addere etiam poterant, voluntatem determinare ſe ſe, aut à Deo determinari, non pertinere ad majorem influxum, ſeu ad diverſam rationem movendi, & alia ejuſmodi, quæ ſi vera eſſent ſe ſe iis in tuto Pelagiani, & Maſſilienſes reponere potuiſſent. Quæ omnia ſemper citrà omnem cenſuram, & ſolùm objiciendo referimus: ut nobis objici ſolet de prævia motione ſententiam cum decretis Tridentini collidi.

Nec verò quidquam juvat, Maſſilienſes damnatos fuiſſe, quòd prævenientem gratiam non admiſerint. Ut ut enim ſit, ſeu affirmaverint, ſeu negaverint, hominis voluntatem præveniri Divinâ gratiâ: aliud eſt de quo modo agitur, nec unum alterius loco ſupponi debet. Certum eſt ea maximè ratione Maſſilienſes fuiſſe à D. Auguſtino reprehenſos, quòd omnia Deo accepta non referrent, nec vellent Divinam gratiam eſſe humanæ voluntati cauſam agendi, id eſt, nollent Deum facere ut faciamus: Atqui quod ad illud caput ſpectat, ſeu affirmaſſent, ſeu negaſſent dari prævenientem gratiam, jure damnari non potuiſſent ea ratione, quòd negarent Deum facere ut faciamus. Siquidem ſolo concurſu ſimultaneo, ac ſola gratia comite, & pediſſequa reipsà Deus efficeret ut faciamus, ſi vera foret ea reſponſio ſuperiùs poſita ex ſententia Recentiorũ.

Confirmatur iterùm quòd hæc omnia majorem vim habeant, ſi ad ipſos habitus ſupernaturales, hæc efficacia referatur, quâ Deus efficiat ut faciamus, ut quidam arbitrantur, quorum reſponſionem ſuprà dedimus; quique exiſtimant, Deum ſua vocatione cauſam eſſe agendi voluntati etiam phyſicè, non quidem ſe ipſa, cùm ſola vocatio non alio genere agendi quàm morali per modum finis, & objecti movendo, & alliciendo agere poſſit; ſed ratione habituum qui adjunguntur, maximè verò charitatis quàm ab ipſa gratia non diſtinguunt. Si enim ſolo habituum ſupernaturalium influxu, & efficientia rectè intelligi poſſit, Deum facere ut faciamus; immeritò videri poſſet Pelagianos, & Maſſilienſes damnatos fuiſſe, quòd negarent, omnia in Deum Authorem referenda eſſe, ſiquidem ſola habi-

habituum efficientia Deus author dici poſſet, ut putant, cùm admiſſos fuiſſe à Maſſiliēſibus habitus ſupernaturales cum ipſa ſanctificante gratia conjunctos qua peccata condonantur, nulla ratione negari poſſit. Unde

Confirmatur *Tertiò*; & impugnatur illud potiſſimum quod reponitur, & in quo poſitum eſſe magnum robur, & magnum defenſionis præſidium quidam arbitrantur, ſcilicet hominis voluntatem aut determinare ſeipſam, aut à Deo determinari, non pertinere ad quantitatem, ſed ad modum influxus: neque illud eſſe magis, ſed aliter agere: Etenim ut hæc verba explicentur, quis ille alius modus eſt, aut eſſe poteſt; aut quis alius his verbis ſenſus ſubeſt, niſi hic unicus; ſcilicet Deum concurſu ſimultaneo omnia prorſus efficere quæ ſunt in ipſa determinatione voluntatis: atque adeò perinde eſſe, quòd voluntas ſola ſeipſam determinet, aut determinetur à Deo ut ut enim ſit, illa etiam determinatio integra ſit à Deo, & diſcrimen ſolùm eſt in modo agendi, quia ſi gratia voluntatem determinet, concurſus erit prævius, ſi verò ſeipſam voluntas ſola determinet, nec ab ipſa gratia priùs determinetur, concurſus erit ſimultaneus: determinari verò præviè vel ſimultaneè, ad modum influxus pertinet, non ad quantitatem, quæ ſemper eadem eſt, quoquo modo fiat.

Atqui ea eſt mera petitio principii; cùm in eo poſita ſit vis argumenti quod urgemus, nulla ſcil. ratione, niſi admiſſa motione prævia explicari commodè poſſe germano, & proprio ſenſu, & qualem ipſa Sacræ Scripturæ verba exhibent, dum certò aſſerunt Deum facere ut faciamus: manifeſtè enim his verbis non efficientia quæcumque, non efficientiæ, & influxus quantitas, ſed modus efficientiæ exprimitur; quo ſcilicet modo Deus cum creata voluntate concurrat, vel quo etiam modo faciat eam agere, & ſit ipſi cauſa agēdi. Et verò cùm à S. Thoma dictum eſt, uſum ipſius gratiæ ab ipſa gratia oriri, manifeſtum eſt, explicari non quantitatem ſed modum influxûs. Unde tantùm abeſt ut hæc ſolutio vim argumenti elidat, ut potiùs ſuccumbere penitùs videatur. Unde

Confirmari *Quartò* ſuperiora omnia poſſunt & iterum inſtaurari, cum eadem vi idem argumentum poteſt. Ex D. Thoma ea ſolùm ratione explicari poteſt Deum facere ut faciamus, & eſſe voluntati cauſam agendi, quatenus voluntatem quæ eſt proprium principium actus movet, & applicat ad actum eliciendum, ipſamque voluntatis inferiorem virtutem agendi cum effectu conjungit: Atqui hæc omnia pertinent non ad quantitatem influxus, ſed ad modum influendi priùs ſeu præviè, non ſimultaneè ſolùm: Ergo ut jure meritoque dici poſſit Deum facere ut faciamus; verò ac germano ſenſu, requiritur etiam hic ſpecialis modus concurrendi ut ſcilicet præviè, & non ſimultaneè ſolùm Deus cum voluntate creata concurrat.

Confirmatur *Quintò*: & impugnatur prætereà, quia cùm à S. Thoma dictum eſt operationem voluntatis dupliciter conſiderari poſſe, & *ut ens* eſt quo pacto à Deo *ut primo ente* dependet: & *ut actus* eſt, qua ratione dependet à Deo *ut primo agente*; evidenter duplex concurſus exprimitur: ſcilicet ſimultaneus quo actus in ratione entis dependet à Deo, & prævius quo in Deum ut primum, & prius movens, & agens refertur: *Quatenus Deus potentiæ* ſcilicet creatæ voluntati *agēdi* vim aut *efficaciam* confert; & voluntati *influit*, *& ut agat*, *& ut benè agat*: in diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. ad 3. & ut inquit in corpore, quatenus actio in Deum ut *prius agens reducitur*, *ſicut in cauſam*: quibus ſimilia quàm ſæpiſſimè retulimus, neque ea repetere neceſſe eſt: Ergo ex S. Thomæ ſententia non ſatis eſt, quantitatem omnem influxus in Deum, ut cauſam referri, ſed neceſſe eſt referri etiam quantùm ad modum agendi, ſcilicet prævium, quo Deus præviè voluntatem moveat, & applicet, ſitque ipſi cauſa agendi.

Confirmatur *Sextò*: certum enim eſt Deum nedum efficere actum voluntatis quomodocumque, ſeu quidquid in eo entis eſt; ſed etiam actum efficere ſub omni ratione, & modo quo effici poteſt: Ergo nedum quoad quantitatem majoris influxus dependere debet à Deo actus voluntatis, ſed etiam quoad modum illum peculiarem influendi, & agendi, quicumque ille eſſe poſſit: & impoſſibile eſt actum quacumque ratione à voluntate dependere, nec tamen dependere à Deo. Unde illud ſatis tritum Sancti Auguſtini: *Multa Deus facit in homine, quæ non facit homo*; ut cùm gratiam infundit, movetque voluntatem: *nulla verò facit homo quæ non faciat Deus, ut faciat homo*. Cùm enim infuſa jam à ſolo Deo gratia, impreſſaque motione voluntas agit hoc ipſum quod voluntas agat, Deus ipſe agit: & ut apertiùs S. Thomas mox referendus ait, hoc ipſum quod ſe ſe ipſam voluntas movet, habet à Deo, à quo priùs movetur. Atque ut ex D. Thoma jam ſuprà retulimus, *Deus cauſa eſt actionum, in quantum ſunt actiones à potentia egredientes* in 2. diſt. 27. Quis verò hæc de concurſu ſimultaneo unquam ſatis intelligat? Probatum eſt enim ſuprà ex S. Thoma, ea ſolum ratione aliquod agens alteri eſſe cauſam agendi, quatenùs ipſum ad agendum applicat; & ſi in genere phyſico cauſa ſit, neceſſe eſt, quòd in eodem genere agendi phyſicè applicet.

Confirmatur *Septimò*, & quæ forſitan adhiberi poſſet ſolutio antevertitur. Neceſſe eſt actum voluntatis nedum à Deo dependere quoad omnem entitatem quæ eſſe poteſt, ſed etiam quoad rationem omnem, quæ poteſt in actu voluntatis intelligi, quæque ad perfectionem pertinet: ſi enim imperfectionem involvat, palàm eſt ea ratione in Deum authorem referri non poſſe. Unde actus, neque ut malitiam fundat, neque ut vitalis eſt elicitivè, & ut in ſubjecto recipitur, derivari à Deo poteſt, cùm ſub ea omni ratione imperfectionem involvat: Atqui modus ille priùs influen-

di non potest non pertinere ad perfectionem causæ; cùm ad efficientis causæ rationem spectet, quæ nullam omninò imperfectionem explicat, sed summam perfectionem quæ Deum non dedecet: Ergo etiam referri debet ad Deum: & si voluntas seipsam quocumque modo priusquam velit, determinet: id etiam poterit, & *multò amplius Deus*, qui *magis habet in potestate sua voluntates hominum quàm ipsi suas*.

Dices. Voluntatem concurrere determinando se se, est voluntatem concurrere per modum causæ liberè eligentis, qui modus exigit, quòd voluntas possit eligere actum oppositum, & actum etiam pravum in quo manifestè imperfectio involvitur. Ac præterà exigit necessariò libera electio, quòd voluntas quæ habet dominium sui actus ab alia causa, determinationem non habeat: hæc enim est libertatis notio quòd aliam omnem determinationem excludat.

Sed contra quòd ad primum attinet, manifestissimum est, liberam electionem, ut libera est; maximam perfectionem significare, imo qua nulla major in rebus creatis esse possit. Est enim ut Sanctus Bernardus inquit, libertas in voluntate, *ut perfulgens quædā gemma in auro*. Et si actio in ratione entis, non ut libera est, referretur ad Deum authorem, verissimè ut sæpiùs objicit Sanctus Augustinus, quod minus est, Deo tribueretur; quod verò majus est, voluntas sibi ipsi vindicaret.

Unde etiam quòd ad alterum attinet, electionem scilicet ut liberam, excludere omnem aliam determinationem, facilè potest ex S. Thoma impugnari. Nihil enim potest magis ab hujus Sancti Doctoris mente alienum esse, & præter illa quę integro Articulo Dissertatione secunda jam diximus: Expressissimè quæst. 3. de Malo, omninò fundamentnm illud Sanctus Thomas convellit. Ita enim sibi objecerat Sanctus Doctor: *Liberum arbitrium ideò dicitur liberum, quia seipsum movet ad agendū: sed omne id cujus actio causatur ab alio, movetur ab illo, & hoc non movetur à seipso, nec est liberum*: Ergo actus liberi arbitrii non est à Deo. Cujus argumenti vis est; si actus liberi arbitrii causatur à Deo, necesse est quòd liberum arbitrium à Deo moveatur, *quia omne cujus actio causatur ab alio, movetur ab illo*. At verò liberum arbitrium non potest à Deo moveri, quia liberum arbitrium debet seipsum movere; ideò cùm liberum dicitur, quòd moveat seipsum: si verò à Deo moveatur, non movet seipsum, nec liberum esse potest. In quo argumento observanda est constituta à S. Thoma communis regula: *Omne cujus actus causatur ab alio, movetur ab illo*. Quod sanè necesse est, quoties duæ causæ inter se per modum superioris, & inferioris comparantur. Quo pacto enim superior causa inferioris causæ actionem efficere posset? liquet enim non posse eam efficere eliciendo: Ergo solùm quatenus superior causa inferiorem movet ad actionem. Atque id videre est in omni omnium causarum genere. Sol enim causa est vegetationis plantarum, aut emissionis florum, fructuumque: non quòd ipse flores, fructusque emittat; sed quòd emittendi vim plantis tribuat, quas calore fovet. Intellectus etiam volitionis quoad specificationem causa est, non quòd volitionem eliciat, sed quòd objectum proponat, unde speciem actus voluntas desumit. Item voluntas intellectui quoad exercitium intelligendi, causa est, non quòd intelligat, sed quòd ad intellectionem moveat, Demum causa moralis v. g. David causa est occisionis Uriæ, non quòd Uriam gladio feriat, sed quòd ut feriatur moveat, & præcepto adigat, Ergo in omni genere causæ verissimum est S. Tho. mę principium: *Omne cujus actio causatur ab alio, movetur ab illo*.

Nec dici potest, singularem esse rationem in Deo qui duplici concursu agit; cùm ut dictum est suprà, nihil efficiat concursus simultaneus; ut Deus sit voluntati causa agendi. Sed esto ita sit, id enim ultrò concedere velim, etiam concursu simultaneo Deum esse voluntati causam agendi, Sed si ita sit, cur ita non respondet D. Thomas, facilis enim erat solutio, nec latere Angelicum Doctorem poterat. Et quidem qua solutione objectum ab ipso argumentum adversarii excipierent? negarent dubio procul, quòd si voluntatis actum Deus efficiat, debeat ideò voluntatem ad actum eliciendum movere, nec verum esse ejusmodi principium contenderent, si ad Deum referatur *quòd omne cujus actio ab alio causatur, ab illo movetur*. Cur verò si ita sit, & adversæ sententiæ Sanctus Thomas favit, eam ipse solutionem non usurparit. Nimirum quia falsam omninò eam solutionem existimavit. Admittit verò commnissimum principium, maximè ut ad Deum refertur: sed negat quòd si voluntas moveatur, non ideò seipsam moveat. Unde Respondet, & solutionem manifestissimam esse inquit: *Manifestum est, quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipso quòd est movens, ponitur quòd est primum movens. Unde non excluditur quin ab alio moveatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsū quòd movet. Similiter cùm aliquid movet se ipsum, nō excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum quòd seipsum movet. Et sic non repugnat libertati, quòd Deus sit causa actus liberi arbitrii.* Hæc ibi. Quibus nihil potest esse opportunius ad veram libertatis rationem explicandam, ut & alibi, ubi de libertatis vera notione actum est magis expendimus.

Admittit igitur Sanctus Thomas, Deum esse causam entitatis cujuslibet actus, quia ad illum movet, communissima ratione, quia *omne cujus actio ab alio causatur, movetur ab illo*. Sed negat, quòd si voluntas à Deo moveatur, non ideò moveat seipsam: alienissimum enim à veritate esse arbitratur Doctor Angelicus illud quod pro fundamento Recentiores statuunt, scilicet ad rationem liberi pertinere quòd ab alio non moveatur. Quia econtrà inquit S. Doctor, *Non ex hoc ipso quòd est movens, ponitur quòd est primum movens: Unde non excluditur quòd ab altero*

tero moveatur. Quinimò vel ea ſolùm ratione, inquit ſapientiſſimè D. Thomas, quod movet, neceſſe eſt ab alio moveri, *quia ab altero habet hoc ipſum quod movet*. Unde hæc ſi ad liberũ hominis arbitrium referantur, *Cùm movet ſeipſum, non excluditur quòd ab alio moveatur, ſcilicet à Deo à quo habet hoc ipſum quod ſeipſum movet. Et ſic non repugnat libertati, quòd Deus eſt cauſa actus liberi arbitrii*. Quinimò ideò efficitur, *quòd ſit liberi arbitrii, quia hoc ipſum* ipſi tribuitur, & *à Deo* acceptum *habet* liberum arbitrium *quod ſe ipſum movet*. Vide quæ aliis in locis de ea re à nobis dicta ſunt: hæc enim occaſione dumtaxat ſolvendi argumenti retulimus.

Confirmatur demùm, & impugnatur quod præſertim dictum eſt, voluntatem determinari à Deo, non eſſe plus, ſed aliter concurrere, neque ſpectare ad quantitatis influxum, ſed ad unicum concurreudi modum: Atqui, ut id ſtatim ſubjungam, nunquam dubitatum eſt de quantitate influxûs, ſed de modo influendi. Etenim, ut paucis multa perſtringam. In primis quid intelligere D. Thomas potuit, cùm inquit qu. 7. de Potent. art. illo celebri quem aliàs integrum explicuimus Reſponſione ad quartum. *Quòd tam Deus quàm natura immediatè operantur, licèt ordinentur ſecundùm prius & poſterius*: & quòd, ut anteà dixerat, *ipſa naturæ operatio eſt etiam operatio virtutis Divinæ; ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis: nec impeditur quin natura, & Deus ad idem operentur, propter ordinem qui eſt inter Deum, & naturam*. Manifeſtiſſimum enim eſt, non agi hìc de quantitate influxûs, ſed de ordine inter cauſas quæ *operantur ſecundùm prius & poſterius*. Et quidem, *ſi tam Deus quàm natura idem immediatè operentur, & operatio naturæ ſit etiam operatio virtutis Divinæ*; evidens eſt, nullum diſcrimen eſſe in ipſa quantitate influxûs, ſed tamen eſſe maximum, quantùm ad modum concurrendi. Et quis dubitet præterea, effici à cauſa principali quod fit ab inſtrumento: & tamen ab inſtrumento non fit niſi ut movetur à cauſa principali. Et ſanè vix audiri poſſet, ſi quis negare vellet, inſtrumentum priùs moveri à principali cauſa in eo ordine in quo agit, ea frigida reſponſione, quia ſcilicet non plus agit inſtrumentum quàm cauſa principalis, & quia ea motio non pertinet ad quantitatem influxûs, ſed ad modum concurrendi: Atqui ubi agitur de comparatione cauſarum, & una dicitur efficere, quòd altera agat; non agitur de quantitate influxûs, ſed de modo concurrendi, & de *ordine ſecundùm prius, & poſterius*, quem ſervant, ut loquitur S. Thom. *Secundò*: Sed præterea quid à S. Auguſtino ſupra laudato intelligi potuit, cùm ad hoc veluti punctum quæſtionem omnem revocat, & reſtringit; ſcilicet *Utrùm præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem: hoc eſt*, inquit, *ut planiùs eloquar: Utrùm ideò nobis gratia detur, quia volumus; an per ipſam Deus efficiat ut velimus*. Epiſt. 105. Luce enim clarius eſt, non agi hìc de quantitate influxus, & cooperationis, ſed agi de modo concurrendi, & de ordine quem ſtatui neceſſe eſt inter prævenientem gratiam, & voluntatem, ut voluntas pediſſequa, & non ſolùm comes, & veluti ex æquo ſocia ſit. Et ut inquit S. Proſper Epiſt. ad B. Auguſtinum: *Cùm duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia*: (En quantùm ad influxûs quantitatem nihil agit voluntas quod non agat Divina gratia.) Neque tamen id ſufficit, ut S. Proſper arbitratur, ſed hoc ipſum reprehendit: quòd cùm, *Duo ſint quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam eſſe quàm gratiam*. Atque, ut poſteà inquit, putant, quòd *Ideò quis adjuvatur, quia voluit; non ideò quia adjuvatur, velit*. Et ut anteà dixerat: *Nec conſiderant, ſe gratiam Dei, quam comitem, non præviam, humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea non negant eſſe præventas*: Atqui iterùm compertum eſſe videtur, ibi non agi de quantitate influxûs, ſed de concurrendi modo, & de ordine quem ſervari neceſſe eſt; Utrùm voluntas vel antecedat, vel ſubſequatur; ſi enim antecedat; ab ea eſſe principium ſalutis planiſſimè cõſequi arbitratur S. Proſper, cùm *Duo ſint*, inquit, *quæ humanam operantur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam eſſe quàm gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat*. Sed præterea, & *Tertiò*: etiam manifeſtum eſt, utrumque à S. Proſpero exigi, cùm eadem Epiſtola explicari à S. Auguſtino poſtulat: *Quomodò per iſtam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium*? Requiritur igitur gratia *cooperans*: & ea eſt ipſe concurſus ſimultaneus, unde metienda eſt quantitas influxûs. Sed præterea exigitur etiam gratia *præoperans*, in qua attenditur, non quantitas, ſed modus, & ordo quem neceſſe eſt reperiri inter voluntatem, & gratiam, ut voluntas in eo ordine quo agit, pediſſequa ſit; gratia verò non comes; & *cooperans* ſolùm, ſed præveniens, & *præoperans* etiam ſit. Et *Quartò* ſi ſatis eſſet ea ſolutio, etiam nulla habita ratione eorum quæ à Maſſilienſibus dicta ſunt; ſi quis modò non aliam gratiam præter ſolam legem, & illuſtrationem admitteret, quâ admoneretur intellectus, nullam verò quâ excitaretur voluntas, ſi tamen concurſum ſimultaneum, & cooperantem gratiam non negaret: adhuc in tuto eſſe poſſet. Contendere enim poſſet à ſe rectè intelligi quòd Deus *facit ut faciamus*, quia, ut habet ea Reſponſio quam impugnamus, dumtaxat admiſſa cooperante gratia Deus facit ut voluntas agat. Et addere etiam poſſet, quòd quidquid aliud admitti poſſit, ſpectat ad quantitatem influxûs, non ad modum concurrendi. Sed *Quintò*: Prætereà, quis unquam ſatis intelligat, cùm quæritur, quo ſenſu proprio, & germano intelligi poſſit, *Deum facere ut faciamus*; inquiri ſolùm de quantitate influxûs, non de modo concurrendi: Atqui &

ipse etiam loquendi modus reclamat. Etenim v. g. cùm dicitur aliquem facere ut alius faciat, apertum est sensum non esse, quòd agat idẽ quod alius agit, sed quòd ipsum applicet, ipsum moveat, & impellat, seu imperio, seu quocumque alio modo ut agat: sicut facere quòd instrumentum agat, v.g. quòd penicillus pingat, non est solùm eandem imaginem efficere, ad quam pingendam penicillo utitur Pictor, sed est ipsum penicillũ applicare, movere, versare, prout exigit ratio artis ad pingendam imaginem. Et verò *Sextò*. observandum etiam est; hìc agi potissimùm de vero, ac proprio, & germano sensu verborum Scripturæ; nam alioquin fateri necesse est, quòd nos Fides ac Scriptura docent Deum facere ut faciamus. Sed concertatio inter nos est, quis légitimus, & quis proprius, & germanus eorum verborum sensus esse possit? Atqui manifestum esse videtur, ut semper moderatè, & ut decet loquar, si duo hi sensus comparentur videtur esse omninò improprius sensus, si intelligatur, Deum *facere ut faciamus* per concursum simultaneum: propriissimè verò intelligi de concursu prævio, seu gratia præoperante: eo principio quod sæpè ex S. Thoma advocavimus, aliquid esse causam dumtaxàt actus alterius, in quantùm proprium ipsius principium movet ad actum. Et *Septimò*: Id etiam manifestius fiet ex eo quòd ipse etiam Molina, præcipuus hujus sententiæ Author, quem aliquando retulimus, & fusiùs infra referemus, reipsà vi argumenti permotus concesserit, quòd sub ea ratione quâ procedit actus à voluntate, actus non est à Deo, nisi ut Authore ipsius voluntatis. Constituta enim lex est inter causas partiales, & ubi agitur de concursu simultaneo, utrãq; quidem causã influere in effectum: & si agatur de quantitate influxûs, nihil magis aut minùs unam agere quàm alterã; sed tamen unã non influere in alteram, neq; unã causam esse cur altera agat, neque effectum unius, sub ea speciali ratione quâ ab una oritur ab altera dependere: quæ omnia, ut diximus, ultrò concedit Molina; quòd reipsà nulla ratione negari possint: cùm necessariò ex ipsa conditione, & lege concursus simultanei, & concursus causarum partialium consequantur. Unde *Octavò*: Tandem nihil præter verba habere videtur ea responsio: quin etiam & ipsa sola propositio ipsius falsitatem satis manifestat, solo scilicet concursu simultaneo Deum efficere ut faciamus. Ipsa enim simplicissima concursus simultanei notio eam propositionem falsam esse satis convincit; neque ea Responsio usurpari, aut veriùs hæc verba dici videntur, nisi ad emolliendam duritiem quæ nimia esse videretur, si concederetur, Deum dumtaxat impropriè, aut nullo modo facere ut faciamus in ordine physico in quo voluntas agit, nisi admissa prævia motione. Ad temperandam enim eam duritiem, quæ nimia videretur, afferri videtur ea distinctio de quantitate influxûs, & modo concurrendi: Nam alioquin, ut diximus, parùm opportuna est ea Responsio, cùm etiam alienam quæstionem advocet hujus loco de qua agitur, cùm nulla unquam de quantitate influxûs quæstio fuerit; aut si quæ fuerit, ea omnium postrema fuit; Præcipua enim fuit, eaque gravissima, de modo concurrendi, & ordine quem servari necesse est inter voluntatem, & gratiam, nè primæ partes voluntati tribuantur, posteriores autem Deo. Primas enim partes Deo tribuendas esse salutis, ipsiusque principium esse ex Deo, non ex nobis quasi ex nobis, Ecclesiæ fides est, & communis omnium Fidelium sensus. Id verò probatum est ex his verbis, Deum facere ut faciamus, quæ manifestissimè ordinem prioris, & posterioris esse indicant inter gratiam, & voluntatem: Quem ordinem nulla ratione in solo concursu simultaneo reperiri posse simplicissima hujus notio, ut diximus, omninò demonstrare videtur.

ARTICULUS XX.

Altera ex S. Thoma Probatio non posse gratiam non esse efficacem quæ ex Divina Omnipotentia efficaciam habet.

EAdem semper principia sunt, quę variis modis versari possunt, ut Divinæ motionis efficacia explicetur. Atque illud habet hæc probatio singulare, quòd ea vel unica modos omnes qui excogitari unquam possint ad explicandam Divinæ gratiæ efficaciam omninò refellat.

Probatur itaque Divinam motionem, seu Divinam gratiam, non ex quocumque extrinseco, non ex circumstantiis, non ex prævisо voluntatis consensu, sed sua ipsa vi, quam habet, ut est quædam veluti Omnipotentiæ Divinæ emanatio, & Divinæ artis rerum omnium effectricis virtus, efficacem esse. Non enim potest nõ esse illa gratia vi sua efficax, quæ suam vim agendi habet ex sola Dei Omnipotentia, & supremo dominio, quod Deus habet in voluntates hominũ, non minùs quàm in res cæteras creatas, quas Deus movet, quas immutat, & quarum etiam inclinationes omnes transferre potest, ut libuerit: Atqui Divina motio vim habet agendi ex Divina Omnipotentia, quâ Deus creatam voluntatem movet, & immutat, non minùs quàm res omnes cæteras creatas: Ergo Divina motio per se se efficax est, independenter à quocumque voluntatis consensu prævisо, & circumstantiis &c.

Quænam illius Argumenti propositio negari possit non satis video, si potissimùm SS. Augustini, & Thomæ principia consulantur. Ac de Minori in primis nemo est qui dubitet: cùm apertissimè S. Augustinus dixerit *occultissima, & efficacissima potestate*. lib. 1. ad Bonifac. cap. 20. Deum operari in cordibus hominum: quâ agit *Omnipotens in cordibus hominum etiã motũ voluntatis*.

Lib.

Lib. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 4. quâ *Dominus Omnipotens* ad Davidem Judæos *adduxit ut eum Regem conſtituerent*: & verò inquit: *Quomodò adduxit, nunquid corporalibus vinculis alligavit?* quæ addit S. Auguſtinus eò quòd Pelagiani toties eorum vinculorum, & compedum comparationem in ore haberent, ut vim gratiæ Divinæ traducerent, & invidiam S. Auguſtino crearent, ac ſi veluti adamantinis nexibus, & vi ferrea pertrahi homines arbitraretur. Sed nulla hìc vincula ferrea: ſed *intùs egit*, inquit D. Auguſtinus, *corda tenuit, atque voluntatibus eorum quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.* Plurima in hanc rem apud Salmaticenſes Tract. 14. dub. 3. §. 4. videri poſſunt, quæ ſciens, & volens prætermitto. De S. Thoma plura dicemus in probatione majoris propoſitionis, quam neceſſe eſt negent adverſæ ſententiæ Authores, nè eo argumento eorum ſententia nimirùm prematur.

Major itaque propoſitio probatur, ſcilicet Divinam motionem non poſſe non eſſe per ſe efficacem, ſi ex Divina Omnipotentia vim agendi habeat. Et ſanè omninò aperta videtur. Si enim Divina motio ſit quædam Divinæ Omnipotentiæ emanatio, & efficacia: Ergo ſe ipſa, & independenter à conſenſu creatæ voluntatis præviſo, vel à circumſtantiis congruis, ipſa vi ſua, & conſenſum voluntatis, & circumſtantias, & congruitatem omnem efficiet. Quo pacto enim Omnipotens dici poſſit motio Divinæ gratiæ, ſi ejus efficacia à præviſo creatæ voluntatis conſenſu, & à circumſtantiis congruis dependeat? Ergo ſi gratia Omnipotens ſit, aut Divinæ Omnipotentiæ virtus, *Ipſa ſuum conſummat opus*, ut loquitur S. Proſper: ipſa vi ſua voluntatem immutat, ejuſque conſenſum efficit, & in ipſa operatur ut libuerit, ex ſumma ſcilicet potentia, ſummoque dominio quod Deus habet in voluntates hominum, non minùs quàm in cæteras res creatas quæ ſub Cælo ſunt. Unde & ipſi Veteres, etſi ſæpiùs in evehenda ultra modum libertate erraverint, & ſuum ſapientem Deo æquaverint, attamen illo lumine quod S. Auguſtinus, *& occultum, & publicum* vocat illuſtrati, à Deo hominum corda & inflecti, & immutari, non ſemel affirmarunt, *ponuntque ferocia Pœni corda Deo*, Virgil. Æneid. 1. atque illud quod aliàs retulimus: *Eſt Deus in nobis agitante caleſcimus illo: impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.* Ovid. Faſt. 6. initio.

Urgetur magis hæc ratio ex S. Tho. quia ut ita dixerim, inintelligibile eſſe videtur, quòd Deus inclinationem creaturæ contulerit, & illam tamen inclinationem mutare non poſſit; quod exemplo figuli vel pictoris evidens omninò eſt. Quis enim unquam neget, figulum poſſe luti materiam in omnem formam figuramque immutare, cùm formæ illius, & figuræ Author ſit: & ſi illi vitam animamque indidiſſet ſicut formam indidit, incredibile eſt, quòd inclinationem inditam immutare pro libito nō poſſet. Impoſſibile enim eſt rem ab ipſo principio extingui à quo eſſe, naturamque ſuam haurit: Atqui Deus naturæ rationali voluntatem tāquam inclinationem communem contulit, & multò majus dominium habet in ipſas hominum voluntates, ut earum inclinationes omnes immutet, & transferat, quàm habeat figulus, ut formas figuraſque immutet in materia, quam ipſe figulus ſupponit, & cujus ipſe Author non eſt, cuique vitam, & motum inſpirare non poteſt: Deus autem & vitam, & motum homini contulit: Ergo & ejus voluntatem pro libito inflectere, & immutare poteſt, & phyſicè, & per modum cauſæ efficientis, ob ſummam potentiam & dominium quod in illam habet, majus quàm figulus in luti materiam habeat.

Et hanc rationem habet S. Thomas quæſt. 22. de Verit. art. 9. ubi inquirit: *Num aliqua creatura poſſit immutare voluntatem, vel imprimere in ipſam?* & vide in primis utrùm ea immutatio, & impreſſio in ipsā voluntatem facta, aut motioni morali, aut concurſui ſimultaneo convenire poſſit, & potentiam, & quidem infinitā non requirat? At inquit D. Thom. *Poteſt intelligi voluntas immutari ab aliquo per modū cauſæ efficientis, & ſic dicimus, quòd nulla creatura ..... poteſt directè agere in voluntatem, ut eā immutet neceſſariò, vel qualitercumq; inclinet, quod Deus poteſt.* Quis dubitet hunc operādi modum, qui eximius eſt Deo, & cuicumque creaturæ negatur, ad infinitam Dei potentiam pertinere. At verò de eo operandi modo qui Deo convenit: *Ex parte voluntatis*, inquit D. Thom. *mutare actum voluntatis non poteſt, niſi quòd operatur intrà voluntatem, & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundùm Fidem ſolus eſt Deus. Unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis quam ei dedit transferre de uno in aliud ſecūdùm quod vult.*

Hic ſanè Divinæ Omnipotentiæ character. Infinita potentia voluntatem Deus condidit, in eaque operatur: Ergo ſicut operationem omnem contulit, ita & inclinationem omnem mutare poteſt; v. g. ex indignatione in lenitatem convertere, ut olim cor Aſſueri immutavit, & tranſtulit, ut ex Scriptura Sacra exemplum uſurpem, quod ſæpiùs à D. Auguſtino uſurpatum; & ſicut cor Sauli ſpirantis minarum in Diſcipulos Chriſti, ſubitò tranſmutavit in Diſcipulum Chriſti.

Confirmatur iterum; & magis explicatur ex iis S. Thomæ verbis præfatis, ſcilicet, *Mutare actum voluntatis poteſt quod intrà voluntatē operatur, & hoc eſt ipſa volūtas, & quod eſt cauſa voluntatis, quod ſecundùm Fidem eſt Deus*: Atqui voluntas poteſt ſe ipſam, & quidem phyſicè, ac ſimul liberè ſe ipsā movere, ſuumq; actum immutare: Ergo poterit & Deus voluntatem, & phyſicè, & ſimul liberè movere. Et verò quo pacto intelligi poſſet, voluntatem majus dominium habere in ſe ipsā, quàm Deus in ipſam habeat? Eſſet igitur falſum, quod à S. Auguſtino in gloriam Divinæ gratiæ dictū eſt, quòd *Deus magis habeat in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas*, l. de Corr. & Grat. c. 14. Eſſet etiā & falsū quod inquit D. Thomas qu. 22. de Verit. art. 8. quòd *actio non ſolùm*

eſt

est à voluntate, sed etiam à Deo, ut primo agente, qui vehemêtiùs imprimit. Unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, & multò ampliùs Deus. Ergo si ex potestate, & dominio quod habet in seipsam voluntas, potest seipsam salva integraque libertate movere, & immutare pro libito, poterit & Deus cujus major est potestas, voluntatem salva etiam ejus libertate immutare.

Confirmatur rursus, & explicatur magis hæc ratio S. Thomæ, *sicut potest voluntas immutare actum suum in aliud, ita, & multò ampliùs Deus.* Sumamus enim voluntatem pro eo signo quo nullum habere actum intelligitur, sed inter duplicem actum virtutis, & studiosum qui proponitur v. g. orationis, & lectionis suspensa manet: Etenim pro eo signo voluntas ex summo dominio quod habet in seipsam suosque actus, potest seipsam movere, determinare, ac flectere ut libuerit, & unum potiùs quàm alterum actum, & efficiendum eligere, & reipsà efficere: nec suam ipsâ libertatem lædit ea determinatione, sed potiùs suam libertatem exercet, perfectamque reddit in ipso usu positam: Atqui Deus majus habet dominium in voluntatem quàm ipsa habeat, & vehementiùs Deus, ut primum agens in voluntatem imprimit, fortiusque efficit quàm efficiat voluntas: Ergo *sicut potest voluntas immutare actum suum in aliud* ita, *& multò ampliùs Deus.* Et verò credibile non est, ubi majus dominium est, majorem operationem, vel eandem saltem non posse fieri: Regem v. g. non posse magis, imo nec idem quod potest sibi subditus Vassallus.

Nec verò dici potest, id neque absurdum, neque increbile esse, quia si id non posset ipse Deus quod potest creata voluntas; oritur ex ipsa determinatione Dei libera, qua ipse voluit, & statuit creatam voluntatem sibi ipsi relinquere, ut ipsa sese liberè determinet; quæ libera voluntatis determinatio esse non posset, si ipsa voluntas à Deo determinaretur.

Verùm nec credibilis magis esse videtur ea solutio; quòd Deus possit unquam suum ita dominiũ abdicare, & ita voluntati conferre, ut aliquid efficere volũtas possit, quod ipse Deus non possit, qui tamen voluntati ut illud posset, & potestatem, & dominium omne quod ipsa voluntas habet, contulit. Et quidem plura esse, quæ nulla potentia etiam Divina fieri possint, satis compertum est; quæ scilicet contradictionem reverà involvunt, quia nimirum rationi entis repugnant; impossibile enim est esse, & non esse, quia non esse ipsi esse, seu enti repugnat. At illa quæ sunt ejusmodi, à nulla creatura, & multò minùs à voluntate creata quàm à Deo fieri possunt. Alia præterea sunt quæ manifestam imperfectionem secum afferunt, cujusmodi sunt actum recipere, ipsius subjectũ esse habere rationem potentiæ, & actu informari &c. & ea volũtati convenire, & repugnare Deo satis etiam compertum est. At verò, quòd ea quæ nullam, vel contradictionem vel imperfectionem involvunt, quæque à causa secunda fieri possint, à Deo fieri non posse, à quo causis secundis collatum est, ut illud efficere possint, nedum credi, sed & intelligi non posse videtur: Atqui voluntatem in utramque partem duorum actuum suspensam, ad unum sese determinare, & flectere, nec contradictionem, nec imperfectionem involvit, idque efficere potest voluntas dominio suo, ac potestate quam in suos ipsos actus habet, quamque potestatem à Deo accepit: Ergo non videtur posse intelligi voluntatem seipsam mutare, nec tamen posse immutari à Deo, scilicet à malo in bonum, vel à bono in melius. Neque saltem id intellexit S. Thomas, cui magis quàm cæteris credimus, à quo dictum est quòd *sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud*, ita, *& multò ampliùs Deus.* Adde quod dictum est, ita existimandum esse institutam fuisse à Deo voluntatem, ut possit Divinum dominium, & Divinam Omnipotentiam pati: cùm *instrumenta instituta sint, ut deserviant actioni principalis agentis dum moventur ab ipso, & à Deo res sic institutæ fuerint, ut ei deserviant*: ut inquit D. Thomas 3. contra Gent. cap. 100. de quo vide differt. 1. quæst. 4. art. 9. & dis. 2. quæst. 6. art. 2.

Dices Voluntatem à Deo determinari, & tamen etiam à sese determinari, contradictionem involvere. Verùm rursus eam contradictionem esse nec intellexit S. Thomas, nec esse existimavit, non magis quàm in eo sit, quòd quis sese moveat, & moveatur ab alio. *Cùm enim* inquit, *aliquid movet seipsum, non excluditur quòd ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum quòd movet seipsum: & sic non repugnat libertati, quòd Deus est causa actus liberi arbitrii.* Quem locum integrum retulimus suprà. Sed plura statim de ea re.

Confirmatur denuò magis ex S. Thoma 2. 2. qu. 66. art. 1. Dominium in eo positum est quòd liceat pro libito re uti in quam dominium exercetur: Atqui nisi esset per sese gratia efficax, & nisi præveniret quemcumque voluntatis creatæ consensum etiam prævisum, Deus non posset uti voluntate hominis, ut libuerit. Ergo &c. Minor probatur *Primò*: quia si Deus ex suo dominio possit voluntate creata uti, necesse est, quòd eam possit suæ operationi applicare, quia ex S. Thoma 1. 2. quæst. 17. *Usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem*: Atqui in ea applicatione voluntatis posita est ipsa physica, & prævia motio: nihil enim unquã aliud à nobis intellectum est; & puto hac in re nobis credi posse, ubi de propria sententia explicanda agitur. Quamvis enim seipsam voluntas applicet; attamen, & hoc ipsum quòd voluntas applicat seipsam, ut observat D. Thomas ex Divina applicatione oritur. Sed *Secundò*: præterea quo pacto intelligi possit, Deum uti posse, ut libuerit voluntate, si voluntatem priùs persentire, & explorare debeat, quid ipsa volitura esset? Quàm gravis esset potestas Domini in servos, si eorum explorare voluntatem cogeretur, antequam illis imperaret. Imo veriùs nulla esset ea potestas Domini, quæ à voluntate servorum dependeret: Ergo si plena integra-

tegraque ſit poteſtas ac dominium Dei in voluntatem creatam neceſſe eſt,quòd poſſit voluntatem Deus movere, & applicare independenter à quocumque ipſius creatæ voluntatis conſenſu,ſeu abſoluto, ſeu conditionato præviſo. *Tertiò*, quia ſummum illud dominium exigit, quòd Deus in ipſa creata voluntate operetur; efficiatque quod ſibi libuerit: Ergo neceſſe eſt, quòd Deus ipſa ſua vi, & potentiæ operatione efficiat, quòd voluntas liberè operetur: quia *quæcumque voluit Dominus fecit*: & omne quod voluntas Divina vult,potentia Divina exequitur:Atqui Deus vult, creatam voluntatẽ opprari: Ergo neceſſe eſt, quòd ipſa potentia Divina efficiat, quòd voluntas ipſa liberè operetur, quod ex ſtatim dicendis confirmabitur.

Confirmatur iterum. Impoſſibile videtur,quòd ſi Deus ex ſua Divina Omnipotentia moveat voluntatem creatam, voluntas impedire poſſit Divinam motionem: Atqui ſi motio Divina impediri non poſſit, eo modo quo explicuimus ſæpè, neceſſe eſt, quòd Divina motio vi ſua efficax ſit, ac ſuperet reſiſtentiam omnem voluntatis, eamque ſibi ſubjiciat. Ergo ſi Deus ſuâ Omnipotentiâ moveat voluntatem, neceſſe eſt, quòd Divina motio ſeu gratia Divina ſit per ſe efficax. Minor aperta videtur, & quæ plura conjunximus ſuprà apertè eã probare videntur: Major verò nõ minus comperta videtur. Quo pacto enim explicari, & conjici etiam poſſit, poteſtatem voluntatis creatæ non ſuperare Divinam poteſtatem, ſi reipsà creata voluntas ſua poteſtate impediret Divinam poteſtatem; & quidem antecedenter ad omnem voluntatis creatæ conſenſum, ſeu reipsà poſitum, ſeu dumtaxat præviſum.Etenim vel Deus Omnipotentia ſua utens, & tanta quanta eſt poteſt elicere conſenſum voluntatis, & quidem infallibiliter;aut non poteſt; ſed impedire poteſt voluntas humana nè Divina Omnipotentia reipsà conſenſum ipſius obtineat.Si reipſa antecedenter ad omnem conſenſum etiam præviſum poreſt Omnipotentia Divina voluntatem applicare,& hujus conſenſum liberum efficere: Ergo neceſſe eſt, quòd efficax ſit ea gratia,eaque motio,vincitque S. Auguſtini ſententia,ſcilicet Deum inſuperabiliter & indeclinabiliter vi ſuæ gratiæ movere voluntatẽ. Si verò Divina potentia etiam tanta quanta eſt, non poſſit antecedenter ad præviſum voluntatis conſenſum, ita ipſam voluntatem movere, & inflectere, ut liberum conſenſum eliciat; in quo poſita erit Divina Omnipotentia, quæ à conſenſu voluntatis ſaltem prævíſo erit ſuſpenſa, ab ipſaque dependebit?

Atque eam rationem habet S. Auguſtinus in Enchirid. cap.95. *Tunc*, inquit, *in clariſſima luce Sapientiæ videbitur,quod nunc priorum fides habet antequã manifeſta cognitione videatur: quàm certa,& immutabilis,& efficaciſſima ſit voluntas Dei, quàm multa poſſit, & non velit*; ut cùm hominem ſufficienti auxilio pulſat,diſponitque ſolùm,& veluti concutit, non tamen omninò convertit;*nihil autem velit quod non poſſit: quanquàm ſit verum, quod in Pſalmo canitur,Deus autem noſter in Cælo ſursùm: in Cælo,& in terra omnia quæcumque voluit fecit. Quod utiq; non eſt verũ ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod eſt indignius, ideò non fecit, quoniã nè fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Ac deinde cap.96. inquit: *Hoc niſi credamus,periclitatur ipſum noſtræ Fidei confeſſionis initium,quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur;neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt; nec voluntate cujuſpiã creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Ergo & S. Auguſtinus indignum eſſe exiſtimavit, quòd humana voluntas impedire poſſit illud quodDeus Omnipotens vult fieri; atque indè everti primum Chriſtianæ Fidei articulum arbitratus eſt, quo ſumma Omnipotentia Dei creditur.

Dices. Non poſſe Deum antecedenter ad conſenſum voluntatis prævíſum movere ipſam voluntatem,quia aliàs lęderetur voluntatis libertas.

Verùm pręter jam dicta,& dicenda etiã ſtatim, parùm conſentire videtur Divinæ potentiæ,& ſupremo dominio Dei hæc ſolutio: & puto, quòd ſi conſuleretur arcana ipſiuſmet volũtatis inclinatio, & qualis in rebus omnibus creatis reperitur, nihil dubium quin ipſa reſponderet, malle ſe libertate omni ſpoliari, quàm Deo Omnipotenti, ac Creatori non ſubjici, cui parere, & ſumma libertas, & ſumma felicitas eſt, cui & ſervire regnare eſt. Nec verò etiam periculum ullum eſſe poteſt, injuriam voluntati fieri, aut ipſius libertatem lædi; cùm ita naturæ inditum ſit,ut quamcumque inclinationem peculiarem habeat, ea inclinatio majori, & ſuperiori inclinationi ſpontè cedat,ac ſubjiciatur. Atque adeò neceſſe eſt ipſam libertatis inclinationem particularem, quæcumque illa ſit, & eſſe poſſit, ſervandi ſua jura illæſa, tamen ſpontè liberèque cedere alteri majori, & ſuperiori quam habet; ut Deo moventi, Divinæ motioni, & Divinæ gratiæ omninò ſubjiciatur. Et quidem cùm ut Sap. 16. dictum eſt,creaturam omnem jubenti, & operanti Deo deſervire ut ipſi pareat, ac in omnia transformari: nec ipſa dubio procul libertas ex eo ordine ſubducenda eſt, aut etiam ipſamet ſeduci unquam vellet. Unde libertas humanæ voluntatis Deo deſervit: ſponteque Deo ſubjicitur communi illa ratione, quia quidquid à Creatore ſit qui naturam contulit, connaturale ſit naturæ creatæ, nec ipſi ullam unquam inferre vim poteſt: quin etiam, ut docet S.Thomas 1.p.qu.105.art.6.quidquid univerſaliter in rebus inferioribus ex influentia cauſarum ſuperiorum fit aut imprimitur,nunquam violentum eſſe poteſt, cùm cauſæ omnes inferiores communi inclinatione ſuperioribus cauſis ſubjiciantur: qua ratione æſtus maris, motuſque aquæ à centro, vel circa centrum naturalis eſt. Sed præterea ſatis apertè ea reſponſione probari poteſt, parùm germanam eſſe eam libertatis notionem, quæ D. Thomæ, & ejus Scholæ planè ignota, inventa eſt. Nulla enim vera libertatis notio eſſe poteſt, quæ Omnipotentiæ Divinæ juribus adverſa

versa sit. Unde cùm è contra ea libertatis notio quam S. Thomæ Discipuli ex suo Magistro, ac Doctore Angelico didicerunt, Omnipotentiæ Divinæ jura omnia, & integra, & illæsa servet; eam solam, & legitimam, & veram libertatis creatæ notionem esse existimandum est. Sed ut ea Responsio magis impugnetur.

ARTICULUS XXI.

Refellitur communis solutio, non posse etiam à potentia Divina creatam voluntatem prævia motione Dei ejusque gratia per se efficaci moveri, quin voluntatis libertas auferatur.

DIces. Non deesse quidem potentiam Deo, ut voluntatem creatam immutet, eamque ut libuerit moveat, cùm ea infinita sit: sed tamen eam immutationem per modum efficientis causæ, & vi ipsius gratiæ repugnare naturæ voluntatis, quæ libertate prædita est: nec posse hæc duo conjungi, scilicet voluntatem à Deo moveri, & illæsam libertatem servari: sed si Deus physicè ac prævièt voluntatem immutet, ab ipsa voluntate libertatem auferet.

Verùm jam multa satis, & abundè multisque in locis diximus. Sed cùm ea unica fermè solutio sit, quæ ubique velut clypeus argumentis omnibus objici solet: ea etiam hic iterum impugnanda est, nè quemquam morari possit, aut dubium, & suspensum retinere.

Ac in primis refelli potest quod idem perpetuò & à Pelagianis, & à Massilienſibus D. Augustino objectum fuerit, ut vel indè conjici posse videatur, eandem à nobis sententiam defendi quæ à S. Augustino defensa fuit; cùm eadem etiam in nos tela conjiciantur: nobisque summè honorificum sit sub vexillis S. Augustini Maximi Ecclesiæ Doctoris militare, quem etiam Doctor Angelicus S. Thomas insignis, & ipse, & pietate, & armis secutus est. Etenim satis notum illud est quod scribit D. prosper ad S. Augustinum, conquestos esse Massilienses, quòd *sub prædestinationis nomine fatalem quandam induceret necessitatem*. Quodque susiùs refert idem S. Prosper Epist. ad Ruffinum, ubi gravem S. Augustino injuriam illatam conqueritur his verbis: *Scripta enim ejus infamant dicentes, eum liberum arbitrium penitùs submovere, & sub gratiæ nomine, necessitatem prædicare fatalem*. Unde & ipsum D. Augustinum veluti Manichæum traducebant, & Julianus cujus verba refert S. August. lib. 1. contra duas Epist. Pelagianor. ad Bonifac. c. 1. inquiebat: *Dicunt Manichæi ..... quia primi hominis peccato Adæ liberum arbitrium perierit, & nemo jam habeat potestatem benè vivendi*. Quem Julianum cæterosque ejusdem erroris fœdere colligatos impugnat ibi S. Augustinus, & elatos, ac superbos vocat, *nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrii*, cap. 3. Quin etiam & integrum librum de Corrept. & Grat. edidisse D. Augustinum, ut eam à se calumniam depelleret, vel in ipso libri illius limine videre est, ubi ferè statim inquit: *Quoniam sunt quidā qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existimant liberū arbitrium; hinc aliquid scribere.... compellente charitate curavi*: plura alibi retulimus.

Non igitur nova est hæc expostulatio quâ Divinam gratiam à S. Augustino assertam, insuperabilem, & ineluctabilem ab ipso dici, tam malè habebat Massilienses, ac etiam antè, Pelagianos; & quam ut duriorem ferreamque ideò pernegabant, quòd libertatem perfringere existimarent. Neque enim ægrè admodùm eam vim Divinæ gratiæ à S. Augustino toties inculcatam admisissent Massilienses, Viri alioquin doctrinâ ac pietate conspicui, quique non malo animo in eum errorem, quem Ecclesia deinde proscripsit, delapsi essent: sed solùm ea ratione negarunt quòd existimarent Augustinum *necessariū modum excessisse*, ac studio nimiùm evehendi vim gratiæ, libertatem voluntatis humanæ peremisse.

Atque ex ea observatione apertè satis demonstrari videtur, non aliam à Sancto Augustino vim Divinæ gratiæ adscribi potuisse, nisi efficacem quæ consensum libertatis & anteverteret, & efficeret; cùm de ea solùm dubitari potuerit, num ea auferret humanæ voluntatis libertatem? Cui enim unquam in mentem venire posset, admissâ gratiâ aut moraliter solùm excitante, aut solùm indifferenti, vel minimùm libertatem lædi? Quis diceret instigatione dæmonis ad malum; aut inspiratione boni Angeli ad bonum, etsi vehementissima, quæ tamen alliciat solùm, & nihil efficiat; damnum aliquod inferri libertati? Atqui, ut vidimus supra, prævenienti Divinæ gratiæ non majorem agendi vim adscribit sententia adversa, quàm tribuat instigationi dæmonis ad malum. Nam quòd attinet ad simultaneum concursum, nunquam existimari potuisse, ex eo influxu perimi libertatem, vel ipsa simultanei influxus notio planè ostendit: quam tamen simultanei concursus, & cooperantis gratiæ notionem latuisse Massilienses nemo facilè existimabit, qui apud S. Prosperum & S. Hilarium leget, quàm essent præclaro ingenio præditi: & demùm nemini etiam quod sciam, in mentem venit, ut objiceret Adversariis, ab ipsis gratiam admitti quæ libertatem evertat; cùm è contra ipsis hactenùs objectum fuerit, nimiùm ab ipsis evehi libertatem, & gratiam deprimi; cujus usum videntur subjicere voluntati. Et tamen, ut dictum est, perpetuò objectum est Sancto Augustino à Massilienſibus Viris alioquin sapientissimis, everti libertatem ea insuperabili vi, & omnipotentissima potestate quam Sanctus Augustinus Divinæ gratiæ tribuebat. Sed ex iisdem principiis supra constitutis.

Im-

Impugnatur *Secundò* iterumque ea ſolutio, alteraque ratio è diametro adverſa huic ſolutioni opponitur. Nihil vetat quominùs Omnipotentia Divina, ac gratia, motioque Dei tanquam ejus Divinæ potentiæ vicaria, vim habeat per ſe efficacem, eaque motione etiam nullo præviſo futuro voluntatis conſenſu, ipſa voluntas per modum efficientis cauſæ moveatur ac determinetur, & immutetur, ſi ea determinatio, & motio minimè repugnet libertati: Atqui ea motio, & determinatio minimè repugnat libertati, neque vel minimùm eam lædit. Ergo.

Minor probatur apertiſſimo S. Thomæ teſtimonio Opuſc. 3. c. 129. quod parem habet apud Theologos cum Summa Theologica authoritatem, cùm D. Thomas utrumq; opus præventus morte non abſolverit. Ita enim inquit S. Doctor: *Cùm actus voluntatis ſit inclinatio quedam ab interiori ad exterius procedens, & comparetur inclinationibus naturalibus, ſicut inclinationes naturales rebus naturalibus ſolùm inſunt à cauſa ſuæ naturæ, ita actus voluntatis à ſolo Deo eſt, qui ſolus cauſa eſt naturæ rationalis voluntatem habentis. Unde patet quòd non eſt contra arbitrii libertatē, ſi Deus voluntatem hominis movet; ſicut non eſt contra naturam, quod Deus in rebus naturalibus operetur; ſed tam inclinatio naturalis quàm voluntaria à Deo eſt, utraq; provenieus ſecundùm conditionē rei cujus eſt. Sic enim Deus res movet ſecundùm quòd competit earum naturæ. Patet igitur ex prædictis, quòd in corpus humanum, & virtutes ejus corporeas imprimere poſſunt corpora cæleſtia, ſicut & in alia corpora, non autē in intellectum, ſed hoc poteſt creatura intellectualis: in voluntatem autem ſolus Deus imprimere poteſt.* Hactenus D. Thomas. Ergo ex S. Doctore non eſt *contra arbitrii libertatem, ſi Deus voluntatem moveat.* Nihilque vetat quominùs gratia Divina habeat vim per ſe efficacem movendi voluntatem creatam. Atque id omninò patere inquit idem Angelicus Doctor, ea ſcilicet ratione, quòd Deus voluntatis cauſa ſit; & planè repugnet, operatione cauſæ quâ natura ipſa producta eſt, productaque ſervatur, inclinationem naturæ deſtrui, vel minimùm lædi. Id enim planè eſſet, ac ſi quis diceret, plantam attracto humore terræ quo fovetur, areſcere.

Et obſervanda ſunt ultima S. Thomæ verba, quæ aliàs etiam 3. contra Gentes repetit, quibus mirum hunc rerum ordinem explicat, hominem quantùm ad corpus, & inferiores vires Cælis ſubjici, ab iiſque moveri; quantùm autem ad intellectum ab intelligentiis; voluntatem verò humanam Deo dumtaxàt ſubjici, ab eoque moveri: & quidem multò efficaciùs quàm à corporibus cęleſtibus inferiores vires, & quàm intellectus ab Angelo: Atqui *in corpus humanum imprimere poſſunt corpora cæleſtia, & in intellectum natura intellectualis*; eaque operatione, & corporis & intellectûs vires non enervantur, nec læduntur, ſed è contra augentur, & perficiuntur: Ergo *in voluntatem Deus imprimere poteſt*, eaque tamen impreſſione, & operatione libertatem voluntatis creatæ non lædet, ſed è contra magis ipſam perficiet.

Impugnatur *Tertiò*, ex eodem S. Thoma: nulla ratione intelligi poteſt, Divina operatione lædi libertatem voluntatis humanæ, ſi nihil aliud efficiat Divina operatio, niſi quòd una inclinatio libera voluntatis alteri inclinationi liberæ in eadem voluntate ſuccedat: & quidem ſi durante una inclinatione libera, alteram operatio Divina in voluntate creata oppoſitam inclinationem efficeret; palàm eſt quod ipſa voluntati omninò vim inferret, v. g. quod ſæpiùs uſurpat S. Auguſtinus, Aſſueri exemplum adhibeamus; cùm *Deus tranſtulit indignationem ejus in lenitatem*, ut legit D. Auguſtinus Eſther. cap. 14. Si permanente eadem indignationis inclinatione, *cùm ardentibus oculis furorem pectoris* indicaret, Deus Aſſueri cordi inclinationem adverſam lenitatis indidiſſet; equidem id omninò, & libertatis conditioni, & voluntatis juribus, & naturæ adverſum fuiſſet: quòd nedùm duæ ſimul inclinationes, ſed inclinationes etiam oppoſitæ, ſibique invicem adverſæ, ſimul tamen nunc in eodem animo jungerentur. Sed quòd una alteri, licèt oppoſita, libera tamen, in voluntate creata ſuccedat, id voluntatis libertati repugnare impoſſibile eſt. Atque id etiam altero apertiori exemplo demonſtrat S. Thomas. Certum enim eſt, quòd cùm lapis ſurſùm projicitur, motus ille violentus eſt, quia ſcilicet cum eo ſurſùm motu manet lapidi inclinatio ad motum deorſùm, ſcilicèt ratione gravitatis ipſi lapidi à natura impreſſæ: ſed ſi ablata inclinatione gravitatis, Deus alteram inclinationem, ſcilicet levitatem imprimeret lapidi, tunc certè apertum eſt quòd motus ſurſùm non foret lapidi violentus.

Atqui ita eſt, cùm Deus motione ſuæ gratiæ Divinæ movet hominis voluntatem. Tunc enim nihil aliud efficit Divinæ gratiæ motio ſeu operatio, niſi ut una inclinatio libera alteri inclinationi liberæ ſuccedat, & ut inquit D. Bernard. Tract. de Grat. & Lib. Arbit. Dum *de malo mutat voluntatem in bonum, transfert non aufert libertatem.* Atque eam rationem habet S. Thomas, ex eoque refero; ut ſi quis apertiſſimæ rationi cedere nolit, ſaltem qui Angelici Doctoris authoritati plurimùm ſe tribuere profitentur, ea ſe flecti ſinant. Ita igitur habet qu. 22. de Verit. art. 8. *Cùm Deus voluntatem immutat, facit ut præcedenti inclinationi ſuccedat alia inclinatio, & ita quòd primò auferatur, & ſecunda maneat: Unde illud ad quod inducit voluntatem, non eſt contrarium inclinationi jam exiſtenti, ſed inclinationi quæ priùs inerat. Unde non eſt violentia nec coactio*, nec eadem ratione neceſſitas ulla oppoſita libertati voluntatis creatæ. *Sicut lapidi ratione ſuæ gravitatis ineſt inclinatio ad locū deorſū; hac autem inclinatione manēte, ſi ſurſùm projiciatur, fit violentia: ſi autē Deus auferat à lapide inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis, transferri ſurſùm non erit violentum. Et ita immutatio poteſt eſſe ſine violētia,* & omninò libe-

ra: *& per hunc modũ intelligendum eſt, quòd Deus voluntatem immutat ſine eo quòd voluntatem cogat*, aut libertatẽ ejus lędat. *Poteſt autem Deus voluntatem immutare ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur, ſicut in natura. Unde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis actio voluntatis* etiã libera, *inquantùm eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate ut immediatè agente, ſed à Deo ut primo agente qui vehementiùs imprimit. Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ita & multò ampliùs Deus*. Hactenus S. Thomas. Et quidem aurea planè hæc verba, & quibus fermè totidem rationes continentur.

Etenim Deus ſua operatione efficit, ut *præcedenti inclinationi* liberæ, indignationis v. g. vel odii, *altera inclinatio* libera lenitatis vel amoris ſuccedat: Atqui impoſſibile eſt, inclinatione libera lædi ipſam libertatem: Ergo Divina operatio, Divinaq; motio nullam voluntati vim affert, nec ejus libertatẽ vel minimùm ledit, ſed potiùs è contra eam perficit. Prætereà addit D. Thomas. *Poteſt Deus voluntatem mutare ex hoc ipſo, quòd in voluntate operatur, ſicut* operatur *in natura*, Atqui cùm Deus in natura operatur, naturã non deſtruit, ſed è contra eam ſervat, & continuata operatione producit: Ergo etiam cùm Deus in voluntate creata operatur, ejus naturam non lædit, ſed potiùs fovet ac conſervat, ſuaque Divina operatione libertatem ejus efficit. Demùm addit iterum D. Thomas. *Poteſt voluntas ſuum ipſum actum* immutare, ſalva, nec vel minimùm læſa libertate ſua. Ergo *multò ampliùs poterit Deus*, ſalva libertate, voluntatem creatam immutare.

Atque eadem erat dubio procul S. Auguſtini ſententia, cùm inquit lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelagianor. cap. 20. quòd Deus cor Regis *Occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt de voluntate lædendi, ad voluntatem favendi*. Imò & ipſa Scriptura Sacra, unde hæc verba deſumpta ſunt, iſta planè nos docuit, ſcilicet in eo poſitam eſſe Divinæ potentiæ, & operationis efficaciam, quòd voluntatem ab una in alteram inclinationem transferat; neque tamen ea immutatione lædi vel minimùm voluntatis creatæ libertatem, ſed è contra ea ratione maximè explicari libertatis cum gratia concordiam; quòd ſcilicet Divinæ operationis efficacia, *alia inclinatio* etiam libera *ſuccedat*. Atque ita etiam perviderat S. Auguſtinus. Unde ſtatim poſt ea verba quæ ſupra ex ipſo jam retulimus, ſolutionem quam adverſæ Authores adhibent, ita præoccupat. *Nunquid homines*, inquit, *qui hæc ſcripſerunt, imò ipſe Spiritus Dei, quo authore per eos iſta conſcripta ſunt, oppugnant liberum hominis arbitrium? abſit. Sed Omnipotentis in omnibus, & judicium juſtiſſimũ, & auxilium Dei miſericordiſſimum commendavit*. Ergo omninò à mente SS. Auguſtini, & Thomæ alienum eſt, Divinæ Omnipotentiæ operatione lædi voluntatis creatæ libertatem: cùm è contra non alia ratione ſtabiliri unquam magis poſſit voluntatis libertas, & libertatis cum gratia concordia, quàm ex ipſa Divinæ Omnipotentiæ operatione efficaciſſima. Unde

Impugnatur *Quartò* eadem ſolutio. Impoſſibile eſt, Divinæ Omnipotentiæ operatione, & efficacia lædi libertatem voluntatis, ſi ipſius Omnipotentiæ Divinæ operatio efficiat, ut ipſa voluntas liberè operetur; atque id ipſum quod eſt voluntatem liberè operari, ſit opus Divinæ Omnipotentiæ: Atqui ita eſt, & ita expreſſiſſimè docuit S. Thomas. Etenim in 2. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. *Utrùm liberum arbitrium poſſit cogi?* Primo loco ſtatim ita ſibi objicit, atque eo argumento nedùm vim libertati, ſed & maximè neceſſitatem inferri probare videtur, ut ſatis apertum eſt. *Quod immutatur*, inquit, *ab aliquo agente, cogitur ab illo*, aut ipſi neceſſitas imponitur. *Sed ut dicit gloſſa ad Rom. Deus poteſt immutare voluntatem hominum in quodcumque voluerit. Ergo videtur quòd à Deo voluntas poſſit cogi*, ipſique neceſſitas imprimi.

Quid verò ad hoc argumentum Reſpondet S. Thomas? Quid verò inprimis adverſæ ſententiæ Authores reſponderent? ſanè obſcurum non eſt: procul dubio enim negarent omninò voluntatem à Deo per modum efficientis cauſæ immutari, & contenderent, voluntatem non alia moveri niſi morali, aut planè indifferente, à qua periculum omne longiſſimè abeſt, nè lædatur libertas ipſius voluntatis: negarent etiam voluntatem ab alio determinari unquam poſſe, cùm ipſa etiam primum, aut quod eſt mitius, unicum determinans ſit: & quòd nè quidem à Deo, etiam tota qua valet Omnipotentia agente determinari poſſit; quòd ea determinatio notioni libertatis repugnet, nec aliud efficeret ea Divinæ Omnipotentiæ operatio, niſi quòd magis voluntatis libertas frangeretur. Hac dubio procul ſolutione propoſitum à D. Thoma Argumentum hi quibuſcum diſputamus, exciperent. Sed cur ſi S. Thomas in eadem ſententia fuit, idem argumentum eadem ſolutione non excipit? Cur nihil omninò eorum quæ afferri ab aliis ſolent, vel leviſſimè innuit, cùm maximè opportuniſſima eſſet occaſio aliquid ſaltem innuendi, aut ſolvendi argumenti neceſſitas poſtularet; ſi ea quæ cæteri Recentiores tanquam principia conſtituta aſſerunt, vera eſſe exiſtimaſſet ipſe S. Doctor,

Atqui alieniſſima eſt ab ea reſponſione, iiſque principiis ſolutio Doctoris Angelici. E contra enim ideò non auferri voluntati libertatem contendit cùm Deus immutat voluntatem, quia Deus ipsâ ſuâ Omnipotentiâ efficit ut voluntas liberè immutetur. *Dicendum*, inquit S. Thomas, *quòd Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio, ſecundùm ejus exigentiam: unde etiamſi voluntatem hominis in aliud movet, nihilominùs tamen hoc ſuâ Omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur, voluntariè velit, & ita coactionis ratio tollitur*. Eadem verò ratio eſt, ut diximus, de vi aut neceſſitate illata volũtati. Ergo ex S. Thoma: *Hoc Deus ſuâ omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur voluntas, liberè velit* ipſamet voluntas.

Hæc

Hæc vera, & profundiſſima, altiſſimaque Angelici Doctoris ſolutio, & ſententia. Tantùm abeſt ut Divinæ Omnipotentiæ operatio libertatem voluntatis lædat, ut è contra Divinæ Omnipotentiæ opus ſit, quòd voluntas liberè operetur. Et quantumvis fragilis, & penè vitrea libertas intelligatur, quæ nullius vel tenuiſſimum etiam contactum pati poſſit, intelligibile tamen videtur potuiſſe à Deo voluntatem produci, & continuo influxu ſervari, & tamen eandem ipſam voluntatem à Deo non poſſe moveri, illæſa voluntatis libertate: cùm ipſa etiam voluntas ſe ipſam moveat liberè, actumque ſuum pro libito in aliud mutare poſſit illæſa propria libertate; & hoc ipſum à Deo habeat, quòd poſſit ſe ipſam liberè movere. Unde ex S. Thoma ſuprà diximus, *Quòd ſicut poteſt voluntas immutare actum ſuũ in aliud, ita & multò ampliùs Deus*. Atque hic Omnipotentiæ Divinæ character eſt. *Omnipotentiâ ſuâ Deus facit, ut illud in quod movetur voluntas, liberè velit* ipſa voluntas. Quibus Doctoris Angelici S. Thomæ verbis, ſi quis ipſum Magiſtrum, & Judicem audire velit, res omnis confecta eſt, finita lis, ac concertationibus omnibus, de gratiæ Divinæ efficacia, & prævia motione, deque ipſius gratiæ Divinæ liberiq; creati arbitrii concordia, impoſitus finis.

Impugnatur *Quintò*: urgeturque magis hęc ratio, quia quantùm abeſt, quòd ſumma illa potentia quâ Deus movet voluntatem, damnum aliquod inferat voluntati, & libertatis arbitrio; ut è contra neceſſe ſit, quòd ipſam libertatem efficiat, ac planè repugnet ipſam Omnipotentiam intelligi, niſi efficiat, voluntatem liberè moveri cùm eam movet: Ergo planè impoſſibile eſt ſtatuere Divinam Omnipotentiam, niſi admittatur & Divina motio, & ſub motione Divina integra perfectaq; libertas hominis. Antecedens ex S. Thoma expreſſiſſimè probatur. Etenim 1. par. qu. 19. art. 8. *Utrùm voluntas Dei rebus volitis neceſſitatem imponat?* objicit ſibi ſecundo loco: *Omnis cauſa quæ non poteſt impediri, ex neceſſitate ſuum effectum producit: quia natura ſemper idem operatur niſi aliquid impediat, ut dicitur in 2. phyſ. cap. 9. Sed voluntas Dei non poteſt impediri: dicit enim Apoſtolus ad Rom. 9. Voluntati ejus quis reſiſtit? Ergo voluntas Dei imponit rebus volitis neceſſitatem.*

En planè Argumentum quod toties adversùs D. Thomæ ſententiam ingeri ſolet. Quid verò adverſæ ſententiæ Authores ſi ipſis ea difficultas objiceretur reſponderent? Objici enim poteſt, cùm neceſſe ſit, ea quæ ab Apoſtolo dicta ſunt, vera eſſe: & quidquid humanum ingenium moliri unquam poſſit ad evehendam arbitrii poteſtatem, illud Apoſtoli ſemper ſit inter prima Fidei principia conſtitutum, *Voluntati* Dei *quis reſiſtit*.

Reſponderent, nihil eſſe metuendum libertati voluntatis creatæ; quia Deus non movet voluntatem, niſi prævio voluntatis creatæ conſenſu: explorat enim, inquiunt, in quam partem ſe ſe voluntas inclinatura ſit; id eſt, expectat, non antecedit voluntatis conſenſum. Atque adeò cùm jam exploraverit Deus, & certò agnoverit quid voluntas ſit volitura, ipſe voluntatem in eam partem movet, & inclinat: in quo ſanè nihil eſt quod vel minimùm libertatem lędere poſſit, cùm ſui determinationem in manu libertatis, & conſilii ſui Deus ita relinquat, ut non aliud ipſe velit, niſi quòd voluntatem volituram agnoverit; inſtar earum matrum, quæ filias ſuas interdum ita depereunt, ut earum inclinationibus, & deſiderijs dignoſcendis perpetuò ſtudent, quibus obſequantur, nec aliud volunt niſi quòd eas volituras eſſe agnoverint.

Verùm in primis quid in ea Adverſariorum ſententia Divinam potentiam commendare poſſit? Commendet equidem Divinam ſcientiam, & ſapientiam, de quo infra erit agendum: ſed omninò nihil eſt, quod Divinam potentiam, & ſupremum dominium deceat. Imò nec reipsà Divinam ſapientiam quantùm convenit commendat, quia ſumma ſapientiæ Divinæ commendatio eſt, quòd ſit Divini Artificis ſapientia, quæ non ſupponit opus ſuum, ſed efficit. Attamen his prætermiſſis, quammaximè diſſitam, & remotam ſolvendo huic argumento vim iniiſſe D. Thomam negari non poteſt. Reſpondet enim conceditque Divinam voluntatem non poſſe impediri: ſed contendit tantùm abeſſe, quòd ideò libertati damnum inferatur, ut è contra ſumma illa Divinæ voluntatis, & motionis vis efficiat, quòd etiam voluntas nedũ velit, ſed & liberè, & liberrimè velit. *Ad ſecundũ*, inquit, *dicendũ, quòd ex hoc ipſo, quòd nihil voluntati Divinæ reſiſtit, ſequitur, quòd non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri; ſed quòd fiant contingenter*, & liberè, *vel neceſſariò quæ ſic fieri vult*. Atque id manifeſtiſſima ratione convincit in corpore articuli. *Cùm enim*, inquit, *aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam, non tantùm ſecundùm id quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi vel eſſendi. Ex debilitate enim virtutis activæ in ſemine contingit quòd filius naſcitur diſſimilis patri in accidentibus quæ pertinent ad modum eſſendi. Cùm igitur voluntas Dei ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri; ſed & quòd eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem Deus quædam fieri neceſſario, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad cõplementum Univerſi.* Quin etiam, ut inquit 1. 2. qu. 10. ar. 4. magis repugnaret, quòd volũtas liberè nõ ageret; & veriſſimè dici poſſet, quòd Divinæ volũtati humana volũtas reſiſteret, & Divinæ volũtatis conſilium & efficaciam impediret, niſi libertas illęſa maneret quam reipsà vult remanere illæſam. Igitur in eo poſita eſt Divinæ Omnipotentiæ efficacia, ut hæc duo cõjungat, quòd voluntatẽ moveat, & tamen ſeipsã voluntas etiã moveat: & niſi illud Omnipotentiæ Divinæ ſummum jus tribuatur, nihil eſt quod eã ſatis commendet. Ergo manifeſtum eſt, ex Sancti Thomæ ſententia, ad Divinam Omnipotentiam, cui nihil reſiſtere poteſt pertinere, quòd voluntatem

tatem moveat, & cùm ea Divina motione libertatem conjungat.

Impugnatur *Sextò*, & explicatur magìs superior ratio. Impossibile est Divina motione perimi libertatem, si Divina motio etiam efficiat ut voluntas moveat se ipsam; & hoc ipsum quod voluntas se moveat, habeat ex efficacia Divinæ gratiæ: Atqui ita est, quòd scilicet hoc ipsum quòd voluntas se se moveat, & liberè moveat, habet ex efficacia Divinæ gratiæ: Ergo. Atque id nos expressè docuit S. Thomas, loco à nobis jam citato, ubi idem planè objicit sibi argumentum quod nobis objicitur, non posse liberum arbitrium moveri ab alio, ea ratione quòd debeat movere se ipsum: & quòd si moveretur à Deo, jam non à se ipso moveretur, neque haberet sui actus dominium. Ubi sanè non de quacumque motione loqui Sanctum Thomam apertum est, sed de ea de qua existimari potuit auferri libertatem.

Respondet verò S. Thomas: *Quòd cùm aliquid movet alterum, non ex hoc ipso quòd est movens, ponitur quòd est primum movens. Unde non excluditur quin ab alio moveatur, & ab altero habeat hoc ipsũ quod movet. Similiter cùm aliquid movet se ipsum, non excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum quod se ipsum movet; & sic non repugnat libertati quòd Deus est causa actus liberi arbitrii*; qu. 3. de Malo art. 2. ad 4. ergo ex S. Thoma *non repugnat libertati, quòd Deus causa sit liberi arbitrii*. Et quidem causa de qua, ut dixi, dubium esset, num voluntati vim inferat. Atque ea ratione id non repugnat, quia illud etiam efficit ea motio quòd nimirùm voluntas se se moveat. Inde enim habet *hoc ipsum quod se moveat, quia scilicet à Deo movetur*. Neque enim voluntas movetur agiturque à Deo, ut ipsa nihil agat; sed è contra ut agat, sub Divina tamen motione quâ movente agit: cùm ipsa voluntas non possit non esse secundum agens, secundum eligens, secundum determinans, quod necesse est primum supponat, à quo ipsa voluntas determinetur ut eligat ac se se moveat. Unde

Impugnatur *Septimò*, altera ratione quam ea S. Thomæ verba suppeditant. Impossibile enim est, secundum agens, secundum eligens aut secundum liberum non supponere primum liberum, & primum eligens à quo determinetur, & à quo habeat ut se se moveat, seseque determinet: Atqui voluntas creata non potest non esse secundum liberum, & secundum eligens: Ergo debet supponere primum, à quo habeat quod se se moveat, seseque determinet.

Quænam ex illo Syllogismo propositio negari possit, si ea quæ ex S. Thoma supra retulimus præ oculis habeantur, vix posset conjici. Quòd enim secundum liberum, etiam cùm se movet determinatque se ipsum, à primo libero moveri debeat, & à primo libero habere hoc ipsum quòd se se moveat, expressissimè inquit S. Thomas. *Quòd enim*, inquit, *aliquid moveat alterum, non ex hoc ipso quòd est movens, ponitur quòd est primum movens. Unde non excluditur quin ab alio moveatur, & ab altero habeat hoc ipsum quòd movet. Similiter cùm aliquid movet se ipsum, non excluditur quin ab alio moveatur, à quo habet hoc ipsum quod movet se ipsum.* Quid enim est agens liberum, aut liberè eligens, nisi agens quod movet, & determinat se ipsum: Atqui ex S. Thoma ex eo quòd aliquod agens moveat se ipsum, *Non ex hoc ipso ponitur quòd sit primum movens, nec excluditur quòd ab alio moveatur*, & ab alio determinetur; sed ab alio, scilicet à primo libero, habet *hoc ipsum quòd se ipsum moveat*, ac determinet: Ergo secundum agens liberum seu liberè eligens, hoc ipsum quòd liberè velit, quòd eligat, quòd se se determinet, habet à primo agente libero. Quòd autem voluntas creata sit secundum agens, & secundum liberum, quamvis res apertissima sit, expressè etiam habetur in D. Thoma, his verbis: *Et sic*, quamvis liberum arbitrium moveat se ipsum, *non ex hoc ipso ponitur quòd sit primum*, sed dumtaxat est secundum agens, & movens. *Et sic* etiam cùm se movet liberèque eligit, seque determinat, *Non excluditur quin ab alio moveatur*, ut liberè eligat, ac se se determinet. *Et sic* etiam cùm eligit seque determinat, *hoc ipsum quòd se moveat*, quòd eligat, & quòd se determinet, *habet ab alio*, scilicet Deo primo libero, ac primo libertatis omnis fonte & authore.

Dices negandum esse, Deum esse primum liberum, & primum determinans, si referatur ad determinationem causæ secundæ. Id enim negandum est: quia causa secunda libera respectu suæ actionis liberæ, est unicum determinans, & eligens: est enim contra rationem causæ liberę quòd determinetur ab alio ad agendum; sed à se ipso, non autem ab alio debet determinari, quicumque agit liberè.

Verùm quid dici potuit S. Thomæ sententiæ magìs adversum, à quo dictum est, liberum arbitrium, etiam cùm movet se ipsum, etiam cùm eligit, seque determinat, non ideò tamen esse primũ movens, primumque eligens; sed hoc ipsum quòd se se liberè moveat ac determinet, habere à Deo primo agente libero, & primo movente. Non est diutiùs hìc immorandum. De mente D. Thomæ hìc agimus parùm soliciti quid alii senserint. Sed longè aliud quàm D. Thomas docuerit, eos sensisse facilè ex his quæ attulimus demonstratur. Adde illud æquè urgens quòd *Bonarum operationum Deus causa dicitur*, inquit S. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. *non solùm quantùm ad essentiam actûs, sed etiam quantùm ad perfectionem, secundùm quam bonæ dicuntur: utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut benè agat*.

Igitur comperta D. Thomæ mens est, scilicet hoc ipsũ quòd voluntas creata se se moveat: quòd eligat, quòd se se determinet, habere à primo agente, & primo determinante, nimirùm Deo. Et sanè quo pacto intelligi unquam satis possit, aut defendi, causam secundam esse primum eligens, primumque determinans, aut quod dictum est, ut mitius sit minùsque offendat, unicum eligens, & uni-

unicum determinans? Non dubito equidem graves interdum difficultates in hac diſputatione de gratia liberoque arbitrio occurrere; ſed ſi quæ unquam difficultas, ſi quæ interdum incommoda eoſque morari poſſint Lectores, ſuſpenſos tenere, ſi quid demùm ſit, quod durum videatur; auſim aſſerere, nihil poſſe videri durius, quàm quòd aliqui fateantur adverſæ ſententiæ Authores, nempè voluntatem creatam, in ratione agentis liberi, omninò eſſe primum agens, primumque movens, primumque determinans, quodque nec ab ipſo etiam Deo determinari poſſit voluntas: atque ea etiam ratione, quæ ad perfectionem pertinet, immò quæ maxima perfectio eſt, quæ unquam eſſe poſſit in rebus creatis, cujuſmodi eſt libertas facultaſque agendi liberè; ea inquam ratione voluntatem eſſe primum agens, primumq; eligens, aut, quod idem ſignificat, eſſe unicum agens, & unicum determinans.

Et verò ſi interdùm nimiùm deprimere libertatem altera SS. Auguſtini & Thomæ ſententia videatur; non alia ratione id facit, niſi ut majus dominium Deo tribuat, & pugnanti, ut ita dixerim cùm voluntate gratiæ palmam concedat, & demonſtret Divinam gratiam vincere, & ſuperevincere, & veluti domita obſtinatione voluntatis, *exultare in cordibus*, ad Coloſs. 3. 15. aut ut Græcum expreſſiùs habet, & ut Vatablus explicat *Palmam ferre*: in quo ſi quid durius dictum videretur, facilè concedendum foret, cùm rationi conſentaneum ſit ut Divinæ gratiæ ſemper primæ partes tribuantur. Sed quòd adeò ipſa vis gratiæ deprimatur, adeòque evehatur creata libertas, ut primum agens liberè, primumque determinans eſſe dicatur, quodque nec etiam à Deo determinari poſſit; quodque indè etiam conſequi videri poſſit, uſum gratiæ ſubjici libertati, aliaque ejuſmodi plurima; quantùm argumentandi leges permittunt, objici à nobis poteſt, id duriſſimum eſſe. Et ſi utriuſque ſententiæ comparatio ineatur, etiam objici à nobis poteſt, ea quæ nedùm legitima conſecutione deducuntur, ſed quæ etiam apertè plures adverſæ ſententiæ Authores affirmant, cujuſmodi ſunt ea quæ mox retulimus, & quæ infra etiam referemus; ea inquam multò duriora eſſe, quàm ea quæ in Schola D. Thomæ, aut ab ipſius Diſcipulis in ſuæ ſententiæ defenſionem dicuntur.

Sed demùm quod hìc maximè à nobis requiritur, nihil à S. Thomæ ſententia magìs alienum eſſe videtur, quàm, quod ea prædicta Reſponſione dictum eſt, ſcilicet voluntatem eſſe unicum aut primum liberum, & primum eligens, primumque determinans. Vide quæ alibi à nobis dicta ſunt, cùm ex profeſſo à nobis probatum eſt, non pertinere ad libertatem voluntatis creatæ, quòd ab alio non moveatur, & determinetur: ubi quæ ex S. Thoma afferri ſolent, facilè à nobis explicata ſunt.

ARTICULUS XXII.

Confirmatio Superiorũ, ex eo quòd ea propoſitio damnata ſit Divinam Omnipotentiam ſubjectã eſſe volũtati creatæ.

NOn poteſt non eſſe maximi momenti ſuperior ratio, quâ ex Divina Omnipotentia efficaciam gratiæ derivari diximus, tot D. Auguſtini, & D. Thomæ teſtimoniis, ac rationibus confirmata. Verùm quæ hactenus defuerat, acceſſit nunc vera definitio, quâ confirmari à nobis egregiè poſſint quæcumque hactenus diximus; & quâ definitum eſt, temerariam eſſe propoſitionem, quâ dicitur, Deum ſubjicere nobis ſuam Omnipotentiam. Ut verò eam definitionem eruditus Lector expendere faciliùs, & majori otio poſſit, eam ex integro referre placuit. Ita verò habetur.

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

„ IN Congregratione Generali S.R. & Univerſalis Inquiſitionis habiia in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram SS. D. N. D. Innocentio Papa XI. ac Emiuentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in univerſa Republica Chriſtiana adversùs hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

„ Cùm ſupradictis Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. delatæ fuerint hæ duæ propoſitiones: *Deus donat nobis Omnipotentiam ſuã, ut ea utamur; ſicut aliquis donat alteri villam vel librum*; & *Deus ſubjicit nobis ſuam Omnipotentiam*. Eorundem juſſu per Theologos ad id ſpecialiter deputatos diligenter examinatæ fuerunt, quorum votis auditis, & re SS. Domino noſtro relata, & coram Sua Sanctitate propoſita, unà cum votis ipſorum Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Sanctitas Suâ decrevit, & mandavit, ut ambæ propoſitiones omninò prohiberentur; ſicut eas præſenti Decreto damnat, & prohibet, utì temerarias ad minimum, & novas: mandatque nè quiſquam deinceps, cujuſcumque ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, aut etiam ore tenùs docere, vel aſſerere, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitati ſuæ benè viſis.

Hactenus ibi: ex qua definitione plurima in noſtræ ſententiæ gratiam deduci poſſe videntur, quibus tamen non aliam vim ineſſe exiſtimari velim, præter eam quæ à nobis facta argumenta obtinere poſſunt. Temerarium enim foret velle Eccleſiæ judicium antevertere, cui utramque partem contendentium ſumma obſervantia ſubjici æquum eſt. Sed ea quæ ſemper Theologis licentia conceſſa eſt cùm ſua argumenta urgent, quibus interdùm adverſam ſententiam non ſatis

cohæ-

cohærere cum Scripturæ aut Conciliorum verbis probare contendunt: & quâ licentiâ etiam uti solent Adversarii, cùm Tridentini Canonem adversùs Divinam motionem urgent toties: Hac inquam concessa omnibus hactenus licentia, hæc in nostræ sententiæ gratiam argumenta depromo; quæ ut quàm moderatè urgeam, ita potiùs videri quàm esse ea, quæ referam, dicam.

Certum est ac definitum, eam propositionem omninò proscriptam esse, nec à Catholico Theologo defendi posse, quòd scilicet in negotio gratiæ, & cùm Deus voluntatem creatam movet, applicat, & immutat; ipse Deus nobis, seu nostræ voluntati creatæ, suam Omnipotentiam ad ea utendum donet, eamque nobis subjiciat: Atqui ea propositio ex adversa sententia consequi videtur. Ergo &c. Major, ut ita dixerim, sacra est, & jam definita, non nisi cum reverentia audienda, & excipienda est. Minor verò multis probari potest: ac in primis quod interdum nec inviti, qui Divinę motioni, & suæ ipsa vi, & per se se efficaci gratiæ adversantur, eandē propositionem afferant: quod scilicet *Deus subordinat nobis suam Omnipotentiam*: quod *efficaciâ gratiæ provenit ab Omnipotentia sicut ab habitu, ideòque & à voluntate determinatur*; quod sanè idem significare videtur: quin etiam, & apertiùs quandoque affirmant, quòd *voluntas concurrit subdita Deo, Deus autem concurrit quasi subditus voluntati*: emolliri enim debuit propositio, ea particula *quasi*, nè idem omninò jus voluntati creatæ, & Divinæ Omnipotentiæ tribueretur, aut tribui videretur. Quæ sanè de ipsa Divina Omnipotentia in se se absurdum foret existimari potuisse, & intelligi ab iis qui ista affirmāt: de solo enim usu Divinę gratię hęc intelligenda esse volūt; ut idem sensus sit quē olim expressit Lessius, ut supra retulimus, cùm inquit: *Non ipsā gratiam subjici voluntati, sed dumtaxàt usum gratiæ*, lib. de Grat. Efficaci c. 12. Ergo &c.

Confirmatur iterum, quia quantumvis durior esse possit ea expressio, tamen objici à nobis posse videtur, sensum qui in ea subest, Adversariorum sententiam continere, ut necesse videatur quod ad sensum attinet, similes planè propositiones admittant: Ergo &c. Antecedens probatur: etenim germanissimus illius propositionis sensus esse videtur, si quis eam exponat, aut unicum fundamentum, cui etiam inniti videtur, illud est, scilicet Divinam gratiam effectivè, & physicè, seu ex vi sua non determinare voluntatem, sed è contra gratiam à voluntate determinari: parùm enim opportunè huc moralis motio Divinæ gratiæ advocaretur, ubi de Omnipotentia Divina agitur: Atqui communis est ea Adversariorum sententia, & divisionis paries, quo utraque Schola dividitur. Affirmant enim SS. Augustini, & Thomæ Discipuli, voluntatem à Divina gratia propriè, *& per modum causæ efficientis* determinari, ut inquit S. Thomas qu. 22. de Ver. art. 9. negant verò Adversarii, & contendunt, voluntatem esse primum, aut ut mitior propositio sit, esse unicum liberum, quod nequidem à Deo determinari possit, alioquin confringeretur libertas; sed illud esse jus liberæ voluntatis, quòd se se primò ipsamque gratiam, non minùs quàm alium habitum determinet: Ergo quòd ad sensum attinet, eadem esse videtur Adversariorum communis sententia, cum ea sententia, quæ in præfata, & damnata propositione expressa est, scilicet Divinam Omnipotentiam quoad usum gratiæ nobis donari, nostræque subjici voluntati: idemq; planè significat, ac gratiam subjici voluntati, nisi nova ejusmodi verborum significatio instituatur.

Confirmatur iterum: quia ex ea communi sententia quâ Divinam gratiam instar habitus à voluntate determinari affirmatur, quàmplurima quod ad sensum attinet consequantur, quæ diversis dumtaxat terminis idem planè significare videantur. Consequitur enim quod ultrò etiam, neque rogati solùm aut compulsi admittunt; gratiam esse indifferentem, & quæ cum actu oppositio in omni sensu tum composito, tum diviso, omnique etiam potentia tum consequente, tum antecedente conjungi possit? consequitur gratiam instar habitus cum voluntate quidem ad actum concurrere, sed tamen à voluntate priùs natura determinari: consequitur demùm gratiam Divinam voluntati humanæ subordinari. Atqui potissimùm hoc ultimum, scilicet gratiam, subordinari, si sensus spectetur, idem significare videtur, ac gratiam subjici voluntati.

Confirmatur præterea: cùm enim à suis Authoribus, ea quæ supra retulimus affirmata sunt, scilicet Deum *subjicere nobis suam Omnipotentiam, eamque subordinare voluntati; & voluntatem quidem concurrere, ut subditam gratiæ, & Deum concurrere quasi subditum voluntati*: negari non potest quin ex suis principiis legitima consequentia, ejusmodi propositiones consequi existimaverint, ac reipsà consequantur: gravis enim Viris doctis injuria fieret si cōtra Dialecticæ Regulas incōsequentia, & incompacta eos affirmasse crederetur: Ergo ex principiis ab iis stabilitis, & quibus tota eorū doctrinæ moles incūbit, ea propositio legitimâ consequentiâ deducitur, quòd scilicet *Deus subjicit nobis suam Omnipotētiam*. At verò quid de eo antecedente sentiendum est, ex quo ea propositio, quæ jam proscripta, & confixa est, per legitimam consequentiam deducitur? Ergo quantumvis id durum videatur, illud consequi, ab omnibusque admitti debere videtur quod à quibusdam ex ipsorum Authoribus dictum est, Divinam Omnipotentiam non quidem in se se, quis enim id crederet? sed quantùm ad usum, & determinationem, quoties cum voluntate concurrit, subjici voluntati: ac Deum nobis omnipotentiam suam in nostra veluti manu relinquere, & committere, & omninò ad usum donare; sicut liber, vel aliud quidpiam ejusmodi datur ad usum, & arbitrio utentis relinquitur.

Confirmatur iterùm, & probatur, maximum SS. Augustini & Thomæ sententiæ ex ea definitione robur accedere, quod semper intelligi velim dictum ea lege quâ Theologis permissum est,

& quâ

& qua alii paſſim utuntur qui ex Eccleſiæ definitionibus ſua argumenta depromunt, eaque adverſus alteram ſententiam urgent. Etenim in eo potiſſimùm videbatur eſſe conſtituta difficultas, cùm olim temporibus S. Auguſtini ab Hæreticis Eccleſia turbaretur, utrùm ſcilicet gratia *humanam ſibi ſubjiciat voluntatem*, ut iuquit D. Proſper Epiſtola ad D. Aug. & verum ſit, quod inquit idem D. Proſper. lib. de Ingratis.

At verò Omnipotens hominem cum gratia ſalvat
Ipſa ſuum conſummat opus .., nec moribus ullis
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis:

Aut è contrà voluntas ſibi gratiam quoad uſum ſubjiciat, neque operatio voluntatis, in Divinam Omnipotentiam referenda ſit, quæ ſua ipſa vi opus ſalutis perficiat? Primum enim S. Auguſtinus pro viribus tuebatur, ac potiſſimùm libro de correptione, & gratia; ubi eam vim Divinæ gratiæ explicuerat, quam & *indeclinabilem, ac inſuperabilem* eſſe aſſeruerat; quem librum qui Fidem Apoſtolicam Duce Auguſtino ſequebantur, obviis ulnis amplexi, Sancti Proſper, & Hilarius, aliique, eandem vim gratiæ Divinæ tribuebant, eamque Divinæ Omnipotentiæ adſcribebant: quæ Omnipotens gratia ſalvaret hominem, ejuſque ſalutis negotium, & opus ſua ipſa vi conſummaret. Contrà verò Maſſilienſes uſum gratiæ ex voluntate dependere ipſique ſubjici contendebant, illudque fateri plurimum averſabantur, quòd *humanam gratia ſibi ſubjiciat voluntatem*, ut diximus ex D. Proſp. Epiſt. ad Auguſtin. ubi & plurimùm ex hujus libri S. Auguſtini de corrept. & grat. eos fuiſſe offenſos refert ibid. S. Proſper.

Demum cum excitata iterum fuit eadem controverſia, & hinc inde inter Theologos magna animorum contentione agitata in Congregatione de Auxiliis; una erat omnium Diſcipulorum D. Thomæ ſententia, efficaciam ſcilicet Divinæ gratiæ, ac Divinæ motionis omnem voluntatis creatæ conſenſum antevertere, eumque efficere, non moraliter ſolùm; neque enim moralis ulla efficientia vera eſſe poteſt; ſed etiam phyſicè, id eſt ſecundùm modum efficientis ac phyſicę cauſæ, & ut participatio quædam eſt, & derivatio Divinæ virtutis, & Omnipotentiæ, quæ in eo maximè eluceat, quod infallibilitatem conſenſus voluntatis cum ſumma libertate conjungat. At verò qui ex adverſo ſtabant Theologi è contra pro libertate tuenda maximè decertabant: ac tantam vim, & efficaciam Diviuæ gratiæ ipſi creatæ libertati inimicam eſſe arbitrabantur, cùm nec ſatis poſſe intelligi dicerent, à voluntate creata vim Omnipotentiæ Divinæ, niſi frangeretur libertas, poſſe ſuſtineri. Unde ſola motione morali præveniente admiſſa, aut quæ ſolùm eſſet inſtar habitus, & cujus uſus relictus eſſet arbitrio voluntatis, ipſique quoad uſum ſubjecta, majorem alteram omnem determinationem negabant.

Igitur ut paucis argumentum conſtringam; ad hoc unicum caput ſemper ea controverſia à SS. Auguſtino, & Thoma, & à Theologis, qui utrumque Ducem ſuut ſecuti revocata eſt, utrùm ſcilicet Divina motio aut efficax gratia, vi ſua, & ut eſt derivatio quædam Omnipotentiæ Divinæ, & vis quædam Divinæ artis, & infinitæ, infallibiliter voluntatem determinet, & hujus conſenſum eliciat, & voluntatę ſibi ſubjiciat: an verò ecntrà ea motio inſtar indifferentis habitus minimè voluntatem determinet, ſed potiùs in ſeſe indifferens, & quæ cùm aſſenſu, vel diſſenſu peræque conjungi poſſit, relicta ſit libertatis arbitrio, ut ea pro libito utatur, ab eaque determinetur ipſique ſubordinetur ad aſſenſum, & diſſenſum: Atqui negari non poteſt, quin ea Pontificia definitio, qua proſcripta eſt, ea propoſitio, ſcilicet quòd *Deus ſubjiciat nobis ſuam Omnipotentiam*, faveat quantùm intelligi poteſt primæ ſententiæ, quæ vi Divinæ motionis ex Divina Omnipotentia repetit. Etenim ſi falſa ſit ea propoſitio, quòd Deus cùm voluntatem movet *ſubjicit nobis ſuam Omnipotentiâ*; conſequens eſt, ut è contrà cùm ipſam voluntatem Deus movet, voluntatem ſuæ ſubjiciat Omnipotentiæ. Quid verò aliud eſt, Deum in negotio ſalutis, cùm voluntatem movet, eam ſuæ Omnipotentiæ ſubjicere, niſi efficaciam motionis ex Divina Omnipotentia oriri: Ergo quamvis nulla ratio habenda eſſet ſententiæ S. Doctoris Auguſtini, à quo dictum eſt, periclitari primum Articulum Fidei, & negari Deum Omnipotentem eſſe, niſi ea gratia admitteretur, quæ infallibiliter, & ut loquitur S. Auguſtinus, *Omnipotentiſſima facilitate volentes ex nolentibus facit*: *Epiſt.* 107. ſalvis juribus libertatis. quamvis etiam nulla habenda eſſet ratio ſententiæ D. Thomæ à quo dictum eſt, quòd Deus *Omnipotentiâ ſuâ facit*, ut illud liberè velit voluntas ad quod movetur à Deo; & quod Deus immutabiliter movet voluntatem propter efficaciam ſuæ virtutis Divinæ, quæ deficere non poteſt: quamvis inquã ea omnia noſtræ ſentẽtiæ præſidia nullius momenti eſſe exiſtimari poſſet; attamen nulla omninò ratione negari poteſt, quin ex ea ſola Pontificia definitione quam ſuprà retulimus, maximum quantùm intelligi poteſt, robur ſententiæ noſtræ accedat.

ARTICULUS XXIII.

Probatio ultima efficacis per ſe gratiæ ex variis incommodis adverſę ſententiæ, quæ referuntur.

PRobata jàm, & explicata ſatis ſuperque S. Thomæ ſententia, juvabit plurimùm ſi adverſæ ſententiæ plura incommoda, quæ nos quidem gravia eſſe arbitramur, paucis recenſeamus, ex quibus liquidò conſtabit, quàm aliena ſit ea ſententia à mente D. Tho: atque illa etiam

quo

quorundam querela refelletur, qui conqueruntur, plura à nobis adversæ sententiæ affingi, quæ nunquàm illis Authoribus in mentem venerint, nobisque vitio vertunt, nos contendere ea necessariò deduci consectaria, quæ nullam cum eorum principiis connexionem habeant, ut citiùs possit è pumice aqua extundi. Igitur

Principium omnibus adversæ sententiæ defensoribus commune est, concursum causæ primæ non esse in ipsas inferiores causas, ipsamque voluntatem influxum, sed dumtaxat in effectus causarum, & voluntatis actus; ita ut causa prima non influat in causas, sed cum causis, & concursu solum simultaneo agat in ipsos effectus, eosq; producat: quòd nimirùm existiment, causas quidem suis facultatibus instructas satis in actu constitutas esse ut agant; voluntatem verò per sufficiens auxilium ita compleri, ut aliud minimè necessarium sit; adeò ut ejusmodi influxus in causis quidem naturalibus superfluus, ac deinde potissimùm libertati voluntatis omninò noxius esse videatur.

Et quidem in hoc communi principio, se à S. Thomę sententia recedere plurimi ex ipsis non diffitentur; quòd in S. Thoma apertior sit sententia de prævia motione Divina, quàm ut negari possit: quamvis alii deindè à D. Thoma retractatam fuisse eam sententiam contendant, ne sibi adversum esse S. Thomam fateantur. Etenim Molina in Concord. quæst. 14. art. 13. disput. 26. ita inquit: *D. Thomas* 1. par. quæst. 105. art. 5. *docet, Deum duplici ratione dici operari cum causis secundis: in primis, quia virtutes illis tribuit ad operandū, easque actu conservat, ut Durandus dicebat: deindè quia ita eas ad agendum movet*: „ ut „ quodammodò formas, & virtutes earū applicet „ ad operationē; non secùs atque artifex securim „ applicat ad scindēdum. Hujus verò rei rationem „ reddit, quoniam semper quando sunt multa „ agentia inter se ordinata, secundum ita agit vir„ tute primi, ut ab eo ad agendum moveatur.

Duo autem sunt, subdit Molina, *quę mihi difficultatē pariunt circa doctrinam hanc D. Thomæ.* „ Primum est, quòd non videam, quidnam sit „ motus ille, & applicatio in causis secundis, qua „ Deus illas ad agendum moveat, & applicet, quin „ potiùs existimem, ignem sine ulla sui mutatio„ ne calorem in aquam sibi admotam inducere.

Unde post pauca subdit iterum Molina: [*Quare ingenuè fateor, mihi valde difficilem esse ad intelligendum motionem, & applicationē hanc quam D. Thomas in causis secundis exigit.*] Ac deinde eadem sibi argumenta objicit, quæ olim S. Thomas sibi objecerat q. 3, de Potent. art. 7. ac illud potissimùm: quod si quis requireretur influxus, is sanè necessarius esset ad augendam vim causæ, & ea vi superaddita, causa potentior evaderet. At verò, non posset id præstare ejusmodi influxus: siquidem, & ipse influxus esset vis creata, adeoq; etiam inter causas secundas recensendus esset: unde iterùm altero influxu indigeret, ac esset processus in infinitum. Unde colligit, nullum influxum requiri. Huic argumento respondet S. Thomas loco citato, ut aliàs satis expendimus, cujus tamen solutionem dissimulat Molina, aut forsitan etiam non legerat: nullibi enim hujus meminisse animadverti.

Eundem in causas influxum negat Suarez, quamvis concessisset admissum fuisse à S. Thoma, eadem quæst. 3. de Potentia, de quo satis To. 1. diximus, neque necesse est, eandem serram reciprocare: & ut refert etiam Lemos lib. 4. par. 2. tract. 4. cap. 31. cùm primùm agitari cæpit ea controversia, atque authoritati D. Thomæ nostri maximè inniterentur; non diffitebantur ii qui secùs sentiebant; se à D. Thomæ sententia recedere, sed potiùs id expresè asserebant.

Ex eo autem principio ab Adversariis constituto, in primis deduci videtur, Deum, & causas secundas, ipsamque voluntatem, duas esse partiales causas, quæ simul in eundem effectum influant, ut sunt v. g. duo trahentes navim, quorum quilibet pro sua parte influit in effectum; unā verò alteram minimè movere, aut ipsi causam esse agendi. Et quidem cùm dubitari non possit, Deum primam causam influere in effectus causarum secundarum, si aliundè non influat in causam, eamque applicet ad agendum, saltem necesse est, quòd influat simul cum causa in effectum concursu simultaneo.

Atque ita expresè sentit Molina ead. disp. 26. in Concor. q. 14. ubi negato concursu prævio; ita cōcludit. *Ex dictis intelliget ur facilè, si sermo sit de causa integra, ut comprehēdit omnē ad actionem necessariā, sive ea universalis sit, sive particularis, Deū per concursum universalē cum causis secundis efficere unam integrā causam, coalescentem ex pluribus nō integris comparatione cujusque effectus; ita ut neque Deus per solum concursum universalem sine causis secundis, neque causæ secundæ sine concursu universali Dei sufficiant ad effectum producendum. At cùm dicimus, neque Deum per concursum universalē, neque causas secūdas esse integras, sed partiales causas effectuum; intelligendum id est de partialitate causæ, ut vocant, nō verò de partialitate effectus: totus quippe effectus, & à Deo est & à causis secundis; sed neque à Deo, neque à causis secundis, ut à tota causa, sed ut à parte causæ, quæ simul exigit concursum, & influxum alterius; nō secùs ac cùm duo trahunt navim, totus motus proficiscitur ab unoquoque trahentiū, sed non tāquam à tota causa motus; siquidē quivis eorum simul efficit cum altero omnes ac singulas partes ejusdem motus.* Hæc ibi.

Idem etiam repetit Molina eodem loco disp. 29. *Cùm* inquit: *Deus per concursum universalem, & causa secunda immediatè influant in effectum causæ secundæ, tanquàm duæ partes unius integræ causæ, quarum neutra, illis præcisè influxibus singularibus influit in alterā, sed utraque immediatè in effectum; fit ut neutra, illis præcisè influxibus singularibus, priùs altera concurrat.*

Verùm cùm statim menti occurrat, exigere conditionem causæ primæ, quòd priùs moveat

aliàs

alias cauſas inferiores ſibi ſubiectas; quo enim titulo, & jure dici poterit prima, ſi in eo ordine in quo cauſa eſt, prioritatem non habeat; id ſtatim deindè explicat Molina, ſervari ſcilicet cauſæ primæ ſua jura, inprimis, quia cauſa ſecunda, & ſuum eſſe, & vim operandi à Deo prima cauſa recipit, ac perpetuo influxu à Deo conſervatur; ac prætereà quia cauſa prima univerſalior priorque eſt exiſtendi conſequentia: rectè enim conſequitur, quòd ſi prima operetur, etiam operetur ſecunda: quod tamen ita limitat. *Dixi*, inquit, *ſi in communi ſpectetur, quoniam ſi concurſus Dei generalis ſumatur in ſingulari pro concurſu quo præcisè cùm hac cauſa ſecunda hic, & nunc ad ſingularem aliquem effectum concurrit, concurſus generalis Dei, neque illo modo eſt prior concurſu hujus cauſæ ſecundæ ad eundem effectum; ſed à ſe mutuò pendent quoad exiſtentiam, ut explicatum eſt.*

Hæc ibi Molina: quod alii etiam ultrò admittunt, à quibus dictum eſt, quòd humana voluntas concurrit, à Deo dependens, & Deus concurrit quaſi à voluntate dependens. Quæ conditio diminuens adjecta eſt, ne durior videatur ea comparatio. Sed tamen ſuperflua videtur ubi de ſolo influxu, & cauſalitate agitur; quamvis enim voluntas à Deo quantùm ad eſſe dependeat quod à Deo recepit; id tamen remotius eſt: ſupponitur enim jam cauſa ſecunda in ſuo eſſe conſtituta. Ea verò ſemel ita conſtituta manifeſtum eſt, quòd ſi Deus voluntatem priùs non moveat, neceſſe eſt ea ratione mutuam eſſe utriuſq; dependentiam: hæc enim eſt cauſarum partialium cõditio, ut rectè hac in parte Molina advertit, & rectè conſequi negari non poteſt, ubi tamen de operatione voluntatis in ordine naturæ agitur: quoad ordinem enim ſupernaturalem, aliquod diſcrimen eſſe negandum non eſt, & ipſe obſervat etiam ibidem eadẽ diſp. 29. [Latiſſimum eſſe diſcrimen, & maximè notandũ inter concurſum Dei univerſalem cum cauſis ſecundis ad agendum naturaliter, & auxilium particulare gratiamque prævenientẽ ad actus ſupernaturales quibus arbitrium ad gratiam diſponitur: Etenim omninò dicendum eſt concurſum Dei particularem gratiamve prævenientem ſemper vel tempore vel natura antecedere influxum liberi arbitrii ad actiones ſuas ſupernaturales, quibus ad gratiam gratum facientem diſponitur, tanquam cauſa principiumque efficiens, in liberum arbitrium immiſſum, quo mediante Deus ulteriùs unà cum libero influxu ejuſdem arbitrii in hujuſmodi opetationes ſupernaturales influit.]

Hæc ibi: quibus tamen non intelligit, auxilio illo prævenient, & particulari voluntatem in eo ordine quo agit determinari, eſſet enim prævenient, & determinans phyſicè, ſeu motio effectrix phyſicè. Quare neceſſe eſt, quòd etiam in ordine ſupernaturali Deum, & creatam voluntatem cauſas eſſe ſolùm partiales hic Author exiſtimet. Atque ita expreſsè inquit diſput. 36. ubi inquirit, quo pacto Deus ad ſupernaturales actus cum libero arbitrio concurrat; quibuſdam enim præmiſſis ita inquit: [His ita conſtitutis, cùm tangente Deo, ac excitante noſtrũ arbitriũ per auxiliũ gratiæ prævenientis, liberum illi ſit conſentire aut non conſentire, atque adeò elicere actum credendi, ſperandi, aut pœnitendi; conſtat profectò, liberum noſtrum arbitrium, & gratiam illam prævenientem, eſſe duas partes unius integræ cauſæ actus credẽdi, ſperandi, aut pœnitendi prout ad ſalutem oportet; ſinguloſque ejuſmodi actus pendere ab influxu tã liberi arbitrii, quàm gratiæ prævenientis; atque à libero quidem arbitrio habere ut actus illi quoad ſubſtantiam ſint credere, ſperare, aut pœnitere; ab influxu verò gratiæ prævenientis habere, ut ſint ſupernaturales, & quales ad ſalutẽ ſunt neceſſarii. Qaare quivis illorum actuum totus eſt à libero arbitrio, & totus à gratia prævenient, ſeu à Deo per eam tanquàm per ſupernaturale inſtrumentum in eundem actum influente; at à neutro eſt, ut à tota, & integra cauſa, ſed ut à parte integræ cauſæ.]

Hæc Molina: quibus ſtatim plura addit, potiſſimùm quòd actus v. g. Fidei habeat ab influxu liberi arbitrii quòd ſit Fidei aſſenſus quantùm ad ſubſtantiam; à gratia autem influente, quòd ſit actus ſupernaturalis. Quo pacto neceſſe eſt intelligat, actum Fidei quantùm ad ſubſtantiam non eſſe ſupernaturalem, ſed ſupernaturalitatem eſſe modum ſuperadditum ſubſtantiæ actus Fidei. Et verò ita expreſsè deinde explicat. [Cùm autem tam liberum arbitrium, quàm gratia prę-veniens ſint cauſæ ſecundæ actuum credendi, ſperandi, & pœnitendi, ut oportet: nulla verò cauſa ſecunda etiamſi ſupernaturalis ſit, efficere quicquam poſſit, niſi à Deo influente ſimul immediate per concurſum generalem in effectum adjuvetur; idque propterea quòd omnis univerſim effectus, ſicut à Deo pendet immediatè, ut conſervetur, ita etiam ut fiat, ut Diſputatione 25. & ſequentibus oſtenſum eſt: liquidò ſanè conſtat, ut liberum arbitrium unà cum gratia prævenient producat quemcumque illorum actuum, neceſſarium eſſe, ut Deus quoque unà cùm illis immediatè in actum producendum per concurſum ſuum univerſalem influat. Quo fit ut quivis illorũ trium actuum, licèt ſit unica actio (cui ſuus ſit proprius aſſignãdus terminus prnductus, ut qaæſt. 12. art. 2. hujus primæ partis oſtenſũ eſt,) tres nihilominùs habeat partes unius integræ cauſæ, à qua ita emanat totus, ut à ſingulis etiam partibus, partialitate, ut vocant, cauſæ, totus etiam emanet, diverſo tamen modo: etenim à Deo influente per ſolum concurſum generalem emanat, ut à cauſa univerſali, à qua proindè non habet magis quòd ſit ?, aſſenſus credendi, aut dolor de peccatis, quàm vel actus oppoſitus, vel actus cujuſvis alterius potentiæ. Ab influxu verò liberi arbitrii, unà cum notitiis, & cęteris neceſſariis, ut quoad ſubſtantiam actus producatur, habet tanquam à cauſa particulari, ut quoad ſubſtãtiam actûs, ſit potiùs aſsẽſus Fidei, aut dolor de peccatis, quàm

„ alius diversus actus. A gratia verò præveniente „ seu à Deo, ut per illa tanquam per suũ instru- „ mentum una cum libero arbitrio influit in eun- „ dem actũ, habet ut sit actus supernaturalis, spe- „ cie distinctus ab actu purè naturali credendi, aut „ dolendi de peccatis, quem liberum arbitrium „ suis solis viribus tunc eliceret, si cùm eo non „ influeret simul gratia præveniens. Quare à con- „ cnrsu Dei per gratiam prævenientẽ habet actus „ ille, ut sit dispositio congruam proportionem, „ & accommodationem habens cum dono justi- „ ficationis supernaturali.]

Liquet igitur ex admisso communi principio, scilicet Divinum concursum non esse influxum prævium in causas secundas, & creatam voluntatem, deduci primum illud consectarium, scilicet Deum, & voluntatem causas esse partiales: & quidem utrique convenire partialis causæ conditiones, scilicet quòd una alteram non determinet, neque priùs altera, vel in alteram agat, vel ipsi causa sit agendi; sed utraque ab altera dependeat. Et hæc quidem rectè deduci negari non potest: quamvis enim aliqui eam sententiam temperare conati sint; necesse tamen est in idem recidant: quia aut voluntas primò determinatur à Deo, vel seipsam primò determinat in eo ordine quo agit; vel Deus est ei causa agendi, vel ipsa sibi causa agendi est; vel ut primò agat dependet à Deo, vel non dependet: neque medium ullum esse potest. Quamvis enim vel effectus causæ secundæ, vel ipsa voluntatis actio deinde à Divino concursu dependeat; jam alia omninò res est. Loquimur enim, non de actione voluntatis, sed de voluntate agendi; vel de ipsa actione sub ea ratione quâ à voluntate dependet. Et clariùs, quæritur utrùm Deus in eo ordine in quo hominis voluntas agit voluntatem primò determinet, aut ipsa seipsam primò determinet. Quòd enim etiam seipsam voluntas determinet, nemo nostrum negat, & expresè id nos edocuit S. Thomas: sed arbitramur eam semetipsam determinare, ut secundum agens, quod à primo determinatur.

Et verò hoc primum adversæ sententiæ principium, & quod indè consectarium deducitur, omninò alienum esse à D. Thomæ sententia, quæcumque hactenùs retulimus satis superque demonstrant: cùm S. Doctor expresè eam partialitatem causarum negaverit, & perpetuò senserit, Deum cum causis secundis, etiam cum voluntate, salvis tamen juribus libertatis; non aliter concurrere quàm velut principale agens cum instrumento concurrit, quod applicat, quod movet, & cui causa est ut agat.

Quod autem ad S. Augustinum attinet, in primis agnoscit idem Molina, Sanctissimi Viri doctrinæ adversari, quæ de prædestinatione Divina ipse statuit, ac de usu liberi arbitrii, quem negat esse effectum prædestinationis aut gratiæ prævenientis, ut posteà referemus. Et quidem in concordia, quæst. 23. art. 4. membr. ultimo, sic habet. *Credens autem Augustinus cum iis quæ de gratia adversùs hæresim Pelagianam ex Scripturis rectissimè docuerat, conjunctum esse, prædestinationem Dei æternam non fuisse secundùm merita qualitatemque usus liberi arbitrii à Deo prævisi, sed solùm secundùm Dei electionem, & beneplacitum; juxtà eam sententiam Paulum ad Rom. 9. multis in suorũ operum locis interpretatus est, restrinxitque illud* 1. *ad Timot.* 2. „ Vult omnes homines salvos fieri „ *ut non de omnibus universim hominibus, sed de solis prædestinatis intelligeretur. Quæ doctrina plurimos ex Fidelibus, presertim ex iis qui in Gallia morabantur, non solùm indoctos, sed etiã doctissimos viros, atque in Episcopali dignitate constitutos, mirum in modũ turbavit, ne dicam illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam. Ne enim ejusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ ex parte assentiendum putabant, varios- que alios errores circa parvulorum prædestinationẽ confingebant. Id quod inter alia testantur duæ illæ Epistolæ à Prospero, & Hilario Arelatensi Episcopo ea de re ad Augustinum missæ, quæ inter opera Augustini ante librum de prædest. SS. habẽtur. &c.* posteà autem subjungit; *sententiam verò Augustini secutus est D. Thomas, & post eum plerique Scholasticorum.*

Hæc ibi Molina: quibus S. Thomæ sententiam eandem esse cum S. Augustini Doctrinâ sensit, & rectè quidem id advertit, à qua tamen sibi recedendum putat, quòd eam duriorem existimet, Sed illud sanè immeritò: eadem enim durities, & libertatis exitium perpetuò D. Augustino à Pelagianis objiciebantur, qua tamen querela S. Doctor minimè commovebatur, cùm nec ipse D. Paulus à prædicanda graruita Prædestinatione Dei, Divinæque ejus gratiæ efficacia ea duritie, quæ corruptæ naturæ videbatur avocatus fuisset.

A sententia autem S. Augustini se recessisse fatetnr expressiùs Molina, quòd ea difficiliùs, ut putat, libertatem hominis in tuto reponere possit, & à calumniis hæreticorum sui temporis vindicare. Undè aliam sibi viam ineundam esse existimavit, quæ facilior visa est, Undè ibidem sic „ inquit. [Nos pro nostra tenuitate rationem „ totam cõciliandi libertatem arbitrii cum Divi- „ na gratia, præscientia, & prædestinatione, se- „ quentibus principiis, ex quibus eã deduximus, „ quæque variis in locis tradidimus, inniti judica- „ mus: quæ si data explanataque semper fuissent, „ fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, ne- „ que Lutherani tã impudẽter arbitrii nostri li- „ bertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum „ Divina graria, præscientia, & prædestinatione „ cohærere non posse: neque ex Augustini opinio- „ ne, concertationibusque cum Pelagianis, tot „ Fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defe- „ cissent, facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum „ in Gallia, quarum in Epistolis Prosperi, & Hi- „ larii sit mentio, fuissent extinctæ.]

Hactenùs Molina, quæ sanè probari nobis non possunt, & quæ prætermittere potuisset hic Author: graviter enim hactenùs deluſa fuis-

set

set Ecclesia, quæ à D. Augustino prostratam fuisse Pelagii hæresim existimavit. Et cum verum vero adversum esse non possit, repugnat ea principia quibus S. Augustinus Pelagianorum hæresim debellavit, contraria esse principiis quibus hæresis Lutherana, & Calviniana vinci possit. Eadem fuit, eritque semper de Divina gratia veritas. Adversi sunt Pelagii, & Calvini errores, neque vinci unquam ulla hæresis poterit, nisi solius veritatis armis, quibus instructa à dextris & à sinistris, extremos, & secum invicem pugnantes errores devincet.

Iterùm ab ea SS. Augustini, & Thomæ sententia se recedere apertè Molina significat 1. par. quæst. 23. artic. 4. disput. 1. membr. 6. ubi cùm statuisset, prædestinationem fuisse factam ex consideratione usûs liberi arbitrii futuri; quod sanè, inquit, rigorem atque duritiem prædestinationis omninò gratuitæ quam alioquin altera sententia sonat, *ac continet aufert, hominum animos* sedat: deinde de S. Augustino inquit; *Interim verò dum sub ea caligine D. Augustinus hoc non attendit*: ad eam scilicet duritiem amovendam, cui tamen si S. Doctor attendisset, ut Molina arbitratur, existimasset prædestinationem Divinam fuisse factam ex præscientia usûs liberi arbitrii.

Sed tandem quamvis certò constaret eam fuisse SS. Augustini & Thomæ sententiam, eam tamen deserendam fore inquit quòd durior sit, & parùm Divinam clementiam deceat. *Imò verò*, inquit, *estò hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia quæ illis debetur maxima quoad illud secundùm admittenda non esset. Neque enim miror opinionem illam eo pacto intellectam à nobis duram nimis indignamque Divinâ clementiâ judicari*. Hæc ibi Molina.

Ex quibus liquet S. Thomæ sententiam omninò eandem esse cum S. Augustini sententia; ac prætereà fateri Molinam, se à D. Augustini, & D. Thomæ sententia recessisse. Quod verò inquit, eam à multis existimatam esse duriorem sententiam, & Divinâ clementiâ indignam, non rectè quidem ab ipso dictum est, & longè aliud S. Augustinus sensit, à quo dictum est, quòd tutiores sumus si totum Deo committimus: Et ut inquit idem Sanctus Doctor lib. de Dono Persever. cap. 22. *Cur metuimus Sanctorum Prædestinationem, & veram Dei gratiam, id est quæ non secundùm merita nostra datur, sicut eam Sancta Scriptura prædicat prædicare? An verò timendum est nè tunc homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperaret, si eam in se ipso superbissimus, & infelicissimus poneret?* Plurima in ea Molinæ verba animadverti possent, & forsitan deberent: sed ea tamen libens prætermitto.

ARTICULUS XXIV.

Alia Sententiæ adversæ incommoda aliquam esse in voluntate perfectionem quæ non sit à Deo &c.

ALterum quod ex adversa sententia incommodum oriri arbitramur, quandoque oriri negari non posse videtur; illud est: nimirùm, quòd aliqua sit in voluntate perfectio, & aliqua realitas, quæ ita sit à libertate ut non sit à Deo, nisi ut voluntatis Authore. Et sanè id non obscurè ex superiori corollario consequi videtur: si enim Deus, & voluntas humana causæ partiales sint, necesse est servari communem legem causarum partialium, atque adeò unam in alteram non influere, neque ipsi esse causam agendi; si enim Deus esset voluntati causa agendi, necesse foret ut priùs in ea influeret, & si in ea influeret, etiam & esset ipsi causa agendi; hæc enim invicem connexa sunt. Et hanc regulam statuit S. Thomas, quam in omni ordine rerum obtinere aliàs ostendimus, scilicet quòd res una non est causa directè actionis alterius, *Nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum*. 1. 2. quæst. 80. art. 1. & si quidem causa sit agendi moraliter, necesse est quòd proprium principium actûs moraliter moveat: si verò sit causa agendi in ordine physico, & per modum causæ efficientis est, quòd in eodem ordine efficientis causæ principium moveat. Unde si Deus sit causa voluntati agendi, necesse est, quòd eam Deus priùs moveat per modum causæ efficientis, in eamque influat, quòd adversa sententia negandum assumpsit.

Et verò ea consecutio ita aperta est, ut eam etiam Molina ipse deduxerit, eamque ut deduceret, vi argumenti quod ipsi objectum fuerat, productus sit. Etenim in Concordia quæst. 23. disput. 1. membr. 6. ubi S. Thomæ, & communiorem inter Scholasticos sententiam refert, [*Quam sententiam*, inquit deinde, *nonnulli ita defendunt, ut duplex auxilium Divinum constituant, quoddam efficax, quoddam sufficiens verumtamen inefficax*: quod quidem auxilium efficax à se ipso, non ex libertate arbitrii suam efficaciam habeat. Ac posteà *Certè*, inquit, *non dubitarem sententiã hanc hoc ultimo modo explicatã, errorem in Fide appellare*. Et quidem id præcipiti, ut arbitramur, judicio: nimio enim partiũ studio, pars ipse omnium præcipua, tenetur, ut ipsi fides habeatur. Defendit verò è contra, auxilii Divini efficaciam ab innata, & propria libertate pendere: alioquin quòd rectè voluntas ageret, non illi in meritum cederet, nec in laudem: quin potiùs periret, inquit, omninò libertas arbitrii ad salutẽ.

Posteà verò tria sibi objecta fuisse refert. „ [Primò quòd si ab influxu liberi nostri arbitrii „ cum auxilio, aut auxiliis Divinis pẽderet, quòd

„ Divina auxilia essent aut nō essent efficacia, ad
„ nostram conversionem, ultimamve dispositio-
„ nem ad gratiam: sequeretur, aliquid in conver-
„ sione nostra, & justificatione, esse à nobis, quod
„ non sit à Deo; nempè ejusmodi liberum influ-
„ xum, quo auxilia omnia efficacia redduntur;
„ quod tamen est contra illud ad Ephes. 2. *Ipsius*
„ *factura sumus creati in Christo Jesu in operibus*
„ *bonis que preparavit Deus ut in ipsis ambulemus*]
„ [Secundò autem quod sequeretur, initium
„ nostræ salutis, saltem quoad eum influxum à
„ quo illa pendet, esse à nobis, & non à Deo.
„ Tertiò demùm, quòd sequeretur, dari in ju-
„ stificatis aliquid ab ipsis quo à non justificatis
„ discernerentur, illosq; excederent; contra illud
„ 1. ad Cor. *Quis enim te discernit? Quid habes*
„ *quod non accepisti? Si autem accepisti quid glo-*
„ *riaris quasi non acceperis?* Quo fit ut dicendum
„ necessariò sit, etiam influxum illum liberi ar-
„ bitrii esse à Deo determinante, ac movente
„ arbitrium ipsum per auxilium efficax ad ta-
„ lem liberum influxum, & consensum.

Et sanè hæc tria potissima sunt quæ cùm in hac gravissima controversia à D. Thomæ sententia ipse Molina aliique se recedere palàm profiterentur, S. Thomæ Discipuli objiciebant, & adhuc objicimus; quòd scilicet nulla solida solutione ejusmodi argumenta soluta hactenus fuisse, nec solvi unquam posse arbitremur. Si enim præveniens auxilium Divinum de quo dumtaxàt agebatur ex se se efficaciam non habeat, necesse est ex innata arbitrii libertate eam habeat: si voluntatem præveniens gratia non determinet. Ergo erit aliquid à voluntate quod sub ea ratione non erit à præveniente gratia, vel à Deo gratiæ Authore. Ex quo deinde alia consequūtur, quòd nempè initium salutis in solam voluntatem refundi debeat; habeatque voluntas aliquid quo se discernat.

His autem Argumentis ita respondet ipse citatus Author: & ad primum quod præcipuum est, concedit, aliquid esse à voluntate quod non sit à Deo Authore gratiæ: idq; explicat eo exemplo, & comparatione causarum partialium. Si enim Deus in voluntatem non influat, necesse est quòd Deus, & voluntas causæ partiales sint: si verò causæ partiales sunt, spontè consequitur ex ea lege, & conditione partialium causarum, aliquam esse in voluntate hominis perfectionem quæ non sit à Deo Authore gratiæ, scilicet hoc ipsum quòd ipsamet voluntas se se determinet. Unde sic habet.

[„ Ad primam harum objectionum distinguen-
„ dum est consequens: si enim dum in eo infer-
„ tur sequi, aliquid in nostra conversione esse
„ à nobis quod non sit à Deo, sermo sit de ope-
„ re aut actione quæ sit à nobis, & non simul ac
„ præcipuè à Deo eam per influxum suum, au-
„ xilia, ac dona evehente ad supernaturale esse,
„ gratiæ gratum facienti in suo ordine, & gra-
„ du commensuratum, neganda est consecutio:
„ omnia namque opera quibus vel ad gratiam
„ disponimur, vel comparata jam gratia in vi-
„ tam æternam proficimus, præparavit nobis
„ Deus in Christo, cujus meritis supernaturalia
„ auxilia ac dona nobis confert, quibus illa
„ exercere valeamus, ipseque est Auctor ac præci-
„ puus effector eorum operum in nobis. Cùm
„ verò Paulus dicat, Deum ea præparasse ut in
„ ipsis ambularemus; sanè non excluſit, quin
„ potiùs expressit, liberum nostrum influxum
„ in eadem opera, ratione cujus nostra etiam
„ essent à nobis liberè, unà cum Deo effecta,
„ tanquam gressus nostri, quibus, cooperante
„ Deo, nos ipsi in vitam æternam tendimus.
„ Porrò liber noster influxus ad nostras superna-
„ turales actiones, licèt sit ipsæmet actiones ac
„ operationes totæ totalitate effectûs, ut vocant,
„ quæ à Deo supernaturaliter influente, & à no-
„ bis tanquam à duabus partibus unius integræ
„ causæ emanant; est tamen illæ actiones, ut
„ præcisè spectantur, quatenùs ab arbitrio liberè
„ influente emanant, non verò quatenus simul
„ proficiscuntur totæ à Deo totalitate similiter
„ effectûs, ut quæst. 14. art. 13. & aliàs sæpè ex-
„ plicatum est. Quo fit ut non solùm nulla res
„ sit in illis actionibus, sed neque ulla ratio for-
„ malis quæ non sit efficienter tum ab arbitrio
„ nostro, tum etiam à Deo supernaturaliter in
„ easdem influente. Quemadmodùm quando
„ duo trahunt navim, nihil est in tractione, &
„ motu, quod sit ab uno trahentium, & non
„ sit simul ab alio: cùm tamen totus ipse mo-
„ tus, totaque actio, quatenùs spectatur ut præ-
„ cisè emanat ab uno, dicatur influxus illius, &
„ quatenùs spectetur ut præcisè proficiscitur ab
„ alio, dicatur influxus alterius. Si verò in
„ consequente sit sermo de aliquo, hoc est de
„ realitate aut formalitate aliqua, non quidem
„ quæ spectetur simpliciter, sed præcisè ut ema-
„ nat ab una parte integræ suæ causæ, quo pacto
„ actiones nostræ supernaturales quæ simul à
„ Deo, & à nobis fiunt, quatenùs præcisè à no-
„ stro arbitrio procedunt, dicuntur influxus no-
„ stri arbitrii; concedendum est, dari aliquid
„ quod sit à nostro arbitrio, & non aliter, ea
„ præcisè consideratione à Deo, nisi tanquam à
„ naturæ, ipsiusque liberi arbitrii Auctore, qui
„ eam facultatem nobis contulit, ut eo pacto
„ liberè nostras actiones bonas cum eo coopera-
„ remur, eaque ratione in laudem ac meritum
„ nobis cederent, tanquam quæ eo modo in no-
„ stra essent potestate.

Hactenùs ibi Molina: quibus concedit, & ex suis principiis apertè colligi arbitratur, (ut reipsà colligi negari non potest: aliquam esse realitatem, aut formalitatem quandam, non quidem quæ spectetur simpliciter, sed præcisè, ut emanat à libero arbitrio, quæ sub ea ratione ita sit ab ipso libero hominis arbitrio, ut sub illa ratione non sit à Deo, ut gratiæ Auctore. Rectè quidem si solius consecutionis ratio haberetur: quamvis enim ipsa voluntatis operatio absolutè secundùm se tota sit à Deo, & tota sit à voluntate, sicut tractio navis tota est ab uno, & tota etiam ab

altero

altero trahentium navim : attamen ſub ea ratione qua eſt ab uno , repugnat etiam eſſe ab altero . Cùm enim unus trahentium non ſit alteri trahendi cauſa , hoc ipſum quod eſt eſſe cauſam trahendi , neceſſe eſt quòd quilibet directè habeat à ſe ipſo : & ſi unus directè cauſa tractionis alterius , neceſſe foret quòd ipſum ad trahendum moveret , ex ea regula ſuperiùs à S. Thoma conſtituta .

Ex ea autem ſolutione quid duplici poſteriori Argumento reſponderi poſſit ſatis liquet , ut minimè neceſſe ſit eadem omnia citati Authoris verba referre . Ad ſecundum igitur negat , voluntatem ſibi eſſe principium ſalutis duplici de cauſa : Primò quia antecedunt dona prævenientis gratiæ , & excitantis liberum hominis arbitrium ad conſentiendum . Unde influxus ille liberi arbitrii non poteſt , inquit præfatus Author , eſſe origo , & principium noſtræ ſalutis , cùm multa illum antecedant . Secundò quia ille influxus eſt etiam à Deo cooperante per auxilia gratiæ . Divina gratia cooperatur libero arbitrio , atque hujus operatio tota , & gratiæ , & Deo , & creatæ voluntati cooperanti tribuitur .

Verùm nullo planè modo vim Argumenti infringit ea ſolutio . Cùm enim , ut ſupra ex eo Authore dictum eſt , influxus liberi arbitrii , ut emanat ab ipſo libero arbitrio , nec ſit effectus cooperantis gratiæ , ut ſatis conſtat ; ſiquidem cooperans gratia non movet priùs proprium principium , ſcilicet humanam voluntatem , ad influendum ; neque aliundè etiam ea præveniens gratia in genere , & ordine cauſæ ſufficientis voluntatem moveat , ſed dumtaxat in genere cauſæ moralis ; evidens eſſe videtur non poſſe intelligi quin voluntas in genere , & ordine efficientis cauſæ , ſit ſibi principium ſalutis : ſiquidem à ſola voluntate primò incipit motus hic , & determinatio voluntatis , cùm nec ab ipſa præveniente gratia , nec à gratia cooperante , primò incipiat . Unde planè invictum eſſe argumentum videtur , cùm ea ſolutio illud concedat quod à noſtris , ut graviſſimum incommodum urgebatur . Neque enim unquam à noſtris in dubium revocatum eſt , quin antecederet etiam aliquando tempore præveniens gratia moralis , neque in controverſiam venerat , utrùm ſimultaneo concurſu , & cooperante gratia Deus cum voluntare ageret : quis enim de ea re inter Theologos dubitaſſet ? de ſola igitur præveniente gratia in ordine phyſico , & in genere efficientis cauſæ agebatur , & agetur perpetuò , donec S. Sedis Apoſtolicæ judicium hanc litem compoſuerit : & contendunt SS. Auguſtini , & Thomæ Diſcipuli , quòd niſi in genere efficientis cauſæ , gratia præveniens voluntatem noſtram determinet , nullum medium relictum ſit ; ſed neceſſe ſit quòd voluntas ſe ipſam primò determinet , adeòque in eo genere , & ordine cauſæ efficientis (quæ ſola vera cauſa eſt) à ſe ipſa habeat ſuæ ſalutis initium . Quantumvis enim quis contendat , eam determinationem eſſe ipſam actionem voluntatis ad quam cooperans gratia concurrit ; evidens tamen eſt , eam determinationem non eſſe voluntatis humanæ actionem quocumque modo , ſed ut emanat ab ipſo libero arbitrio : neque intelligi poteſt , Deum præveniente gratia cauſam eſſe determinationis voluntatis , niſi ipſam voluntatem determinet . Atque idipſum ſatis advertit prædictus Author , illudque conceſſit , ex quo arbitramur conſequi voluntatem in eodem ordine in quo agit , habere à ſe principium ſuæ ſalutis .

Ad *Tertium* eodem modo reſpondet idem Author , aliquid eſſe in juſtificatis , ut emanat à libero arbitrio , quòd ſub ea ratione à Deo Authore gratiæ acceptum non ſit . „ Si , inquit , intel-
„ ligatur , ſequi , dari in juſtificatis aliquid ſu-
„ pernaturale , quod non ſimpliciter , ſed ut præ-
„ cisè à libero arbitrio , tanquam à parte integræ
„ cauſæ , ſpectatumque eo modo rationem habet
„ concurſus liberi arbitrii , ſit ab ipſo libero ar-
„ bitrio , in eoque diſcernatur juſtificatus à non
„ juſtificatis ; ſeu potiùs in effectu ipſo ſuperna-
„ turali , ſpectato ſimiliter , ut præcisè emanat à
„ libero arbitrio , & ut in poteſtate arbitrii eſt ,
„ conſentire tunc aut non conſentire , ut Triden-
„ tinum Concilium definit , teſtaturque expe-
„ rientia interna cujuſque noſtrûm ; concedenda
„ eſt conſecutio , neque id negare intendit Pau-
„ lus , neque à quoquam , ſalva Fide Catholica ,
„ negari poteſt . Ea enim de cauſa , qui juſtifica-
„ tur , & qui poſt acceptam juſtitiam coopera-
„ tur cum gratia , mereturque incrementũ illius
„ dignus eſt laude , honorificanduſque eſt à Pa-
„ tre Cæleſti in ſempiterna Beatitudine . Ac ſa-
„ nè , ſicut præſente tentatione , qui conſenſum illi
„ præbet , & peccat ac amittit gratiam liberè in
„ talẽ influit , utpotè ſpõte ſua ſe ipſum determi-
„ nans per liberum arbitrium , ad eum cõſenſum ,
„ ſuoquæ arbitrio abutens ad actum , ad quem à
„ Deo collatum illi non fuerat ; neque Deus eſt
„ qui ad eum actum arbitrium illius determinat ,
„ aut inclinat per efficacem aliquem prævium
„ motum , & applicationem ad id volendum ,
„ ſed ſolùm cooperatur cum illo tanquam cauſa
„ univerſalis concurſu indifferenti ad conſensũ
„ vel diſſenſum : ita quando præſto exiſtente
„ auxilio Dei ſufficiente (quod Deus neque ei
„ qui in peccatum conſentit denegat :) aliquis
„ tentationi reſiſtit , victoriamque comparat , &
„ meretur gratiæ augmentum ; ipſe eſt qui libe-
„ rè , minimèque à Deo prædeterminatus , ſed
„ ſolùm adjutus , ſe ipſum determinat , & influit
„ diſſenſum , potenſque eſt tunc influere conſen-
„ ſum in tentationem , & peccare , ut Concilium
„ Tridentinum definit . Conſenſus ergo in tenta-
„ tionem , quia eſt abuſus liberi arbitrii , neque
„ eſt à Deo ad id inclinante , immò neque aliter
„ adjuvante , quàm per concurſum univerſalem
„ de ſe indifferentem ad bonum , & ad malum ,
„ non tribuitur Deo etiam ut naturæ Authori ,
„ ſed ſolùm libero arbitrio , nequitiæque pecca-
„ toris . Diſſenſus verò in tentationem , victoria-
„ que illa tribuitur Deo , tum ut naturę Authori ,

„ qui

„ qui ad id liberum arbitrium contulit : tum
„ etiam ut inclinanti, & adjuvanti per gratiam
„ gratum facientem, atque alia auxilia ad eam
„ victoriam, illamque intendenti ; non verò tan-
„ quam eo pacto prædeterminanti, & applicanti
„ arbitrium, per motum, & auxilium ex parte
„ Dei solùm, & non ex parte arbitrii creati effi-
„ cax ; ut in potestate arbitrii non fuerit in illo
„ eodem temporis momento, in quo in dissen-
„ sum influit, & comparavit victoriam, produ-
„ cere consensum, & tentationi succumbere.

Hactenùs ibi : quæ sanè multis & validè, ut nobis videtur, impugnari possunt. Et in primis, quòd nullo planè modo argumentum solutum sit, neque etiam ab eo Authore negetur id quod vis argumenti postulabat ; scilicet, aliquid esse quo se se justificatus à non justificato discernit ; ipsam scilicet determinationem, seu ipsum influxum arbitrii, ut ab ipso libero arbitrio dimanat. Neque enim unquam hi à quibus argumentum objiciebatur dubitaverant, quin eam operationem voluntatis, vel moralis gratia antecederet, vel cooperans gratia, & simultaneus concursus efficeret : eoque sensu satis intelligebant, nihil habere voluntatem creatam quo se se ipsam discerneret : sed illud dumtaxàt urgebant, quòd si præveniens gratia voluntatem non determinet, ea determinatio ut est à libero arbitrio, dumtaxàt foret ab ipso libero arbitrio ; atque adeò quòd in eo ordine, & genere causæ efficientis, se se justificatus discerneret : Atqui id minimè superior solutio negat, nec verò negare potest : Ergo in ordine physico, & per modum causæ efficientis, quæ sola vera causa est, se se voluntas discernit : quod sanè B. Apostolo adversari videtur. Cùm enim ab eo dictum est, *Quis te discernit ?* intellexit dubio procul, nihil omninò esse, & quocumque modo quod ipsa gratia, non quidem communis, & creationis, sed gratia ipsa supernaturalis non tribuat : de quo jam plura ex S. Augustino retulimus, & statim alia addemus.

Secundò : Impugnatur, quòd videatur ea deceptionis causa fuisse, quòd ut supra etiam advertimus, parem ad bonum, & ad malum facultatem esse animæ, adversa sententia existimet : Atqui id omninò à Sacra Scriptura, Conciliis, Patribus, ratione, ipsaque experientia, & in primis à Divi Augustini mente alieniſſimum est. Perpetuò enim in hoc versatur Sanctus Doctor, ut illud D. Pauli urgeat : *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Rom. 7. 24. & illud : *Caro concupiscit adversùs Spiritum &c* : ad Galat. 5. 17. aliaque ejusmodi, quæ eam infelicitatem hominis esse ostendunt, ut non quæcumque vult homo, ea faciat. Unde S. Augustinus lib. de Perfect. Justitiæ c. 4. *Per arbitrii libertatē factum est ut homo esset cum peccato : sed jam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate facit necessitatem. Unde ad Deum Fides clamat* : De necessitatibus meis eripe me : *sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere.* Et alia quæ in eandem rem plurima subjicit, quibus certissimum est, gravissimo naturæ, & corruptionis pondere animum deprimi : *Trahitur enim ad malè operandum concupiscentia dominante, atque fallente dulcedine peccati prohibiti*, ut inquit idē Sanctus Doctor qu. 1. ad Simplicianum. Unde & Apostolus inquit : *Non ego operor illud*, nimirùm quia *victus operatur : cupiditas quippè id operatur cui superanti ceditur ; ut autem non cedatur, sitq; mens hominis adversùs cupiditatem robustior, gratia facit.* Et alia plura quæ tota ea quæstione prosequitur, quâ explicanda susceperat pro voto Simpliciani ea D. Pauli verba Rom. 7. 24. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus &c.* Quamvis enim ita ea ibi explicet, ut existimet, ea dici ex persona hominis sub lege constituti ; attamen posteà lib. 4. de Prædestin. SS. c. 4. etiā *probabiliùs* agnovit, posse intelligi de eo conflictu, quo caro concupiscit adversùs spiritum etiam in homine spirituali : Atqui ea satis significant, longè impares esse in hoc conflictu naturales animi nostri vires, & fortiorem fore tentationem, & concupiscentiam tentatione accensam, quàm ut vinci à nobis possit, nisi voluntas Divinâ gratiâ firmetur. Neque verum est, quòd eodem modo possit liberum arbitrium, & non consentire, & consentire tentationi : utrumque potest propter libertatem arbitrii ; sed non eodem modo utrumque potest propter infirmitatem ejusdem arbitrii : neque ideò verum est auferri homini libertatem, sed dumtaxàt libertatem læsam, & infirmam esse, & ut inquit S. Augustinus eadem quæst. 1. ad Simplician. *Videtur quidem non rectè intelligentibus* (his verbis Apostolus) *auferre liberum arbitrium ; sed quomodò aufert, cùm dicat velle adjacet mihi ? Certè enim ipsum velle in potestate est quoniam adjacet nobis : sed quòd perficere bonum non est in nostra potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non enim est hæc prima natura hominis, sed delicti pœna, per quam facta est ipsa mortalitas quasi secunda natura, unde nos liberat gratia Conditoris.*

Non ergo negatur libertas, si pari modo consentire, & dissentire posse negetur ; sed ostenditur, quòd ad bonum attinet, læsam esse hominis libertatem. Et verò quis graviter læsam fuisse negare possit, cùm à Concilio Arausicano Canon. 24. expressè definitum sit, fuisse *Per peccatum hominis inclinatum, & attenuatum liberum arbitrium.* Imò ut dixerat Canon. 1. *Per offensam prævaricationis Adæ, totum, id est secundùm corpus, & animam in deterius hominem commutatū fuisse.* Unde & peccato hominis, & corruptione ipsius naturæ imminutam esse ejus inclinationem ad bonum egregiè probat Divus Thomas 1. 2. quæst. 85. quam naturæ humanæ corruptionem duo illa pœnalia animæ comitantur, scilicet ignorantia veri, & difficultas recti ; unde oriuntur & error, & cruciatus, ut ibidem refert ex Divo Augustino lib. de Natura, & Gratia cap. 67. atque indè oritur, quòd, ut observat ibidem Sanctus Thomas quæst. 71. quamvis rationi maximè

con-

conſentanea ſit virtus ; attamen eam pauciores amplectuntur, *quia lata eſt via, quæ ducit ad perditionem* Matth. 7. & quia *cùm per operationem ſenſus homo perveniat ad actus rationis : ideò plures ſequũtur inclinationes naturæ ſenſitivæ, quàm ordinem rationis : plures enim ſunt qui aſſequuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perveniunt*.

Atque hæc dubio procul in ſe ſe quiſque perſentit ; multò ſcilic. difficilius eſſe virtutis exercitiũ: *Facilis* enim eſt *deſcenſus Averni ; Sed revocare gradum*, atque in eo potiſſimùm diu ſtare *hoc opus* difficillimum, *hic* graviſſimus *labor eſt*, animiſque opus eſt, & pectore firmo.

Ex quibus compertiſſimum eſt, quàm immeritò hæc duo invicem comparentur, poteſtas ſcilicet ad malum, & poteſtas ad bonum, quaſi æquè expedita utraque ſit ; & præſente tentatione, æquè poſſit humana voluntas & conſentire, & diſſentire, & legitima conſequentia ſit ; quia qui præſente tentatione ſe vinci ſinit, & ſe ipſo labitur ; ideò etiam qui reſiſtit tentationi, eamque vincit etiam à ſeipſo, ſeipſum adversùs tentationem erigat, & firmat. Contrà enim eſt ; nam qui labitur, ipſa ſuæ naturæ infirmitate labitur ; qui verò ſtat, & ſeipſum adverſus tentationem erigit gratia Divina firmatur, & roboratur. Et ut aliàs de lapide diximus, ut ſurſùm feratur, vel detineatur, neceſſe eſt vi quadam vel projici, vel retineri ; cùm tamen ut decidat, ſatis ſit ipſum ſibimet, ſuoque ponderi relinqui. Ita planè ut hominis voluntas in peccatum labatur, ſatis eſt ipſam ſibimet à Deo relinqui : verùm ut ad virttutem feratur, neceſſe eſt ipſam vi quadam ſupernaturali, & Motione Divinæ gratiæ impelli.

Atque inde impugnari facilè poteſt, illud quod dictum eſt ſuprà, ita S. Tridentinum Concilium intellexiſſe. Falſum enim id omninò. Definit equidem Tridentinum, conſentire vel non conſentire eſſe ex liberi arbitrii poteſtate : quis hoc neget ? Sed utriuſque eandem eſſe rationem tantùm abeſt ut Tridentinum definierit, ut econtrà oppoſitum definiiſſe videatur, eadẽ ſeſs. 6. Can. 6. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona Deus operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli : Anathema ſit.* Dixit equidem Sacrum Concilium, in poteſtate hominis eſſe, vias ſuas malas facere ; ſed non addidit, eſſe etiam in poteſtate hominis vias ſuas bonas facere ; ut ſcilicet inter utramque poteſtatem, conſtituere æqualitatem videretur. Poſſe vias ſuas malas facere, infelix corruptæ hominis naturæ poteſtas eſt : ſed poſſe vias ſuas bonas facere Divina gratia confert hominis voluntati.

Atque id explicat deindè Sacrum Concilum, dum inquit ; quòd propriè, & per ſe vocationem Pauli præveniens gratia Divina effecit. Ex quo concludi poſſe videtur, veram eſſe in genere efficientis cauſæ, & in ordine phyſico, gratiæ prævenientis efficaciam : ſiquidem ea ſolùm propriè, & per ſe efficacia eſt, cùm moralis efficacia ſit dumtaxat metaphorica : ut alibi cum de Sacro Tridentino Concilio agebatur, demonſtravimus, Et verò quod ad proditionem Judæ attinet, longè alio modo ſe res habet. Deus enim eam non effecit, ſed dumtaxat permiſit : quia ad malum ſatis ſibi ſufficit liberum arbitrium ; ad bonum autem, quod cum ſalute conjunctum eſt, nihil eſt, ipſum liberum arbitrium, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono ſcilicet Deo ; & ut definit Concilium Arauſicanum Can. 22. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum ; ſi quid autem habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt quem debemus ſitire in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via*.

Plurima addi poſſent, quibus nihil effici ea triplici adverſariorum ſolutione demonſtraretur ; ſed hæc omnia quæ continet, certiſſimis Divi Auguſtini ac D. Thomæ principiis repugnare ; illudque potiſſimùm, ſcilicet aliquam eſſe perfectionem, nimirùm eam determinationem voluntatis creatæ, quæ ut emanat à libero arbitrio, ita eſt liberi arbitrii ut non ſit à Deo, niſi ut liberi arbitrii authore. Sed plura alia poſteà addenda ſunt, majorem etiam vim habitura cum alia corollaria à nobis explicata fuerint. Sed

Impugnari demùm poteſt, quod dubitari non poſſit, adverſam eſſe S. Thomæ ſententiam, cùm prænominatus Author eodem loco circa finem, expreſsè à D. Thomæ ſententia receſſiſſe fateatur ; *Salva*, inquit, *reverentia quæ D. Thomæ debetur magna, non miror ſi communior Scholaſticorum ſententia, præſertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ hoc loco ad tertium ſonare videntur à multis duranimis indignaque Divina bonitate, & clementia judicetur*.

Hoc animadvertiſſe neceſſe eſt, contra eos qui S. Thomæ Diſcipulis objiciunt, ipſos ſuum Magiſtrum Divum Thomam deſeruiſſe ; cùm econtrà Molina hujus Adverſariorum ſententiæ primus Author ; apertè ſe Divum Thomam deſeruiſſe fateatur. Quòd vero inquit communiùs aliter ſentire Scholaſticos omnino à vero alienum eſt.

ARTICULUS XXV.

Alia iterum ejuſdem ſententiæ adverſæ incommoda recenſentur : uſum gratiæ non eſſe effectum prævenientis gratiæ &c.

EX ſuperioribus, & ex eodem adverſæ ſententiæ principio, Deum & voluntatem cauſas eſſe partiales, ipſumque influxum liberi arbitrii, *ut emanat à libero arbitrio, non eſſe à Deo niſi ut authore liberi arbitrii*, apertè conſequitur, uſum ipſius liberi arbitrii, neque prævenientis gratiæ, neque Divinæ prædeſtinationis effectum

eſſe ;

esse. Neque enim aliud esse potest usus liberi arbitrii, præter ipsum influxum, ut à libero arbitrio emanat; quare si influxus peculiaris, ut est à libero arbitrio, non sit à Deo immediatè, & ut authore gratiæ, sed solùm à Deo authore naturæ, etiam consequens est, liberi arbitrii usum non esse effectum prævenientis gratiæ. Et verò legitimam esse consequentiam agnovit ipsemet Molina 1.par. qu. 23. Disput.1. Membr.10. quod est appendix superioris. Admittit enim quòd si de bono usu liberi arbitrii absolutè, & simpliciter loquendum sit, dubio procul est effectus, & prædestinationis, & gratiæ prævenientis. Sed inquit:examinandum restat utrùm idem bonus usus spectatus ut præcisè emanat ab arbitrio ipso, suaque innata ac naturali libertate dicendus sit effectus prædestinationis, At verò hoc pacto concedit non esse prædestinationis effectum nec gratiæ prævenientis; idemque sæpiùs repetit, ac potissimùm versùs finem, ubi cùm sibi objecisset argumentum quo probatur debere actum liberi arbitrii esse effectum prævenientis gratiæ. Respondet: quòd [*negauda est consequentia qua infertur: Ergo actus ille, etiam ut est à libero arbitrio, est effectus gratiæ prævenientis, & per consequens prædestinationis*: si consequens intelligatur de eo actu præcisè spectato,ut emanat à peculiari illo, & proprio influxu liberi arbitrii insuper necessario: non enim eo modo spectatus, effectus est gratiæ prævenientis, *sed solius arbitrii*: id quod sanè ea quæ sequuntur manifestè confirmant.]

[Quòd enim(subdit) actus à gratia præveniẽte, & ab arbitrio elicitus liber sit, eaq;de causa capax rationis virtutis,laudis,& honoris,quæ propter eũ homiui liberè eo pacto influeuti tribuãtur,profecto nõ est effectus gratiæ prævenientis, sed arbitrii per eum influxũ. Gratia namq; prę-veniens determinata est ad unum,eoq;ipso, quòd tunc in arbitrio prædestinati recipitur, ex necessitate naturæ movet, ac sollicitat: ipsum autẽ arbitriũ est, quod sua innata libertate per eum influxum sibi proprium liberè agit, ex eoq; solo influxu habet actus ille, quòd liberè ab homine prædestinato eliciatur, eaque ratione in laudem,& honorem ipsi cedit.]

Hæc ibi Molina: in quibus animadverti plurima possunt,quæ cùm SS.Augustini,&Thomę principiis cohærere non videntur. Concedit enim in primis influxum liberi arbitrii, qui propriè est usus ipsius, esse effectum *solius arbitrii*. Neque id quomodocumque concludit, sed probare etiam nititur: tum quia aliàs actus elicitus non esset capax laudis, & honoris, nisi esset solius arbitrii: tum quia gratia est determinata ad unum: unde quantùm est de se ad unum determinatè movet, Atque adeò discrimen oriri non potest nisi ex innata libertate, & ex solo libero arbitrio. Hoc sanè gravissimum incommodum esse nos arbitramur. Quid enim dici aliud possit, quo magis gratia Divina deprimatur, aut voluntatis humanæ vires contra ipsam Divinam gratiam extollantur. Quo etiam pacto intelligi poterit, salutem hominis non oriri *ex fonte volendi*, & ipsam voluntatem non esse sibi salutis principium. Sed de his jam satis suprà dictum est. Et quidem dubitari non potest, quin etiam suas partes humana voluntas habeat in eo salutis negotio, quod ad eam maximè spectat: sed aliud est influxum esse ipsius liberi arbitrii, & aliud est esse *solius arbitrii*. Primum compertissimum est: sed non minùs videtur alterum esse falsum. Agitur enim, & movetur à Deo voluntas hominis, non ut ipsa nihil agat, sed ut agat: verumtamen ideò etiam agitur, ut non sola agat. Sed de his vide suprà.

Quartum incommodum, quod ex iisdem principiis consequitur, est, usum liberi arbitrii, seu voluntatis cooperationem cum Divina gratia, oriri *ex sola libertate voluntatis, communi & bonis, & malis*, idest naturali. Et quidem si influxus prout scilicet est assensus liberi arbitrii, & ut ab ipso emanat; sit solius liberi arbitrii; si non sit effectus prævenientis gratiæ; necesse est, quòd sit à sola libertate naturali, quæ sola communis est bonis, & malis: naturalia enim dumtaxat communia sunt. Sed præterquàm quòd ea consecutio apertè deducitur ex superioribus; eam etiam agnoscit citatus Author ibidem; ubi immediatè post ea quæ supra retulimus, statim hoc ipsum consectarium infert. [Quòd item è duobus qui æquali motu gratiæ præveniuntur,ac movẽtur, unus consentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum, & convertatur, alter verò non; *Certè solùm provenit ab innata ac propria, & intrinseca libertate utriusque, bonis, & malis reprobis, & prædestinatis communi*. Gratia namque præveniens ex parte sua æqualiter utrumq; movet, naturæq; necessitate ex parte sua agit: ex eo autem quòd unus eorũ liberè adhibere vult influxum illum sui arbitrii proprium, & alter non, unus eorum convertitur, alter non item.]

Nihil itaque a nobis imponitur. Influxus prout emanat à libero arbitrio, non est effectus prævenientis gratiæ; est solius arbitrii; provenit ea innata propria, & intrinseca hominis libertate. Idq; semper eadem ratione, quia gratia uno dumtaxat modo, & determinatè ac necessariò movet; si æqualis sit in duobus,æqualiter utrumque movet. Unde igitur oriri posset utriusque discrimen, nisi ex innata, & intrinseca libertate, & ex eo quod unus vult,alius non vult influxum adhibere? Non negatur equidem præveniens moralis gratia, quæ ipsam voluntatem alliciat, & blandè invitet; sed ea ipsum voluntatis consensum non efficit: esset enim hic consensus, effectus prævenientis gratiæ: & præveniens gratia in eo ordine, quo agit voluntas, eam determinaret, & inflecteret, cujus jam oppositum tanquam principium adversę sententiæ constitutum est. Hinc verò alterum &

Quintum incommodum oritur, scilicet quòd efficacia Divinæ gratiæ non vi ipsius Divini auxilii, qua superet auxilium dumtaxat sufficiens, sed ex usu,consensu, cooperatione, & influxu humani arbitrii, & quidem solius liberi arbitrii, &

innatæ

innatæ propriæ, & intrinſecæ voluntatis oriatur. Atque id habet idem Author eodem loco, ac immediatè poſt verba jam ſuprà ultimo loco relata. „ Ita enim habet (Ex eodem capite affirmamus, „ quòd auxilia prævenientis gratiæ efficacia ſint, „ aut inefficacia ad converſionem, pendere ab eo- „ dem influxu arbitrio proprio. Quòd item unus „ cum æquali auxilio gratiæ præveniẽtis, aut cum „ æqualibus aliis donis, poſtquam eſt juſtificatus, „ intenſiùs aut remiſſiùs operetur, ferventiùs aut „ tepidus, eaque de cauſa is qui intensè ac fervidè „ operatur, dignus efficiatur, cui plura peccata „ quoad pœnã remittantur, & cui tribuantur dona „ quæ à ſegnibus auferuntur, utiq; ab influxu ipſi „ arbitrio proprio emanat: rationeq; illius dicũtur „ magis, aut minùs ſtrenuè uti gratia, itemque ea „ nobis oblata velle uti aut non uti, adhibendo „ aut ſuſpendendo talem influxũ nobis propriũ.)

Atque ea propria eſt hujus Authoris ſententia, efficaciam Divinæ gratiæ oriri ex conſenſu voluntatis, idemque auxilium in variis varios effectus habere, non quidem ex vi ſua, nulla enim in uno major eſt quàm in altero, ſed ex ipſo conſenſu voluntatis, ſeu ut diximus ſuprà ex uſu ſolius arbitrii. Unde in concordia quæſt. 14. diſput. 38. quæ eſt ad præcedentem appendix, cùm dixiſſet, à ſe quidem non negari diſcrimen auxilii in ſufficiens, & efficax, attamen quo pacto in- „ telligi velit, ita explicat. (quo fit, ut diviſio ſuf- „ ficientis auxilii in efficax, & inefficax, noſtra „ ſententia, ab effectu qui ſimul ab arbitrii liber- „ tate pendet, ſumatur; illudque auxilium ſuffi- „ ciens, ſive minus in ſe ſit, efficax dicatur, cum „ quo arbitrium pro ſua libertate convertitur, cũ „ tamen nihil eo auxilio impediente potuerit nõ „ converti: illud verò inefficax dicatur, cum quo „ arbitrium pro eadẽ ſua libertate non convertitur, cum tamen potuerit: alioquin tale auxi- „ lium ſufficiens non eſſet ad converſionem.)

Hæc ibi præfatus Author: quantumvis igitur æquale auxilium eſſe intelligatur, in uno eſſe poteſt efficax, & in altero inefficax: ſed ideò efficax, quia unus pro ſua libertate convertitur alius non convertitur. Atque hic adverti etiam poteſt, eãdem ſemper deceptionem eſſe, aut deceptionis cauſam, quòd eam poteſtatem æqualem in bonum, & malum eſſe exiſtimaverit, quaſi pari momento cùm iiſdem auxiliis ſicut non converti, ita & converti quiſque poſſit: quod etiam ſatis ſtatim idem Au- „ thor ſignificat: ita enim inquit. (Hinc quinto „ loco aſſerimus, auxilia prævenientis atque adju- „ vantis gratiæ, quæ lege ordinaria viatoribus „ conferuntur, quòd efficacia aut inefficacia ad „ converſionem ſeu juſtificationem ſint, pendere „ à libero cõſenſu, & cooperatione arbitrii noſtri „ cùm illis. Atque adeò in libera poteſtate noſtra „ eſſe, vel illa efficacia reddere conſentiendo, & „ cooperando cùm illis ad actus quibus ad juſtifi- „ cationem diſponimur, vel inefficacia illa red- „ dere, continendo conſenſum, & cooperationem „ noſtram, aut etiam eliciẽdo contrarium diſſen- „ ſum. Hoc ſanè eſt, quòd diſſertiſſimis verbis de- „ finit Conciliũ Trident.) Hæc ibi idem Molina.

Abſit tamen, quòd exiſtimemus, eandem æqualitatem conſtitutam fuiſſe à S. Tridentino Concilio; cùm econtrà expreſſiſſimè diſcrimen, & quidem latiſſimum inter utrumque conſtituat. Poteſt aſſentire voluntas humana motioni Dei ejuſque gratiæ prævenienti, poteſt & diſſentire. Quis neget? Sed longè diſpar utriuſque eſt ratio, ut ſuprà ex eodem S. Concilio advertimus: quòd enim voluntas diſentiat Divinæ motioni, propriè malitiæ eſt; quòd autem ei conſentiat, ipſius Dei gratiæ eſt. Et quis credat, nihil magis etiã in ſanctioribus Viris Deum præveniente gratia operari quàm in aliis: nam quòd attinet ad moralem gratiam, quæ antecedit, majorem eſſe in uno quàm in alio nemo negat: ſed ea nihil in voluntate efficit, neque enim ea gratia moralis pertinet ad genus cauſæ efficientis: ſed quantùm ad veram efficientiam, ſi ea adverſa ſententia verum haberet, nihil Deus magis efficeret præveniente gratia in his qui ferventiſſimos actus eliciunt, quã in his qui remiſſiſſimi ſunt in exercitio virtutum. Id puto nemo ex Sanctis Viris concederet, qui ſuæ imbecillitatis conſcii ſatis ſciunt, tantùm ſe operari quantùm gratia Divina moventur, ſeù quantùm Divina gratia in ipſis efficit. Atque eadem eſt illis gratitudo animi, quæ fuit olim Samüeli 1. Reg. 7. 12. qui poſt reportatam de Philiſtæis victoriam: *Tulit lapidem unum inter Maſphah, & Sen & vocavit nomen loci illius, lapis adjutorii, dicens: hucuſq; auxiliatus eſt nobis Dominus*: nimirùm non militum fortitudini viribuſq; ſed Divino adjutorio victoriam ita tribuebat, ut hujus magnitudinem ex magnitudine, & quantitate Divini auxilii metiendam eſſe ſignificaret. Atque ea eſt expreſſa S. Thomæ ſententia 1.2.q.112. art. 4. ubi cùm inquireret, utrum gratia ſit major in uno quàm in alio, inquit, quòd ratio quidem diverſitatis ex parte ſubjecti eſſe poteſt, ex eo quòd unus alio perfectiorem diſpoſitionem adhibeat, majori enim diſpoſitioni plenior gratia tribuitur. *Sed tamen* inquit, *ex hac parte non poteſt accipi prima ratio hujus diverſitatis: quia præparatio non eſt hominis, niſi in quantùm liberum arbitrium præparatur à Deo. Unde prima cauſa hujus diverſitatis accipienda ex parte ipſius Dei, qui diverſimodè ſuæ gratiæ dona diſpenſat, ad hoc quòd ex diverſis gradibus pulchritudo, & perfectio Eccleſiæ conſurgat: ſicut etiam diverſos gradus rerum inſtituit ut eſſet univerſum perfectum. Unde & Apoſtolus ad Epheſ. 2. poſtquam dixerat*; „ unicuiq; data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti, *enumeratis diverſis gratiis, ſubjungit*; „ ad conſummationem Sanctorum in ædificationem Corporis Chriſti. „ Hactenus S. Thomas. Quibus primam inæqualitatis cauſam cur unus alio perfectiùs, ideſt vel intenſiùs, vel remiſſius virtutem exerceat, ſeque ad gratiam à Deo recipiendam diſponat, non in ſolùm arbitrium, & innatam libertatem refundit, ſed in ipſam Divinam gratiam, & menſuram donationis Chriſti; quia ut jam dixerat S. Doctor art. 2. *Quæcumque præpara-*

tio esse potest, est ex auxilio Dei moventis. Communis enim est omnium hominum impotentia in his quæ ad salutem pertinent; si quis alium superet, non sibi tribuat, sed Divinæ gratiæ. Nam ut inquit Apostolus 1. ad Corinth. 12. 6. *Divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*: & quidem ut postea inquit idem Apostolus, *Deus omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult*, non autem prout homo vult. Quamvis enim, & ipsa voluntas hominis agat, non enim à Deo movetur, ut sit otiosa: attamen ipsa humana voluntas non potest esse prima causa suæ operationis, sed solùm ipsa Divina voluntas, quę operatur omnia non cooperatrice dumtaxat gratia, & simultaneo concursu, sed etiam gratia præveniente, & physicè effectrice, quæ scil. immutat vias hominum, eosq; distinguit. Eccl. 35. ut ex variis gradibus sanctitatis ipsa Ecclesiæ pulchritudo consurgat: hæ sunt enim pelles Salomonis varietas SS. ut explicat D. Bernar. in Cantica".

Sextum incommodum ex iisdem principiis sequitur: nimirum oriri non ab ipsa Divina gratia, sed à sola hominis voluntate, liberoque ejus arbitrio, & innata libertate, quòd unus consentiat, alius verò dissentiat. Et quidem in solam voluntatem refundi, quòd dissentiat Deo moventi, cùm reipsà ei dissentit, nos ipsi fatemur: cùm creata voluntas sit dumtaxat principium deficiens, ut inquit S. Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. quia ex nihilo facta est, ut Tomo 1. dictum est in solutionibus argumentorum. Sed quòd etiam ex sola libertate oriatur, quòd consentiat Divinæ gratiæ & motioni, cùm reipsà ei consentit, id gravissimum inconveniens esse arbitramur. Et tamen ultro id concedit Molina, loco superiùs citato 1. par. quæst. 23. disp. 1. Membr. 10. ubi ita habet:

„ (Quòd item à duobus qui æquali motu gratiæ
„ præveniuntur, ac moventur, unus consentiat,
„ concurrat cùm gratia, eliciat actum, & conver-
„ tatur, alter verò non; certè solum provenit ab
„ innata ac propria, & intrinseca libertate, utriusque, bonis & malis, reprobis, & prędestinatis cō-
„ muni. Gratia namque præveniens ex parte sua
„ æqualiter utrumque movet, naturæque necessi-
„ tate ex parte sua agit: ex eo autem quòd unus
„ eorum liberè adhibere vult influxum illum sui
„ arbitrii proprium, & alter non, unus eorum
„ convertitur, alter non item.

En planè clarissimè constitutam eam æqualitatem inter utramque, & assentiendi, & dissentiendi facultatem, & utrumque, non minùs assentire, quàm dissentire, innatæ ac propriæ, & intrinsecæ libertati adscriptum.

Atque illud explicat idem Author comparatione habituum: certum enim est quòd habitus inclinant voluntatem in similes actus, est enim habitus inclinatio quædam superaddita potentiæ. Unde eadem ferè est, & potentiæ, & habitus comparatio: tendit voluntas in bonum, novum veluti pondus addit habitus, quo fortiùs in bonum inclinetur. Verùm cùm habitus voluntatem non determinet, nec sibi eam subiiciat, necessè est econtrà, quòd ipsa voluntas habitum sibi quantùm ad usum subiiciat, ipsumque applicet, ac determinet; cumque jam ipsa voluntas priùs natura à se determinata fuerit, habitumque applicuerit, tunc ipse habitus ad actum concurrit: quod sanè quisque in se se experitur. Unde certum est, quoties voluntas cùm habitu concurrit, ab ipsa voluntate motum, & determinationem primò incipere; unde primum ex quo incipit motus ipsa est voluntas, quæ se se pro suo arbitrio ipsumque habitum deindè applicat. Idem planè de Divina gratia sententia adversa existimat: sola voluntas nominis est, quæ pro sua innata libertate seipsam, & gratiam flectit, & determinat: unde ipsa voluntas est à qua incipit motus seu actio, ipsaque veluti prima causa est cur existat in rerum natura ea cooperatio. Atque ita habet prænominatus Author in concordia quæst. 14. disp. 38. quæ est ad

„ prædecentem appendix: (Sicut enim, inquit,
„ habitus, tam naturales quam supernaturales
„ virtutum, quia inclinant potentias ad actus, ha-
„ bilesque proindè ad illos eas reddunt, concur-
„ runt cùm eis efficienter ad actus suo partiali ac
„ proprio influxu in eos influendo: ita cum gratia
„ præveniens alliciat, invitet, & inclinet poten-
„ tias ad supernaturales illos actus eliciēdos, uti-
„ que quando potentiæ consentiunt gratiæ exci-
„ tanti, in actusq; influunt ad quos gratia allicit, &
„ invitat, ipsamet etiam gratia influet, & coope-
„ rabitur cùm potentiis eosdem actos. Porrò sicut
„ quòd existat in rerum natura influxus habituū
„ ad actus virtutum quos potentiæ eliciunt, pen-
„ det ab influxu ipsarummet potentiarum in eos-
„ dem actus; eò quòd habitus sufficiens causa non
„ sit sine potentiarum concursu ad tales actus
„ producendos: ita quòd in rerum naturâ existat
„ novus ille influxus gratię prevenientis in actus
„ credendi, sperandi, diligendi, ac pœnitendi, pēdet
„ à cooperatione, & influxu liberi nostri arbitrii
„ in eosdem actus per intellectum, & voluntatē;
„ eò quòd similiter gratia præveniens causa suf-
„ ficiens non sit eorundem actuum sine nostri ar-
„ bitrii in eos cooperatione ac influxu.

Hæc ibi: quæ quidem satis hujus Authoris mentem explicant, & verò si ea sententia partialium causarum obtineat, si visus arbitrii nostri non sit effectus prævenientis gratiæ; dubitari non potest quin opportunissima sit comparatio auxilii Divini cùm habitu naturali. Sed hæc omnia, & principia, & consectaria, & exempla alienissima esse à SS. Augustini, & Thomæ sententia omnino arbitramur, & jam ex hactenùs dictis satis constat, & magis deindè demonstrabimus.

Septimum prætereà ex ejusdem Authoris principiis adhuc *inconveniens* oritur: nimirùm quòd si ea, quæ hactenùs retulimus obtineant, hæc causalis propriissimè, & directè erit verissima: Quia voluntas humana vult, Deus eam adjuvat, & cum ipsa cooperatur: & hæc erit falsa; quia Deus voluntatem adjuvat, eamque facit sibi cooperari, ideò ipsi voluntas cooperatur, & vult. Etenim quòd in rerum natura existat influxus, & coopera-

ratio

ratio gratiæ, pendet à cooperatione liberi, & quidem ſolius liberi arbitrii, ut ſuprà dictum eſt. Ergo propriiſſimè dicendum erit; quia voluntas vult, ideò gratia cooperatur, ideoque etiam Deus vult & voluntati cooperatur. Atque id demonſtrat comparatio Divini auxilii cum habitu. Ideò enim ego utor habitu quia volo, neque facit habitus, ut ipſo utar, quia habitus non tribuit ſui ipſius uſum, ſed omninò quantùm ad uſum voluntati ſubiicitur: Ergo etiam rectè dici poterit, ideò utor Divino auxilio, quia volo, nec facit ipſum auxilium ut ipſo uti velim, & reipsà utar, nec voluntatem ſibi ſubiicit, ſed ipſi quantùm ad uſum ſubiicitur. Et quamvis ex ſuperioribus id apertiſſimè deducatur, attamen id etiam apertiſſimè Bellarminus habet aut in Bellarmino poſitum eſt, dictum enim ab ipſo non puto; lib. 4. de gratia & libero arbitr. cap. 15, ubi explicat rationem concordiæ Divinæ cooperationis cùm libero arbitrio. Suppoſita verò ſtatim ea ſententia, quæ exiſtimat, ipſum concurſum Dei non determinare voluntatem, neque aliquid in ipſam „ imprimere, inquit: [Hinc conſequitur quòd ne„ que Deus determinet ſive neceſſitet voluntatẽ, „ neque voluntas Deum: nam & uterque concur„ ſum ſuum liberè adhibet; & ſi alter nolit con„ currere, opus non fiet. Simile eſt cum duo fe„ rũt ingentem lapidẽ quẽ unus ferre nõ poſſet: „ neuter enim alteri vires addit, aut eũ impellit, „ & utriq; liberũ eſt, onus relinquere: quamquam „ Deus, niſi extraordinariè miraculũ operari ve„ lit, ſemper concurrit quando voluntas noſtra „ concurrit, quoniã ad hoc ſe liberè quodammo„ do obligavit quando liberam voluntatem crea„ vit. Ex quo etiam ſequitur, ut licet in eodem „ prorſus momento temporis, & naturæ Deus, & „ voluntas operari incipiat; tamen Deus opere„ tur quia voluntas operatur, & non econtrà. Et „ hoc eſt quòd aliqui dicunt, voluntatem priùs „ natura operari quàm Deum, non prioritate „ inſtantis in quo, ſed à quo.]

Hæc ibi, quæ ſane à Bellarmino ex propria ſententia dicta fuiſſe non arbitror: parum enim ea conſentiunt cùm his, quæ habet ibidem lib. 1. c. 12, ubi de ea ſententia, quæ efficaciam gratiæ conſtituit in aſſenſu, & cooperatione humana, quæque eſt efficax ex effectu, quæ dubio procul Molinæ ſententia eſt, inquit: quòd *hæc opinio aliena eſt omninò à ſententia D. Auguſtini; & quantum ego exiſtimo, etiam Scripturarum Divinarum*, & plura, quæ Bellarminus proſequitur: & quæ Lectorẽ rogo ut apud ipſum Bellarminum conſulat.

At verò quo pacto iſta jungi poſſint? negat Bellarminus efficaciam prævenientis gratiæ ex effectu ſeu conſenſu voluntatis humanæ oriri; & tamen hic inquit, non ideò voluntatem operari quia Deus vult, efficitque, ut operetur: ſed ideò Deum operari, quia voluntas vult, & quia operatur priùs natura voluntas, quàm Deus operetur. Hæc enim ſi vera ſint, ſatis ſignificant, ex conſenſu voluntatis humanæ efficaciam gratiæ Divinæ oriri; & tamen jam antea dixerat idem Bellarminus, eam ſententiam à ſenſu Divinarum Scripturarum eſſe alienam.

Et præterea eodem loco lib. 4. cap. 16. alteram S. Thomæ ſententiam refert, ſcilicet Deum ita concurrere cum cauſis ſecundis etiam liberis, ut non ſolùm eis dederit, & conſervet virtutes operatrices, ſed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognoſci poteſt inquit ex 1. p. qu. 105. art. 5. & lib. 3. cont. gent. cap. 70. & quæſt. 3. de potent. art. 7. *Quæ ſententia*, ſubdit, *videtur valde conſentanea, tum Scripturæ, quæ dicit nos in Deo eſſe, vivere, & moveri, act. 17, tum etiam rationi, & ordini quem habet prima cauſa cum ſecundis*.

Difficile ſanè eſt, iſta ſimul jungi, & ſatis ſuadere poſſunt, quòd hic unus, & alter aſſuitur pannus. Sed ut ut ſit, ex ea ſententia quæ negat, à Deo voluntatem noſtram determinari, & quæ Deum, & voluntatem cauſas eſſe partiales exiſtimat, apertè prædictus author eam cauſalem deducit, & veriſſimam eſſe arbitratur: Ideò Deus operatur, quia voluntas operatur, & non econtrà, & voluntatem priùs natura operari quàm Deus operetur. Nec verò res nova, & inſolita in diverſa ſententia videri debet: quantumvis enim id durum videatur, primas voluntati partes tribui, & Deo poſteriores; tamen ex ea communi ſententia ſequitur quòd Deus voluntatem non determinet: ſi enim ita eſt; Ergo neceſſe eſt quòd voluntas primò ſeſe determinet, & tunc ipſe Deus cum voluntate noſtra aget. Neque poteſt ultimum negari, ſi primum conceſſum fuerit.

Idem habet Leſſius in Tractatu de gratia efficaci cap. 11. num. 11. [Fatemur, inquit, libe„ rum arbitrium directè eſſe cauſam cur hic, & „ nunc Deus influat in opus, tum per dona ſua, „ tum per ſe ipſum: non autem Deum aut gra„ tiam, cur liberum arbitriũ hic, & nunc influat. „ Non enim ideò hic, & nunc fit hoc opus, quia „ Deus abſolutè vult illud hic, & nunc fieri, aut „ gratia ex ſe determinat voluntatem, & hic & „ nunc illud faciat, ſed quia voluntas Divinitùs „ præparata vult hic, & nunc illud facere] hæc ibi Leſſius, & rectè quidem ſi conſecutionis ratio habeatur: ſi enim gratia volũtatem non determinet, non igitur cauſa eſt cur hic, & nunc ipſa voluntas agat. Quæ igitur cauſa erit? voluntas ipſa, quæ ſubindè ejuſmodi negotii ſalutis primum erit principium. Quod verò inquit, voluntatem Divinitùs præparatam velle agere; intelligit præparari Divino auxilio planè indifferente, quod cùm voluntatem non determinet, determinationem voluntati inſtar habitus relinquit.

Hinc verò alterum, *& octavum inconveniens*, & corollarium conſequitur ſcilicet Divinum auxilium prævenies, quantùm ad uſum ſubiici poteſtati liberi arbitrii. Si enim ex innata, & propria libertate oriatur, quòd auxilium natura ſua dumtaxat ſufficiens, fiat efficax; ſi voluntas humana ſit cauſa cur gratia Divina influat, manifeſtum eſt eam gratiam quantùm ad uſum à libe-

libero arbitrio dependere, ipſique ſubiici.

Atque id expreſſit ſatis Molina ſuperiori loco, in concordia quæſt. 14. diſp. 38. quæ eſt ad præcedentem appendix, ubi comparationem habi- „ tuum adhibet. (Sicut quòd exiſtat in rerum „ natura influxus habituum ad actus virtutum „ quos potentiæ eliciunt, pendet ab influxu ipſa- „ rummet potentiarũ in eoſdem actus; ita quòd „ in rerũ natura exiſtat novus ille influxus gra- „ tiæ prævenientis in actus credendi, ſperandi, „ diligendi, ac pœnitendi, & pendet à cooperatio- „ ne, & influxu liberi arbitrii.) Idem quoque ſæ- „ pius ibidem repetit, potiſſimùm versùs finem, „ ubi eandem comparationẽ habituum uſurpat. „ [Licet (inquit) gratia prævenies qua prævenies „ eſt, antecedat conſenſum noſtri arbitrii, & coo- „ perationẽ ipſius ad actus credendi, ſperandi, & „ pœnitendi, quibus ad Deũ convertimur; influ- „ xus tamen, & cooperatio ejuſdem gratiæ cum „ noſtro arbitrio ad eoſdẽ actus à quo gratia prę- „ veniens rationem ſortitur gratiæ cooperantis, „ non antecedit liberum noſtrum conſenſum, & „ cooperationẽ ad noſtram converſionẽ, ſed con- „ comitatur, & ab ea pendet, non ſecùs atq; con- „ curſus, & influxus habituũ, & virtutũ ad noſtras „ operationes pendet à cooperatione ipſarũ po- „ tentiarum, ut ſuprà fuit explicatum: id quod in „ cauſa eſt ut habitibus utamur ad noſtras opera- „ tiones, quandò pro arbitrio noſtro volumus.]

Idem cæteri ejuſdem Societatis, & Scholæ Theologi aſſerunt: Suarez lib. 1. de concurſu Dei c. 10. dicit, quòd ut ipſa motio Divina in actum ſecundum exeat à noſtra libertate pendere, vel illius liberum uſum expectare, & cap. 16. num. 11. quòd tota illa motio Divina, quantùm eſt ex ſe ſubjacet poteſtati liberi arbitrii quo ad actualem. Idem inquit Leſſius.

Hæc ſanè omnia rectè ex iiſdem Molinæ principiis deduci negari non poteſt, neque ullus contra Dialecticæ leges error eſt. An verò cum SS. Auguſtini, & Thomæ ſententia æquè conſentiant, eorum judicio relinquo qui utriuſque Eccleſiæ Doctoris principiis imbuti ſunt.

Nonum autem *incommodum* inde ſequitur, ſcilicet Deum expectare conſenſum voluntatis humanæ. Allicit enim præveniens gratia incitatque voluntatem, ſed cum eum conſenſum non efficiat, neceſſe eſt quòd eam voluntatis determinationem expectet, ut cum voluntate concurrat. Atque id manifeſtiſſimè etiam habet Suarez opere poſthumo, ubi inquit [Negamus, Deum expectare voluntatem hominis, ut eam vocet; fatemur autem expectare, ut jam vocatus conſentiat cum auxilio ejuſdem gratiæ.] Et ſanè res aperta eſt: Deus motione morali movet, incitat, allicitque hominis voluntatem: manet tamen adhuc ad agendum ſuſpenſa voluntas, & neque adhuc in poteſtate Dei eſt quòd eam determinet, & ad agendum applicet: neceſſe igitur eſt quòd Deus expectet conſenſum voluntatis, quem ita in ſua poteſtate voluntas habet, ut etiam in poteſtate Dei non ſit, efficere ut voluntas agat, & velit agere; ſed ea voluntatis gloria, & laus eſt, ut Deus ipſe conſenſum voluntatis humanæ expectare debeat, neque ipſum efficere poſſit. Atque eadem eſſe aliorum ſententia videtur, licet forſitan iiſdem terminis eam non explicent. quid enim aliud reipsà ſignificat, influxum liberi arbitrii illud eſſe quod Deus exigit, ut cum eo ipſe Deus cooperetur? Sed illud ut alterum conſectarium ſeorsùm reponendum eſt. Vide tamen quæ diximus Tom. 1. p. 427.

Decimum igitur *incommodum*, & conſectarium quod ex ea ſententia oritur, illud eſt, ſcilicet aliquid eſſe quod Deus præveniente ſua gratia in hominis voluntate non efficiat, quodque ipſe Deus exigat ex parte liberi arbitrii ut cum eo cooperetur. Quod quamvis ex ſuperioribus ſatis exploratum ſit, expreſsè tamen Molina ex ſuis principiis illud ſequi conceſſit in concord. qu. 23. diſput. 1. memb. 8. ubi explicat, quantùm integer effectus prædeſtinationis à libero adulti arbitrio pendeat. Poſtquam enim plurima ſuperioribus ſimillima ſtatuiſſet, ſubjungit.

„ [Ex his omnibus illud in primis non obſcu- „ rè deducitur, totum, & ſingulas partes.... ſu- „ pernaturales uſus liberi arbitrii, qui in integro „ effectu prædeſtinationis adulti includitur, ſive „ is ſit uſus quo adultus liberè ad fidem, ſpem, „ charitatem, & primam gratiam ſe diſponit, ſi- „ ve quo, poſt acceptã juſtitiam, liberè exercet ſu- „ pernaturalia opera quibus incrementũ gratiæ, „ & vitæ æternæ promeretur, à peccatis abſtinet, „ difficultates ſuperat; tentationibuſque reſiſtit, „ habere duas cauſas liberas, & à qualibet earum „ tanquam à parte unius integræ cauſæ pendere. „ Prior ac præcipua Deus eſt, qui per ſua bona, „ concurſum, & auxilia cooperatur totum illum „ bonum uſum, & ſingulas illius partes. Poſte- „ rior ac minùs præcipua ipſum arbitrium, quod „ libero ſuo influxu ad eundem ſupernaturalem „ ſuum uſum, & ſingulas illius partes cooperatur. „ Quarè quemmadmodum totus, & ſingulæ illius „ partes, à Deo pendent, & efficiuntur; ita etiam „ à libero ipſo arbitrio. Sicut item ſi Deus ſuper- „ naturaliter in illum, & in ſingulas illius partes, „ nollet influere, omnino non eſſent: ità ſi arbi- „ trium ipſum, ut poteſt, in ſingulas illius partes „ non cooperaretur, penitùs non eſſent. Quæ „ omnia latè explicata ſunt qu. 14. art. 13. Si er- „ go bonus uſus ſupernaturalis arbitrii, & ſingu- „ læ illius partes ſpectentur, ut prædicto modo à „ Deo tanquã à quadam parte totius cauſæ pro- „ ficiſcuntur, bonus uſus liberi arbitrii includi- „ tur in integro effectu prædeſtinationis adulti „ tanquàm pars quædam illius. Si verò ſpectetur, „ ut præcisè ab arbitrio creato emanat tanquam „ ab altera parte integræ illius cauſæ, habet ſe ex „ parte prædeſtinati, eſtque id quod Deus ab eo „ exigit, ut cooperetur etiam ad ſuã ſalutem, di- „ gnuſque præmio æterno per propria merita, „ quæ dona etiam ſunt Dei, efficiatur.]

Hæc ibi, Molina: ubi Deum equidem priorem ac præcipuam cauſam nominat; ita enim

dicen-

dicendum fuit: quis enim aliter dici ferre potuiſſet? ſed tamen ita dicitur, & reipsà nihilominus falſum eſt: eo enim ſolùm ſenſu intelligitur Deum eſſe, & priorem, & præcipuam cauſam, quia moraliter voluntatem hominis prævenit, & deindè quia cum ipſa voluntate cooperatur, & ſimultaneo concurſu ipſum actum liberi arbitrii efficit. Sed quis non videat ſplendidis terminis prioris, & præcipuæ cauſæ, rem omninò diverſam ſupponi: loquimur enim de cauſalitate vera, & propria, & in eodem ordine quo voluntas hominis agit. At verò in illo ordine quænam prior cauſa eſt? Non equidem præveniens gratia Divina, neque enim illa voluntatem priùs determinat: erit ergo voluntas. Et verò ita eſt in hujus ſententiæ principiis; non enim ideò voluntas operatur, quòd Deus efficiat, ut ipſa voluntas operetur, & velit; ſed ideò Deus cum voluntate cooperatur, quia voluntas vult: Ergo in illo ordine priores partes habet voluntas. Neque quidquam eſt quòd voluntas jam à Deo creata, & conſtituta, ut ita dixerim Deo cedat, ſaltem ſi Deus conſtitutum à ſe ordinem ſervare, & relinquere velit, neque miraculo ſtatum rerum invertat. Et ſanè quæ deindè ab eodem authore dicta ſunt hunc ſenſum ſatis ſignificant, cùm inquit, (quòd ſi ſpectetur uſus liberi arbitrii ut præcisè ab arbitrio humano emanat, eſt id quod Deus ab eo exigit ut cooperetur.) Si Deus à libero arbitrio exigit ipſius uſum, neceſſe eſt quòd ipſum expectet: prior ergo uſus ille eſt. Et ſanè adeò hæc aperta ſunt, ut non intellectorem acutum, ſed tantummodò intentum deſiderent auditorem, ut inquit S. Auguſtinus. In ea enim citati authoris ſantentia prævenit Deus equidem voluntatem motione morali, ſed ea cauſalitas metaphorica eſt, & ſi cum altera cauſalitate in qua voluntas agit, & ſe ſe determinat conferatur, ea dubio procul inferior eſt. Unde ſi de præveniente gratia ſermo ſit, dubium non eſt, quin voluntas, & priorem, & præcipuam partem habeat; cùm ea præveniens gratia expectet conſenſum voluntatis, & libero ejus arbitrio dependeat, quòd in rerum natura uſus ille arbitrii exiſtat. Si verò de cooperante gratia, & ſimultaneo concurſu ſermo ſit, agit equidem Deus in genere cauſæ efficientis, ſed agit etiam voluntas, atque hujus ratione habita, abſolutè loquendo, & tempore, nulla cauſa prior dicenda eſt, cum utraque ſimultatem habeat. Sed tamen adhuc prior natura voluntas eſt, & voluntatis determinatio ut dixit Bellarminus, & prioritate inſtantis à quo, non in quo. Cur enim Deus actu, & reipsà cooperatur, ratio eſt, quia voluntas vult; & non econtrà, voluntas vult, quia in ipſa Deus operetur ut velit, ut jam ſuprà diximus. Unde dubio procul conformius ad hujus ſententiæ principia à Leſſio dictum eſt, quòd liberum arbitrium eſt cauſa principalis. Et ſanè cùm expreſsè dictum ſit, uſum liberi arbitrii eſſe illud quod Deus exigit ut cooperetur, manifeſtiſſimum eſt, potiorem eſſe voluntatis partem in eo agendi genere cujus exigitur conſenſus, & influxus, ut Deus cooperetur. Sd ut ut ſit de terminis quibus ea ſententia involvitur. Quod ad rem ipſam attinet, quam plurima, potiſſimum ex D. Aug. & D. Tho. ad ea refellenda afferri poſſent; ſed cùm jam multa à nobis toto opere dicta ſint, ea quæ retulimus detexiſſe ſatis ſit, cum ut à D. Irenæo dictum eſt, lib. 3. interdum aliqua victoria videri poſſit aliorum ſententiæ manifeſtatio.

ARTICULUS XXVI.

Solvitur commune Argumentum ex illo Matth. 11. 21. Væ tibi Corozain &c. Egregia D. Thomæ explicatio.

ARgumenta omnia quæ ferè obiici poſſunt, jam ſuperiori Tomo à D. Thoma præoccupata, & ſoluta fuiſſe jam ſatis fusè oſtendimus: Unum ſupereſſe videtur, quòd etiam à D. Thoma non fuiſſe prætermiſſum monſtrabimus, & cujus etiam ſolutio ab eo ſanctiſſimo Præceptore erit deſumenda. Igitur

Obiici ſolet Argumentum ex comparatione quam Chriſtus inſtituit inter Corozaitas, & Bethſaitas ex una parte, & Tyrios ac Sidonios ex altera: & ex increpatione, quæ Judæos præ Tyriis infidelibus reprehendit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone, factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Matth. 11. Atqui ſi præter communem omnibus ſufficientem gratiam major gratia efficax neceſſaria eſſet ad rectè operandum, non fuiſſet juſta increpatio. Siquidem non eſt æqua increpatio, ſi juſta ſit defenſio: Atqui juſta potuiſſet eſſe defenſio; quia ſi Tyrii egiſſent pœnitentiam, hoc ideò quia major ipſis collata fuiſſet gratia, & potiora auxilia præter ſufficientia: Atqui etiam ſi hæc efficax gratia Corozaitis fuiſſet à Deo collata, ſi eadem conceſſa fuiſſent efficacia auxilia, etiam iis adjuti, & impulſi non minùs egiſſent pœnitentiam; quia ea gratia eſt quæ à nullo duro corde reſpuitur. Prætereà quæ juſta comparatio eſſe poſſit, niſi omnia ſint æqualia? Atqui ſi ut reipsà Tyrii converterentur, potiora, & efficacia auxilia requirerentur, non omnia eſſent æqualia: Ea enim quæ Tyriis acturis pœnitentiam collata fuiſſent, eadem non fuiſſent collata Corozaitis: Ergo non eſſet juſta comparatio. Et demum expreſsè dictum eſt à Chriſto quòd ſi eædem virtutes fuiſſent factæ apud Tyrios, quæ factæ ſunt apud Corozaitas, Tyrii pœnitentiam egiſſent: Ergo cum æqualibus auxiliis converſi fuiſſent Tyrii, quibus non ſunt converſi Corozaitæ. Verùm.

Reſpondeo, commune eſſe argumentum, cui ne-

neceſſe eſt Theologi omnes reſpondeant, etiamſi adverſam noſtræ ſententiam amplectantur. Facile enim in omnes cujuſcunque ſententiæ ſint, retorqueri argumentum poteſt, niſi eum explicandi modum quis amplecti vellet, qui nullum omnino diſcrimen admittit inter dona ipſius gratiæ; ſed exiſtimat, ſufficientem dumtaxat communem gratiam omnibus concedi, quam cujuſque arbitrio Deus committit, ut eam efficacem, vel inefficacem reddat prout libuerit. In eo quidem explicandi modo levior eſſet aut nulla difficultas: ſicut nec ullam ea ex parte ſentiebant olim Philoſophi, aliique, à quibus dicebatur *Spes ſibi quiſque*; aut qui *ſacrificabant ſuo reti* Abac. 1. & quibus *Satis* erat *orare Jovem qui donat, & aufert. Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe parabo*. Horat. lib. 1. Epiſt. 18. Sed nemo eſt qui tam gravi malo levius curare vellet. Et quod ad eam ſententiam attinet, quæ efficaciam Divinæ gratiæ ex effectu metitur, eam non probat Bellarminus, eaque illudi Sacris Scripturis, & everti œconomiam omnem noſtræ ſalutis arbitratur. Si quis verò efficaciam gratiæ ex ſola circumſtantiarum congerie, & attemperatione ad genium, deſumi exiſtimet, in eundem laqueum incidat, ſiquis ſit, neceſſe eſt: ideò enim Tyrii converſi fuiſſent, quia iis opportuno tempore, & loco, & ingenio accommodata auxilia collata fuiſſent, quæ non fuiſſent Corozaitis collata. An non igitur ſi quæ eſſe poſſet; eadem ſupereſſet Corozaitis juſta defenſio: cur enim præ Tyriis increpantur, cùm ſi in iiſdem opportunis circumſtantiis virtutes eædem inter eos factæ fuiſſent, non minùs jis permoti in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent. Commune igitur argumentum eſt quodque inter communia Religionis myſteria eſt reponendum, quod explicari ab omnibus debeat, non ad tuendam ſingularem ſententiam, ſed ad ipſam fidem defendendam. Igitur

Reſponderi poſſet in primis cum quibuſdam Theologis, eo loco figuratam eſſe locutionem, & hyperbolem contineri; ſicut interdùm ſolet dici; ſi hæc Catholicæ Religionis myſteria apud Turcas, & Barbaros prædicarentur, his commoverentur etiam, & Barbari, quæ tamen Chriſtiani rident. Aut etiam, ſi hæc ab inimico petiiſſem, etiam non negaſſet inimicus, adeò res æquitatis plena eſt. Ex quo non conſequitur, quòd etiam Tyrii egiſſent pœnitentiam, etiamſi vidiſſent ea miracula, ſicut pœnitentiam non agebant Corozaitæ, viſis licet iis miraculis; ſicut etiam non ideò Turcæ ſola myſteriorum fidei prædicatione converterentur. Eſt enim hyperbole ementiens quædam ſuperjectio: neque verum eſt aliquandò eventurum quod tamen eventurum hyperbole enuntiatur.

Verùm obiici ſtatim poteſt, falſum eſſe, ibi contineri hyperbolem: quia in hac figurata locutione ut mox diximus non evenit quod eventurum eſſe denunciatur: neque enim verum eſt quòd etiam Turcæ S. Evangelii prædicatione converterentur: Atqui D. Auguſtinus de bono perſeverantiæ, cap. 9. expreſsè ita aſſerit: *Nunquid poſſumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut creditores non fuiſſe ſi fierent, cùm eis ipſe Dominus atteſtetur* (neque per hyperbolem unquam atteſtatio fit;) *quòd acturi erant magnæ humilitis pœnitentiam*. Ergo &c. Et Prætereà cùm eodem loco dicitur, quòd in die judicii remiſſius erit cum Tyriis, & Sidoniis, hæc per hyperbolem dicta fuiſſe intelligi non poteſt: ſed veriſſimè, & ſumma æquitate reprehenſos eſſe Judæos comparatione Tyriorum: quod etiam non minus probat altera Judæorum cum Ninivitis comparatio Matth. 12. 41. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce pluſquam Jonas hic*. Ubi nihil eſt quod hyperbolem eſſe ſignificet; cùm tamen dubitari non poſſit, majoribus auxiliis Ninivitas fuiſſe à Deo præventos, efficacibus ſcilicet ad agendam pœnitentiam, quàm fuiſſent Judæi prævenți. Et ſanè velle hyperbolem admittere, & figuratam dumtaxat locutionem ſeu tropum, ubicumque hæc comparatio inſtituitur, non poteſt non paulò durius videri.

Verùm Reſponderi potſt, nullam quidem eſſe locutionem figuratam in eo quòd Tyrii, & Sydonii non fuiſſent convertendi: convertendos enim expreſsè D. Auguſtinus aſſerit, cui ut aſſentiamur Præclariſſimi Doctoris authoritas omnino meretur: ſed dici poteſt figuratam eſſe locutionem quantum ſpectat ad ipſam comparationem, in eo ſcilicet, quòd quamvis non omnia paria forent, & Tyriis multò ampliora auxilia fuiſſent conferenda, quam Corozaitis; adhuc tamen increpari Corazaitæ præ Tyriis potuerint: in ea enim increpatione, & comparatione, figurata quædam eſt locutio, & uſurpatur communis, & familiaris modus loquendi. Et quidem eo loco tropum aliquem, & communem loquendi modum à Chriſto Domino uſurpatum, fuiſſe negari non poteſt, cùm id manifeſtum ſit ex toto contextu, quem non erit abs re paululum expendere.

Etenim ibidem Chriſtus immediatè antè hæc verba præmiſerat. *Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt; cecinimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non planxiſtis*. Mos enim erat apud Judæos ex Theophilacto, Lyrano, & aliis, quòd pueri in foro ſe ſe in duos veluti choros dividerent: alii canerent tibiis, alii flerent aut ſe flere ſimularent, & coæqualibus aut tranſeuntibus improperarent, *Cantavimus & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non planxiſtis*: quamvis tamen manifeſtum ſit, non eandem nec ullam planè cæteris aut flendi aut lætandi cauſam fuiſſe. Quare comparatio ſolùm fit quantùm ad aliquid, nimirùm quantùm ad externa vel cantum vel luctum puerorum, quibus cæteri excitari poterant. Poſteà verò Chriſtus

illud

illud exemplum puerorum altiùs attollens addit. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens. & dicunt dæmonium habet; venit filius hominis mãducans, & bibens, & dicunt: ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus: & juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* Ideſt, ſapientia aut providentia Divina juſtificata eſt, ſive ipſe Chriſtus qui ſua ſapientia mundum illuminat, ut explicat S. Thomas, & in eo ſe ſe juſtum probavit, quòd fecerit illud omne quod debuerit, & in Joanne abſtinentiam, & in ſe ipſo manſuetudinem exhibuerit, ut modis omnibus homines ad ſe pertraheret; ipſe veluti canendo; Joannes veluti lamentando. Sicut etiam venatores, ut refert idem S. Thomas in Catena ex Chryſoſtomo, viis oppoſitis feram inſequi ſolent ne effugiat. Poſteà verò ſtatim ſubiicitur: *Tunc cæpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam: Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethzaida.*

Verum alterum poſtea additur, quòd ſummè obſervandum eſt. Poſtquam enim Chriſtus eam increpationem abſolvit; ſtatim ſubditur verſ. 25. *In illo tempore reſpondens Jeſus dixit. Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & Terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater; quoniam ſic fuit placitum antè te.* Annotanda omnino verba, ut monet Divus Thomas quibus explicari poteſt communis difficultas quæ inter ipſa Religionis, & Fidei Myſteria meritò recenſeri poteſt. Sed audiendus ipſe Divus Thomas qui hæc Evangelii verba explicat. *Cui reſpondet*, inquit Divus Thomas? *Nunquid enim, ut dicit Job. 15. Sapiens reſpondit quaſi in ventum loquens. Reſpondet* inquit, *tacitè objectioni: poſſet enim dicere aliquis; iſti non credunt quibus prædicaſti, alii autem credidiſſent, ſi prædicatũ illis fuiſſet. Ideò reſpondet, & reſponſione redarguit quoſdam qui cauſas electionis* (& converſionis) *inquiſierunt: quare illi elevati ſunt in cœlum, & iſti demerſi in profundum; ut Origenes, qui ponebat quòd electio ex meritis eſt: ſed hoc reprobat, oſtendens quòd eſt attribuendum Divinæ voluntati.* „*Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti ea ſapientibus,* „ *Sapientiam verò abſcondit, non apponendo gratiam. Unde dicitur ad Rom. 1. tradidit eos in reprobum ſenſum. Sed quid eſt quod gratias reddit quòd abſcondit ſapientiam? Dico quòd hoc non facit ut gaudeat de cecitate eorum, ſed de Judicio Dei, qui ita ſapienter ordinat. Sed quare? hic non eſt querenda cauſa; in talibus enim Dei voluntas pro cauſa eſt.*„ *Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.*„ *Artifex enim benè poteſt aſſignare cauſam, quare lapides quoſdam in fundamento, quoſdam ſuperiùs poſuit; ſed quòd hunc poſuerit hic, alium ibi; non eſt alia cauſa niſi voluntas ſua. Sic quòd Deus aliquos ſalvet* [aut convertat;] *hoc eſt ex ſua miſericordia; quod hos damnet* (aut non cõvertat,) *ex ſua Juſtitia. Sed quarè circa illum ſic miſericorditer agit potiùs quàm circa alium, hoc ſolùm pertinet ad ſuam voluntatem. Unde ad Rom. 9. dicitur* „ *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*„ *Unde ſic facit propter ſuum beneplacitum pſalm. 118 Beneplacitum fac Domine.*

Hæc omnia Divus Thomas præciſis tamen quibuſdam quæ ad eam difficultatem non attinent: quibus ſanè nihil opportunius hic dici poteſt. Et vero cui reſpondiſſe Chriſtum intelligi poſſit, cum nemo ipſum interrogaverit? Fateor equidem, aliquem Hebraiſmum hic intelligi poſſe, & verbum *Nghanah* quòd *ſignificat reſpondet* non ſolùm de eo qui reſpondet, ſed etiam de eo qui loqui incipit, ſæpius in Scriptura uſurpari: atque hic ut dixi Hebraiſmum eſſe poſſe, ut quidam interpretantur, non negaverim. Quamvis etiam, & alia interceſſiſſe ex Luc. 10. verſ. 21. colligi poſſit, quibus Chriſtus reſpondiſſe videatur, quorum occaſione hæc à Chriſto Domino dicta ſint. Sed cùm nec Lucas Chriſtum cuiquam reſpondiſſe referat; non ſatis inde contextus Matthæi explicari poſſe videtur. Sed ut ut ſit, quid viſum fuerit D. Thomæ toto opere maximè inquirimus. Ita verò intelligit Divus Thomas, Chriſtum tacitæ objectioni, quæ in mentem venire poterat reſpondiſſe. Et verò cui ſtatim in mentem non veniat; Si crediturí fuiſſent Tyrii viſis miraculis, cur apud eos patrata non ſunt, futura ipſis utilia; ſi econtrà crediturí non erant Judæi, cur relictis Tyriis in ipſorum Judæorum oculis edita ſunt tot miracula futura ipſis inutilia, aut quibus etiam gravius condemnandi erant? An non quiſquam dixerit, id eſſe in agro ſterili ſerere, ipſumque inutili labore colere, relicto feraci, cujus uberrimus fructus, & lætiſſima meſſis labores agricolæ compenſaret? Alta ſanè profunditas eſt, neque humana ratione Divina myſteria ſcrutanda ſunt. His aliiſque ſimilibus rationibus, & objectionibus reſpondet Chriſtus Dominus, & omnium hominum prudentiam, & ſapientiam confundit, & ipſorum temeritatem comprimit: *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quoniam ſic fuit placitũ ante te.* Hæc unica Divinorum operum atque prædeſtinationis Divinæ ratio eſt ſcilicet ipſa Divina voluntas. Unde ut inquit Sanctus Thomas in 3. diſt. 1. quæſt. 1. artic. 4. ubi eundem Mathæi locum explicat. *Quærere quare Chriſtus illi non prædicavit, vel quare gratiam non oppoſuit, eſt idem quod, quærere prædeſtinationis cauſam, quæ nulla eſt niſi voluntas Dei.* Et verò ut hic ad ſolam artificis voluntatem pertinet, quòd alios in fundamento domus rudes lapides, alios in ædis veluti fronte ſumma arte expolitos, & elaboratos, ut de Davidis Turre dictum eſt, cujus ſummi, & extremi lapides ob exquiſitam elegantiam veluti ad oſtentationem artis, & ut Hebraicum habet *Letalpiioth* ad *ſuſpenſionem orium*, vel ad ſuſpendendum intuentium ora præ admiratione poſiti eſſe videbantur. Atque ea lapidum ſimilitudine utitur idem Sanctus Thomas tum 1. par. quæſt. 25. art. 5. tum in Joan. 6. lect. 5. cum etiam electi in Scriptura *Lapides vivi* nominentur. Ad conſummationem enim, & complementum Eccleſiæ,

alios

alios Deus Apostolos, alios Martyres, alios Confessores divisis gratiis effecit: *Sed cur Petrum Apostolum, Stephanum Martyrem, Nicolaum Confessorem effecerit*, unica ratio est, *quoniam sic fuit placitum ante te*. Præclaram hanc S. Thomæ Doctrinam referre placuit, quò omnem difficultatem planè exhauriat, & totam œconomiam seu Divinæ prædestinationis circa electos, seu Divinæ communis providentiæ circa cæteros exactissimè explicet.

Igitur in primis Judæos Christus increpat comparatione Tyriorum, quòd omnibus æqualia beneficia exhibita fuerint, nedùm externa, & miraculorum, & prædicationis, sed etiam interna sufficientia quæ nulli unquam negantur. Exiit enim qui seminat, seminare in cordibus hominum: & ut in ea verba Marc. 4. refert. Divus Thomas in Catena ex S. Joanne Chrysostomo: *Sicut qui seminat non discernit terram subjectam, sed simpliciter, & absque discrimine*, idest nullo facto discrimine, *semen mittit*: ita omnes Christus alloquebatur, & necessariam hanc sufficientem gratiam omnibus veluti spargebat, ne quemquam præteriret; quibuscum tamen Judæi ex suâ dumtaxat malitia conversi non sunt. Ut enim egregiè ibid. in Catena Theophilactus observat. *Non dicitur quod seminans semen projecerit in viam, sed dicitur, quia cecidit: qui enim seminat, quantùm in se est, in terram bonam proiicit; sed illa, si sit mala, corrumpit verbum.* Ita enim ex sola cordis humani, vel corruptione, vel duritie oritur, quod ea sufficiens gratia fructus non ferat: quamvis tamen nec tulisset etiam in Tyriorum cordibus, nisi ptæterea cælestis imber majoris, & efficioris gratiæ eorum corda irrigasset.

Nec verò quidquam juvat, inæqualia fuisse hæc interna, & efficacia auxilia, ut existimetur, increpationem justam non fuisse. In eo enim, ut diximus, figurata est locutio, nec Christus recedit ab eo more frequenti, quòd cùm externa beneficia æqualia sunt potest fieri comparatio, & unus etiam præ alio increpari potest, nisi æqualiter agat: sicut pueri dicere poterant coæqualibus: *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis*: quamvis tamen non eadem esset causa letitiæ, vel luctus, ut dictum est. Et in eo etiam justificata est sapientia à filiis suis: siquidem Judæis à Deo non negata sunt ea omnia beneficia, quæ ad providentiam communem pertinent. Atque ea solutio superiùs objecti argumenti planè vires omnes infringit; ut nihil necesse foret plura ultrà addere. Verùm quia præterea rem ipsam ex veris expendimus, & non solùm ut nos cogunt adversariorum argumenta, à quibus se se expedire non est admodùm difficilè.

Respondeo *Secundò*: altera solutione; neque enim ad Tropos confugere necesse est, cùm aliunde facilis, & in promptu sit solutio: scilicet æqualia omnibus auxilia absolutè collata fuisse: atque iisdem planè quibus Tyrii conversi fuissent, non fuisse Judæos conversos: quia major erat eorum obstinatio, & resistentia, quam eadem auxilia superare non poterant, quæ tamen superassent Tyriorum resistentiam, quæ minor erat. Solutionem hanc fusiùs expendemus infrà in quartò modo explicandi: Quæ solutio, & facilior est, & nodum omnem dissolvit; neque, à communi D. Thomæ Scholæ solutione discrepat ut ibidem explicabimus. Sed.

Respondeo *Tertiò*: multis enim semper veritas abundat, quibus se tueatur. Respondeo inquam, omnibus æqualia auxilia non quidem fuisse collata; sed tamen omnibus æqualia fuisse oblata ad credendum, Tyriis scilicet, & Judæis: ea autem conferenda fuisse Tyriis, quòd minora impedimenta præstitissent; negata verò Judæis, quòd sua majori obstinatione indigniores se se effecerint, & obicem gratiæ sua obstinatione, cordisque duritie posuerint: ut enim inquit expressè Sanctus Augustinus de bono perseverantiæ c. 14. *Non erat sic induratum Cor Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam sic credidissent, si qualia viderunt isti* (scilicet Judæi) *signa vidissent*, Tyrii scilicet, & Sydonii. Igitur cùm major esset obduratio Judæorum, & gravius impedimentum gratiæ apposuissent Judæi quam Tyrii, justissimè comparatione Tyriorum reprehensi sunt Judæi à Christo. Neque tamen inde quis colligat, potuisse Tyriis suppetere causam gloriandi, vel quòd minora impedimenta apposuissent, vel quòd se se magis aptos recipiendæ gratiæ exhibuissent, vel quòd demùm se se discrevissent à Judeis, qui ob graviora illa impedimenta in sua infidelitate & pertinacia relicti fuerant. Nihil enim eorum inde consequitur. Etenim quæ esse poterat Tyriis gloriandi causa, quòd minora impedimenta apposuissent, ideſt, non omnia flagitia, quorum natura ad malum proclivis capax esse potest, perpetrassent. Sanè non posset non esse stultissimum velle ea ratione gloriari: alias & ipsi Judæ proditori v. g. superesset gloriandi causa, quòd venditioni, & proditioni Christi, Virginis Matris cædem non adjunxisset: ac damnati etiam inde gloriari possent, quòd non omnibus omninò criminibus se se maculaverint. Neque verum etiam est, aut Tyrios se se discrevisse à Judæis suis viribus, suaque voluntate; aut magis aptos quàm Judæos se se exhibuisse. Cùm in primis nullam, ad recipiendam gratiam, dispositionem positivam habere potuerint, gravissimis criminibus involuti: imo nec negativam ullam dispositionem. Quòd enim minora impedimenta posuerint, ortum est ex sola Divina gratia, qua præjudæis prævenit sunt. Ut enim inquit Sanctus Augustinus de Correct. & gratia cap. 12. & est præ oculis semper habendum: *Si in tantâ infirmitate vitæ hujus sibi voluntas relinqueretur, sua infirmitate voluntas ipsa deficeret*. Et ut inquit S. Tho. in hæc verba Joan. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*: quod vim aliquam illatam voluntati significat cùm ex Philosopho tractio sit species motus violenti *Gravè* (inquit Sanctus Doctor) *per naturam non potest sursùm ferri, nisi trahatur*

ab

ab alio ; Ita cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursùm elevari, nisi tractù per gratiam : si verò non elevetur, non est defectus ex parte trahentis, qui, quantùm est de se, nulli deficit, sed est propter impedimentum ejus qui non trahitur. Idque etiam ratione probat ad Hebræos 12. lect. 3. ubi cùm dixisset, quòd gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantùm est in se se communicat ; sicut nec Sol deest oculis cæcis ; opponit sibi. *Quia si gratia non datur ex meritis, sed tantùm ex hoc quòd aliquis non ponit obstaculum : Ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei, qui est error Pelagii.* Cui argumento ita respondet : *Quòd hoc ipsum, quòd aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. Quòd ergo à quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei ; quòd autem non removetur, hoc est ex justitia ejus.* Quare quòd Tyrii minora, quàm Judæi impedimenta posuerint, ortum habuit ex Divina gratia, & fuit unde Tyrii Divinæ misericordiæ gratias agerent, non verò unde Judæis se se præferrent.

Et quamvis Divina gratia quâ præventi deinde fuissent Tyrii, & quâ Judæi præventi non erant, causa fuisset, cur eadem impedimenta non posuissent : adhuc tamen justa potuit esse comparatio, & reprehensio Judæorum præ Tyriis. Non enim necesse est, quòd, ut fiat justa comparatio, æqualitas omni ex parte reperiatur, etiam quantùm ad illa auxilia veluti remota aliis concessa à Deo, aliis autem negata ; sed satis est, quòd æqualitas fuerit quantùm ad auxilia proxima omnibus æqualiter oblata. At verò dictum est, æqualiter omnibus communia fuisse auxilia sufficientia collata, & proposita efficacia ad credendum, & Tyriis, & Judæis ; quibus tamen Judæi sua obduratione indigniores fuerunt. Et quidem sufficere eam æqualitatem, indè probatur, quòd in die Judicii reprobi reprehendendi sint comparatione Apostolorum : idcircò enim ipsi dicuntur futuri Judices Mundi, qu. 89. Supplem. art. 2 quos tamen dubium esse non potest, fuisse potioribus auxiliis præventos, & abundantiori gratia cumulatos.

Sed præterea quamvis Tyriis magna suppeteret causa, cur Deo gratias agerent, quòd beneficiis potioribus quàm Judæi fuissent præventi, nè impedimentum gratiæ ponerent ; nulla tamen esse potuit Judæis justa conquerendi causa, sed justissimè reprehendi potuerunt, quòd graviora illa impedimenta posuissent : cùm tota impedimentorum causa in solam ipsorum Judæorum malitiam refundatur ; neque dicendum sit, ideò posuisse graviora impedimenta Judæos, quòd ipsis negata sint illa auxilia ; sed potiùs dicendum sit, ideò negata eis à Deo fuisse auxilia quòd graviora impedimenta apposuerint : cùm nunquam denegatio Divinorum auxiliorum contingat, nisi in pœnam culpæ, cujus veluti primum principium est sola voluntas hominis : de quo videnda sunt quæ alibi diximus.

Quin etiam nec dici potest, denegationem Divinorum auxiliorum, quibus impediretur obstinatio, & obduratio, esse causam illius etiam per accidens. Quamvis enim verum sit, illud quod removet prohibens, esse illius effectus causam, qui oritur ex remotione illius causæ, quâ ille effectus impediretur ; sicut qui columnam removet, quâ impeditur lapis nè cadat, est causa per accidens casus lapidis. Attamen quando reperitur media aliqua causa, unde effectus oritur, non potest unquam ille effectus refundi in eam causam quâ removetur prohibens. At verò inter ipsam denegationem gratiæ, & ipsam hominis culpam, media est ipsa hominis voluntas, quæ est vera & sola formalis peccati causa. Unde ex sola denegatione Divinæ gratiæ non oritur ipsa hominis culpa ; sicut ex remotione columnæ oritur immediatè casus lapidis. Unde nec Deus qui homini gratiam negat quâ culpa impediretur, dicendus est causa etiam per accidens ipsius hominis culpæ, & obdurationis, cùm immediatè ex ea gratiæ denegatione non oriatur illa hominis obduratio. Sicut nec etiam dicenda est hominis voluntas ideò ponere formale peccati, & culpæ, quòd eam Deus moveat ad ipsum materiale, ut est à Deo, sed ut est ab ipsa voluntate, quæ Divinam motionem ad solam entitatem physicam ordinatam flectit ad ipsam actûs malitiam, & suo vitio trahit ad formale ut ex S. Augustino alibi explicatum est. Sicut cùm aptum fœcundis fructibus semen in terram leviorem, aut minùs aptam projicitur sæpiùs degenerat, ut Plinius aliique observant, & quotidianâ experientiâ constat, & alterius & inferioris speciei segetem refert : & ut inquit S. Thomas, debilior planta nascitur.

Sed iis opportunissima S. Augustini verba prætermittenda non sunt, qui sanè & eâdem difficultatem sibi olim objecerat, eodemq ; modo eam resolvit. Respondet enim, omnia in Divinam voluntatem esse referenda, cujus inscrutabilia judicia sunt, & quoniam sic fuit placitum ante Deum. *Ex duobus itaque parvulis*, inquit Sanctus Doctor lib. de Dono Perseverantiæ cap. 9. *Originali peccato pariter obstrictis, cur ipse assumatur ille relinquatur ; & ex duobus ætate jam grandibus impiis cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur ; ille autem aut non vocetur ; aut non ita vocetur ; ut vocantem sequatur inscrutabilia sunt judicia Dei : ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabiliora sunt judicia Dei.* Quis enim dubitet, esse possibile Deo etiã *aversas, & adversas in fidem suam hominum convertere voluntates, & in eorũ cordibus operari, ut nullis adversitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant ; cùm possit & quòd ait Apostolus facere, ut non eos permittat tẽtari super id quod possũt.* Cur ergo quòd potuit Deus noluit? *Nunquid*, addit idẽ Aug. *dicturi sumus quod in libro illo dixi, ubi sex quibusdã quæstionibus Paganorum, sine prejudicio tamen aliarũ causarum quas prudentes possunt investigare, respondi. Hoc quippè, ut scitis, cùm Christus, quare post tam longa tempora venerit, quæreretur,*

retur, dixi: quòd in his temporibus, & his locis quibus Evangelium eius non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in ejus corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. Item paulò post in eodem libro, atque in eadem quæstione. Quid mirum, inquam, si tam Infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis noverat, ut eis prædicare meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Hæc certò de Tyro, & Sidone non possumus dicere: & in eis cognoscimus, ad eas causas prædestinationis hæc Divina judicia pertinere, sine quarum causarum latentium præjudicio, tunc ista respondere me dixi. Facile est quippè, ut infidelitatem accusemus Judæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt. Quòd & Dominus increpans arguit, & dicit: „ Væ tibi Corozain, & Bethsaida: quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent. „ Sed nunquid possumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent: cùm eis ipse Dominus atteſtetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent Divinarum illa signa virtutum? Hactenus D. Augustinus. Quibus sanè non in Divinam præscientiam eventuum exploratricem, sed in Divinam prædestinationem effectricem inscrutabilia hæc judicia referenda esse demonstrat.

QUÆSTIO III.

In quo posita sit vis Divinæ Motionis, & Gratiæ efficacis?

HActenus præcipua argumenta prosecuti sumus, quibus efficax vi sua, gratia probari possit, & quibus plura alia sequenti Dissertatione adjungemus, ubi & innocentiæ status felicitatem postulasse demonstrabimus, ut efficacissimâ gratiâ homo præmoveretur, cùm propinquiores Deo substantiæ, ut à D. Thoma observatum est, validiori & efficaciori impressione moveantur. Nunc verò animus est plures explicandi modos referre, quibus ea vis, & efficacia Divinæ gratiæ defendi possit; & ostendere quid in Schola nostra recipi possit, & cum D. Thomæ principiis conveniat, aut quid ab iis dissentiat, & admitti non debeat. Neque enim eam aliquorum agendi rationem probandam esse arbitror, qui uni dumtaxat explicandi modo, veluti polypi saxo adhærent: & quod est pejus, cæteros qui vel tantillum ab ea, quam calcant semita, deflectunt, veluti transfugas haberi volunt, iisque bellum indicunt: & quod à Sapiente reprehensum est, nihil recipiunt, *Nisi dixeris ea quæ in eorum corde versantur.* Cùm Faustus olim Evangelistas, inter se se, ut contraria locutos committeret, seque eorum dissensionibus offendi quereretur, ubi de Genealogia Salvatoris agitur: Respondet D. Augustinus lib. 3. contra Faustum c. 2. *O si pio studio legisses Evangelium, & ea quæ te in Evangelistis tanquam repugnantia movissent diligenter quærere, quàm temerè damnare maluisses!* Animadvertisset scilicet diversa quidem esse, non tamen esse contraria, ac invicem facili negotio potuisse jungi quæ Evangelia loquuntur, nisi eum novitatis cupido transversum egisset. Et verò, ut iterum inquit Augustinus: *Itane tam apertam manifestamque diversitatem tot acuti, & Docti Viri Divinarum Scripturarum pertractatores diligentissimi non viderunt?* Viderunt equidem, sed ipsam Scripturæ majestatem ac plenitudinem venerati, multiplices sensus eam complecti animadverterunt, quibus Divina Sapientia variis se se modis hominibus manifestat; neque ideò tamen Sacros Scriptores sibi adversari existimarunt. *Unitate enim gaudent; & in Christo unum sunt; & si alius aliquid, & alius aliud, aut alius aliter; vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius Lector accedat, si mitis legat, si non hæretico animo, unde vixetur, sed fideli corde unde ædificetur inquirat.* Cap. 3. Hæc ibi contra Faustum D. Augustinus, quæ ex parte non immeritò in eam de qua agimus, controversiam referri possunt. Plures esse explicandi modos, quibus efficax Divina gratia defendi possit, dubitandum non est: cùmque ea controversia gravissima sit, plurimùm in ea insudarunt ingenia, ut varios reperirent modos, quibus major lux addi posset, aut pericula quæ imminent longiùs amoverentur. Non ideò tamen existimandum est, eos qui potissimùm in eadem Schola usurpantur eademque principia supponunt, sibi invicem adversari: & sanè, *Si pius Lector accedat, si mitis legat, agnoscet, quòd etsi alius aliud, & alius aliter dicat; omnes tamen vera, nec sibi contraria dicunt.* Quod potissimùm nostra in Schola accidisse arbitror, ubi omnes *unitate gaudent* in D. Thoma, ac principiis ab eo statutis unum sunt, & unum sapiunt. Quare eos omnes modos hìc explicare animus est, & malim pacis studiosus omnes amplecti quàm cum ullo eorum qui aliquem singularem usurpant longum contentionis funem trahere: unde & illud cum Augustino libens usurpabo lib. 12. Confess. cap. 25. *O Vita pauperum Deus meus,*

in

in cujus ſinu non eſt contradictio, plue mihi mitigationes in cor ut patienter tales feram....qui ſententiam ſuam amant, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt: alioquin & aliam pariter amarent, ſicut & ego amo quod dicunt, quando verum dicunt: non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt. Verùm quòd noſtri propriè inſtituti eſt eos omnes explicandi modos in D. Thoma reperiri nobis demonſtrandum eſt, à quo nihil, ut advertimus ſæpiùs, omninò prætermiſſum eſſe videtur eorum quibus hæc de Divina motione ſententia aut muniri, aut explicari, aut defendi unquam poſſit.

ARTICULUS I.

De variis in communi efficacem gratiam, & præviam motionem explicandi modis.

PRincipio ſtatuendum eſt, ut certum ac conſtans, & in D. Thomæ ſententia omninò compertum, motionem eſſe virtutem quandam impreſſam à Deo & voluntati ſuperadditam, quam Sanctus Doctor aliquando vocat *complementum virtutis activæ*, aliquando *influentiam*, aliquando *efficaciam* agendi, interdum *virtutem artis*, quæ etiam in ordine ſupernaturali locum habeat, & quam dubio procul S. Paulus *ſubminiſtrationem Spiritus* nuncupavit, ad Philipp. 1. neque aliud intellexit Divus Auguſtinus, cùm toties dixit *efficaciſſimas vires* conferri voluntati: quibus ſcilicet voluntas, & præparatur, & adjuvatur ut agat.

Et ſanè cùm in confeſſo ſit apud omnes à S. Thoma admiſſam eſſe motionem præviam quæſt. 3. de Potent. art. 7. indè ſecurè poſſe ſumi S. Doctoris ſententiam, nemo ambigere poteſt. Ibi igitur in primis cùm in corpore articuli quæſtionem reſolvit, ſcilicet, Deum operari in omni operante ſeu per naturam, ſeu per voluntatem, ita inquit: *Cauſa ſecunda non poteſt in effectum cauſæ primæ per propriam virtutem, quamvis ſit inſtrumentum cauſæ primæ reſpectu illius effectus: inſtrumentũ enim eſt cauſa quodammodò effectus principalis cauſæ, non per formã, vel virtutem propriam, ſed inquantùm participat aliquid de virtute principalis cauſæ per motum ejus; ſicut dolabra non eſt cauſa rei artificiatæ per formam, vel virtutem propriam, ſed per virtutem artificis à quo movetur, & eam quodammodò participat.*

Hæc ibi S. Thomas: quæ adeò aperta ſunt, & alioquin adeò principiis Philoſophiæ conſentanea, ut quiſquis bona fide egerit, dubitare non poſſe videatur, exiſtimatum eſſe à D. Thoma motionis nomine, virtutem aliquam cauſæ ſecundæ impreſſam debere intelligi: atque ita rem ſe habere affirmandum neceſſariò eſſe exiſtimabit, quiſquis rectè Philoſophiæ vera principia conſulet, aut in ipſius naturæ ordinem oculos convertet. Quis enim dubitet, inſtrumentum artificis dum movetur, ac dum impellitur, motum reipsà recipere quo impellitur, & movetur: & quidem motum non qualemcumque, ſed motum ex regulis artis temperatum, quem S. Doctor vocat *motum artis*, & participationem virtutis cauſæ principalis. Nec verò quærenda alia virtus eſt, ſuperaddita voluntati, præter ipſam motionem, aut motum regulis Divinæ artis temperatum, & cauſis ſecundis ipſiuſque hominis creatæ voluntati impreſſum. Cùm enim Deus rebus omnibus præſens ac inexiſtens naturam omnem veluti inſtrumentum manu teneat, eam etiam ad ſuas operationes movet ac impellit. Atque ipſa impulſio ipſa applicatio eadem motio eſt, ſed artificioſa motio, & quæ connaturales in rebus omnibus, ſpontaneos in brutis, liberos autem in voluntate actus efficiat. Hæc enim motio cùm ſit motio Divinæ ac infinitæ artis, illud efficit, quod nullus alius motus efficere poſſet.

Sed expreſſiùs hujus motus naturam explicat idem S. Doctor ibid. ad 7. ubi ita inquit: *Dicendum, quòd virtus naturalis, quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma, habens eſſe ratum, & fixum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat. eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.*

Hæc ibi quæ aliàs ſatis explicuimus diſs. 1. neque aliud addendum videtur, ut motio ſupernaturalis explicetur. Ut enim in naturæ ordine *virtus naturalis rebus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis, ut quædã forma habens eſſe ratum, & fixã*: ita planè cùm homo in ordine ſupernaturali conſtituitur, *in ſua* veluti *inſtitutione*, aut regeneratione confertur *virtus* quædam ſupernaturalis, *quæ ineſt ei, ut quædam forma habens quoddã eſſe ratum, & fixum*, quo etiam cùm non agit, agere tamen poſſe veriſſimè dicatur, ſeu gratia ipſa ſanctificans ſit, ſeu ipſi ſupernaturales habitus infuſi quibus agendi virtus confertur: qui habitus, ut aliàs dictum eſt, pertinent ad auxilium ſufficiens, quibus animæ facultates inſtructæ ſunt, ac ſuperadditas vires habent, non minùs quàm augeant cæteri habitus naturales, & acquiſiti, v. g. Geometriæ, vel Muſicæ, vel Picturæ ars, & hujuſmodi, quibus potentiæ etiam cùm nihil agunt, agere tamen poſſunt: de quibus ſupra ſatis dictum eſt ubi de ſufficienti auxilio egimus.

Sed illud quo voluntas *actualiter agit, eſt ut intentio ſola habens quoddam eſſe incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis*: ſunt enim ſolùm in tranſitu, & in fieri: quod de motu artis eſt apertiùs; cùm non diutiùs impreſſus inſtrumento motus duret, quàm ab artifice inſtrumentum movetur. Atque ita planè de efficaci gratia, ſeu motione ordinis ſupernaturalis ſentiendum eſt. Tota enim in tranſitu, & fieri poſita eſt, nec ampliùs durat,

quàm actio ad quam efficiendam motio ipsa, & gratia confertur.

Hæc in Schola D. Thomæ compertissima sunt, nec ab ullo planè ex ipsius Doctoris Angelici veris Discipulis in dubium revocantur. Verùm cùm hujusmodi virtus, ac motio plures respectus habere possit; hinc varii orti sunt explicandi modi, qui omnes tamen inter sese non minùs conveniunt, quàm hi varii respectus eidem motioni conveniant.

Primò: Potest enim ea virtus ac motio impressa voluntati, sub ea præcisa ratione considerari qua voluntatem movet, ac impellit, & ad operationem applicat; seu ut *intentio sola*, & ut habet singularem illam virtutem, quæ in motu percipitur, ut est motus non quicumque, sed motus aut virtus artis, quæ indefectibilis est, & cum operatione necessariò, & indefectibiliter conjuncta. Cùm enim certæ sint, & indefectibiles artis regulæ, etiam & illa virtus artis, ut artis est, similem ac indefectibilem firmitatem habet; cùm maximè ea motio causam quam movet, ad operationem applicet, sitque ex parte agentis ipsa activa applicatio, quam necesse est, cum applicatione passiva certò, & infallibiliter esse conjunctam.

Atque inde *Primus*, & communior efficaciam gratiæ explicandi modus deductus est, & quem frequentiùs usurpant S. Thomæ Discipuli: quique ut veriùs loquar, aut unicus est, aut certè aliorum omnium fundamentum esse debet, ut posteà magis explicabimus. Nihil igitur aliud nomine motionis prævia, aut efficacis gratiæ intelligitur, præter ipsam voluntatis applicationem ex parte Dei agentis activam, aut ut inquit Sanctus Thomas, 1.par. quæst.105. art.2. ad 1. Dei inexistentis *virtualem contactum*, quo voluntatem movet, impellit, applicat, & ad actum reducit; ac ex parte voluntatis est ipsa motio impressa voluntati, ut est participatio quædam Divinæ virtutis, & ut à Deo descendit; qua ratione immutabilem, & indefectibilem vim habet, multò potiori ratione quàm virtus artis habeat, cùm gratia sit infinitæ virtutis participatio, quæ vinci nunquam potest nec retardari. Unde & infallibiliter conjunctam habet applicationem voluntatis, & reductionem ex potentia ad actum. Et hic, ut dixi, frequentior explicandi modus est, & reipsa veriſſimam, ac proprijssimam efficacis gratiæ rationem attingit, & explicat. Cætera enim quæ in gratia considerari possunt, aut communia sunt aut præsupponuntur; ut quòd motus quidam sit in subjecto receptus, aut ejusmodi alia quæ modò subjungimus.

Secundò: Considerari potest ea virtus artis veluti adæquatè, secundùm eam omnem rationem quam habet, & ut in subjecto recipitur; in quo variam veluti modificationem recipit. Difficiliùs enim v. g. in tabula scabra, aspera, duraque, dolabra, vel runcina, ducitur, quàm in tabula jam ex parte lævigata, lignoque molliori; neque defectus artis est, quòd tabula difficiliùs poliatur, sed ex materiæ vitio oritur, quæ difficiliùs cedit. Sic etiam in viridi ligno minor fit caloris impressio ex oppositione dispositionis contrariæ, quæ actionem ignis retardat. Sic etiam Solis lux, quò magis vel minùs subjectum dispositum est, eò magis, vel minùs pervadit; diaphanum enim perfectè penetrat, & opaci corporis solùm superficiem perfundit.

Atque inde *Secundus* explicandi modus desumptus est. Quidam enim Divinam motionem veluti adæquatè sumptam inspiciunt, nec solùm, ut intentio quædam est, & virtus artis, sed etiam ut motus in voluntate creata receptus, quo pacto voluntatis ipsius, & naturam, & conditionem sequitur, ipsique similis est. Unde duplicem in Divina motione veluti rationem distinguunt, communem alteram qua subjecto inest; alteram singularem, ut est *intentione Dei*, quod aliquando expressè dixit D. Thomas infrà referendus, vel ut est *intentio sola*, quod jam ex ipso retulimus suprà: & quamvis, ut est *ex intentione Dei*, semper actum, & infallibiliter conjunctum habeat: si tamen veluti secundùm entitatem consideretur qua subjecto inhæret, minimè infallibilitatem habet, neque cum actu adverso oppositionem exercet.

Et quidem hanc duplicem in ipsa gratia rationem distinguendam esse, expressa S. Thomæ authoritate explicabimus. Ut enim v. g. calor in aqua receptus distingui dupliciter potest; primò, ut est accidens, secundò, ut est virtus ignis: & ut accidens quidem est, ab aqua, ut subjecto in quo recipitur, dependet, ab eoque deprimitur: at verò ut virtutis ignis est, aquam perficit, & à suo statu extrahit, evehitque veluti ad gradum superiorem, in quo ad nobilius elementum accedit. Ita gratia, inquit S. Thomas, in voluntate creata recepta dupliciter attendi potest, vel ut accidens est, vel ut participatio quædam est virtutis Divinæ. Et quidem ut accidens est, similem habet cum voluntate conditionem, indifferens est, & in utramque partem vertibilis: at verò ut est participatio quædam virtutis Divinæ, voluntatem creatam ad altiorem ordinẽ evehit, Deoq; conjungit. Et hoc pacto faciliùs explicari quidam existimant concordiam libertatis cum gratia. Si enim sola entitas gratiæ, & motionis Divinæ inspiciatur, & ut in voluntate creata recipitur, nihil vetat quominus gratiam, & motionem voluntas abjiciat, ipsique resistat etiam in sensu composito: non enim cum sola entitate gratiæ, & motionis in voluntate receptæ, actus oppositus repugnat: sed si attendatur motio Divina, ut est ex intentione Dei, & prout quædã est participatio Divinæ virtutis, ea ratione immutabilitatem, & indefectibilitatem ita confert, ut quamvis possit voluntas cum ea gratia, & motione actum oppositum conjungere, nunquam tamen reipsà conjungat. Hunc explicandi modũ innuunt, aut explicant quidam ex præcipuis etiam D. Thomæ Discipulis, ut Alvarez lib. 9. disp. 93. quamvis non admodum aut in eo stabiliendo immoretur, aut eo etiam in re-

ſolvendis difficultatibus utatur : quòd, ut dicemus infrà, neceſſe ſit ſemper in primum modum explicandi recidere, ab eoque cæteros omnes fulciri. Sed præterea

Tertiò modo omnis motio non ſolùm in ſeſe, ſed etiam per ordinem ad Providentiam Divinam conſiderari poteſt, cujus eſt executio. Ut enim monet S. Thomas 1. par. quæſt. 103. art. 4. *Duo ſunt effectus Divinæ gubernationis*, quam nemo ad Divinam Providentiam pertinere negaverit, *Scilicet conſervatio rerum in bono, & motio earum ad bonum*; unde manifeſtum eſt motionem ad Divinam Providentiam pertinere. At verò hìc eſt Divinæ Providentiæ ordo, ut per defectibiles cauſas indefectibiliter finem quem intendit attingat. Neque enim v. g. ut ſpeciem animalium ſervet, quodlibet individuum immortale efficit, ſed varia ſeriæ individuorum, quæ ſibi ſuccedunt, perpetuam ſpeciem conſervat. Sic etiam cùm lignum comburitur, non ideò invincibilis, ut ita dixerim, virtus ignis eſt ; poſſet enim effuſione aquæ impediri. Sed ita cauſæ omnes diſponuntur, ut quamvis quælibet facilè impediri poſſet ; ita tamen omnes aptantur, ut adverſæ amoveantur, & quæ concurrunt, ſeſe invicem juvent, & ad effectum quem Deus voluerit producendum ita conſpirent, ut tandem effectus infallibiliter producatur. Quo modo explicat S. Thomas, omnia ſubjecta eſſe Providentiæ Divinæ, 1. par. quæſt. 22. artic. 2. Idque alibi etiam nobiliſſimo exemplo explicat. Etſi enim cujuslibet ſtellæ, aut planetæ virtus, & actio impediri poſſit : ita tamen Divina ordinatione conjunguntur, & ita ſeſe mutuò juvant, ut certum effectum producant, ſuoque ordine Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems fiant, quamvis tamen idem Sol, eædem Stellæ, eademque ſydera Cælum percurrant. Sed variæ ſunt coitiones Syderum, variæ diſpoſitiones ex quibus varii effectus producantur.

Atque eo pacto *Tertius* explicandi modus intelligi poteſt. Minimè ſcilicet neceſſe eſſe quamlibet motionem eſſe ineluctabilem, cùm in particulari quælibet motio vinci, & impediri poſſit : ſed tamen ita à Deo cauſas omnes conjungi, ut effectum quem voluerit, cauſæ omnes ſecundæ ſimul conjunctæ efficiant. v. g. cùm Deus hominem ad actum ſtudioſum, puta ad caſtitatis colendæ propoſitum movet : intellectum rectè diſponit, ut honeſtatem ejus virtutis percipiat, appetitum temperet, ne graves tentationes inſurgant ; etiam, & occaſiones amovet, quarum occurſu paſſiones excitarentur : atque ita hominem diſpoſitum ac munitum, & veluti his præſidiis circumvallatum, Deus, tutò, certò, & infallibiliter ad propoſitum ſervandæ caſtitatis movet. Et quidem illa motio impediri potuiſſet, vel movente altero objecto externo, vel inde tentatione inſurgente, vel cupiditate accenſa, vel obtenebrata ratione ex cupiditate aut pravo habitu : ſed tamen rebus omnibus ita temperatis, & diſpoſitis, neceſſe eſt infallibiliter conſequi virtutis actum, ſi ſit ex intentione Dei, quòd hic actus virtutis producatur, quia tunc ita compoſita omnia, ac præparata ſunt, ut ea motio habeat infallibiliter ſuum effectum.

Atque eam ſententiam amplexus eſt Joſephus à Vita, quam unicam eſſe D. Thomæ ita exiſtimavit, ut in cæteros Doctoris Angelici Diſcipulos graviter invectus ſit, ac ſi cæteri à S. Doctoris ſententia plurimum aberraſſent, quos ipſe vellet in ſemitam revocare : Immeritò tamen ; cùm ipſe aut nimiùm ſuo ſenſui addictus, aut alios carpendi ſtudio abreptus, longiſſimè à rectò tramite aberraverit, ut poſtea oſtendemus.

Quartò : Demum, cùm hæc quæ ſuprà diximus ad efficaciam, & univerſalitatem Divinæ Providentiæ pertineant, & aliud ſit quod ad ſuavem ipſius diſpoſitionem ſpectat, quæ congrua ſemper ad finem media adhibet. Inde *Quartus* eſſe poteſt explicandi modus, quo aliqui efficaciam gratiæ ex certa attemperatione cùm voluntate repetendam eſſe arbitrantur : non equidem eo ſenſu qui extra Scholam D. Thomæ circumfertur, ita ut variis circumſtantiis, & variè immutatis ac permixtis moralis ſolùm motio effectum habeat, poſſitque movere voluntatem creatam ; aut potiùs ea motione nihil interiùs vi ſua efficiente, nec voluntatem flectente, nec immutante, ſola voluntas ſecluſa quacumque determinatione altera, ſeſe ipſam moveat ac determinet : alieniſſima enim eſt hæc à S. Thomæ Schola ſententia. Sed eo ſenſu ea attemperatio intelligitur ; quòd cùm varii ſint, & eſſe debeant gradus motionis Divinæ, quò major eſt voluntatis obſtinatio, & reſiſtentia, majori, & validiori motione concutienda voluntas eſt. Unde juxta varios obſtinationis gradus, varii etiam ; & validiores gratiæ gradus eſſe debent, ex qua proportione aut ſuperexceſſu motionis, quæ voluntatis obſtinationem vincit, efficaciam gratiæ repetit quartus hic explicandi modus, quem Gonzalez uſurpavit.

Hactenus de variis Divinam motionem explicandi modis in communi diximus, ex variis qui in ipſa motione animadverti poſſunt reſpectibus, aut gradibus, obſervato etiam ordine quem hi gradus inter ſe ſervant. De his modo paulò diffuſiùs dicendum eſt, ut apertum ſit quem uſum habere poſſint ; aut quo pacto, & temperamento eos in Schola Divi Thomæ uſurpare liceat.

ARTI-

ARTICULUS II.

Primus explicandi modus motionem esse virtutem impressam voluntati, & applicationem voluntatis creatæ, cum actu infallibiliter connexam.

NEdum frequentior, sed & unicus efficaciam Divinæ gratiæ explicandi modus hic existimandus est, quem hoc artitulo proponimus; cùm cæterorum etiam, si quid solidi ac firmi habeant, primum ac stabile fundamentum sit, & esse debeat, & cui si quid adversum sit, falsum omninò ac ut spurium è Schola D. Thomæ rejici oporteat.

Primus igitur explicandi modus existimat, prę-viam motionem, seu efficacem gratiam non aliud esse præter ipsam Dei virtutem impressam voluntati creatæ, quæ scilicet virtus, ut est quædam Divinæ Omnipotentiæ participatio, & emanatio, ac impressio quædam Divinæ artis, & virtutis Divinæ, impellit, & applicat voluntatem ad actum; eò planè modo quo motione artificis instrumentum applicatur ad opus, quod artifex molitur, quæquæ impressio aut motio vix distinguatur ab ipsa voluntate, quæ movetur, & applicatur, sed est ipsa applicatio passiva: sicut motus vix distinguitur à mobili in quo recipitur, ut dictum est aliàs.

Atque ex ea notione simplicissima, consequitur *Primò*, eam motionem semper sua virtute efficacem esse, ac infallibiliter inferre actum voluntatis, & cum eo esse semper conjunctam; atque adeò omninò se habere ex parte actus secundi: aut medium veluti quoddam esse inter actum primum, & secũdum, quale medium intelligitur, cùm dicitur esse applicationem ad actum, aut reductionem potentiæ voluntatis à primo actu ad secundum, quæ subinde ab actu quem vi sua efficit sejungi non possit, cùm sit ipsa applicatio, quam ab actu sejungi non posse satis liquet.

Consequitur *Secundò*, cum ipsa prævia motione nunquam conjungi posse actum oppositum, nullamque supereſſe potentiam in sensu composito, ut vocant, seu potentiam ad actum oppositum componendnm cum ipsa prævia motione. Etenim primus hic explicandi modus nullius alterius rei rationem habet, nihilque aliud in motione inspicit, nisi ut sit voluntatis applicatio, & reductio; atque hoc unum quod potissimum, & veluti formale est, animadvertit, & ad efficaciam gratiæ explicandam advocat; quòd nimirum sit ut *intentio quædam*, & participatio Divinæ virtutis, quæ infallibiliter cum actu voluntatis creatæ conjungitur; cætera verò prætermittit; v. g. quòd gratia Divina sit motus quidam in voluntate receptus, aut quid imperfectum in genere motus: cùm hæc ratio, sive respectus, solùm præsuppona-tur motioni, & veluti materialiter dumtaxat ad illam se habeat. Atque inde fit quòd si cum ea motione, ut est Divinæ Omnipotentiæ quædam emanatio, quæ actum voluntatis creatæ infallibiliter efficit, posset oppositus actus componi; sequeretur esse duos simul oppositos actus in eadem voluntate: quòd non minùs repugnat, quàm repugnet, ut sæpiùs dixit S. Thomas, eandem lineam pluribus ac variis terminis, & punctis simul affici, & terminari.

Tertiò consequitur efficacem gratiam Dei non esse unquam in uno majorem quàm in alio; cùm in illa applicatione ad actum indivisibilis latitudo nulla intervenire possit, aut etiam intelligi. In cæteris quidem quæ ad actum primum pertinent, maximam latitudinem esse necesse est: ac majores vires, vel ex habitibus, vel ex auxiliis sufficientibus accedere, quæ voluntatem perficiant. Sed cùm in gratia efficaci nihil aliud inspiciatur, nisi ut sit ipsa voluntatis applicatio ad actum, repugnat majorem esse vel minorem; sed necesse est vel etiam minimam semper effectum efficere ad quem nobis à Deo datur. quo sensu de efficaci gratia intelligi debet illud S. Aug. *quòd à nullo duro corde respuitur, ideò quippe tribuitur ut cordis duritia primitùs auferatur*, lib. de Prædest. SS. c. 8.

Nec verò quidquam vetat, etsi Divina motio applicatio quædam voluntatis creatæ ad actum esse dicatur, quominùs etiam sit quædam virtus ipsi voluntati superaddita, quæ ejus vires augeat, & perficiat. Utramque enim rationem habet, atque utramque conjungit S. Thomas in eo præclarissimo articulo 7. quæst. 3. de Potentia, ubi vix quidquam ad veram hujus motionis Divinæ rationem explicandam prætermisit. Cùm enim jam duplicem modum explicuisset, quo causa una alterius operationem efficere dici potest: *Primò* quatenùs virtutem agendi permanentem contulit, quo sensu generans dicitur causa motus lapidis, quia gravitatem indidit quâ lapis deorsùm fertur: *Secundò*, quatenùs causa aliqua virtutem jam alteri inditam, & in eo permanentem conservat, ut variis remediis medicinæ ars sanitatem tuetur. Posteà addit D. Thomas: *Tertio modo dicitur una res causa actionis alterius, inquantùm movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis*, scilicet permanentis, de qua solùm hactenus egerat, *sed applicatio virtutis ad actionem*, virtutis inquam permanentis, cujus applicatione dicitur una causa operationem alterius efficere. *Sicut*, prosequitur S. Thomas, *homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quòd applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum*.

Igitur ex Sancto Doctore habet motio Divina, quòd *fit applicatio virtutis ad actionem*; neque in ea motione *collatio aut conservatio virtutis*, cujusq; permanentis *intelligitur*; sed intelligitur solùm *applicatio virtutis*: illius enim aut solummodò aut maximè ratio habetur, quia sola illa applicatione intelligitur causam unam, puta superiorem vel principalem effectum producere causę

infe-

inferioris, & inſtrumentalis: cùm illud ſemper immotum eſſe oporteat, quod expendimus aliàs ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 80. art. 1. quòd non contingit aliquid eſſe cauſam alterius actus, *Niſi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum.* Cui ſimillimum eſt, quòd iſto loco inquit S. Doctor: *Tertio modo dicitur una res cauſa actionis alterius, in quantùm movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis, ſed applicatio virtutis ad actionem.*

Verùm quamvis hæc ita ſint, & propriiſſimum motionis munus ſit voluntatem cum actu conjungere; nihil tamen vetat quominùs etiam Divina motio ſit quædam virtus collata voluntati, non quidem permanens; & ratum fixumque eſſe habens in voluntate creata, cujuſmodi ſunt habitus, ipſaque vis innata potentiæ; ſed virtus quædam tranſiens, quæ applicat perficitque voluntatem. Quinimò ita eſſe, neceſſe eſt, nec aliter unquam poteſt intelligi. Cùm universìm in cauſis omnibus illa *applicatio virtutis* cauſę inferioris *ad actionem* fiat motione cauſæ ſuperioris, & principalis: quâ ſcilicet cauſa ſuperior movet, perficitq; & evehit inferiorem, ſicut cauſa principalis movet, & perficit inſtrumentum. Unde illa motio cauſæ ſuperioris in inferiori recepta, ut dictum eſt ſæpiùs, eſt quædam participatio ipſius virtutis cauſæ ſuperioris; ſicut motio cauſæ principalis impreſſa inſtrumento, eſt participatio virtutis artis, & induſtriæ artificis.

Atque ita expreſſiſſimè explicat deinde S. Thomas, cùm quartum modum addit, aut tertium magìs explicat, quo una cauſa poteſt alterius actionem efficere. Cujus verba jam ſupra retulimus, nec licet hìc prætermittere. Ita enim habet. *Nec cauſa ſecunda poteſt in effectum cauſæ primæ per virtutem propriam, quamvis ſit inſtrumentum cauſæ primæ reſpectu illius effectus. Inſtrumentum enim eſt cauſa quodammodò effectus principalis cauſæ, non per formam vel virtutem propriam; ſed in quantū participat aliquid de virtute principalis cauſæ per motū ejus; ſicut dolabra nō eſt cauſa rei artificiatæ, per formam vel virtutem propriam. ſed per virtutem artificis, à quo movetur, & eā quodammodò participat. Unde quarto modo* (inquit S. Doctor) *unum eſt cauſa alterius; ſicut principale agēs eſt cauſa actionis inſtrumenti, & hoc modo etiam oportet dicere quòd Deus eſt cauſa omnis actionis rei naturalis*, ac etiam voluntatis. Ergo ex S. Thoma quoties cauſa ſecunda agit, neceſſe eſt, ut attingat effectum cauſæ primæ, quem tamen non poteſt attingere *per virtutem propriam*: Ergo neceſſe eſt *quòd participet aliquid de virtute principalis cauſæ per motū.* Atque ea ipſa motio eſt ipſa etiam participatio virtutis ſuperioris cauſæ; *Sicut* inſtrumentum, puta *dolabra non eſt cauſa rei artificiatæ per formam vel virtutem propriam, ſed per virtutem artificis à quo movetur, & eam participat*, ſcilicet per motum; ipſaque motio ab artifice impreſſa inſtrumento eſt ipſa participatio, ut diximus, virtutis artis, & induſtriæ artificis.

Unde in Divina motione intelligendum eſt duplex munus. In primis enim intelligenda eſt participatio quædam virtutis ſuperioris, & artis Divinæ, quæ voluntatis creatæ auget vires, efficitque, ut voluntas attingat effectum, quem propria ſua vi nunquam efficeret: ſed deinde intelligenda eſt in ea motione ipſa applicatio voluntatis, quatenus motio applicat, movetque voluntatem, & eam cum actu conjungit; *In qua applicatione non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis, ſed ſolùm applicatio virtutis ad actionē.* Quæ verba, ut diximus, ita explicanda ſunt, quòd *non intelligitur collatio alicujus virtutis*, ſcilicet permanentis de qua egerat ſupra, quamvis intelligi debeat *collatio alicujus virtutis* tranſeuntis: eā enim intelligēdam eſſe expreſsè inquit etiā iterū ad 7. *Dicendum, quòd virtus naturalis, quæ ineſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt ut quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura; ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Hæc ibi S. Thomas: Quibus utrumque conjungit quod obſervavimus; ſcilicet non conferri virtutem permanentem, & inditam: ſed conferri tamen virtutem actioni ſimilem, ad quam efficiendam ordinatur.

Eſt igitur duplex munus, duplexque ratio in Divina motione diſtinguenda: primò ut eſt participatio Divinæ virtutis, & auget vires voluntatis: ſecundò ut eſt applicatio, ſeu ut movet, & applicat voluntatem, illamque ex potentia in actum reducit. Et cùm intelligitur, & explicatur prima ratio primumque Divinæ motionis munus, ſcilicet vires voluntatis augendi, non intelligitur neque explicatur altera ratio, ſeu munus applicandi ipſam voluntatem. Et vice verſa cùm intelligitur, & explicatur altera ratio, aliudque munus Divinæ motionis, ſcilicet applicatio voluntatis ad actum, non intelligitur prima ratio, ſeu primum Divinæ motionis munus, ſcilicet augendi vires voluntatis. Sed cùm utraque hæc ratio, hoc utrumque munus quod diſtinximus, ad actum ſecundum pertineat, vel ad ipſum producendum ordinetur, & in ipſa productione actûs, apertior ſit magiſque emineat ipſa voluntatis applicatio, & ad actum reductio; ideò frequentiùs dici ſolet à S. Thomæ Diſcipulis, efficacem gratiam, ſeu prævium motionem Divinam nihil aliud eſſe quàm applicationem creatæ voluntatis, & reductionem ad actum ſecundum: quem loquendi modum à ſuo Angelico Præceptore Diſcipuli ejus uſurpant, cùm ab eo dictum ſit, quòd *Una res eſt cauſa actionis alterius*, & Deus eſt cauſa actionis voluntatis, *quia movet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis, ſed ſolùm applicatio virtutis ad actionem.* Cùm enim inquiritur de efficacia Divinæ motionis, hujus ſolùm muneris ratio habenda eſſe videtur, quòd ſcilicet applicet voluntatem ad actum: cùm vel ea

ſola

ſola ratione quòd voluntatem applicet, & cum actu conjungat, ſit actus ipſius cauſa, & infallibilem connexionem habere intelligatur: ſiquidem repugnat voluntatem cum actu conjungi, & tamen voluntatem non agere.

Verùm objici unum poteſt, ac ſolet etiam ab iis qui prævиis motionibus adverſantur; quòd nimirùm ſi alterum Divinæ motionis munus ſit, ut augeat vires voluntatis, ſitque Divina motio *complementum virtutis agentis ſecundi*, conſequi indè videatur; quòd cùm Divina motio deeſt, voluntatis potentia completa non ſit, atque adeò nec verè præcepta Dei juſtis etiam volentibus ac conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, eſſe poſſibilia: illis enim deeſt auxilium quo ultimò proximè, & completè poſſibilia fiant, efficax ſcilicet gratia Divinaque motio.

Sed nullius momenti eſt ea objectio, quæ nullo negotio, & obvia diſtinctione diſſolvi poteſt, quæque etiam qnàm facillimè retorqueri poteſt, aut ſponte etiam ſua in eos reſilit à quibus objicitur. Certum enim eſt de fide, quocumque tandem modo explicetur, efficaci gratia adjuvari voluntatem, augeri ipſius vires, quin etiam ut à S. Auguſtino toties dictum eſt, tribui efficaciſſimas vires, quæ dubio procul cùm homo non agit, nec efficai gratia movetur, quæcumque tandem illa ſit, non conferuntur. Quid igitur fiet? Ergo ex D. Auguſtini ſententia, Ergo ex principiis Fidei, cùm deeſt ea adjuvans gratia, cùm deſunt ejuſmodi efficaciſſimæ vires ſuperadditæ voluntati, præcepta Divina impoſſibilia ſunt juſtis volentibus, & conantibus? tunc enim illis deeſt hoc auxilium, deſunt efficaciſſimæ vires quibus poſſibilia fiant? Adde quòd ex S. Thoma expreſsè deſumptũ ſit quod ſupra retulimus, ſcilicet Divinam motionem *eſſe complementum virtutis agentis ſecundi*; nec puto quiſquam exiſtimabit, negaſſe D. Thomam præcepta Divina eſſe hominibus poſſibilia. Utrumque igitur conjungi neceſſe eſt, ſcilicet & motionem Divinam eſſe *complementum virtutis agentis ſecundi*, ſeu voluntatis vires augere, vel efficaciſſimas vires illi tribuere; & tamen Divinorum præceptorum adimpletionem, etiam cùm deſunt ejuſmodi vires, eſſe poſſibilem homini.

Unde nos facilè hac ſolutione nodum hunc ſolvimus. Si deeſt complementum actus ſecundi, potentia completa non eſt, diſtinguimus, Potentia ſejuncta ab actu, & à qua proportio cum actu ſecundo deſumitur, Negamus: Potentia conjuncta cum actu, & quâ nedùm actus poſſe fieri dicitur, ſed quâ etiam fit, concedimus. Hoc enim quod vocat S. Thomas *complementum* virtutis agentis, pertinet ad potentiam, non ut ab actu ſejunctam, ſed ad potentiam conjunctam cùm actu: confertur enim ſolùm ut actus producatur. Unde etiam ab aliis ad actum ſecundum non immeritò pertinere dicitur: ſiquidem ad actum ſecundum ordinatur. Eſt enim in actu ſecundo ſpecialis aliqua ratio quæ à potentia nuda, & ſola ſua virtute effici non poteſt; ratio ſcilicet entis, & ultimæ actualitatis, quæ eſt propriiſſimus effectus potentiæ Divinæ, quæque niſi impreſſa à Deo ſpeciali virtute produci non poteſt. Ut enim inquit S. Thomas. *Secundùm ordinem cauſarum eſt ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus eſt eſſe, nam omnia alia ſunt determinationes ipſius. Igitur eſſe eſt proprius effectus primi agentis, & omnia alia agunt in virtute primi agentis.* 3.cont.Gent.cap.66. num.5. & jam num. 4. ſublimem illam rationem idem Doctor Angelicus explicuerat, ſcilicet, quòd *Ultimum in bonitate, & perfectione inter ea quæ poteſt agens ſecundum, eſt illud in quod poteſt in virtute agentis primi: nam complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi: quod autem eſt perfectiſſimum, eſt eſſe. Igitur eſſe eſt quod agentia ſecunda agunt in virtute primi agentis.*

Igitur ex S. Thomæ ſententia, quoties ſeu voluntas creata, ſeu alia cauſa ſecunda agit, confertur ſpecialis virtus à prima cauſa, & primo agente, qua virtute cauſa ſecunda producat effectum primi agentis. Sed ea virtus omninò pertinet ad actum ſecundum, & quamvis ſit complementum potentiæ, non eſt tamen complementum potentiæ, niſi prout potentia cum actu conjungitur.

At verò prætereà ſupponitur completa potentia in ratione potentiæ ab actu ſejunctæ, per ſufficientia auxilia. Atque ratione hujus potentiæ præcepta Divina ſunt poſſibilia hominibus juſtis nedùm petentibus & volentibus, ſed etiam nec petentibus aut cogitantibus. Supponuntur enim eſſe auxilia ſufficientia, habituſque ſupernaturales, quibus fit integra proportio cum actibus eliciendis; non minor quàm ſit inter potentias, & facultates naturales ſuoſque effectus quos virtute præcontinent. Quamvis prætereà etiam adhuc novo titulo præcepta Dei dicantur poſſibilia juſtis volentibus, ratione ſcilicet auxiliorum ſufficientium actualium quibus voluntas adjuvatur.

ARTICULUS III.

Probatur ex S. Thoma primus hic explicandi modus gratiam eſſe per ſe efficacem, ac eſſe infallibiliter vi ſua, & immediatè cum effectu connexam.

VIx immorari neceſſe eſt, ut eum quem retulimus explicandi modum, à D. Thoma uſurpatum fuiſſe probemus: cùm ea omnia quæ hactenus retulimus, non de alio quàm de hoc explicandi modo rectè intelligi unquã poſſint. Sed tamen ut paucis rem conficiamus, revocanda quædam ſunt ex iis quæ fusè jam explicuimus: quibus tamen unica obſervatio præmittenda eſt.

Obſer-

Obſervandum eſt igitur propriè, & in rigore loquendo de Divina motione, non eſſe idem ſentiendum, ac de forma aliqua vel habitu permanente, in quibus dubium non eſt, neceſſariò habendam eſſe rationem ipſius entitatis formæ vel habitus: quia cum ſint perfectiones quædam ſuis ſubjectis vel potentiis inhærentes, quæque permanere diu debeant; neceſſe eſt conſentaneas eſſe ſuis ſubjectis, in iis coaptationem quandam, & proportionem attendi, & variam eſſe earum conditionem: plures enim v. g. & diverſiſſimæ rationis habitus requiri neceſſe eſt, cùm nulla ars ſola omnia præſtare poſſit: Atqui de Divina motione, & univerſim de quacunque motione inſtrumentis artis impreſſa, aliud ſentiendum eſt. Neque enim forma permanens eſt ad perficiendum inſtrumentum ordinata; ſed eſt dumtaxat motus tranſiens, & minima res ſi entitas ſpectetur, quæ intelligi unquam poſſit: nec aliud habet niſi dumtaxat quantùm neceſſe eſt ad ſuſtinendam veluti ipſis artis, ut vocat S. Thomas, virtutem, rationem, & intentionem. Unde nihil aliud in ea propriè attendi poteſt, niſi ſola ratio virtuſque, & ut loquitur S. Doctor intentio artis. Et quamvis interdum vario modo verſare ac movere inſtrumenta artifex debeat, nunquam tamen aliud in ea motione inſpicitur; niſi quòd ſit virtus artis. Unde etiam motio artificis cum ipſa ejus arte non ponit, ut dici ſolet, in numero: eſt enim virtus artis media motione in inſtrumentum, & opus confectum diffuſa. Atque idem de Divina motione dicendum eſt. Si enim ejus entitas ſola ſpectetur, minima eſt, & cujus vix ratio haberi debeat. Unde nihil aliud attendi aut inſpici propriè debere videtur, niſi quòd Divina motio ſit Divinæ omnipotentiæ quædam participatio, ac virtus artis Divinæ, quæque ut ita dixerim cum potentia Divina ac voluntate Divina nihil in numero ponat. Ideoque de Divina motione idem omnino, ac de ipſa Divina potentia, & Divina voluntate, ſentiendum eſt: de quo iterum aliqua infrà dicemus. Qua obſervatione ſemel poſita.

In primis Probandum eſt motionem Divinam nedum invitare quocumque modo voluntatem, ſed ipſam etiam applicare, & conjungere cum operatione, quod propriiſſimè eſt efficere ut faciat, & operetur. Atque id expreſsè aſſerit S. Thomas, nec potuit expreſſiùs loqui, quàm cum hæc tria docuit art. 7. quæſt. 3. de potentia. *Primò* Deum eſſe cauſam actionis voluntatis, *in quantum eam movet ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem*. Quæ dicta à D. Thoma juncta cum aliis quæ eodem Articulo explicat, & latè diffundit, adeò expreſſa viſa ſunt his quibus adverſa ſententia placuit, ut ipſa rei evidentia compulſi, negari non poſſe ultro conceſſerint, traditam fuiſſe eo loco à D. Thoma, motionem præviam, qualem defendunt ſuæ Scholæ Diſcipuli, ac ipſi Recentiores impugnandam ſuſceperunt. *Secundò* his addi debent, quæ deinde habet idem S. Doctor in fine articuli, ubi inquit: *Sic ergo ſi conſideremus ſuppoſita agentia, quodlibet agens particulare eſt immediatum ad ſuum effectum: ſi autem conſideremus virtutem qua fit actio; ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in libro de cauſis, quod virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum.* Hæc ibi S. Thomas. Quibus manifeſtum eſt, veriſſimam eſſe ipſius S. Thomæ ſententiam, ſcilicet motione prævia applicari voluntatem: & conjungi cum operatione, ſeu motionem ipſam eſſe ipſammet applicationē voluntatis ad actum. & quidem applicari voluntatem *in omni operatione*, ut expreſsè habet in Argumento ſecundo: ac demum applicari, non quomodocumque, & veluti longo cauſarum circuitu, ac velut in arte cum magno machinarum apparatu, v. g. lapis attollitur, & artifex motum dumtaxat primæ machinæ imprimit, quæ cæteris motum artificis defert. Longè enim ea comparatio artis creatæ abeſt ab arte Divina, qua Divinus artifex veluti anima in corpore adeſt ſuis operibus, in iiſque immediatè operatur, effectrices cauſas ad ſuas operationes immediate movet, & applicat, ut ibidem expreſsè habet S. Thomas: ubi in fine Articuli brevi ſumma, quæ toto Articulo benè longo explicuerat, ita complectitur. Unde *Tertiò* ſic habet: *Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conſervat eas, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit, & cùm conjunxerimus his quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe; ſequitur quòd ipſe in quolibet operante immediatè operatur non excluſa operatione voluntatis, & naturæ.* Hactenus D. Thomas in eodem Articulo.

Atque ex his, appertiſſimè conſequitur, quòd Divina motio infallibilem connexionem habeat, & immediatam cum operatione ad quam movet. Si enim in qualibet operatione voluntatis, Deus immediatè voluntati præſens ac inexiſtens voluntatem immediatè applicet; imo ipſa motio ſit ipſamet applicatio activa voluntatis: cùm planè repugnet, eſſe activam applicationem, niſi ſit applicatio paſſiva, ſitque inter utramque infallibilis omnino connexio; neceſſe eſt, motionem præviam infallibiliter operationem voluntatis efficere, & habere ſemper non concurſu plurium cauſarum, aut circumſtantiarum, ſed omnino vi ſua, & ut loquitur Sanctus Thomas, quia eſt *applicatio virtutis ad actionem*, & quia *virtutem cum actione conjungit*, aut etiam ut inquit loco ſtatim referendo, propter, *efficaciam virtutis moventis*. Et

Confirmatur *Primò* quia nedum ex ea motionis prævia ſimpliciſſima notione apertè conſequitur, connexionem eſſe infallibilem inter motionem & operationem; ſed etiam eandem ipſe S. Tho-

mas consecutionem elicit, 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. ubi inquit: quòd *si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est quòd voluntas ad illud non moveatur*. Quamvis tamen ut statim subdit, non sit impossibile simpliciter: unde non sequitur quòd voluntas ex necessitate à Deo moveatur: & 2. 2. quæst. 24. art. 11. *impossibile* inquit, *est hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit movere aliquem ad actum Charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando*. Ubi, quod perpetuò observari velim, non potest non intelligere Sanctus immediatam connexionem inter motionem Dei moventis, & operationem voluntatis motæ ab ipso Deo. Ait enim quòd *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est quòd* immediatè ad illud voluntas *non moveatur*, v. g. *si Deus voluntatem moveat* ad initium salutis, primumque actum fidei, *impossibile est quòd* voluntas ad ejusmodi ad actum *non moveatur*, eunque non eliciat: *Si Deus voluntatem moveat* ad perfectum Divinæ bonitatis amorem, *impossibile est, quòd voluntas* ad eum *non moveatur*, Deumque non diligat. Nihil enim est eo loci, quod vel leviſsimè indicet, alio sensu D. Thomam fuisse locutum: Ergo &c.

Confirmatur *Secundò* eodemque principio à S. Thoma constituto deducitur, quòd cùm ea motio sit Divinæ artis virtus, & Divinæ potentiæ intentio aut participatio, non possit non producere infallibiliter effectum, & immobiliter voluntatem non movere propter efficaciam ipsius Divinæ virtutis. Atque id etiam expressè habet Sanctus Doctor, quæst. 6. de malo ad 3. *Deus movet immutabiliter voluntatem, propter efficaciam virtutis movētis, quæ deficere non potest*. Non igitur ex variis circumstantiis, non ex longo circuitu, & ut dixerim, per ambages causarum infallibiliter effectum producit, sed directè, & immediatè *propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest*. Quamvis tamen ut post ea subdit, *Propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducatur necessitas, sed maneat libertas. Sicut etiam in omnibus providentia Divina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter unumquodq; secundùm suũ modum.* Atq; inde oritur, quòd Deus fortiter, & suaviter omnia agat, & moveat: quia quoties voluntatem creatam movet, si efficaciter moveat, *movet immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest*: quamvis *propter naturam*, & conditionem *voluntatis*, libertatem ei relinquat, ipsamque etiam libertatem efficiat.

Confirmantur *Tertiò* superiora, & Probatur iterum, connexionem esse infallibilem inter Divinam motionem, & operationem voluntatis, ac simul explicatur cum ea connexione infallibili conjungi libertatem, & detegitur prima radix quæ cum operatione voluntatis, & infallibilitatem, & libertatem veluti duplicem florem conjungit. Hoc habet singulare, & eximium Divina, & prævia motio, Deique gratia, ut est veluti Vicaria potentiæ Divinæ, & participatio, ejusque intentionem secum defert, & virtutem involuit, ordinemque ejus exequitur, ut simul, & immutabiliter, & infallibiliter agat, ac simillem infallibilitatem voluntati creatæ operanti imprimat; & tamen ipsius libertatem omnino illæsam servet: Ergo Divina motio infallibilem habet cum operatione voluntatis creatæ connexionem: nec quidquam vetat quominus eam infallibilem connexionem ex vi ipsius Divinæ motionis statuamus, quam primus his explicandi modus constituit.

Antecedens jam suprà fusè probatum est. Ex quibus hæc S. Thomæ ratio advocatur. Illud motioni Divinæ, ut est participatio Divinæ virtutis, & ut immediatè à Deo descendit ad operationem singularem efficiendam, v. g. propositum colendæ castitatis emittendum, tribuendum est quod Divinæ voluntati convenit, ut ipsius ordinem vicesque immediatè motio exequitur: Atqui ex Sancto Thoma lib. 1. periherm. lect. 14. *Divina voluntas intelligenda est extra ordinem entium existens, velut quædam causa profundens totum ens, & omnes ejus differentias* contingentiam scilicet, & libertatem: & quatenus *transcendit ordinem necessitatis, & contingentiæ*, utrumque, & imprimere, & conjungere potest, & temperare ut voluerit; & efficere potest quòd voluntas creata necessariò agat, seu infallibiliter, & immutabiliter, & cum ea infallibilitate indifferentiam potentiæ, contingentiam actus, & libertatem simul conjungat: Ergo &c. De *minori* nihil est quòd quisquam contendat, ubi de S. Thomæ sententia agitur, cùm ea quæ retulimus apertiora sint, quàm ut alium sensum detorqueri unquam possint. *Majorem* de qua jam aliqua diximus si quis neget, velim ex D. Thoma locum aliquem in medium proferri, ubi aut aliud dixerit, aut aliter sentiendum esse vel leviter innuerit. Alioquin enim etiam centies ab eo dictum est, motionem esse virtutem causæ primæ, esse instar virtutis artis, Divinamque motionem comparari cum motione artificis impressa instrumento. Quis verò dubitet, idem esse sentiendum de ipsa motione instrumento impressa, ac de ipso artifice, ipsaque arte, qua agit. Hæc enim omnia inter se se connecti necesse est: quia artifex ex regulis artis utitur instrumento, ipsumque operi admovet, ipsaque motio impressa instrumento defert intentionem, & artis, & artificis; aut tota industria artificis, & artis est per modum intentionis in instrumento, cùm maximè separatum instrumentum artifex solùm adhibeat, eoque uti cogatur, quòd conjuncto non omnia conficere possit, solam manum alioquin adhibiturus, si sola manus moliri omnia posset. Quis verò dubitet, eandem esse rationem habendam, & artificis, & manus quam exerit, admovetque moliendo operi? Ergo ut dictum est, motio nihil ponit in numero, sed eadem ratio est, & Divinæ Omnipotentiæ, & Divinæ motionis.

Con-

Confirmatur *Quartò* quia hoc habet Divina voluntas ac Divina motio, quod nulli alteri cauſæ tribui unquam poteſt, quodque *dici non poteſt nec de voluntate humana, nec de aliqua* alia cauſa, ſi ſola ipſius conditio, & vis nativa ſpectetur; *quia omnis alia cauſa cadit jã ſub ordine neceſſitatis, & contingentiæ; & ideò opportet, quòd vel ipſa cauſa poſſit deficere, vel ejus effectus non ſit contingens, ſed neceſſarius*: nec fieri unquam poteſt, quòd voluntas, ſi ſolùm ipſius naturæ [ut dixi] & conditionis ratio habeatur, immutabiliter mota operetur, & operatio contingens, & libera ſit. *At verò voluntas Divina indeficiens eſt, & tamen non omnes ejus effectus ſunt neceſſarii, ſed quidam contingens*, & quidam liberi. Unde hæc duo conjungere poteſt divina voluntas, ſcilicet, quòd immobiliter operetur, & tamen effectus ejus liber ſit: Ergo idem efficit Divina motio, ut vices voluntatis Divinæ gerit, & exequitur; & voluntatem creatam immutabiliter movet, & libertatem in operatione ipſius creatæ voluntatis ſervat: & ideò ſervat, quia modum ipſum libertatis voluntatis creatæ efficit. Locum integrum S. Thomæ ſupra retulimus; quem nec repetere neceſſe eſt.

Confirmatur *Quartò* altera ratione ex eodem S. Thoma 6. metaphyſ. lect. 3. ubi ſic habet. *Invenitur* inquit, *uniuſcujuſque effectus ſecundùm quòd eſt ſub ordine Divinæ Providentiæ neceſſitatem habere*, conditionatam ſcilicet, qualem voluntatis conditio patitur. *Ex quo contingit quòd hæc conditionalis eſt vera: ſi aliquid eſt à Deo proviſum hoc erit ..... Secundùm autem quòd effectus aliquis conſideratur ſub ordine cauſæ primæ: ſic non omnis effectus eſt neceſſarius, ſed quidam neceſſarius, & quidam contingens ſecundùm analogiam ſuæ cauſæ*. Ex quibus verbis efficaciſſima hæc ratio deducitur. Quoties duæ cauſæ ad eundem effectum producendum concurrunt, neceſſe eſt effectum utriuſque cauſæ impreſſionem recipere, & ex parte utriuſque cauſæ conditionem referre, quia cauſa omnis ſimilem ex parte ſaltem effectuum producit, & omnis effectus ſimilis eſt ſuæ cauſæ: Atqui motio divina ut eſt participatio virtutis, & Omnipotentiæ Divinæ, & executio ordinis Divinæ providentiæ, immutabilitatem habet in movendo, & ipſa voluntas ex ſua ipſa conditione indifferentiam habet in operando: Ergo & ipſa voluntas, & voluntatis operatio utrumque conjungit. & immutabilitatem ex Divina motione, & libertatem ex voluntate: & ut ſtat *ſub ordine Divinæ Providentiæ neceſſitatem* infallibilitatis *habet*, & ut *conſideratur ſub ordine cauſæ proximæ*, ſcilicet voluntatis creatæ, ſummam habet indifferentiam, & libertatem. *Et hoc* eſt ut rectè obſervat S. Thomas, *ſingulare in hac cauſa*, ſcilicet *in Divina Providentia*, Divinaque motione. *Reliquæ enim cauſæ non conſtituunt legem neceſſitatis vel contingentiæ, ſed conſtituta à ſuperiori cauſa utuntur*: ideòque nec eas neceſſitatis leges veluti invicem permiſcere, & temperare poſſunt, non magis quàm ſuæ naturæ conditionem immutare poſſint. Unde neceſſe eſt, ut neceſſariæ v. g. cauſæ eam legem neceſſitatis ſibi à ſuperiori cauſa conſtitutam ac præfixam ſervent, ſimilemque conditionem ſuis effectibus imprimant: nec contingere umquam poteſt, quòd neceſſariò agant, & tamen ipſarum effectus contingenter oriantur. At verò Divina providentia ipſaque divina motio, ut Divinæ Providentiæ ordinem exequitur, evecta ſupra leges neceſſitatis, & contingentiæ, eas veluti permiſcet ac temperat ut libuerit: unde efficere poteſt, ut voluntas creata immobiliter agat, & tamen libertatem conjungat. Vide locum integrum S. Thomæ quem ſupra retulimus: & Opuſc. 28. cap. 2.

Confirmari *Sextò* aut probari iterum hic modus explicandi poteſt altera ratione quam etiam ſupra fusè proſecuti ſumus ex divina Omnipotentia. Supponamus enim, Deum ita velle, quòd ſcilicet immutabiliter, & tamen liberè voluntas, & moveatur, & operetur. Et quamvis forſitan ordo communis Providentiæ divinæ jam conſtitutus aliud exigeret, ut hoc ultrò quod falſum omnino, eſt Adverſariis demus; ſupponamus tamen, Deum in manifeſtationem ſuæ infinitæ potentiæ ita velle; nam ſanè ita fieri poſſe nemo unquam negabit, qui ſaltem in Schola D. Thomæ audierit, à quo toties diſcere potuit, non pertinere ad libertatem quod ab alia ſuperiori cauſa non moveatur: *Non enim repugnat libertati, quod Deus ſit cauſa actus liberi arbitrii*, & alia ejuſmodi quæ ſupra ſæpius enumeravimus. Neque minus ex D. Auguſtini probari id poteſt à quo dictum eſt in Euchiridio cap. 95. *Deum nihil velle quin poſſit, quia omnia quæcunque voluit, fecit: quod utique verum non eſt, ſi aliqua velit, & non fecit: & quod eſt indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, volũtas hominis impedivit*. Quod adeò verùm D. Auguſtinus exiſtimavit, ut aliud ſentire, indignum Chriſtiano eſſe, ibidem dixerit: Ergo ſi Deus immediatè voluntatem moveri, & motam voluntatem libertatem ſervare voluerit, neceſſe eſt quòd utrumque fiat, ſcilicet quòd immediatè ac infallibiliter voluntas moveatur, & tamen quòd libertatem ſervet. Et ſanè minimè de eo D. Thomam dubitaſſe ſatis liquet, cùm expreſsè dixerit, quòd *ſicut poteſt voluntas immutare actum ſuum in aliud*, utique liberè; *ità & multo amplius Deus*. quæſt. 22. de verit. art. 8. & quòd *Deus omnipotentia ſua hoc facit, ut illud in quod movetur voluntas, libere velit*. Ergo dubitari non poteſt quin Deus tota ſua potentia utens poſſit ſi velit movere voluntatem, non ſolùm per cauſarum longam ſeriem, & circumſtantiarum accumulationem, ſed etiam immediata voluntatis creatæ applicatione media divina ſua motione facta, & poſſit ſervare ipſius voluntatis libertatem illæſam. Vid. quæ diximus Diſſ. 2. quæſt. 3. art. 5.

Confirmari demum hæc ſententia poteſt, & hic modus explicandi defendi, quòd nullam vel minimam repugnantiæ umbram involuat. Quæ-

nam enim hæc esse posset ? forsitan quòd immediata illa motio velut durior validissimæ manus contactus libertatem creatam natura sua teneram confringeret : Atqui in primis nunquam alia ratione S. Thomas libertatem servari illæsam respondit, ut jam toties à nobis dictum est, nisi quòd Divina voluntas sit efficacissima, sit ipsa & causa, & origo ipsius libertatis. Impossibile enim est in ipsis principiis res extingui, in quibus naturam ac perfectionem omnem hauriunt quam habent: id enim perinde esset ac si quis diceret, manum v. g. influxu spirituum languere, & arescere; cùm econtrà ideò interdum manus arida fiat, quòd hic influxus spirituum interceptus sit. Sed præterea *Secundò* efficacissimum, & omnino invictum Argumentam est ex Divina Omnipotentia desumptum : nihil enim vetat, quominus ad singulos actus Divina motio voluntatem hominis impellat, servetque ejus libertatem. Neque est quòd Theologus principiis D. Thomæ imbutus in ejusque Schola institutus, de lædenda idcirco libertate dubium ullum habeat, aut etiam minima cogitatio hujus animum subeat. Sed *Tertiò* Demum alterum etiam Argumentum est, quod plane demonstrationem nuncupare liceat, ex Christi Domini libertate desumptum. Certum enim est quòd in Christo Domino majorem vim Divina Motio, & Divini Verbi directio habuerit, quàm habeat in reliquis hominibus etiam sanctissimis quæcumque Divina motio, dum eos ad bonum impellit. Neque enim in Christo Domino advocandus est longus ille causarum circulus, aut circumstantiarum coacervatio, ut hujus motionis vis, & efficacia explicetur. Immediatè enim ad quodlibet opus à Divino Verbo humanitas SS. Christi movebatur, ut instrumentum conjunctum à causa principali, & ut corpus ab anima : & tamen cum ea Verbi Divini specialissima motione, & directione, nedum integra, & illæsa, sed & perfectissima, quæ unquam sub Deo intelligi possit, erat ipsius libertas, ut & perfectissimum ejus meritum, cujus libertas fundamentum est : Ergo nulla repugnantia est cum immediata Divina motione quantumvis efficaci, libertatem conjungi.

Atque sanè utramque motionem, ab eaque indivulsam libertatem conjungit S. Thomas, & unam explicat ex altera 3. par. qu. 18. art. 1. ad 1. *Dicendum est*, inquit, *quòd quidquid fuit in humana natura Christi movebatur nutu voluntatis Divinæ; non tamen sequitur quòd in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ*, qualis est dubio procul liberæ voluntatis motus. *Quia*, subdit S. Doctor, *etiam aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur secundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere. Licet enim voluntas non possit interiùs moveri ab aliqua creatura, interiùs tamen movetur à Deo*. Hæc D. Thomas. Ubi cùm probat servari libertatem conjunctam cum Divina motione, & directione Verbi Divini, ex ea cooperatione motionis, qua Sancti moventur à Deo, servata ipsorum libertate; intelligenda est ea probatio vim habere explicationis ab exemplo aliqua saltem parte simili, sed tamen longè inferiori, desumptæ. Sed si contrà probetur, posse voluntatem hominis moveri Divina motione, & illæsa libertate, quia etiam in Christo Domino cum directione Verbi Divini illæsa ipsius Christi libertas conjungitur; Argumentum est à majori ad minus : si enim major illa directio, & efficacior motio cum qua etiam nulla in esse poterat peccandi potentia, minimè lædebat libertatem : Ergo nullum periculum est, quòd motione Divina, qua potentia peccandi auferri non potest, vel minimum libertas creata lædatur. Sed de hoc Argumento alibi dictum est.

Ex his igitur omnibus maximè ex ea probatione ex Divina Omnipotentia desumpta, satis apertum esse videtur, ut hoc minimum saltem obtineam, nihil repugnare eum explicandi modum : ac ex ejusdem S. Doctoris principiis, addam, & ex principiis fidei, quàm facillimè posse defendi : Atqui si ita fieri possit, scilicet voluntatem immediata motione moveri, eamque motionem nulla habita aliarum causarum ratione, ac sine illarum ope, posse, & efficacissimam esse, & infallibiliter cum operatione voluntatis creatæ servataque ipsius libertate esse conjunctam, nulla verisimili ratione negari potest quin ita fiat : cùm hic agendi modus multò nobilior sit, quo immediatè omnia in Divinam operationem referuntur. Et cùm etiam hic obtinere possit ea regula quam sæpiùs tradidit S. Thomas cæterique deinde Theologi usurparunt : scilicet quòd in necessariis, & Divinis, idem est esse, & posse : ita etiam existimandum est, Deum rebus omnibus inexistentem esse & immediatè ad omnem operationem naturam ac voluntatem movere : & ut ab Aristotele etiam dictum est, *Omnia moventur ab inexistente eis Numine*, & ut Diviniùs à B. Apostolo Paulo dictum est, *in ipso* Deo *vivimus, movemur, & sumus*. Sed hæc omnia ex infra dicendis majorem lucem accipient.

QUÆSTIO IV.

De Secundo explicandi modo: Motionem Divinam in voluntate ita temperari, ut cum ipſius entitate actus oppoſitus conjungi poſſit.

FACILIUS explicari poſſe concordiam libertatis humanæ cum Divina gratia, exiſtimari forſitan poſſet, ſi modus aliquis occurreret, & repertus adhiberetur, quo defendi commodè poſſet, Divinam motionem, ut in voluntate receptam, ab ipſa voluntate ita veluti temperari ac modificari, ut ſi ſola entitas gratiæ ſpectetur, minimè repugnet cum ea oppoſitum actum conjungi. Verùm non magnopere nobis laborandum eſt, ut hunc in S. Thoma modum reperiamus. Atque hunc modum quem aliqui ex D. Thomæ Diſcipulis interdum uſurparunt, etſi in eo non admodum immorati ſint, ratione à nobis infra referenda; expreſsè in D. Thoma reperiri omnino demonſtrandum in me ſuſcipio, ut palam ſit nihil fermè ex communibus S. Doctoris principiis deduci poſſe, aut unquam ab ipſius S. Doctoris Diſcipulis fuiſſe deductum, quod ipſe aliquando non deduxerit.

ARTICULUS I.

Motionem Divinam, ut in voluntate receptam modificari: movere tamen infallibiliter, ut eſt ex intentione Dei.

DUo ſemper conjungenda eſſe ſæpe monuimus, & ſummam gratiæ efficaciam, & pleniſſimam voluntatis libertatem: utrumque verò etiam in hoc ſecundo explicandi modo conjungi nobis demonſtrandum eſt: quod ita commodè fiet, ſi probatum à nobis fuerit, hæc duo Divinæ motioni convenire: *Primò*, ut in voluntate humana recipitur, ita voluntati veluti contemperari, ut penè eandem conditionem habeat, indifferens ſit, minimè oppoſito actui repugnet, nec omnino infallibilem connexionem habeat cum actu quem efficit: ſed tamen ut eadem motio deſcendit ab ipſo Deo, Divinæque artis virtus eſt, ac Divinæ Omnipotentiæ participatio, infallibilem eſſe hujus Divinæ motionis cum actu voluntatis humanæ connexionem, repugnare cum actu oppoſito, ac omnino voluntatem determinare: atqui utrumque nos docuit Sanctus Thomas, & expreſſis adeò verbis explicuit, ut ſi Tertulliani phraſi uti liceat de Reſurrect. Carn. cap. 45. ipſius *Solis radiis* utrumque ſcripſiſſe videatur.

Probatur igitur ex D. Thoma Divinam motionem in voluntate receptam modificari, & tamen infallibiliter voluntatem ad actum applicare, ipſumque efficere. Etenim Sanctus Doctor qu. 24. de Verit. ubi agit de libero arbitrio, art. 8. cùm hanc quæſtionem pertractaret, *num Creaturæ liberum arbitrium confirmari valeat in bonum per aliquod ipſius gratiæ donũ?* In primis affirmativè reſpondet: conſummata enim gratia, perfectaque Charitas ita Beatorum voluntates conjungit cum Deo, & illigat felix hæc unio, mutuaque amicitia, ut abrumpi nunquã poſſit. Verùm obiicit ſibi Doctor Angelicus, num. 6. argumentum quod etiam præviam motionem qualem admittit ipſius Schola impetere poſſit. Ita enim ſibi obiicit. *Ut dicitur in libro de cauſis, quod eſt in aliquo, eſt in eo per modum ejus, in quo eſt: Sed liberũ arbitrium ſecundùm ſuam naturam eſt mutabile in bonum & malum: Ergo & gratia ei ſuperveniẽs, hoc modo in eo recipitur, quòd in bonum, & malum mutari poſſit. Et ita videtur, quòd non poſſit ipſum confirmare in bono.* En argumentum quod parem etiam vim habet, ſi adverſus motionem Divinam obiiciatur. Recipi enim Divinam motionem in voluntate humana quæ movetur, dubitari non poteſt; eſt enim motus in mobili, eam igitur recipi in voluntate neceſſe eſt ad modum ipſius voluntatis, in qua recipitur: Atqui ea eſt conditio voluntatis, ut ſemper indifferens ſit, nec ullus actus ſeu pravus, ſeu bonus ipſi repugnet, ſed utriuſque capax ſit, & poſſit cum utroque conjungi: Ergo eandem conditionem Divina motio habeat neceſſe eſt, & quòd poſſit cum oppoſito actu conjungi.

Reſpondet tamen Sanctus Thomas, duo in Divina motione debere diſtingui. Eſt enim ipſius entitas, eſt & ſpecialis ratio quæ participatio quædam eſt Divinæ virtutis. Et ſi quidem ut entitas quædam eſt, Divina motio ſpectetur, nihil vetat quo minus in voluntate recipiatur ad modũ ipſius, ab ea ut accidens à ſubjecto dependeat, ipſius conditiones induat, & indifferentiam quandam ita habeat, ut etiam, & contrarium actum in voluntate humana compati ſecum poſſit. At verò ſi propriiſſima Divinæ motionis ratio inſpiciatur, & ut eſt Divinæ virtutis quædam participatio, alteram omnino conditionem

in-

induit ; retinet enim ſuæ originis dotes, & jura : applicat infallibiliter voluntatem, non poteſt cum actu contrario ulla potentia componi, tribuitque quandam immutabilitatem voluntati.

Sed audiendus Divus Thomas ex quo integrum textum, referimus : ſic igitur inquit. *Dicendum quòd ejus quod recipitur in aliquo poteſt conſiderari, ET ESSE, ET RATIO ; ſecundùm quidem ESSE ſuum, & in eo in quo recipitur per modum recipientis ; ſed tamen ipſum recipiens trahitur ad ſuam RATIONEM. Sicut calor receptus in aqua habet eſſe in aqua per modum aquæ, in quantum ſcilicet ineſt aquæ, ut accidens ſubjecto : tamen aquam trahit à naturali ſua diſpoſitione ad hoc quòd fiat calida, & faciat actum caloris. Et ſimiliter lux aërem, licet non ſit contra naturam aëris. Ita & gratia ſecundū ESSE SVVM eſt in libero arbitrio per modū ejus, ſicut accidens in ſubjecto : ſed tamen AD RATIONEM ſuæ immutabilitatis liberū arbitriū pertrahit, ipſum conjungens Deo.*

En igitur expreſsè ex S. Thoma, duplicem hanc in Divina motione conditionem quam ſuprà explicavimus. Poteſt enim in motione *conſiderari*, *& eſſe* ſive entitas, *& ratio*. Et ſi quidem entitas ſola *ſpectetur*, voluntati humanæ inhæret, à voluntate ut ſubjecto dependet, ipſique conformatur, ac ſimilem conditionem induit. Eſt enim in voluntate *per modum recipientis quod eſt mutabile*, ſive inſtar voluntatis quæ eſt mutabilis. Atq; ex ea parte motio Divina nec infallibiliter conjunctum habet actum ad quem movet, nec adverſo actui repugnat. Verùm ex altera parte, & ratione ſuæ originis, aliud omnino habet. Eſt enim participatio quædam virtutis Divinæ, atque ea ratione dotibus omnibus quas ſæpius Sanctus Auguſtinus recenſet, præditam eſſe neceſſe eſt, ſcilicet ineluctabilem, invincibilem, omnipotentiſſimam eſſe : & ut apertiùs inquit hic Sanctus Thomas, *Ad rationem ſuæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipſumque conjungit Deo.*

Atque id duplici exemplo ſelectiſſimo lucis, & caloris explicat idem Angelicus Doctor, quo etiam Divinæ motionis varios effectus in duplici ſtatu naturæ innocentis, & corruptæ demonſtrari poteſt. Nihil enim aëri ineſt, rationi & conditioni lucis contrarium : unde opportuniſſimum exemplum eſt, quo explicetur Divinæ motionis vis in Angelo, & primo homine, antequam amiſſa innocentia inferior pars infecta peccato, & excuſſo rationis fræno ad ſenſibile bonum ferretur, & voluntatem pertraheret. At verò alia conditio eſt aquæ, ea ratione diſſimilis aëri : quòd ſcilicet aqua frigiditatem innatam habeat calori contrariam. Unde calor impreſſus aquæ, vim quandam ipſi afferre videtur, quam ſatis ebullitio aquæ indicat ex duplici motu, caloris quo ſurſum fertur, & proprio, ſive frigiditatis, quo deorſum deprimitur : cui duplici motui nihil ſimile in aëre videre eſt, dum luce perfunditur, quòd nihil aër habeat luci adverſum. Atque eo exemplo veluti ob oculos ponitùr motionis Divinæ vis, quam homini, ut bonum operetur penè inferri neceſſe eſt, poſt amiſſam innocentiam, cùm jam *naturalis malitia* facta eſſe dicitur, & voluntas veluti peccati frigore torpet, & conſtringitur. Unde dicitur, quòd *Spiritus Domini cogit*, quem movet, eo quòd à bono ſenſibili ipſum retrahat, ad quod veluti impreſſo graviſſimo pondere corruptione naturæ peccato infectæ præceps abripitur, Atqui in utroque hoc exemplo, ſi ſola in luce, & calore accidentis ratio communis ſpectetur, in ſubjecto ad modum recipientis, vel aquæ vel aëris recipitur, & dependet à ſubjecto, ſimilem conditionem induit, nec tenebras, nec frigus, non magis quam aër, & aqua depellit, aut iis repugnat. Sed ſi propria, & lucis, & caloris ratio ſpectetur, contra accidit ; lux aërem, calor aquam, *Ad ſuam rationem pertrahit*, ſuaſque dotes ipſi imprimit : nam aër luce perfuſus repugnat omnino tenebris : & aqua calefacta frigiditatem non patitur : Ergo etiam in ipſa Divina motione hanc utramque rationem diſtingui neceſſe eſt, *& eſſe*, ſive entitatem ; *& rationem*, ut ſcilicet eſt partipatio virtutis Divinæ. Prima indifferentiam omnem in omni ſenſu etiam compoſito nedum diviſo relinquit : altera voluntatem immobilem efficit, relicta ſolum in ſenſu diviſo diſſentiendi potentia : & quidem potentia longè diſſimili à potentia, quæ aquæ ineſt dum calore afficitur ; ne quis ex eo exemplo uti vellet : cùm longè alia ſit voluntatis conditio, quæ triplici Univerſalitate prædita eſt, ut dictum eſt alias. Qua univerſalitate quātumvis unum actum determinatè habeat, ipſum tamen cum ſumma indifferentia reſpicit, tanquam partem minimam ſui Dominii, quod erga infinitos penè actus exercere poteſt.

Confirmatur ex eodem D. Thoma : quòd idem ſervata propoſitione de Divina motione, ac de ipſa Charitate dicendum eſſe videatur : Atqui ex D. Thoma in ipſa Charitate hæc duplex ratio diſtinguenda eſt, & ut eſt in ſubjecto, & ut eſt ſub directione Spiritus Sancti ; & primò quidem modo amitti poteſt, altero verò modo eſt inamiſſibilis : Ergo etiam nihil vetat quominus hæc duplex ratio in Divina motione diſtinguatur ut ſuprà &c. Minor probatur ex D. Thoma. Etenim 2. 2. quæſt. 24. art. 11. utrum charitas poſſit amitti ; ita habet. *Dicendum quòd per charitatem Spiritus Sanctus in nobis habitat* : unde charitatem conſiderare poſſumus : *Uno modo ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum : & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quidquid voluerit : unde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando &c.* Alio modo, addit poſtea D. Thom. *Poteſt conſiderari charitas ex parte ſubjecti, quòd eſt vertibile ſecundùm arbitrii libertatem.* Atque ea ex parte amitti charitas poteſt : quia *de ratione formę eſt quod ſit in ſubjecto amiſſibiliter quando non replet totam potentialitatē materiæ.* At verò charitas patriæ replet equidem voluntatem, & omnes veluti ſinus cordis : quia

Deus

Deus major eſt corde noſtro, ac perpetuò omnes voluntatis cordiſque motus rapit : ſed cum hic in via omnes cordis ſinus non repleat, neque hujus motus omnes perpetuò in Deum ferantur, fit inde ut etiam poſſit charitas amitti. Hæc D. Thomas : ubi adverti poteſt, quod obſervatum eſt aliàs, Divinam motionem cum Dei præſentia in anima eſſe conjunctam. *Quia Per charitatem* inquit *Spiritus Sanctus in nobis habitat* ; ideò ex *parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligẽdum Deum* charitas impeccabilitatem habet. Atque inde fit comparationem charitatis cum Divina motione opportuniſſimam eſſe. Involvit ut ita dixerim charitatis habitus ipſum Spiritus Sãctum, ipſumque præſentem in anima ſiſtit, hiſque vinculis charitatis, Spiritus Sanctus cum anima jungitur : ipſe verò Spiritus Sanctus animæ exiſtens ipſam ad diligendum movet. Conjuncta igitur eſt Divina motio cum charitate, nec immeritò, cum ipſa comparatur. Ergo ſicut charitas conſiderari poteſt ex parte Spiritus Sancti, unde inamiſſibilitatem habet, & ex parte ſubjecti, unde amiſſibilis eſt : ita & Divina motio conſiderari poteſt, ut eſt motio Spiritus Sancti, & virtus Divinæ potentiæ ; unde veluti immobilem voluntatem efficit, & ex parte ſubjecti, unde voluntatem indifferentem relinquit.

Confirmari ex alias dictis hæc omnia facilè poſſunt. Dictum eſt enim ex S. Thoma, quod quoties variæ, & diverſæ rationis cauſæ ad eundem effectum producendum junguntur ; toties effectus aliquid habeat, quod referat utriuſque cauſæ conditionem, & veluti impreſſam dotem. Unde quoties voluntas hominis Divina motione movetur ad aliquem actum, talis actus ex ipſa motione infallibilitatem habet, ex voluntate autem indifferentiam. Quòd expreſsè obſervatum eſt à S. Thoma 6. Metaphyſ. lect. 3. ut aliàs etiam retulimus. *Invenitur* inquit, *uniuſcujuſque effectus, ſecundùm quod eſt ſub ordine Divinæ Providentiæ, neceſſitatem habere &c. Secundùm autem quòd effectus aliquis conſideratur ſub ordine cauſæ proximæ, ſic non omnis effectus eſt neceſſarius ; ſed quidam neceſſarius, & quidam contingens, ſecundùm analogiam ſuæ cauſæ* : atque adeò etiam ex voluntate liber, & indifferens, cùm ad libertatem indifferentia pertineat. Enim iterum ex D. Thomæ ſententia, & neceſſitatem ſive infallibitatem, & contingentiam aut libertatem, & indifferentiam in eodem effectu conjunctam, eo quòd hujuſmodi effectus ex duplici cauſa dependeat. *Ex ordine Divinæ Providentiæ, neceſſitatem* ſive infallibilitatem haurit : *ex ordine* autem *cauſæ proximæ*, ſeu voluntatis creatæ habet contingentiam & indifferentiam.

Confirmatur iterum : quòd idem in omni motu contingat, qui ab artifice inſtrumento imprimitur. Ille enim motus habet ex ea impreſſione ut ſit *virtus, & intentio artis*, & quo perfectiori arte ipſe artifex pollet, eo perfectiori modo artifex inſtrumentum ducit, & perfectior effectus producitur. Habet verò aliud natura ſua motus, ut ſcil. ab inſtrumento, ut ſubjecto ſuo dependeat. Interdum enim juxta variam inſtrumenti conditionem, retardatur motus ac difficiliùs recipitur. Sed cùm divina motio ab infinita potentia Dei, impreſſa ſit homini, ex ea parte habet ipſa motio quòd *ſit virtus, & intentio* Divinæ, & infinitæ *artis* ; & immobiliter ac infallibiliter actum efficiat. Ex altera autem parte ſcilicet ex ipſa voluntate, habet activam indifferentiam, & libertatem ſervat.

Vide quæ ſuprà fusè ſatis explicavimus, infallibillitatem ex Divina motione, cum libertate ex conditione voluntatis poſſe conjungi.

ARTICULUS II.

Triplex obſervatio. Secundum hunc explicandi modũ, primo modo applicandi non eſſe contrarium : utilem eſſe : non tamen omnino neceſſarium ad conciliandam cum gratia libertatem.

EXplicato hoc ſecundo dicendi modo, acceſſuram ipſi majorem lucem arbitror, ſi cum primò dicendi modo conferatur, quem aliorum regulam debere eſſe ſuprà jam diximus. Ita enim ea collatione, quem uſum habere poſſit hic ſecundus explicandi modus, apertius fiet. Igitur

Prima obſervatio, hæc ſit : ſcilicet minimè hunc ſecundùm explicandi modum pugnare cum primo modo, quem ut aliorum omnium certam regulam, & primum ac immobile ipſorum fundamentum ſupra jam ſatis conſtituimus. Etenim in eo poſitus eſt primus explicandi modus, & illud exigit, quòd Divina motio ſit applicatio voluntatis creatæ, & infallibilem connexionem cum effectu habeat : Atqui nihil eorum negat ſecundus hic explicándi modus, ſed alterum dumtaxat addit, ſcilicet Divinam motionem, nedum ut eſt intentio, & virtus Divinæ artis, & ut à Deo deſcendit, ſed etiam ſecundùm ſuam entitatem, & ut in voluntate recipitur, conſiderari poſſe ; qua ratione non exprimit, nec ſignificat eam voluntatis applicationem, & connexionem infallibilem cum actu quem efficit : quamvis ex alio capite eam habere poſſit, & habeat. Quod idem videre eſt ubicumque in una re duplex ratio conjungitur, nedum in Logicis, & Metaphyſicis, ſed quod gravioris momenti eſt, etiam in rebus Divinis. Una enim eademque res eſt, & eſſentia, & relatio ; neque tamen idem utrique convenit. Eſſentia enim communis eſt, relationes autem perſonas conſtituunt, & diſtinguunt. Item unicus & idem omnino actus eſt, qui circa bonitatem Divinam, & circa creaturas verſatur : altera tamen parte neceſſarius eſt, altera verò liber ; de quo plurima jam ſupra diximus, ut

ſupervacaneum foret plura nunc referre. Sed

Secunda obſervatio addēda eſt: ſcilicet quòd ſi ea diſtinctio obtineat, motionis ſecundùm entitatem, & ut participatio Divinæ virtutis: nihil eſt quod ultrà objicere nobis Adverſarii unquam poſſint, motione Divina libertatem creatam perimi, aut perperam Canonem Sacri Concilii Tridentini explicari; quòd libertas. aut plana Canonis Tridentini interpretatio exigat, actum oppoſitum ad quem prævia motio Divina voluntatem hominis movet, poſſe in ſenſu etiam compoſito cum eadem motione conjungi. Etenim ex ipſis Adverſariorum principiis nullum omnino periculum eſt lædendum fore libertatem, ſi cùm voluntas efficaci gratia, & prævia motione movetur in ſenſu compoſitio, efficaci gratiæ ac prævię motioni ſpecificativè ſumptæ, & ſecundum ſuam entitatem, & ut in voluntate recipitur, reſiſtere poſſit voluntas, etſi nunquam reipſa reſiſtat, aut potentia conſequente reſiſtere poſſit; Atqui dum voluntas etiam prævię ac phyſicè movetur, attamen Divinæ gratiæ ſpecificativè ſumptæ ſecundùm entitatem, & ut in voluntate recipitur, reſiſtere poteſt: Ergo nullum periculum eſt ne lædatur ipſius voluntatis libertas *Minor* jam probata eſt: nec nobis vitio vertent qui ſcientiam mediam tuentur, quòd à nobis conceſſum fuerit voluntatem in ſenſu etiam compoſito reſiſtere poſſe Divinæ motioni; cùm id maximè ipſi contendant, & in eo totius controverſiæ ſummam poſitam eſſe arbitrentur, quamvis eos nondum metam attigiſſe nos arbitremur. *Major* autem nedùm eſt ex illorum principiis deducta, ſed ipſis interdum eorum verbis quibus ſe ſe explicant expreſſa; voluntatem ſcilicet creatam efficaci gratiæ ſpecificativè ſumptæ, ſecundùm ſuam entitatem, & ut in voluntate recipitur, reſiſtere poſſe. Et eo dumtaxat ſenſu applicari poſſe exiſtimant Canonem Tridentini, quo dicitur. *Liberum arbitrium motum, & excitatum*, motione ſcilicet efficaci, de qua dubitari non poteſt quin Tridentinum ibi loquatur, *poſſe diſſentire ſi velit*: cùm ipſis terminis diſſentiendi, & reſiſtendi, ſenſum ipſum compoſitum ſignificari autument.

Quid ſanè huic argumento reponi poſſit non ſatis video, niſi inconſequentiæ, & malæ conſecutionis vitium affingant. Sed difficile ut puto, probabunt, cum ea quæ retulimus, expreſſiſſimè à S. Thoma aſſerta fuerint, quem ignoraſſe Logicæ regulas ſi quis dixerit, ejuſque doctrinam malæ conſecutionis vitio laborare, à paucis ut arbitror, fidem obtinebit.

Confirmatur & explicatur magis. Certum enim eſt, hæc omnia argumenta quibus SS. Auguſtini, & Thomę Doctrina, quòd ad gratiam attinet, impetitur, adverſus ipſius Eccleſiæ, fideiquæ doctrinam objici poſſe: neque enim ſingulares alicujus Scholæ ejuſmodi difficultates ſunt, ſed circa ipſius Chriſtianæ Religionis Myſteria verſantur. Ad fidem enim ſpectat, Deum efficaci aliquo ſenſu gratia operari in nobis velle, & perficere, facere ut faciamus, & quidem infallibiliter, inevitabiliter, immobiliter; ut ſæpiùs, Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Thomas loquuntur; quia ſcriptum eſt, nec deleri unquam poterit, quòd *Omnis qui audivit à Patre, venit ad me*. Et ut expendit Sanctus Auguſtinus Lib. de Prædeſt. SS. c. 8. *Quid eſt omnis qui audivit à Patre, & d. dicit, venit ad me, niſi nullus eſt qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat ad me: ſi enim omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit; profecto omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit: nam ſi audiviſſet, & didiciſſet, veniret: neque enim ullus audivit ac didicit, & non venit: ſed omnis ut ait veritas, qui audivit à Patre, & didicit, venit. Valdè remota eſt à ſenſibus carnis hæc Schola*, inquit Sanctus Auguſtinus, *in qua Pater auditur*; in qua Divinæ gratiæ efficacia intelligitur. Impatiens enim eſt humana natura vitio peccati corrupta omnis Dominii ac ſuperioris Poteſtatis. *Error & tenebræ peccatoribus concretæ ſunt.* Eccl. 11. 16. Atque in ea pravitate naturæ, ſicut omnium ſcelerum, ita & omnium hæreſum ſemina congenita ſunt. Omnis homo prava natura Pelagianus eſt, quin etiam adeò libertatis, & independentiæ amor naturæ inſitus eſt, ut ipſos etiam Angelos tranſverſos, & præcipites egerit, quia ut notat Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 63. art. 3. *Angelus ut ultimum finem, illam Beatitudinem quæ datur ex gratia, voluit habere per virtutem ſuæ naturæ, non à Divino auxilio ſecundùm Dei diſpoſitionem*. Unde non immeritò primum Angelum quis dixerit Pelagianorum omnium Principem, & Magiſtrum *Nimium* igitur ut Sanctus Auguſtinus proſequitur, *Gratia iſta ſecreta eſt: gratiam verò eſſe quis ambigat?* Aut quis ejus Omnipotentiſſimam vim in dubium vertat? Quo pacto enim efficacęm gratiam cor hominis etiam, ut ita dixerim, triplici ęre ob firmatum reppellat, cùm primus effectus gratiæ ſit nudare pectus hominis, & vulnerare cor, ejuſque obſtinationem non tam domare, quam depellere, & auferre. Unde concludit Sanctus Auguſtinus. *Hæc itaq; gratia quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpicitur: Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.*

Igitur eſſe efficacem gratiam, & quæ conjunctam habeat cum effectu infallibilem connexionem, omnino ad fidem pertinet, neque in dubium unquam revocari à Theologo poteſt. Atqui hoc fidei principio ſemel conſtituto, argumenta illa omnia de lædenda libertate ex efficacia Divinæ gratiæ, non minus objici poſſunt: & neceſſe eſt omnium Scholarum Theologi eadem omnia ſolvant, ut communem Chriſtianæ Religionis Catholicam fidem defendant. Certum enim eſt quòd, *Is qui audivit à Patre ad Chriſtum venit*; & certiſſimè ac infallibiliter venit, quia *Si non venit ad Chriſtum, non audivit à Patre nec didicit*, ut inquit Sanctus Auguſtinus. Et tamen etiam indubitatum eſt quòd licet infallibiliter, & certiſſimè venturus ſit, poteſt tamen non venire, cùm nunquam ejus libertas amiſſa ſit: in eoque conſenſu, & dum Patri vocanti obſequitur: non

poteſt,

poteſt, non eſſe in ea obedientia meritum quod libertatem requirit: Ergo etiam cùm efficaci vocatione movetur, poteſt & motioni reſiſtere, & vocanti diſſentire.

Quid verò communi argumento reſpondere ſolent qui adverſam S. Thomæ ſententiæ opinionem ſequuntur? Non aliud ſanè quàm quòd nos jam retulimus, voluntatem ſcilicet creatam reſiſtere poſſe Divinæ vocationi, ac Divinæ motioni ſecundùm ſe, ſeu ut in voluntate recipitur, & ut dici ſolet, ſi ſumatur veluti entitativè, & ſpecificativè, neque enim ſemper cultiora verba requirenda ſunt, nec curandum, *Quid benè ſonet, ſed quid benè indicet*, ut inquit S. Auguſtinus lib.4. de Doctrina Chriſtiana. Id verò ſatis eſſe exiſtiment, ut tecta ſit libertas, integraque remaneat, quamvis non poſſit voluntas in ſenſu compoſito, ſeu potentia conjuncta cum actu Divinæ reſiſtere motioni, & efficaci gratiæ reduplicativè ut efficaci: ita enim duos actus etiam oppoſitos ſimul jungi neceſſe foret, quòd rerum naturæ repugnat, nec etiam Divinâ potentiâ fieri poteſt.

Atqui & eadem ſolutio à D. Thomæ Diſcipulis, immò ab ipſo S. Doctore adhibita eſt, & jam occupata: Ergo Adverſarii nihil habent ultra, quòd libertatem extinctam, & veluti conclamatam Divina motione conquerantur, cùm eandem etiam ſolutionem à nobis adhiberi nihil prohibeat, ſcilicet poſſe voluntatem reſiſtere motioni Divinæ, & efficaci gratiæ, *Si conſideretur gratia ſecundùm eſſe ſuum, ut eſt in libero arbitrio per modum ejus, ſicut accidens in ſubjecto*, & ut ejus conditiones induit; quo pacto contrarius actus non magis motioni, & gratiæ Divinæ, quàm ipſi voluntati creatæ repugnat; quamvis non poſſit gratiæ Divinæ ipſa voluntas reſiſtere, ſi conſideretur ſpecialis quædam *ratio* Divinæ gratiæ, ut ſcilicet eſt participatio Divinæ potentiæ: Quo pacto tantùm abeſt, ut ipſi voluntas reſiſtat, ut contra Divina motio, & gratia *ad rationem ſuæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahat ipſum conjungens Deo*.

Confirmari hæc omnia poſſunt; quòd nulla omninò ratio eſſe poſſit, quæ S. Thomæ Diſcipulos ut alind ſentirent poſſet compellere: Cur enim id negaretur à D. Thoma ejuſque Scholæ Diſcipulis, quibus nihil aliud propoſitum eſt, quique non aliò animum, & ſententiam intendunt ac dirigunt, quàm ut Divinæ gratiæ efficacia adſcribatur, ejuſque jura intacta illæſaque ſerventur? His enim ſemel illæſis, cætera quàmfacillimè cedunt. Et ut alibi fusè dictum eſt, quæcumque ad libertatem ſtabiliendam, etiam ab ipſis adverſæ ſententiæ Authoribus in medium adducuntur, etiam D. Thomæ Diſcipuli pacis ſtudioſi ultrò amplectentur; dummodò, ut dixi, hoc unum conceſſum fuerit, Divinam gratiam vi ſua efficacem eſſe, & Divinæ motionis jura illæſa ſint; neque ad ſervanda libertatis creatæ jura, gratiæ Divinæ jura etiam vel minimùm lædantur, aut inflectantur. Utraque enim & Divinæ gratiæ, & libertatis creatæ jura ſemper illæſa ſervari neceſſe eſt, quòd veræ concordiæ leges exigunt, & à S. Thoma ejuſque Diſcipulis quàm religioſiſſimè obſervatum eſſe fusè aliàs proſequuti ſumus: Atque id etiam hoc eodem S. Doctoris loco, quem nunc verſamus, apertiſſimè demonſtratur. Duo enim Divinæ motioni adſcribit S. Thomas, alterum ut in voluntate recipitur, ipſique inhæret, alterum vi ſua, & ut à Deo deſcendit: primo modo voluntati creatæ omninò conformatur, ejuſque omnes conditiones induit, ac indifferentiam omnem voluntati relinquit. at verò ſecundo modo voluntatem ad ſe ſe pertrahit, ſimilemque immutabilitatem ipſi imprimit. Atque ita ſumma concordia eſt, utraque ſua jura inconfuſa illæſaque ſervat. Voluntas ſummam libertatem; quia Divinæ gratiæ motio ſuam illi indifferentiam cedit, atque in amicitiæ veluti fœdus ſimilem ipſa indifferentiam induit: Sed gratia ſuam etiam ſummamque efficaciam ſervat, quâ voluntatem ad ſe infallibiliter pertrahit, quamvis voluntas obſiſtere poſſit. Et in eo, ut expendimus aliàs, gratia ita *artificioſa eſt*, ut neſcias quid magis an artificium, an efficaciam mirari debeas. Relinquit Divina gratia voluntati, ut reſiſtere poſſit; obtinet à voluntate, in eaque efficit, ut omninò reſiſtere nolit. Et in illa reſiſtendi potentia quam voluntati integram gratia relinquit, poſita eſt libertas voluntatis: & in illa ſumma voluntatem attrahendi poteſtate, & cui voluntas obſequitur, poſita eſt Divinæ gratiæ efficacia. Eoque pacto, & ſervatis illæſiſque utriuſque juribus, ex parte Divinæ gratiæ illæſa pertrahendi voluntatem efficacia; ex parte autem creatæ voluntatis illæſa gratiæ reſiſtendi potentia, concluditur perfectiſſimum illud fœdus, & gratiæ Divinæ cum creata libertate concordia.

Atque hic viciſsim ab adverſæ ſententiæ Authoribus idem quodam jure à nobis petendum foret; ut cùm jam nec ſemel indifferentia omnis à nobis conceſſa fuerit; ſimiliter ipſi vim, & efficaciam ex Divina omnipotentia ortam gratiæ Divinæ adſcriberent; independentem à quacumque præſcientia, ac futuri conſenſus voluntatis exploratione, quaſi à ſcopo Divina gratia aberrare poſſet, aut non obtinere, quòd vellet efficere; independentem à quacumque circumſtantiarum accumulatione, quaſi invalida efficacia gratiæ ad producendum in voluntate creata effectum adjuvanda ab ipſis foret; demùm independentem ab omni cauſarum circuitu, quo Divinæ gratiæ vis ad effectum deferri deberet. Si enim ea vis agendi, & efficacia ex Omnipotentia Divina orta, gratiæ Divinæ ab omnibus cujuſcumque ſententiæ Authoribus ſemel conceſſa fuerit; cùm jam indifferentia omnis voluntati relicta à nobis ultrò ſemper conceſſa fuerit, & apertiſſimè aſſeratur; quàm facillimè huic gravi controverſiæ, quæ Scholarum ſententias dividit, compoſita pace finis tandem imponetur. Et ut S. Auguſtini verba huc referam, lib. de Gratia Chriſti c.47. *Cùm iſta quæſtio ubi de arbitrio voluntatis, & Dei*

gratia disputatur, ita sit ad discernēdum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: Cùmque etiam hæc tria possint distingui, & apertissimè distincta fuisse referat S. Augustinus, *posse, velle, esse*: *possibilitatem, voluntatem, actionem*: Si sententiæ, gratiæque congruæ Authores nobis *consenserint, non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, ut benè velimus, & benè agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando benè vult, & benè agit*: *Si ut dixi consenserint etiam ipsam voluntatem, & actionem adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus* (atque illud adjutorium esse hujusmodi consenserint, ut per illud, *subventum sit infirmitati voluntatis humanæ, ut indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur, & ideo quamvis infirma sit, non tamen deficiat, nec adversitate aliqua unquam vincatur*, de corrept. & grat. cap. 12.) Cùm jam à nobis quæ ad libertatem pertinet concessa sint, *nihil de adjutorio Dei quantum arbitror inter nos controversiæ relinquetur*. Verùm.

Tertia observatio demum addenda est, scilicet eam solutionem hactenus traditam, quamvis admitti possit, quæque à nullo, quod sciam, ex S. Thomæ Discipulis unquam expressè negata est, nec negari unquam potuit, cùm eorum omnibus principiis consentanea sit; Attamen concedendum est eam solutionem non omninò necessariam esse: unde nec ea uti solent, etiam hi quos ea solutio non latuit, & à quibus etiam hujus mentio aliqua interdum injecta est. Et verò quisquis Divinæ motionis legitimam notionem, quam explicuimus aliàs, in mentem revocabit, is sanè intelliget, parùm utilem esse eam distinctionem cùm in ipsa motione vix aliud attendi possit nisi quòd sit virtus Divinæ artis, & Divinæ Omnipotentiæ. Sed præterea eam solutionem non omninò necessariam esse, neque exhauriendæ difficultati parem esse multiplici ratione probari potest.

In primis quia licèt, ut satis diximus anteà, hæc duplex ratio entitatis, & efficaciæ in Divina motione non immeritò distingui possit, attamen cùm gratia reipsà confertur, una nunquam ab altera reipsà sejungitur: utraque enim voluntatem movet, ac maximè efficacia gratiæ, quæ si deesset, nihil entitas gratiæ efficeret. Unde reipsà recurrit eadem difficultas, quia omninò liquet gratiam efficacem etiam reduplicativè, ut efficacem nunquam auferre posse libertatem, ac subindè posse illi voluntatem resistere: Ergo adhuc explicandum supereſt, quo pacto gratiæ, ut efficaci voluntas resistere possit; quo pacto hæc duo jungi possint, voluntatem posse gratiæ efficaci, ut efficaci resistere, & tamen gratiam efficacem, ut efficacem infallibiliter esse cum effectu conjunctum: Ergo nondum plena solutio adhibita est, nec modum difficultatis dissolvitur. Extra enim controversiam est, ut diximus, gratia efficaci etiam ut efficaci non auferri libertatem. Relinquit ergo integram voluntati creatæ potentiam dissentiendi ipsi gratiæ. At verò quænam est ea dissentiendi potentia? Est ne vel composita, vel divisa; aut, ut dici solet, in sensu composito, vel in sensu diviso? Ergo jam perindè est quòd voluntas possit, aut non possit in sensu composito resistere Divinæ gratiæ specificativè sumptæ, sive Divinæ motionis entitati; nondum enim exhausta difficultas est; aut veriùs non in eo posita est difficultas: sed in eo versatur, utrùm, & quo pacto possit voluntas creata resistere Divinæ gratiæ motioni efficaci? Nisi fortè concederet adversa sententia, efficaci gratia ut efficaci, libertatem auferri, quod dubio procul cum Fidei principiis parùm consentiret.

Confirmatur *Primò* ex eo quòd ea distinctio entitatis Divinæ motionis, & ejus efficaciæ non satis appositè huc advocetur; quia motioni efficaci ut efficaci adhuc distinctio aliqua applicanda est, ut solet à S. Thomæ Discipulis adhiberi; neque enim, ut dictum est, eam duplicem rationem in Divina motione distinguere solent, aut ea distinctione uti: quia ut res est, bona fide supponunt motionem quâ voluntas movetur, semper reipsà efficacem esse, & cum operatione infallibiliter connexam. Unde nè difficultatem declinare, & effugere videantur, nullam entitatis motionis rationem habent, ut reverà nulla haberi debet, cùm ea materialiter omninò se habeat, nec quidquam agat nisi ratione efficaciæ. At verò suppositа ea efficacia gratiæ quâ voluntas movetur: Respondent, voluntatem creatam posse Divinæ gratiæ motioni efficaci resistere, non in sensu composito, seu potentia conjuncta cum actu, sed solùm in sensu diviso, seu potentia ab actu divisa. Cùm enim supponant Divinæ gratiæ motionem efficacem esse, & infallibiliter cum actu connecti; si posset voluntas motioni Divinæ resistere in sensu composito, seu potentia conjuncta cum actu, sequeretur duos simul actus etiam oppositos posse conjungi, alterum quem Divina efficax motio efficeret, alterum quo voluntas ipsi resisteret, quod tamen rerum natura non patitur, nec Divina etiam potentia fieri unquam potest, neque ad libertatis notionem pertinet, ut etiam D. Bernardus observat lib. de Gratia, & Lib. Arb. Potest igitur solùm voluntas in sensu diviso Divinæ gratiæ motioni efficaci resistere, seu potentia ab actu divisa, in quo posita est ratio libertatis, ut statim explicabimus. Et

Confirmatur *Secundò*, quia necesse est, quòd Adversarii etiam hanc alteram solutionem de sensu composito, & diviso, aut de Potentia cum actu conjuncta, vel divisa ultrò admittant, vel in eam inviti pertrahantur. Etenim certum est, ut diximus, quòd efficax gratia nunquam possit auferre libertatem, sed relinquat dissentiendi potentiam à libertate indivulsam: neque id negari potest, cùm ad Fidem pertineat: Atqui ex adversæ sententiæ principiis ea voluntatis potentia dissentiendi Divinæ gratiæ motioni, non potest esse in sensu composito, seu potentia cum

actu

actu conjuncta ; ſeu apertiùs, non poteſt voluntas reſiſtere efficaci gratiæ reduplicativè ut efficaci, ut etiam ultro fatentur: quia efficax Divina gratia ut efficax eſt , infallibiliter habet actum conjunctum quem efficit : unde ſi poſſet voluntas efficaci gratiæ ut efficaci reſiſtere in ſenſu compoſito , poſſet duos actus oppoſitos ſimul conjungere , quod fieri ut dixi , legibus naturæ adverſatur: Ergo etiam Adverſarii concedant neceſſe eſt , eam diſſentiendi potentiam voluntatis eſſe dumtaxat in ſenſu diviſo , ſeu eſſe potentiam ab actu diviſam .

Confirmatur *Tertiò* ex eo quòd ad ſervandam libertatem ea diſtinctio motionis *ſecundùm rem , & rationem* neceſſaria non ſit , ſed ſatis ſit ea potentia diſſentiendi in ſenſu diviſo , ſeù potentia ab actu diviſa : quod ita facilè ex Sancto Thoma probari, & explicari poteſt. Etenim ea diſſentiendi potentia in ſenſu diviſo , in eo poſita eſt , quòd cùm voluntas efficaci Divina gratia præmota infallibiliter actum elicit, ad quem movetur ; poſſit tamen abſolutè alium actum elicere , etſi tamen eum nunquam reipſa eliciat , nec poſſit ſimul reipſa cum alio actu elicere : ſive etiam quod forſitan erit apertius , ea eſt ſenſus diviſi vera notio, quòd cùm voluntas creata actum elicit , ad quem à gratia efficaci movetur , actus oppoſitus nulla ratione repugnet potentiæ voluntatis . Et quidem non repugnat in primis voluntati ſecundùm ſe , ut voluntas eſt , cùm potentia è contra natura ſua ad omnes actus ſibi proprios ordinetur : neque repugnat voluntati , deinde , ut eſt ſub ipſa motione Divina , quia motio Divinæ gratiæ nihil efficit, niſi dumtaxat actum, quem elicit, neque poteſt impedire , aut veluti alligare potentiam , niſi ratione actus quem producit ; alioquin enim ut ita dixerim perinde ipſi eſt , utrum potentia alium actum efficere poſſit nec ne, quia hoc unum ipſi veluti curæ eſt , ac ſufficit , quòd actum ad quem producendum confertur , reipſa producat , cæteraque omnia voluntati permittit : ſicut etiam motus ad unum terminum v. g. ſurſum , non impedit ratione ſui alterum terminum deorſum ratione ſui , ſed dumtaxat ratione termini quem producit : Ergo etiam cùm voluntas unum actum elicit ad quem Divinæ gratiæ motione movetur , actus oppoſitus nulla ratione potentiæ voluntatis repugnat , in quo poſita eſt propriiſſimè notio ſenſus diviſi : Atqui in illa notione nihil omninò eſt , quod veræ libertati repugnet ; ſed contra integra , & pleniſſima libertas eſt , & libertatis conſtitutio , exercitium , & perfectio . Quod ita facilè , & probari , & explicari poteſt : idque triplici ratione . Unde

Confirmatur *Quartò* quòd prætermiſſa ea diſtinctione motionis ſecundùm entitatem , & rationem , & admiſſa altera diſtinctione potentiæ cum actu conjunctæ , vel ab ea diviſæ facilè concilietur libertas . Etenim ſi quæ impotentia intelligi poſſit, de qua timeri poſſet ne læderet libertatem , ſola illa impotentia eſſet , qua voluntas ad aſſenſum v. g. præmota , non poteſt diſſenſum conjungere : Atqui nullum periculum eſt , illa impotentia lædendam fore libertatem : Siquidem ea impotentia eſt omninò conſequens, & omninò voluntaria , & ut profundiſſimè à S. Thoma dictum eſt quæſt. 1. de potent. art. 6. quem fusè aliàs explicuimus , illa impotentia eſt *non poteſtatis , ſed voluntatis*. Poſſet enim voluntas etiam cùm ad aſſenſum præmovetur diſſentire ſi vellet , ſed diſſentire non vult , quia vult actum elicere : quem reipſa elicit ; unde non vult alium actum elicere : atque id facit Divinæ gratiæ motio efficax ne voluntas diſſentire velit & alium actum elicere. Unde oritur & mirum illud artificium Divinæ gratiæ , & felix illa concordia fœduſque quod ipſamet ſui ipſius facit cum libertate voluntatis . Quare quòd voluntas , cùm actualiter Divina motione ad unum actum movetur , ipſumque elicit , alterum elicere non poſſit ; oritur ſolum ex illo ipſo actu quem elicit , & ipſamet ſuo ipſo actu quem elicit , ut ita dixerim ſeipſam veluti alligat , ſeque ipſam impedit , ſi quæ alligatio ea dicenda ſit . Atqueadeò ipſa voluntas ſibi ipſi voluntariam neceſſitatem imponit , ne alium actum oppoſitum ſimul habeat , quæ neceſſitas ſolum conſequens eſt , de qua ut ita dixerim , nihil habet voluntas , quod conqueratur , ut fusè proſequitur S. Bernard. ſerm. 88. in cantic. ubi illud acutè ex Ezechiæ cantico advocat , & inflectit . *Quid dicam , aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim* ? ipſa enim ſola voluntas ſibi neceſſitatem facit . Unde cùm reipſa liberè agit voluntas, ut addit etiam S. Bernard. lib. de libero arbitrio : *Impoſſibile eſt , voluntatem ſua privari libertate, quia impoſſibile eſt de ſeipſa ſibi non obedire . Nemo quippe non vult quod vult , aut vult quod non vult. Poteſt quidem mutari voluntas, ſed nō niſi in aliam voluntatem, ut nunquam amittat voluntatem.* Atque id preſſiùs explicat S. Thomas, cum inquit , quòd ea eſt *impotentia voluntatis* , quæ cùm unum vult , hoc ipſo aliud velle non vult ; non verò *impotentia potentiæ* , quæ cùm etiam unum vult , non poſſit aliud oppoſitum non velle . Ideoque à nobis ſupradictum eſt , eam voluntatis impotentiam omninò voluntariam neceſſitatem, & conſequentem eſſe , quæque ab ipſamet voluntate deſcendit . Unde propriiſſimè non alligatio , & impedimentum voluntatis dici poteſt aut debet, ſed è contra voluntarium liberumque exercitium ipſiuſmet libertatis , ut ſtatim addimus . Ergo manifeſtum eſt in ea ſenſus diviſi , ſeu potentiæ ab actu diviſæ notione , nihil omninò eſſe quod repugnet libertati voluntatis humanæ . Vide quæ alias à nobis in explicatione Canonis Tridentini tom. 1. quæſt. ult. dicta ſunt . Sed

Confirmatur *Quintò* altera ratione : nimirum quòd tantùm abeſt , ut & potentiæ diviſæ , vel ſenſus diviſi notio, & explicatio damnum aliquod inferat creatæ voluntatis libertati , ut è contra in eo poſita ſit certiſſima , & abſolutiſſima libertatis conſtitutio, & perfectio . Etenim certum eſt quod veriſſima , & perfecta libertas duo exigit , primò

quòd sit actualis, secundò quòd indifferentiam retineat. At verò ex eo quòd est actualis libertas, necesse est quòd actum eliciat; ex eo quòd indifferentiam retineat, necesse est quòd potentiam alios actus eliciendi etiam retineat, quantùm intelligi potest retineri cum actu quem elicit: Atqui in eo posita est vera notio sensus divisi, ut jam explicuimus: Ergo in ea notione sensus divisi posita est vera constitutio, & perfectio libertatis.

Confirmatur *Sextò* ratione, quæ triplicem alteram complectitur: Ex triplici enim universalitate ostendimus aliàs Dissert. 2. voluntatem etiam cùm agit, posse aliud agere; ex universalitate judicii, & rationis; ipsius voluntatis; & utriusque objecti: quarum duplex prima ex postrema desumenda, & metienda est. Cùm enim singularia objecta non habeant summam, & infinitam bonitatem, non possunt etiam omninò satiare voluntatem: unde dum unum voluntas amat, aliud amare potest, & alterum amabile ratio monstrare potest. Ideòque nullus unquam stabilis amor est, eò quòd voluntas mutare objecta possit, ut & ipsa objecta mutantur, ac pereunt. Rectè enim dictum est: *Nimiùm ne crede colori: alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur*. Ideòque alatus volucrisque amor fingitur, & semper *Invenies alium si te hic fastidit Alexis*: Et alia ejusmodi, quæ quisque affectuum perpetua mutatione satis experitur. Atque indè fit quòd voluntas semper à quocumque objecto particulari summam semper independentiam habeat, ipsi summè dominetur, ipsum relinquere possit cùm libuerit, atque adeò liberrimè semper amet objecta particularia, dum ipsa amat. Quæ omnia fusè mirum in modum explicat S. Thom. ead. q. 6. de Malo, quem aliàs etiam explicuimus.

Ex quibus omnibus quæ hactenùs fusè satis prosecuti sumus, intelligi facilè potest: In primis minimè necessariam esse supradictam distinctionem motionis Divinæ *secundùm rem*, *& rationem*: cùm altera abundè sufficiat; ac deinde bona fide agi à Thomistis, dum eam solutionem prætermittunt, quamvis eam adhibere possent, eâque uti; cùm illa nihil habeat quod eorum principiis repugnet. Eam tamen prætermittunt, eò quòd nec necessaria sit, nec veram difficultatem attingat, aut saltem ipsam non exhauriat; neque etiam S. Thomas unquam ad communem difficultatem resolvendam de libertate servanda sub efficacia motionis Divinæ gratiæ, locis ubi eam quæstionem expresè pertractat, prælaudatam solutionem unquam adhibuerit: sed dumtaxat ea distinctione, peculiari huic argumento, & difficultati respondet, quo pacto gratia voluntatem firmare possit; cùm gratia in voluntate hominis recepta, ad modum ipsius recipientis esse debeat, similemque indifferentiam, & mutabilitatem subire, ex communi lege, quâ quidquid est in subjecto ad modum ipsius subjecti recipientis recipitur. Ubi etiam de habitu ipsius gratiæ dumtaxat locutus Sanctus Doctor videri potest: quamvis tamen hæc de motione Divina, & actuali gratia intelligi nihil prohibeat, cùm non minùs in ea hæc duplex ratio distingui possit, quàm distinguant Adversarii in actuali gratia, quam admittunt, & quæ tota posita est in vocatione Divina, quam in actibus intellectus, & voluntatis constituunt.

Attamen si quis eam solutionem adhibere voluerit, eamque satis esse solvendæ difficultati, quod non arbitror, vel lucem aliquam huic gravi controversiæ allaturam, quod ipse ultrò concedam, existimaverit; eâ utatur, per me licet, cùm omnibus Scholæ nostræ Thomisticæ principiis consentanea sit, & aliunde illud saltem obtineat, ut nihil ultrà ab Adversariis nobis unquam objici possit. Sed tamen unum erit addendum, scilicet, quòd quamvis voluntas humana dissentire possit Divinæ gratiæ motioni efficaci in sensu composito, si motionis Divinæ sola entitas spectetur, nunquam tamen reipsà dissentiat. Cùm enim ex altero capite, scilicet ut motio Divina potentiæ Divinæ quædam participatio est, semper & infallibiliter effectum ad quem datur habitura sit, si voluntas ipsi reipsà dissentiret, contingeret duos actus simul conjungi, ut dictum est, quod tamen fieri nunquam potest. Unde etiam altera distinctio addi poterit, quòd scilicet quamvis possit voluntas Divinæ motioni dissentire in sensu composito, id non possit tamen potentia consequente, sed antecedente solùm. Ita ut licèt dissentire possit, nunquam tamen dissentiat, quòd ab ipsis Adversariis etiam dici necesse est. Cùm enim ea efficax gratia confertur de qua dictum est: *Omnis qui audivit à Patre, venit ad me*; atque huic gratiæ nunquam voluntas reipsà dissentiat, ut non diffitentur Adversarii, quia tunc intelligitur efficax ut efficax, quamvis tamen ipsi dissentire possit voluntas si sola Divinæ gratiæ, & motionis entitas spectetur; necesse est addant, posse quidem voluntatem gratiæ efficaci ut efficax est dissentire potentia antecedente, non posse tamen potentia consequente, ita ut reipsà aliquando dissentiat: quæ est ipsa S. Thomæ Discipulorum solutio veraque sententia.

QUÆSTIO V.

De ſecundo explicandi modo : Infallibilitatem effectuum oriri ex concurſu cauſarum.

HIc nobis cum multis agendum eſt, quorum tamen in eo quod caput eſt ſententiam amplectimur. Hoc enim dumtaxat in iis minùs probandum eſſe videtur : quòd cùm ſingularem explicandi modum, quem amplexi ſunt, facilè cum communi, qui noſtra in Schola uſurpatur, conciliare, ac conjungere potuiſſent ; maluerint ſe ſe ab aliorum conſortio ſejungere, & ſe adverſos potiùs quàm amicos, ſocioſque profiteri. Quod potiſſimùm in Joſepho à Vita animadverti poteſt, cujus ſententia in ea parte quæ præcipua eſt, ſcilicet de infallibilitate effectuum ex concurſu cauſarum orta, dubio procul probè intellecta veriſſima eſt ; quam tamen ipſe cum communi jungi noluit ; ſed ut diverſam adverſamque probaret, plurima addidit, quibus reipsà à D. Thomæ principiis jamdudùm in hujus Schola conſtitutis, aberravit. Quidquid igitur in ea Joſephi ſententia cum D. Thomæ principiis cohærere poteſt, nobis explicandum eſt, eaque Joſepho gratia eſt exhibenda, ut licet invitum ſuam in Scholam revocemus. Et verò ingenui, ac candidi animi eſſe arbitror, ut quæ admitti poſſunt, compreſſa omni vitilitigandi cupidine, & bona fide ultrò admittantur : ac ſummoperè laudandum eſſe illud D. Auguſtini votum exiſtimo, à quo dictum eſt lib. 12. Confeſs. cap. 31. cùm plures in primum Geneſis caput explicandi modos retuliſſet. *Ego certè quod intrepidus de corde meo pronuncio, ſi ad culmen authoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, ut quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quàm ut unam veram ſententiam adhuc apertiùs ponerem, ut excluderem cæteras, quarum falſitas me non poſſet offendere.*

ARTICULUS I.

Deum multitudine & concurſu cauſarum licèt quælibet defectibilis ſit, infallibiles effectus producere: Refertur ſententia Joſephi à Vita.

IAm ſatis multa diximus, ut compertum ſit qua ratione referant hunc tertium explicandi modum, qui hujus authores ſunt, ac hujus inventione famam ſibi aliquam comparati poſſe exiſtimarunt. Facilè enim hic modus intelligitur, ac penè ob oculos ponitur duplici comparatione quæ à S. Thoma prætermiſſa non eſt, & Medici, & Agricolæ. Ut enim inquit S. Doctor fuſiùs infrà referendus : *Si hoc per providentiam hominis fieri poteſt, ut cauſæ quæ deficere poteſt ab effectu, ſic ferat auxilium, ut interdum indefficienter ſequatur effectus : ſicut patet in Medico ſanante. & in vineæ cultore contra ſterilitatem vitis adhibente remedium : multò magis hoc ex ſapientia Divinæ diſpoſitione contingit, ut quamvis cauſæ contingentes deficere poſſint, tamen quibuſdam adminiculis adhibitis, indefficienter ſequatur effectus, quod ejus contingentiam non tollit.*

Verùm obſervandum hìc eſſe exiſtimo, tertium hunc explicandi modum veluti bicipitem eſſe, eoque ſemel conſtituto, inde veluti duplicem viam omninò, è regione oppoſitam aperiri, quam varii Authores ineunt, eamque duplicem oppoſitam viam cùm decurrant, tamen ad eundem ſcopum perventuros putant, ſcilicet nullius prævia determinationis ope, etiam ſeclusâ futuri eventus præſcientiâ, & ſcientiâ mediâ ſeclusâ, infallibilem effectum & poſſe produci, & poſſe à Deo cognoſci. Etenim in primis Clariſſimus hujus ævi Scriptor Tomaſſinus de Republica litteraria optimè meritus multis editis operibus, in quibus maxima eruditio, & par cum pietate eloquentia decertant, tertium hunc explicandi modum amplexus, non aliam tamen quàm moralem vim Divinæ gratiæ motioni tribuit. Triplicem enim dumtaxat ſententiam ipſe diſtinguit, quæ explicat, defenditque efficaciam Divinæ gratiæ : alteram quæ beneficio ſcientiæ mediæ, & præſcientiæ conſenſus futuri voluntatis gratiæ Divinæ efficaciam adſcribit : Alteram quæ Divinæ motioni prævia, & per modum effectricis cauſæ agentis hanc efficaciam tribuit : Tertiam demùm quam ipſe amplexus eſt, quæ in aggregatione multorum auxiliorum eam Divinæ gratiæ motionis efficaciam reponit, quibus tum foris tum intùs Divina gratia voluntatem hominis aggreditur, ac veluti obſidet. Et diſſonat, inquit, hæc tertia ſententia à ſecunda, non in vi efficaciæ, quam peræquè fatetur infallibilem, & inſuperabilem, ſed in modo hujus efficaciæ declarando. Modum enim invictiſſimæ efficaciæ repetit ſecunda ſententia à phyſica prædeterminatione, quæ unius generis, inquit, & modi eſt motio. Hæc verò tertia ſententia eandem efficaciam derivat à congruitate, multitudine, conſpiratione, varietate, importunitate Divinorum intùs, & foris auxiliorum, quorum ſi prima

cadant

cadant inutilia, alia deinceps, & alia suggerantur, donec tandem fatigata consentiat saluti ac bono suo voluntas.

Attamen quod observandum est, non aliam his omnibus auxiliis præter moralem vim agendi tribuit Divinæ gratiæ minimè verò physicam, etsi nihilominùs tamen certam, & invictissimam gratiæ vim esse existimet. Impossibile enim arbitratur, inter tot omnis generis motiones, quibus voluntas pulsatur, impellitur, movetur, non reperiri tandem aliquam, quæ voluntatem aut non frangat reluctantem, aut quâ voluntas se flecti, allicique non permittat. Experimur enim, & mollem aquam repetitis ictibus lapidem exedere, eumque non vi, sed sæpiùs cadendo, tandem excavare. Et ut ait Seneca Natural. qu. 9. lib. 4. c. 3. *Quid magis est saxo durum, quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua.* Varius est enim hominum genius, varii sunt mores: alii amore demulcentur, alii coërcentur metu, alii beneficiis devinciuntur, alii flagellis domantur. Nam ut Veteres dicere solebant, Phryx verberibus melior, plagisque domatur. Neque adeò obstirmata ulla, ut putat, voluntas esse potest, quæ aliqua ex parte debilior, captuque facilior, tandem Dei gratiam, quâ pulsatur, non admittat.

Hoc pacto igitur laudatus Author mediam se iniisse viam arbitratur inter scientiæ mediæ, & motionis prævie extremas sententias, quæ media temperataque sententia, utriusque alterius extremæ sententiæ incommoda arceat, & facilè efficaciam gratiæ Divinæ cum voluntatis creatæ libertate conciliet.

Verùm cùm non aliam vim ac efficaciam agendi præter moralem hæc sententia tribuat gratiæ Divinæ, verissimè nec quantùm latus unguis est, ab altera gratiæ congruæ sententia recedit: cùm non in alio gratiæ congruitas reposita esse possit, nisi in eo quòd variis hominum affectibus consentiat, & pro variis hominum temperamentis variũ effectum gratia habitura sit. Unde idem omninò de ea sententia, ac de aliorum Recentiorum sententia judicium ferendum est, quæque hactenus ad probandam physicam ac prævium Divinæ gratiæ efficaciam satis multa congessimus, etiam eam sententiam impetunt, & evertunt: de qua tamen aliqua jam in hac Dissertatione diximus, & posteà forsitan aliqua dicentur.

Verùm longè diversam viam iniit Josephus à Vita, neque cum aliis, qui extra Scholam D. Thomæ versantur, & efficaciam physicæ motionis impugnant, accensendus est. Existimat enim in primis esse in Deo Divina decreta efficacia, & prædefinitiones, quæ voluntatis consensum etiam prævisum antecedant, unde nullus usus scientiæ mediæ esse possit, quam non minùs acriter solidèque rejicit, quàm rejicere soleant cæteri S. Thomæ Discipuli, quâ in parte in iisdem castris militat, iisdem etiam instructus argumentis.

Consentit præterea, Deum prævia ac physica motione, ac per modum efficientis causæ movere causas secundas, & earum operationem antevertere, & efficere: Qua parte etiam longissimo intervallo, & penè infinito à Recentiorum sententia recedit, & in eo quòd totius controversiæ caput est, communem suæ Scholæ sententiam sequutus est.

Verùm quòd ad hujus motionis naturam, & conditionem attinet, velut in tertio signo defecit, & relicta quam cæteri S. Thomæ Discipuli calcant teruntque viam, alteram se posse inire existimavit. Igitur pag. 146. à numero in margine posito 592. sententiam suam explicare inchoat, pauciscque colligit quod deinde fusiùs se probaturum promittit. Omnia verò reducit ad quinque capita, quæ hìc etiam referre opportunum nobis visum est, additis quibusdam ex iis, quæ deinde prosequitur.

Primò igitur existimat, motum, quo Deus causas omnes secundas movet, etiam *prout descendit à superiori causa*, indeterminatum, & indifferentem esse, nec talem motum causam secundam determinare, seu ad rationem genericam, seu ad rationem specificam, multò verò minùs ad rationem individualem, & numericam: hæc enim non aliunde oritur, quàm ex ultimo subjecto, ac circumstantiis, quibus individuum unum fieri dici solet, distinctumque ab aliis; ac subindè hujusmodi motum primæ causæ determinari à causis secundis, & quo longiùs producitur, & à prima causa recedit, fieri magìs determinatum, & minùs indifferentem esse. Exempla verò plurima colligit pag. 192. num. 763. & sequentibus, quibus motum primæ causæ indifferentem esse probet, quæ exempla nos jam supra retulimus, ubi & quam vim habere possint fusè ostendimus: quæst. 2. art. 10.

Secundò existimat, motum secundæ causæ non in omnibus omninò causis, quæ moventur immediatè recipi, nec Deum immediatè causas omnes secundas movere, sed solùm primam quæ movetur, & quæ primæ seu Divinæ causæ, & increatæ motum ad causam secundam creatam defert, & hæc deinde ad tertiam, ut sit quædam motionis, & virtutis veluti lucis diffusio primæ ad ultimam; vel ut ita intelligatur hanc omnium causarum seriem, quæ inter se se connexæ sunt, & quarum posterior semper à priori dependet, esse instar horologii rotati, aut alterius machinæ, in qua plurimæ rotæ sunt inter se se consertæ, & impactæ una intrà alteram, quarum una alteram movet, & inter quas intermediæ quidem etiam agunt, sed ut à prima moventur: ita ut ultimus effectus non à primo solùm, sed etiam ab intermediis dependeat; adeò ut si quæ ex superioribus etiam intermediis sisteretur, omninò nihil fieret. Ita verò existimat, quòd cùm omnia à Deo moveri dubitari non possit, ipsaque etiam plantæ floritio in Deum authorem referatur; non ita intelligendum sit, ut Deus immediatè plantam moveat, ac ipse Divinus motus immediatè in planta recipiatur, sed ita ut in hac longa serie causarum, quæ inter se se ordinantur, Deus moveat Intelligentiam, Intelligentia moveat

veat Cœlum, Cœlum moveat plantam, unde motus ſeu influxus in planta receptus, ac plantam vegetans veluti gravidus in ſe ſe vim habeat ſuperiorum omnium cauſarum Cæli, Intelligentiæ, ac Dei primæ cauſæ, & in vi ſuperiorum cauſarum florem, ac germen producat. Unde ſi quæ ex intermediis cauſis à movendo ceſſaret, ſeu Intelligentia ſiſteret, nec moveret ipſa Cœlum, vel Cœlum nihil influeret, nulla eſſet plantæ germinatio.

Atque hic pag. 147. num. 594. graviter invehitur in Alvarem alioſque S. Thomæ Diſcipulos, quòd ingenti ſaltu, ut putat, à prima omnium cauſa ad ultimam, prætermiſſis omnibus mediis tranſilierint, cùm ita diſcurrunt; ab eo quod eſt ad utrumlibet non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio moveatur, & inclinetur ad unum, ut ait Commentator: Sed cauſa libera, & contingens ſe habet ad oppoſita. Ergo non exibit ab illa, determinata operatio, niſi moveatur à primo agente, & determinetur ad unam particularem actionem. Atque hanc conſequentiam ut alieniſſimam carpit, nimiumque remotam à præmiſſis omnibus, & quæ non niſi longo circuitu deduci poſſit: quaſi immanis hiatus ſit, ſaltuſque nimium præceps, à prima & ſuprema omnium cauſa, prætermiſſis mediis, ad ultimam ferri. Putat enim communes argumentandi leges exigere, ut hæc conſequentia inferatur: Ergo à voluntate non exibit determinata operatio niſi ab aliquo alio moveatur; à proprio ſcilicet movente; non quidem prima cauſa, hæc enim remotior eſt; ſed ſi de cauſis liberis ſermo ſit, à ratione, quæ eſt proprium, & proximum voluntatis movens, quo voluntas immediatè regitur, & movetur.

Tertiò exiſtimat præterea, & rectè quidem, motum ſuperioris cauſæ in inferioribus cauſis, & mediis receptum, ſemper eſſe virtutem agendi quæ novam efficaciam agendi confert. Unde motus quo ultima omnium cauſa movetur, virtutem defert omnium cauſarum, quæ anteceſſerunt; itaut idem planè ſit agere in virtute cauſæ ultimæ, & proximæ, ac agere in virtute omnium ſuperiorum cauſarum: v. g. cum planta florem germenque emittit, motus quo planta ad germinandum movetur, & vim, & virtutem motus Cœli. Intelligentiæ, ipſiuſque Dei ſecum defert. Atque hic iterum pag. 174. num. 697. impugnat cæteros ſuæ Scholæ recentiores Theologos, quòd exiſtimaverint Divinam motionem, qua cauſæ ſecundæ moventut, nullam ipſis cauſis ſecundis virtutem agendi conferre, ſed ſolùm eſſe meram applicationem virtutis ad effectum, vel operationem, quod deinde multis ex S. Thoma impugnat. Sed hic etiam, & oleum, & operam perdit; Cùm à nemine, quod ſciam, unquam negatum ſit Divina motione virtutem augeri, etſi non ſemper id expreſſerint: cùm apud omnes conſtitutum ſit, in ipſo effectu ad quem cauſa ſecunda movetur, vel in ipſa operatione quam voluntas elicit, reperiri rationem entis, & ultimæ actualitatis, quæ in cauſam primam referenda eſt, & ſola virtute ab ipſa recepta produci poteſt; ut nos ſuprà advertimus.

Quartò: at verò cùm eum motum Joſephus à Vita indifferentem, ac indeterminatum exiſtimaverit, quique à cauſis ſecundis determinetur pro varia diſpoſitione cauſarum: inde exiſtimat defectibilem eſſe motum, ac reipsà deficere cum cauſæ ſecundæ deficiunt. Cùm enim ignis infuſa aqua ne comburat lignum impeditur ſimul cum effectum deficit recepta in igne motio impreſſa ab omnibus cauſis ſuperioribus, etiam à Deo: pag. 146. num. 592.

Atque hic iterũ graviter carpit alios S. Thomæ Diſcipulos, à quibus inquit ingens contradictio, & repugnantia admiſſa fuerit, nimirum cùm *defectibilis effectus producitur, indefectibilem*, & infallibilem eſſe motionem; hoc enim omninò repugnare exiſtimat pag. 159. num. 645. & inter alia recenſet quæ contraria invicem, & ſecum pugnantia à S. Thomæ Diſcipulis admiſſa fuiſſe arbitratur.

Quintò: unde igitur oritur infallibilitas Providentiæ Divinæ, ſeù infallibilis ordo voluntatis Divinæ ad effectum? non ex eo inquit quòd ſit medium aliquod, ſeu motus aliquis indefectibilis in cauſis ſecundis receptus: ſed ex eo quòd voluntas Divina, ac Divina providentia ſit cauſa univerſaliſſima, extra cujus ordinem nulla omninò cauſa egredi unquam poſſit. Ita enim cauſas omnes Providentia Divina ordinat, & diſponit, ut effectus quem voluerit, infallibiliter ſubſequatur. Eſt enim in ipſa rerum natura conſtitutum, ut cauſa quælibet etſi contingens, & defectibilis, ſi tamen in ſua omni diſpoſitione relicta ſit, neque ab alia cauſa impediatur infallibiliter effectum producat; ut verò non impediatur, munus eſt Divinæ Providentiæ, quæ cæteras omnes cauſas ita diſponit, ita in ordine collocat, ut una alteram non impediat, ſed potius adjuvet; aut ſi nihil ipſa agat, cauſam agentem veluti ſpectet: & *ita præterea impedimenta omnia arcet ut* cauſa cujus effectus expectatur, imperturbata agat. Quod ſi aliud Divinæ Providentiæ conſilium illum ordinem cauſarum jam diſpoſitum ob alium finem mutaret, & inverteret, in quo ordine cauſa una alterius cauſæ effectum impediret; ipſa Providentia Divina alterius veluti cauſæ ſubſidium revocaret, quæ cauſam illam à qua effectus producendus eſt, vel adjuvaret, vel muniret, ut minimè effectus producendus impediretur. Qua ſanè explicatione liquet ut Joſephus exiſtimat, infallibiter effectum produci poſſe, etſi cauſæ nec indefectibiles ſint, nec ipſis indefectibile aliquid imprimatur; ex ſola ſcilicet diſpoſitione cauſarum, quam Divina Providentia Divinaque voluntas cauſa univerſaliſſima ita diſponit, ut omnes ad eundem effectum producendum concurrant.

Atque id quàm facillimè familiari exemplo explicuiſſe ſibi viſus eſt. Ita enim intelligendum eſt, inquit, Deum totius Univerſi rectorem, &

cujus

cujus Providentia, ad minima etiam extenditur, eo penè simili, sed in infinitum perfectiori modo causas disponere, sicut ipsa Providentia humana ad peculiares effectus causas ordinat, & disponit. Vir enim studio deditus, ut servet inextinctum lampadis lumen, extrahit bombycem, decutit fungulos, infundit oleum, fenestram claudit, atque ea cautela adhibita, omnibus ita rectè dispositis, certissimè inextinctum servatur lampadis lumen. Quis verò, inquit, ideò inextinguibilem dixerit lampadem, aut lampadi indefectibile aliquid additum esse: igitur & in rebus cæteris causisque omnibus intelligendum est, nihil indefectibile superadditum esse, sed ex sola causarum omnium dispositione, quæ se se invicem juvant, aut non impediunt, infallibiliter effectum produci. Ita explicat fusè tota disputatione 4. à pag. 475.

Hæc Josephi sententia quam integro tomo fusè explicat, & quem aliqui ex Recentioribus extra S. Thomæ Scholam, cæteris Sanctissimi Præceptoris Discipulis opponunt, quasi hic unus Author D. Thomæ sententiam probè intellexerit, fueritque solus Hermes, aut *Videns*, cæteri in legendo D. Thoma perpetuò caligaverint, aut talpis cæciores fuerint.

Verùm dissimulare non licet, maximè reprehendendum esse Josephum à Vita, quòd à communi suæ Scholæ, certissimaque S. Thomæ sententia sese subducere voluerit: suspecta enim fuit eritque semper singularitas, & novitas nota, illudque D. Hieron. Ep. 65. ad Pammach. in illum non immeritò jactari poterit: *Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus.*

Hactenus regnavit in Schola S. Thomæ Divinæ motionis infallibilis efficacisque sententia, quam felicissimè cæteri D. Thomæ Discipuli propugnarunt, & etiamnum propugnant, nec expectandus erat Josephus ut nobis suppetias ferret. Plurimùm quidem versatum esse Josephum in S. Thomæ operibus negari non potest, & quæ magno numero colligit, apertè id probant: sed illud ipsi contigisse videtur quod ipse D. Thomas observat in quæst. 1. ad Annibald. in proloqu. quæst. 3. art. 5. *Quando homini complacet una opinio, diligenter inquirit illa quæ sunt pro illa opinione, & negligit quæ sunt contra.* Et sanè quòd ejusmodi contradictiones ille Author sibi visus fuerit in communi Thomistarum sententia reperisse, reponi in primis potest quod à S. Thoma dictum est Opusc. 27. de æternitate mundi, contra quosdam sui ævi Philosophos, qui hæc duo invicem pugnare arbitrabantur, aliquid esse productum & esse æternum. *Mirum est* inquit S. Thomas, *quomodò nobilissimi Philosophorum hanc repugnantiam non viderunt, qui tamen cæteros nobilitate atque authoritate vicerunt..... Ergo illi qui tam subtiliter eam percipiunt, soli sunt homines, & cum eis oritur sapientia?*

Et sanè mirum esset, præstantissimos Scholæ D. Thomę, & Philosophos, & Theologos, Bannem, Lemos, Alvarem, Joannem à S. Thoma, & alios cæteris non inferiores, & à quibus Josephus, & acumine, & soliditate se superari, ut puto, non negaret, eam repugnantiam non vidisse, sed existimasse quòd infallibiliter motio effectum habeat, & tamen defectibilis effectus sit; quòd voluntas insuperabiliter, & indeclinabiliter moveatur, & tamen agat liberè: quin etiam ut quod de S. Augustino ibidem paulo ante S. Thomas jam dixerat in ipsum S. Thomam referatur. *Si esset aliqua repugnantia, mirum est quomodo* D. Thomas Doctor Angelicus *eam non vidit*, à quo dictum est, immobiliter voluntatem moveri propter efficaciam virtutis moventis, & tamen propter conditionem voluntatis, libertatem illæsam, & integram remanere: atque eam esse prærogativam primæ causæ quod quamvis *ipsa sit indeficiens*, non omnes tamen ejus effectus sint necessarii, *sed aliqui contingentes* sint. Expectandus erat nobis forsitan Josephus qui nedum eam repugnantiam designaret, quam ne latentem quidem, sed etiam manifestissimam cæteri non animadverterant, quamque solus ipse jam subtiliter percipiat, ut cum eo orta sapientia esse videatur. Vereor ne etiam in Josephum cadat quod ibidem à S. Thoma dictum est, quod *multorum inexperti ad pauca respicientes enunciant facilè*.

Et sanè in dies ex ea inexhausta, quam ubique S. Thomas suppeditat doctrinæ copia, erui posse plurima, quibus communia ejusdem S. Doctoris Scholæ principia explicentur, & roborentur, non negaverim, & nos etiam fortasse aliqua collegimus deteximusque ex cumulatissimo Angelici Doctoris Doctrinæ Thesauro, quæ minimè communia sunt, & quibus explicandis alii minimè sunt immorati. Sed absit ut nos quidquam aliis S. Thomæ Discipulis adversum reperisse arbitremur. *Sermonum varietas*, ut cum D. Hieronymo loquar, *Spiritus veritate* concordat: & verissimè si quæ jam ab omnibus D. Thomæ Discipulis recepta sunt, aliis ejusdem S. Doctoris principiis adversarentur, mirum esset quòd præstantissima in Schola Angelici Doctoris ingenia eam repugnantiam nunquam deprehendissent. Esse plurimas in hoc Litterario Orbe, veluti plagas incognitas non negaverim, sed non magis adversæ existimandæ sunt, quam novus Orbis veteri adversetur. Si quid Recentiores S. Thomæ Discipuli longo studio in ipsius Doctrina novi reperiant, communibus principiis, & communi ac receptæ jam sententiæ conveniat necesse est. Si quid iis principiis jam constitutis adversum sit, ut spurium, & à D. Thomæ sententia alienum, omninò ex ejus Schola procul est amandandum.

Etsi verò de nimia Josephi licentia cæteri S. Thomæ Discipuli justam habeant conquerendi causam; non est tamen cur alii extra D. Thomæ Scholam Adversarii, hujus Authoris adversus cæteros Thomistas defectionem opponant; cùm mirum non sit reperiri interdum aliquem

qui

qui nimiùm in ſuo ſenſu abundet: maximè cùm hic Author ſuos non deſeruerit, ut in alienis Caſtris militaret, neque, ut diximus ſupra, minùs acriter ſententiam Adverſariorum impugnaverit, quàm ſoleant cæteri Thomiſtæ impugnare: ac prætereà multò plures numerari à nobis poſſint, qui Molinæ, & Societatis partes deſeruerint, ut Sanctorum Auguſtini, & Thomæ ſententiam amplecterentur, quorum principiis Molinæ opinio viſa eſt recta fronte pugnare. Addi etiam poteſt, quòd à Superioribus proſcripta fuerit Joſephi ſententia, tanquam certiſſimæ S. Thomæ in plurimis ſententiæ adverſa: quamvis, ut dictum eſt, in eo quod eſt controverſiæ caput, cum cęteris conveniat. Ut verò paucis quæ probari, aut rejici debeant explicemus.

ARTICULUS II.

Quæ probari, aut rejici in ea ſententia debeant explicantur. Probatur Divinam motionem, & concurſum ut à Deo deſcendit indifferentem non eſſe.

Etſi plurima obſervari poſſent in ea Joſephi ſententia: hæc tamen paucis hìc obſervare libet. In primis non tam exceſſu, quàm defectu erraſſe Joſephus videtur, quodque ea ſejunxerit, quæ conjuncta facilè admittere potuiſſet, & à nemine, ut puto, unquam negata fuiſſent. Sejungit enim immediatam Dei in rebus creatis operationem, quâ Deus rebus omnibus inexiſtens, immmediatè res omnes movet, nedùm ſimultaneo concurſu, ſed etiam prævio, omni immediatione, & virtutis, & ſuppoſiti, ab operatione Dei mediata, quâ res inferiores per ſuperiores movet, ea motione ſuperioribus cauſis, puta Intelligentiæ motrici impreſſa, & cujus vis deinde per Orbes cæleſtes cauſaſque omnes medias deſcendat ad ultimam, v. g. plantæ radicem, quæ germen floremque emittit.

Secundò. Sejungit prætereà efficaciam Divinæ voluntatis, ac Divinæ Potentiæ, quæ ſua ipſa vi applicat cauſas ſecundas, ac ipſam voluntatem creatam, efficitque ut infallibiliter agant; ab ordine, & diſpoſitione Sapientiæ Divinæ, quæ cauſas præparat, & aliarum concurſu munit, ut agant, & impedimenta amovet, nè agere prohibeantur.

Tertiò. Atque adeò dividendis rebus, quæ maximè conjunctæ ſunt, aſſuetus erat, ut exiſtimaverit à cæteris S. Thomæ Diſcipulis hæc duo, quæ in Divina motione conjuncta ſunt, diviſa fuiſſe: ſcilicet rationem applicationis, quâ cauſæ ſecundæ ad effectum moventur, & applicantur, & rationem virtutis, & elevationis, quâ evehuntur ad attingendam rationem ſuperiorem entis, & ultimæ cauſalitatis, quæ nonniſi virtute accepta à cauſa ſuperiore produci poſſunt. Quæ tamen me legiſſe non memini ab ullo unquam ex S. Thomæ Diſcipulis ſejuncta fuiſſe, quamvis non omnes ubique eam utramque rationem Divinæ motioni ineſſe ſemper expreſſerint.

Quartò. Sed nulla parte longiùs à vera D. Thomæ ſententia hic Author recedit, quàm quòd concurſum indifferentem admiſerit, & exiſtimaverit repugnare hæc duo ſimul conjungi, infallibiliter, cauſam ad effectum producendum applicari, & tamen effectum contingentem oriri.

Hæc omnia ſi conjunxiſſet, ſcilicet immediatam motionem Dei, cum motione quæ fit cauſis mediis; efficaciam, ſeu infallibilitatem, quæ oritur ex efficacia Divinæ voluntatis, cum infallibilitate, quæ oritur etiam ex diſpoſitione Divinæ Sapientiæ; demùm voluntatem cauſam creatam infallibiliter applicari à Deo, & nihilominùs tamen effectum ipſius eſſe contingentem, & liberum; nullam conquerendi cauſam ſubminiſtraſſet. Sed ut alii extra Scholam S. Thomæ Theologi moralem motionem à phyſica ſejungunt, admittuntque priorem, & poſteriorem negant, atque eo pacto à Diſcipulis D. Thomæ diſcrepant, qui utramque admittunt: ita reprehendi meritò poteſt hic Author, quòd ex his quæ ſejungit, unam dumtaxat partem amplexus fuerit, cùm tamen utraque eſſet, & conjungenda, & admittenda.

Sed de hoc poſtremo cùm prçcipuum ſit, aliquid dicendum eſt, paucis tamen, cùm jam plura ſupra à nobis dicta ſint. Probatur igitur indifferentem, & indeterminatum concurſum repugnare D. Thomæ principiis. Et quidem multa jam diximus initio hujus Diſſertationis de gratia per ſe efficaci, ubi ècontra tanquam certiſſimum in Sancti Doctoris ſententia principium, & totius reſolutionis fundamentum conſtituimus, Divinam motionem certò, & infallibiliter, immutabiliter, ac ex Sancto Auguſtino invincibiliter, & inſuperabiliter movere contingentes cauſas, liberaſque, & tamen cauſas contingenter liberèque agere. Unde probatur hac ratione. Nihil eſt quod ſuadeat indifferentem concurſum ſtatuere, ſi hęc duo ſimul conjungi poſſint, ſcilicet voluntatem infallibiliter moveri, & tamen moveri liberè; neque hæc duo invicem pugnent, infallibile & liberum: Atqui reipsà hæc duo invicem adverſa non ſunt, eaque conjungi non repugnat: ſicut neque hæc duo contraria ſunt, voluntatem ad unum determinatam eſſe, ſummamque retinere ad plura indifferentiam: quod ſupra ſatis probatum eſt, tum hac Diſſertatione, tum Diſſertatione ſecunda de libertate.

Confirmatur prætereà: & ſanè mirum eſt, hęc duo videri poſſe adeò ſejuncta, ut nulla arte, nec Divinâ etiam Omnipotentiâ conjungi poſſint, voluntatem ſcilicet infallibiliter moveri, & tamen agere liberè: Ergo & illud mirum videri debet

bet, motum ab immobili principio oriri. Libertas enim motus est animi qui circa plura versatur, ut unum eligat rejectis aliis: Atqui è contra ita necesse est, nec fieri aliter unquam potest omnem motum fundari in immobili, difforme ab uniformi, multiplex ab unitate proficisci. Quod expresse docet S. Thomas 1. par. quæst. 82. art. 1. *Oportet quòd illud, quod naturaliter alicui convenit, & immobiliter sit fundamentum, & principium omnium aliorum: quia natura rei est primum in unoquoque, & omnis motus procedit ab immobili.* Et jam supra quæst. 79. art. 7. dixerat, *quòd motus semper ab immobili procedit, & ad mobile terminatur.* Quo principio probat, libertatis primam originem esse adhæsionem ad ultimum finem, sicut à primis principiis ratio nisi aberret, dependet. Atque eum ordinem servatum etiam inter corpora omnium perfectissima, scilicet Cælos, observat idem Angelicus Doctor, eoque principio explicat quæ à Sacra Scriptura Patribusque de Cælorum distinctione referuntur. Cùm enim uniforme, & immobile præstantius sit difformi, & mobili: indè fit, ut primo sit Cælum uniforme, & immobile, *scilicet Cælum Empyreum; secundo uniforme, & mobile, scilicet Cælum Crystallinum: Et tertio difforme, & in partibus mobile, ut Cælum Sydereum* in quo Planetæ vagantur. In 2. dist. 14. quæst. 1. artic. 4. Et fusiùs quodlib. 6. art. 19. quod post Commentaria in Sententias composuit; de quo videndum etiam 1. par. quæst. 68. art. 4. Atque alibi probat Sanctus Thomas illud fuisse Veterum Philosophorum errorum principium, quòd satis non intelligerent, ab uno immobili semperque sibi æquali ac infinitè bono Principio, multitudinem, inæqualitatem, ac malum in rebus creatis oriri posse, ut fusè prosequitur S. Thomas 1. par. qu. 47. & seqq. Et sanè dubitare nemo poterit, Mobile, Difforme, Varium, Multiplex, Defectibile, Contingens, Indifferens, & Liberum fundari in Immobili, Uniformi, Uno, Indefectibili, Necessario; si animadvertat, & Mobile, & Varium, & defectibile esse de genere malorum. Atqui impossibile est, malum esse nisi fundetur in bono. Ut enim inquit D. Augustinus lib. 1. contra Julian. cap. 9. *Unde oriri posset malum nisi ex bono*, ut refert S. Thomas 1. par. quæst. 49. art. 1. Ideòque probat eadem quæst. art. 2. repugnare summum, & infinitum malum esse sine admixtione boni; quia ex Aristotele 4. Ethic. *Si malum integrum sit, destruet seipsum*: quia ut subdit D. Thomas, *Destructo omni bono quod requiritur ad integritatem mali, subtrahitur etiam ipsum malum, cujus subjectum est bonum.* Ergo etiam impossibile est oriri defectibile nisi ab indefectibili.

Confirmatur iterum. Scire enim velim si contingens, defectibile, ac liberum à principio indefectibili determinato, ac necessariò (necessitate scilicet infallibilitatis, quæ semper hìc intelligenda est) oriri non possit, quo pacto fieri poterit, ut defectibile ab altero defectibili, sine ulla infallibilitatis mixtione oriatur? Si enim supponatur defectibilem effectum reipsà oriri: Ergo saltem cùm reipsà fit certò, & infallibiliter fit, impossibile enim est, effectum non esse, dum est: Ergo necesse est, infallibilitalem cum ea defectibilitate conjungi, sive etiam infallibiliter illud fieri quod defectibile est. Idque etiam de libero actu, eademque ratione negari non potest: hoc enim ipso quòd aliquid fit, necesse est fieri, quamvis liberè fiat. Atqui idem etiam de Deo movente Divinaque motione, ac de ipsa actione dicendum est. Nihil enim aliud efficit Divina motio, nisi, ut infallibiliter voluntas actionem efficiat. Neque verò potentiam voluntatis ligat, sed applicat solùm, & quidem indefectibiliter, & *immobiliter propter efficaciam virtutis movētis*: etsi ligata sit voluntas, ipsamet sua ipsa actione se ligat, sicut ipsa sibi necessitatem ingerit, ut ex S. Bernardo diximus: Ergo nulla planè repugnantia est, & infallibiliter voluntatem agere, & libertatem servare, atque, ut, ut ex S. Thoma diximus: *Sicut voluntas potest immutare suum actum in alium*, & quidem liberè immutare: *ita & multò amplius Deus*: qu. 22. de Verit. art. 8.

Confirmatur tertiò ratione quæ prætermitti nunquam debet, ex ipsa Divinæ motionis efficacia & eminentia, qua omnium causarum vim infinito intervallo superat; quam rationem supra ex S. Thoma prosequuti sumus. Et mirum est hęc à Josepho animadversa non fuisse, cum ipse p. 132. num. marg. 539. insignem illum D. Thomæ locum, & apud ejus Discipulos celeberrimum ex Lect. 14. primi libri Periherm. referat, ubi egregia illa verba refert, ut S. Thomam à falsa quorundam interpretatione vendicet, probetque cum efficacia Divinæ voluntatis conjungi libertatem creatam. *Voluntas*, inquit D. Thom. *Divina est intelligenda, ut extra ordinem entium existens velut causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias...* Unde prima causa *transcendit ordinem necessitatis, & contingentiæ. Hoc autem dici non potest de voluntate humana, nec de aliqua alia causa; quia omnis alia causa cadit jam sub ordine necessitatis, & contingentiæ: & ideò oportet quòd* omnis alia *causa possit deficere, vel effectus ejus non sit contingens: voluntas autem Divina indeficiens est; tamen non omnes ejus effectus sunt necessarii, sed aliqui contingentes.* Ubi singularem eam dotem Divinæ voluntatis ac primę causæ supra cæteras omnes causas explicat, quòd scilicet cùm aliæ *contineantur sub ordine necessitatis, & contingentiæ*; impossibile sit aliud imprimere suis effectibus; quàm ipsæmet causæ habeant. Unde oportet quòd si causa indefectibilis sit, ejus etiam effectus sit indefectibilis: & si effectus sit defectibilis, defectibiliter causa agat. At verò causa prima, cùm sit supra omnem ordinem, & necessitatis, & contingentiæ, quamvis ipsa indefectibilis sit, & indefectibiliter agat, nihil tamen vetat, quominùs ipse effectus defectibilis sit: hoc enim causa indefectibilis agit, & indefectibiliter agit, ut effectus defectibilis sit.

Dices

Dices. Longè alium esse S. Thomæ sensum, & hujus loci interpretationem, cum D. Thomas non de ipsa motione Divina, sed de ipsa Dei voluntate loquatur. Infallibilitas verò voluntatis Divinæ in operando, ex ipsius universalitate desumenda est, quæ ita causas disponit, ut si una deficiat, altera semper præstò sit. Unde cum deficienti uni causæ aliam substituere possit, nihil unquam impedit aut impedire potest, quominus ad finem suum perveniat.

Verùm jam suprà animadvertimus ea potissimum ratione aberrasse Josephum, quòd ea sejunxerit quæ à S. Thoma conjuncta fuerant, & reipsa junguntur. Esto enim ità sit, pertinere ad providentiam Divinam quòd ita causas disponat, ut altera semper alterius locum occupatura, cùm necesse fuerit, veluti seorsim repositæ sit; sed cur etiam Divinæ voluntatis efficaciæ non tribuitur, quòd etiam ipsa vi sua voluntatem creatam indefectibiliter applicet, & tamen libertatem servet: cùm nedũ universalissima, sed & efficacissima sit, & agens fortissimum: & inde veluti ex prima radice, & origine Sanctus Thomas rationem reddat cur Divina voluntas, *Rebus volitis necessitatem non imponat*, Nam inquit, *Dicendum, quod hoc contingit propter efficaciam Divinæ voluntatis* 1. part. quæst.19. art.8. Et *quia voluntas Divina est agens fortissimum*: ut addit quæst.23. de Verit. art.5. Sed de hoc infra statim.

Igitur non diffitemur ex illa varia causarum dispositione, quæ ad eundem effectum producendum veluti conspirant, oriri posse effectum infallibilem; atque id non ægrè Josepho à nobis concedetur ad ineundam inter omnes Thomistas concordiam, quamvis etiam de hoc postea aliqua dicturi simus: sed concedat ipse vicissim quod à S. Thoma expressè dictum fuisse infrà referemus, scilicet infallibilitatem effectuum ex efficacia Divinæ motionis oriri: concedat quod expressè dictum à S. Thoma mox retulimus, aliud de prima omnium causa, aliud de cæteris longè diversum sentiendum esse: & primam causam ea ratione quòd transcendat ordinem necessitatis, & contingentiæ posse hæc duo in causis secundis conjungere infallibilitatem, & contingentiam, quod nulla alia causa nisi participata virtute à superiori causa efficere potest: Concedat demum quod alias retulimus, & fusius prosecuti sumus, Deum sua *Omnipotentia* efficere ut *illud in quod mutatur voluntas, liberè velit*. In 2. dist.25. quæst.1. art.2. Sua inquam Omnipotentia, suaque vi & efficacia, non autem longo causarum circuitu, & veluti precariò, & emendicata ope causarum secundarum, à quibus dumtaxat haberi possit effectus infallibilitas cum creata libertate conjuncta, Sed de his jam alibi, multisque in locis dictum est, ac etiam deinde magis dicetur. Sed.

Impugnatur præterea quod habet Josephus p. 146. num. 592. quodque satis significare potest, longiùs à sententia S. Thomæ Josephum aberrasse, nimirum quòd (talis motus in quantum „ descendit à Superiori causa, indeterminatus, & „ indifferens est in ordine ad effectus inferiorum „ causarum:) Atqui contra licet si motus ac prævius concursus, ut in causis secundis receptus, dici equidem aliquo sensu posset indifferens & indeterminatus, ut suprà à nobis observatum est; nulla tamen ratione dici potest indifferens, prout à prima causa descendit: idque etiam veluti recta fronte iis quæ à S. Thoma sæpius, & expressè dicta sunt, repugnat. Etenim 1. 2. quæst. 112. art.3. ubi inquit. *Utrum necessariò detur gratia se præparanti ad gratiam?* expressè, inquit, quòd præparatio, *Potest considerari secundum quòd est à Deo movente; & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere nõ potest, secundũ quòd Augustinus dicit in lib. de Prædestitione SS. quòd per beneficium Dei certissimè liberãtur, quicumq; liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est, quòd homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter gratiam consequitur, secundũ illud Joan.6. omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: Ergo ex S. Thoma præparatio ad gratiam *Si est ex Deo movente* infallibiliter cum gratia connexa est: ergo iterum ex D. Thoma, *Si est ex intentione moventis Dei, quòd homo gratiam consequatur, infallibiliter gratiam consequitur*. Quid verò aliud est motionem esse à *Deo movente* aut ut est *ex intentione moventis Dei*, nisi motionem, ut à Deo descendit, habere effectum infallibilem? Ergo licet aliquo sensu quem ex D. Thoma suprà retulimus, dici possit, motum prævium, ut in voluntate receptum, indifferentem esse, & subjecti cui inhæret veluti mutabilem conditionem induere, nulla tamen ratione concedi potest, nec aliud S. Thomæ sententiæ adversum magis esse potest, quàm quod dictum est, motum primæ causæ indifferentem, indeterminatum, ac suspensum esse, ut à prima causa descendit.

Atque hic etiam unum prætermittendum non esse arbitror, quod in eo Authore observari potest, nimirum fermè ubique Divinam motionem non alio quàm simplici motus nomine explicare, & exprimere; cùm tamen Sanctus Thomas, cujus loquendi modum, ipsaque verba, ejus Discipuli usurpare debent, quæ dubio procul ab ipso etiam omnium propriissima semper selecta esse existimandum est: cùm inquam Divus Thomas eam vim impressam voluntati, seu applicationem, qua Deus movet, & applicat voluntatem, nominet Dei motionem. Sic enim exempli causa, 1. 2. quæst. 10 art.4. ubi expressè inquirit. *Utrũ voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus?* Ait quòd *omnia Deus movet secundùm eorũ conditionem, ita quòd ex causis necessariis per MOTIONEM Divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur volũtas est principium activum non determinatum ad unũ, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quòd nõ ex necessitate ad unum determinat,*

ſed remanet MOTUS ejus contingens. Ubi actum quidem voluntatis motum nominat, cùm vim impreſſam voluntati propriiſſimè motionem nominet. Sic 1. 2. quæſt. 109. art. 1. *Quantumcunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta non poteſt in ſuum actum procedere niſi moveatur à Deo : quæ quidem motio eſt ſecundùm ſuæ providentiæ rationem* : quod *motionis* nomen ibi Perpetuò uſurpat. Adde & illud celebre 3. cont.gent. cap.149. *Motio moventis præcedit motum mobilis ratione, & cauſa*. En apertiſſimum diſcrimen, & exactiſſimum loquendi modum à S. Thoma uſurpatum : Si de actu voluntatis loquamur, *Motus* quidam eſt ipſius voluntatis quæ ad objecta fertur. At ſi de ea virtute qua à Deo applicatur voluntas, ipſaque applicatione loquamur, *motio* Divina dicenda eſt ; nimirum quia ipſa *motionis* notio actionem veluti vivam, & operationem agentis magis ſignificat, exprimitque virtutem qua agit, & determinatam intentionem agentis à quo effectus producitur ; neque adeò facilè indeterminatio, & indifferentia intelligi poteſt, quæ tamen notione ſimplicis *motus* faciliùs intelligitur. Atque eum loquendi modum ſi millies à S. Thoma uſurpatum fuiſſe aſſererem, forſitan ſupra verum numerum non augerem.

Atque id etiam in Adverſariis extra Scholam S. Thomæ obſervari facilè poſſet : cùm enim de motione Divina loquuntur ; quam Angelici Doctoris Schola admittit, duriora ſemper nomina uſurpant, eamque qualitatem aliquam mortuam, adamantinam, ferream, impreſſam voluntati, ab eaque dependentem nominare ſolent ; quòd ea nomina longiùs à vera ejus notione animadvertenda animum avocent, & abducant ; cùm econtra Divinæ motionis nomine nihil aliud intelligendum ſit, quàm Dei in rebus exiſtentis, veluti contactus quidem, quo animam ſeu cor, & voluntatem movet, flectit, & inclinat ; quàm ſanè notionem verba Scripturæ Sacræ ſæpiſſimè indicant, ut illud Cantic. 2. *Vox dilecti mei pulſantis*: & verſ.4. *Venter meus intremuit ad tactum ejus*. Quibus verbis, & ſimilibus ſignificatur Divinæ motionis operatio, quæ ſuaviſſimo contactu animam, ſeu cor, & voluntatem ad amorem, vel pœnitentiam ſalutarem commovet, ut ex D. Gregorio in eum locum & S.Ambroſio l. de Iſaac, & anima cap.6, aliiſque, explicat Ludovicus Soto. Atque idem ſenſus eſt, cum dicitur pſalm.113. *Tangis montes, & fumigant*, ubi, quod ſæpius obſervat Sanctus Thomas, Divinæ motionis veriſſima notio, & operatio exprimuntur: cùm tacta voluntas, eoque contactu commota, veluti concepto jam igne fumum emittit, & ut verbo Tertuliani utar *evaporat*. Unde & Angelicus Doctor in ipſo contactu Divino motionem Dei repoſitam eſſe aliquando animadvertit 1.par.quæſt. 105. art.21. ad 1. ubi inquit quod *Deus ſecundùm virtualem contactum tangit movendo creaturam* ; Ita ut propriiſſimè Divina motio non aliud eſſe intelligenda ſit, quàm ſpiritualis quidam contactus quo Deus ſua operatione voluntatem noſtram contingit, in eaque operatur. Quin etiam non alia ratione Divinam immenſitatem, & præſentiam Dei in rebus omnibus explicat Sanctus Doctor, niſi quia in rebus omnibus Deus operatur, eaſque contingit, ſicut anima ſua operatione corpus ſuum contingit perficitque : quia *Neceſſe eſt omne agens conjungi ei in quod immediate agit, & ſua virtute illud contingere*, 1. par.qu. 8. art.1.

Hæc ſanè Divinæ motionis notio ſi ob oculos habeatur, nihil erit quo terreatur animus, aut durius videri poſſit : cùm econtra ea motione, *In primis* lenis quidam, & blandus Dei contactus ſignificetur, quo Deus blanditur animæ, eamque his immiſſis delitiis in quam partem volverit, inclinat : Ac *Secundò* : ipſa etiam immediata Dei motio quam facilliimè intelligitur, qua Deus immediatè inexiſtens animæ, eam multò intimiùs, & perfectius contingit, & perficit quàm ipſa anima corpus moveat. *Tertiò* : ac demum eo contactu etiam determinata motio explicatur : cùm neceſſe ſit, ad omnem omnino actum in particulari, & ad quemlibet determinatum actum voluntatem immediatè moveri. Quo pacto enim indeterminata eſſe poſſet, ſi ad quemlibet actum determinatum, & determinatè voluntatem moveat ?

ARTICULUS III.

Plurium difficultatum reſolutio. Quid ſit gratiam eſſe efficacem ſi ſit ex intentione Dei : Quæ vires addendæ ſint cum tentatio fit gravior : An in cauſis defectibilibus aliquid indefectibile eſſe debeat.

DIces aliud à D. Thoma verbis ſuprà poſitis intelligi, alioque ſenſu explicandum, cùm inquit. *Quod ſi ſit ex intentione Dei moventis, quòd homo cujus cor movet, gratiam conſequatur infallibiliter gratiã conſequitur*. Intelligit enim quòd ſi Deus velit hominem gratiam conſequi, cauſas omnes ita diſponat, ac ita ordinet, ut voluntatem veluti omni parte obſideant, ne effugere, & elabi poſſit, ſed illud ad quod eam Deus movet, efficiat, & ita gratiam conſequatur.

Verùm etſi importunum ſit, eundem lapidem toties voluere: attamẽ cũ ea ſit unica hujus Authoris ſolutio, poteſt validè iterum impugnari, qua impugnatione egregie confirmari poterit, nullo planè modo ex S. Thomæ ſententia ferendum eſſe, Divinam motionem dici, & indifferentem, & indeterminatam. Enim verò cùm à S. Doctore dictum eſt ; eam præparationem, *ut eſt à Deo*

movente, infallibiliter cum gratia conjunctam esse dubio procul rationem hujus proximam afferre voluit Sanctus Doctor. Nec unum verbum est quod indicet, voluisse S. Doctorem hujus infallibilis connexionis longiùs causam quærendam esse ex longo causarum omnium concurrentium circuitu: Ergo ea motio, *ut est à Deo movente*, ac subinde quod dubio procul idem significat, ea motio ut à Deo descendit, proximè & immediatè habet infallibiliter consecutionem Divinæ gratiæ conjunctam. Probatur antecedens: quia, nisi rationem immediatam, & proximam hujus connexionis infallibilis referret Sanctus Thomas, impropriissima esset locutio, imo & omnino falsa; cùm apertissimè ea reduplicatio, *Ut est à Deo movente*, causam proximam significare debeat. Et verò quis ferre posset, si ita diceretur: præparatio ad gratiam *Ut est à Deo movente*, est infallibiliter cum ipsa gratia conjuncta, quia Deus causas disponit ne voluntas impediatur, quominus Divinæ motioni obtemperet, & ita præparatio est infallibiliter conjuncta cum gratia. Enim verò si ita sit, omnino impropriè, & perperam dicitur ea præparatio, *Ut est à Deo movente*, conjuncta cum gratia: siquidem ea infallibilis connexio cum præparatione, non ut est à Deo movente, sed ut est à Deo disponente, oriretur: cùm ipsa motio utpotè indifferens, ut vult adversa sententia nullam infallibilem connexionem haberet cum gratia: sed ea infallibilis connexio oriretur solùm ex causarum dispositione qua juvaretur voluntas, aut qua non impediretur, ut ageret: Ergo cùm econtra dixerit S. Thomas quòd ea præparatio, *Ut est à Deo movente*, infallibilem habet cum gratia connexionem, intelligendum, est quòd ipsa motio Divina sit immediata, & proxima causa hujus infallibilis connexionis, ut suprà explicavimus. Et.

Confirmatur ex 1. 2. quæst. 10. art. 4. etsi enim infinita sint propemodum in S. Thoma quæ satis cogitationem de motu aut motione indifferente rejiciunt, vix tamen locus alius est ex quo apertius ea de indifferentia Divinæ motionis opinio refelli possit. Etenim in primis observandum occurrit quod habet S. Doctor in corpore articuli, qnod *Deus sic voluntatem movet ut non ex necessitate ad unum determinet*. En statim paucissimis verbis penè totius difficultatis resolutionem. *Deus voluntatem movet, & voluntatē determinat.* Quo pacto indeterminata motio esse possit, si voluntatem determinet, ut expressè asserit Sanctus Thomas? Sed tamen ut cum ea determinatione simul libertatem remanere significet, addit: quòd *Non ex necessitate ad unum determinat* Deus voluntatem. Determinet igitur ad unum necesse est: quo pacto enim determinari ad multa simul eadem motione voluntas intelligi possit? ad unum igitur motio determinat, sed non determinat ex necessitate: quia cum *Principium non sit determinatum ad unum, sed indifferenter se habeat ad multa*; ideò etiam *remanet motus contingens*, & actus pleniſſimè liber ex triplici universalitate quæ indifferentiam fundat, scilicet universalitate judicii, universalitate potentiæ voluntatis, & universalitate objectorum, ut dictum est aliàs. Ergo ex S. Thoma, motio Divina determinat ad unum voluntatem, neque indeterminata, & indifferens dici potest.

Confirmatur iterum ex Responsione quam habet ibidem Sanctus Thomas ad 3. ibi enim sibi objicit *possibile est quo posito non sequitur impossibile; sequitur autē impossibile, si ponatur quòd voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet, quia secundùm hoc operatio Dei esset inefficax: Non ergo est possibile voluntatem non velle hoc ad quod Deus eam movet: Ergo necesse est eam hoc velle*. Hæc ibi: & si quis hoc argumentum paululùm præmat, animadvertet, eo argumento si quam vim habeat, probari posse, quod alterum consequi debeat, vel quòd Divina motio sit inefficax, indifferens, & indeterminata, vel quod necessitatem imponat, quæ est Adversariorum communis opinio: Si enim inquiunt, ea motio indifferens non sit, sed voluntatem infallibiliter determinet: Ergo inquiunt, fieri non potest quòd voluntas aliud velit, & ita motio voluntati imponit necessitatem volendi, & agendi. Quòd si motio voluntati necessitatem volendi, & agendi non imponat: Ergo potest voluntas aliud velle, & agere; atque adeò ea motio voluntatem non determinat, sed planè est indifferens. Hæc dubio procul hujus est argumenti vis.

Quid verò ad hoc argumentum Respondet Sanctus Doctor? Concedit forsitan, esse indifferentem motionem, atque infallibilem operationem voluntatis ex alio capite quàm ex efficacia, & determinatione motionis oriri? Nihil minus. Sed suppositā ea determinatione ad unum, concedit, cum ipsa determinatione ad unum ex vi Divinæ motionis, indifferentiam ad multa ex conditione voluntatis conjungi. *Dicendum* inquit, *quòd si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quòd voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. Unde non sequitur, quòd voluntas ex necessitate moveatur.* Reperiat quisquis potuerit in ea responsione indifferentem motionem. Mihi sanè compertissimum est ea responsione adstruere S. Thomam hæc duo simul posse, & debere conjungi, scilicet voluntatem Divina motione ad unum determinari, & tamen integram, & illæsam voluntatis libertatem remanere. Et quidem determinari voluntatem efficacia, & vi ipsius Divinæ motionis, quia, *Si Deus movet ad aliquid, impossibile est huic positioni, quòd voluntas ad illud non moveatur*.

Dices iterum hęc semper intelligenda esse suppositis supponendis, nimirum si voluntas agere non impediatur; ut verò non impediatur disponendum esse certum ordinem causarum. Sed contra, id verissimè est velle quærere nodum in scirpo. Planissimè enim inquit Sanctus Thomas, quòd, *Si Deus voluntatem ad aliquid movet, impossibile*

possibile est quod voluntas ad illud non moveatur. Cur verò aliud quæritur? Ergo immediatè, & ut à ratione proxima, ex ipsa Divinæ motionis efficacia oritur, quòd voluntas moveatur, & agat. Theologi enim sicut, & Philosophi est immediatam, & proximam causam inquirere, eaque semel reperta conquiescere. Sed deinde: Ergo saltem falsum est quòd adversa opinio contendit, indifferentem & indeterminatam esse Divinam motionem. Quo sensu enim intelligi potest esse indeterminata, & indifferens, si impossibile sit quòd *Si Deus voluntatem movet ad aliquid, voluntas ad illud non moveatur*?

Dices *Secundò*: Si voluntas in alio statu rerum poneretur, si v. g. vehementiori, & graviori tentatione premeretur, si urgeretur acrioribus stimulis, si vehementiùs objecta allicerent voluntatem, dubio procul retraheretur voluntas à proposito v. g. servandæ castitatis, cum certum sit, quò gravior tentatio est, eò etiam majorem esse debere motionem, quæ voluntatem moveat, & cohibeat: & Divo Paulo dictum sit, quòd *Deus non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Idest, quò tentatio vehementior evadet, Deus vires novas superaddet, ne tentatio vires superet: Atqui ne gravior tentatio insurgat, ne objecta occurrant, quibus alliciatur voluntas, alius est disponendus ordo rerum: Ergo necessaria est ea dispositio causarum, & rerum ut Divina motio infallibiliter sit cum effectu, v. g. cum proposito servandæ castitatis conjuncta.

Verùm facilis est ad hæc omnia Responsio aut eorum impugnatio. Et in primis, quòd dicitur, augendas esse vires, quò tentatio vehementior evadit juxta duplicem explicandi modum, quem in sententia S. Thomæ usurpari posse existimo, facilè explicatur.

Primò quidem si de Divina motione efficaci sermo sit, id omnino negandum est. Quantumvis enim vehementior tentatio insurgat, nihil tamen efficit; sed ea unica motio si efficax sit, adeò voluntatem firmat, ut nulla tentatione commoveatur. Atque id apertè à S. Augustino, & à S. Thoma quàm sæpissimè dictum est. Etenim inquit D. Augustinus celebri illo loco de correptione, & gratia cap. 12. *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia, & indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma non deficeret, neque adversitate ulla vinceretur*. Hoc igitur Divinæ gratiæ opus, eaque hujus veluti anchoræ in Deum jactæ firmitas, ut quamvis sævissima tempestas ingruat, fluctusque ad sidera tollat, atque unda dehiscens terram inter fluctus aperiat, videaturque insequi cumulo præruptus aquæ mons; attamen animus gratia Divina firmatus, veluti rupes immota minimè ea tempestate commoveatur. Neque verò aliam hujus firmitatis rationem affert S. Augustinus, nisi quòd Divina gratia, & *indeclinabiliter, & insuperabiliter* voluntas agatur. Nec dubium quin ipse S. Augustinus propriam, & veram causam hujus firmitatis afferre volverit, cùm alioquin impropriissima esset locutio, ut in simili suprà de S. Thoma dictum est. Atque id etiam clarioribus verbis explicat Sanctus Thomas, cùm inquit quod si Deus *moveat voluntatem* ad aliquid, v. g. propositum colendæ castitatis, *impossibile est quòd ad illud non moveatur*, in eoque proposito firma non maneat. Idemque fermè repetit S. Doctor, 2. 2. quæst. 24. art. 11. ubi inquit, considerari posse charitatem, *Uno modo ex parte Spiritus Sancti moventis animâ ad diligendum Deum, & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti qui infallibiliter operatur quodcumque volverit. Unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando*. Atque hujus ex superioribus ratio aperta esse videtur, cùm expressè à S. Thoma dictum sit, quòd voluntatem Deus ad agendum movet; *In quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quòd applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum*: quæst. 3. de pot. art. 7. At planè impossibile est esse applicationem voluntatis ad dilectionis actū, vel propositum castitatis colendæ, nisi reipsa ad ejusmodi actus eliciendos voluntas moveatur, eosque reipsa eliciat.

Quod si quis contendere velit voluntati vires augendas esse semper ea proportione, qua gravior, & vehementior tentatio evadit: Respondendum est, id pertinere non ad auxilium efficax, sed ad auxilium sufficiens quod potentiis activis correspondet, seu intelligatur auxilium sufficiens omnino ab efficaci sejunctum, cujusmodi sunt habitus, qui quò magis vel minùs intensi sunt, pares sunt vel impares ejusdem gradus, & intensionis tentationibus vincendis: seu intelligatur etiam cum efficaci conjunctum, cujusmodi est actuale auxilium. Non enim existimandum est simul duplex auxilium conferri, aliud dumtaxat sufficiens, aliud dumtaxat efficax, sed unum idemque duplex munus præstat, complet potentiam, & ut ex S. Thomæ sæpiùs retulimus, *est complementum virtutis activæ*; & simul applicat voluntatem; sed ut sufficiens complet, ut efficax applicat. Unde ubi de efficaci auxilio sermo est; solam applicationem voluntatis necesse est intelligi, quam planè repugnat non esse cum actu conjunctam. Non negamus igitur, quin majores vires voluntati conferendæ sint, quo gravior tentatio evadit, ut fiat cum tentatione proventus. Sed negamus illud augmentum virium ad gratiam efficacem ut efficacem pertinere, sed illud munus est sufficientis auxilii, quod pertinet ad actum primum, ipsumque complet, ut diximus.

Quòd si quis difficultatem hanc explicari velit juxta alterum dicendi modum, quem probabilem esse existimo, & forte faciliorem, nulla habita ratione hujus distinctionis auxilii efficacis,

& ſufficientis, ſed ſumendo adæquatè auxilium quod confertur, ut comprehendit, & ſufficiens, & efficax. Secundò, Reſpondeo: augendas eſſe voluntatis vires, quò gravior tentatio ſuperanda incumbit: etiam, & mutandum fore ordinem rerum, nè gravior tentatio inſurgat, & ut ea motio infallibiliter effectum habeat. Sed tamen, Nego ideò efficaciam, & infallibilitatem gratiæ ex ea ſola diſpoſitione cauſarum eſſe repetendam: Nego quòd caput eſt, ideò eam motionem eſſe indifferentem: ſed quod unum colligi poteſt, noſque ultrò fatemur, eam motionem non eſſe proportionatam. Equidem verum eſt, quòd cùm omnia à Deo conſentaneè fiant, & efficacia Divinæ voluntatis cum diſpoſitione Divinæ ſapientiæ conjuncta ſit, nè perpetuò miracula fiant: cùm Deus voluntatem movet, & hujus veluti gradus, & intentionis actum vult elici, ita omnia temperat, & diſponit, ut ejuſdem veluti gradus tentationis inſurgant. Unde etiam cum heroicis actibus à Viris ſanctiſſimis majus meritum comparari vult, graviorum etiam certaminum materiam ipſe ſuppeditat, & etiam graviores tentationes occurrere permittit. Qua de re mille exempla ex Scriptura Patribuſq; referre promptiſſimum eſſet. Unde neceſſe eſſet certum eſſe ordinem cauſarum, nè gravior tentatio ex objectorum occurſu accedat. Quin etiam & ipſum temperamentum inter eas cauſas recenſendum eſt, cùm indè etiam tentationes vel graviores, vel leviores evadant. Indè enim fit, appetitum ſuperiorem magìs vel minùs reluctari rationi imperanti, ut docet D. Thomas 1. par. quæſt. 81. art. 3. & aliis in locis. Ideòque & à Theologis etiam ipſa prædeſtinati ſubſtantia, eſſe prædeſtinationis effectus exiſtimatur: quòd etiam ea quæ naturæ ſunt cedant in bonum prædeſtinati; & illud Apoſtoli verũ habeat: *Omnia veſtra ſunt*, & quæ in Cælo, & quæ in Terra: quia omnia propter Prædeſtinatos ſeu Electos, qui ſoli hæredes Mundi exiſtimandi ſunt.

Verùm licèt ita ſit, non ideò tamen conſequitur, eam motionem quæ à Deo confertur, & quæ impar eſt tentationi vincendæ, eſſe planè indifferentem; ſed ſolùm conſequitur non eſſe proportionatam. Unde fit, hujuſmodi auxilium tunc reipsà efficax non eſſe, ſed ſolùm ſufficiens, ea ratione, quòd, ut infrà in quarto explicandi modo fuſiùs proſequemur, efficax auxilium in quadam proportione, & commenſuratione poſitum ſit, quâ vincat reſiſtentiam voluntatis, quam ſi non vincat, inefficax eſt, non autem efficax; de quo plura ſuperſunt dicenda infrà. Et ſi nihil aliud intelligi Joſephus voluerit, perperàm aggreſſus eſt cæteros S. Thomæ Diſcipulos, & ſe rem novam dixiſſe arbitratur, cùm jam olim eam Gonzalez ſententiam docuerit, neque repugnet communi omnium doctrinæ, ſed dumtaxat alium captui faciliorem explicandi modum uſurpet, ac minùs diſtinguat quæ alii exactiùs loquuti diſtingunt. Sed

Dices tertiò, iterùm perperàm aliquid in cauſis defectibilibus indefectibile requiri, duo indefectibiliter agant, cùm quidquid in igne, v. g. dum agit reperire eſt, defectibile ſit. Cùm enim igni injicitur aqua, & ipſe ignis extinguitur; nedùm retardatur, ſed impeditur ignis actio, & ipſam motionem quæcumque intelligi poſſit, neceſſe eſt ſimul cum igne extingui. Quis verò crederet indefectibilem eſſe motionem, quæ planè extinguitur? Non enim magis indefectibilis eſt motio quàm actio ignis, & quàm ignis ipſe, quæ omnia impediuntur, & extinguuntur ſola injectione aquæ. Ex alio igitur capite, effectuum infallibilitatem repeti neceſſe eſt, nimirùm quòd ex Divina Providentia ita res collocatæ ſint in ſuo ordine, in eoque ita ſiſtant, ut ſi Deus velit, ignem comburere, procul aquam amoveat, nè aqua proximior actionem ignis impediat. Ergo ita etiam in ordine ſupernaturali ſentiendum eſt; in quo non alius Providentiæ Divinæ modus eſſe exiſtimandus eſt. Cùm hominem ad actum virtutis Deus movet, omnia defectibilia ſunt, lumen ipſum intellectûs: quòd ſi gravior tentatio occurreret, veluti interjecta nube minùs proſequendam virtutem animadverteret: affectibus enim intercipi veri cognitionem fusè proſequitur Boëtius lib. 1. m. 7. Unde quod ſæpiùs contingit, ex ſolo delectabilis objecti occurſu, inſurgente gravi tentatione animus veluti ſtupefactus & attonitus, nec regularum rationis ſatis meminit; veluti *nubibus atris condita nullum fundere poſſunt ſydera lumen.* Quod in cæteris pravis affectibus contingit, etenim *nubila mens eſt, vinctaque frænis hęc ubi regnant.* Quid verò tunc indefectibile fingi poteſt? Sola gravior tentatio momento intellectum excæcat, & excuſſo rationis fræno voluntas præceps ruit, & propoſitum omne colendæ, v. g. caſtitatis, abjicit & mutat. Ergo & eadem etiam tentatio quæ occurrit, ipſam motionem veluti dejicit, impeditque nè effectum ullum habeat. Non ergo fingi poteſt motio indefectibilis. At

Atque id explicari, & confirmari poteſt opportuniſſimo conſervationis exemplo. Eandem enim eſſe & in conſervando effectu, & in movenda cauſa infallibilitatem, dubium non eſt. Unde verò hæc conſervationis rerum infallibilitas oriri poteſt? An forſitan quòd Deus indefectibilem aliquam virtutem immittat, quæ temperamentum aliquod certo tempore immutatum ſervet, & adverſas qualitates ita temperet, ut nulla cæteras adeò ſuperet ut compoſitum deſtruat? Sed illa, etſi potuerit eſſe innocentis hominis felicitas, conſtat tamen modò in cæteris hominibus nihil indefectibile eſſe, quo vita certa, & determinata periodo conſervetur. Omnia quæ circumſtant hominem, ipſum extinguere poſſunt: nec in aëre, nec in Cæli influxibus, nec in omnibus quibus ſervatur vita, quidquam indefectibile eſt. Unde igitur oritur, hominem certam vitæ periodum vivere? Non aliundè ſanè niſi ex rebus ipſis defectibilibus temperatis, quo certo tempore vitam fovent ac ſervant, adjuncta ea rerum

diſpo-

dispositione ex Providentia Divina, quæ nociva omnia ab homine amolitur, quibus vita ipsius facilè abrumpi posset, quam vult Deus servari, & incolumem esse certo tempore, ut libuerit. Indè enim verissimè periodus vitæ mensuranda est: unde apud Veteres Libitina quæ vitę dominatur. Ergo idem etiam de motione Divina in utroque ordine, & naturæ & gratiæ, dicendum est: quòd scilicet nihil immutabile, & indefectibile sit, quo voluntasinfallibiliter agat. Sola dispositione causarum, & impedimentorum amotione, quibus impediri possent virtutes activæ nè agerent, infallibiles effectus consequuntur: infallibiliter enim virtutes activæ agunt, si permittantur agere.

Respondeo non aliam difficultatem, aut vim argumentum istud habere, quàm ex falsa, vel parùm germana notione motionis Divinæ, quæ instar influxûs v. g. cælestis intelligitur, & tanquam motus in causis secundis receptus, & ex earum conditione mutabilis: nec satis præ oculis habetur, quod mox ex S. Thoma retulimus, quòd Deus movet causas secundas ad agendum; *In quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quòd applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum.*

Igitur ut vera Divinæ motionis notio habeatur, propositaque difficultas, sola explicatione rei planè in fumum abeat; ita existimandum est, scilicet Deum rebus omnibus præsentem, ac intimum, inexistere, resque omnes etiam immediatè, & per se ipsum movere; quòd ab ipso etiam Aristotele dictum est: *omnia*, inquit, *moventur ab inexistente in eis numine* lib. 17. Moral. Eodem cap. 18. Et moventur quidem ita ut quoties causa secunda agit, eam intimè Deus ad actionem applicet, non secùs ac artifex instrumentum quod manu tenet ad opus moliendum applicat. Ita enim ac multò perfectiùs Deus res omnes infinitâ suâ potentiâ veluti manu tenet, quàm artifex instrumentum quo opus molitur, manu teneat. At verò indè manifestè consequitur, infallibiliter fieri effectum, ad quem movet causam secundam Deus, & quidem infallibiliter vi ipsius motionis. Si enim ea motio nihil aliud sit, quàm ipsa causæ secundæ applicatio à Deo facta; manifestè consequitur, quòd si Deus causam secundam applicet ad agendum, & à potentia, & otio ad actum reducat; necesse sit causam applicari, & ad actum reduci. Sicut cùm instrumentum admovetur, duciturque ab artifice; necesse est instrumentum & duci, & operari. Atq; id etiam alibi expresè docet S. Thomas locis supra citatis. *Si Deus moveat* causam aliquam, *vel voluntatem* ad aliquid, *impossibile est, quòd* ea causa, *vel voluntas ad illud non moveatur* 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3.

Verùm sicut instrumentum non alio planè modo agit, quàm ab artifice moveatur; lentè, citò, diu, brevi tempore &c. Ita & Deus causam secundam movet juxta suæ voluntatis, ac Sapientiæ dispositionem, ita ut causam secundam, & ut voluerit, & quando, & quandiu voluerit, moveat; & ita ut causa, vel citò, vel tardè, vel diu, vel brevi tempore, agat: atque id omne efficit sua ipsa vi, & ut expresè inquit S. Thomas, quia est *Agens fortissimum, unde oportet effectum ei omnibus modis assimilari ..... ut fiat eo modo quo vult fieri, ut necessariò, vel contingenter, citò, vel tardè ..... secundùm modum, quem rebus Divina voluntas præfigit in ordine suæ Sapientiæ.* Quæst. 23. de Potent. art. 5.

Hæc verissima Divinæ motionis notio, ex qua facillimum est nodos omnes quantumvis implicati esse videantur dissolvere. Cùm igitur ignis v. g. agit, cujus exemplum supra usurpatum est, Deus intimè & igni, & toti naturæ præsens, in eaque operans, & qua operatione Divina immensitas, & præsentia in rebus omnibus creatis constituitur: Deus inquam ignem movet, applicatque ad calefactionem, & quandiu applicat, infallibiliter ignis agit, & ita infallibiliter agit, ut si Deus velit, nulla unquam injectione aquæ extinguatur, sed mediis etiam in ignibus ardeat, ut Sap. 16. dicitur quòd mirabile erat *in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Quod ut fiat, necesse est dumtaxat quòd ignem applicatum teneat, ut in mediis etiam aquis calorem emittat. Verùm cùm non semper miracula edere Deus velit, sed omnia agat juxta consilium voluntatis suæ, & ex suæ Providentiæ Divinæ constitutis legibus; cùm v. g. injicitur aqua, vel alia adversa causa occurrit, quæ actionem ignis impedit, tunc etiam Deus ipse ab ipso veluti igne manum retrahit, ipsumque non applicat, sed aliam applicat causam. Et tunc illa alia causa applicata & admota, agit quandiu, & eo modo quo Deus voluerit. Cogita instrumentum in manu artificis à quo movetur, versatur, duciturque ad artificis nutum, & quod interdum à tabella subducit: & eodem planè modo, ac in infinitum nobiliori, totam naturam in manu Dei esse intellige, ut nos Fides docet: nec erit mirum quod dictum est, à Deo ignem, aquam, & quamlibet aliam causam moveri, & applicari, omniaque in Deum Authorem, & causam principalem referri, *Ad quem omnia, per quem omnia, in quo omnia*: quodque cùm sit *agens fortissimum* causas omnes movet, & applicat, *ut necessariò, vel contingenter, citò, vel tardè*, longo vel brevi tempore agant.

Unde ad argumentum suprapositum, in forma neganda est Major. Est enim in igne ut movetur, aliquid indefectibile, scilicet ipsa motio, ipsaque applicatio, ut immediatè fit à Deo, ipseque Deus rebus inexistens ut agens fortissimum: ut enim observat S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 67. Quia Deus est causa operandi omnibus operantibus, rebusque sua operatione inexistit; *hac ratione frequenter in Sacra Scriptura naturæ effectus operationi Divinæ attribuuntur, quia ipse est qui operatur in omni operante per naturam*

vel

vel voluntatem: ſicut illud Job. 10. *Nonne ſicut hac mulſiſti me, pelle & carnibus compegiſti me?* Hæc ibi D. Thom. Et ſanè ut alteram deceptionis cauſam hìc detegam; in eo decipi, aut non ſatis animadvertere videntur qui iſta objiciunt; quòd non ſatis diſtinguant inter Divinam motionem quâ causâ movetur, & effectum qui producitur: effectus equidem, & contingens & defectibilis eſt, ſed motio & applicatio indefectibilis eſt. Atque id etiam expreſsè obſervatum eſt à Sancto Thoma 3. cont. Gent. cap. 94. *Eſt* enim, inquit, *Divina Providentia per ſe cauſa, quòd hic effectus contingenter proveniat: & hoc caſſari non poteſt.* Quæ omnia fusè ſuprà explicuimus, ubi planè demonſtravimus ex D. Thomæ doctrina, hæc duo jungi poſſe & debere, infaillibiliter effectum fieri, & tamen fallibilem eſſe effectum. Quare injectione aquæ impediri actionem ignis, ac effectum deſtrui, & extingui, ultrò concedimus: at impediri, & extingui Divinam motionem planè negamus. Sed quod veriſſimum eſt, Deus ipſe qui ut libet cauſas omnes quæ agunt, movet, cùm ipſi libet, & juxta ſuæ Providentiæ, & infinitæ Sapientiæ leges, ſuam ipſe motionem ſiſtit, cùm injicitur aqua; quòd nolit novum miraculum edere. Unde hoc pacto omnia in Deum Authorem primamque cauſam referuntur. Vide omninò 1. Tomo quæſt. ult. art. ult.

Addi etiam poſſet, non ſatis animadverti quid interſit inter ipsâ Divinam motionem, ut in cauſis recipitur, & ut eſt ipſe motus in cauſis receptus; & ipſam motionem Divinam, ut eſt à Deo movente. Motum quidem ipſum ut in cauſis receptum mutabile, & defectiblem eſſe concedi facillimè poteſt, & ſine cauſæ ſeu præſentis quæſtionis diſpendio; ſed Divinam ipſam motionem, ut eſt à Deo, neceſſe eſt ſemper infallibilem eſſe. Quia aliud eſt *eſſe*, aliud *ratio* rei: *eſſe* à ſubjectis, in quibus recipitur dependet. *Ratio* ſui principii conditionem induit, eoque pacto motio, ut ſæpius diximus, quædam eſt, & infinitæ Potentiæ Dei participatio, & ipſius Divinæ artis virtus: de quibus omnibus vide quæ ſupra dicta ſunt.

Et verò eam ſolutionem probari omnibus neceſſe eſt, cùm ea quæ à nobis de motione Divina dicuntur, de Divina voluntate omninò etiam dicenda ſint. Compertiſſimum enim eſt, nihil niſi Deo volente, & jubente fieri, cùm nec unus paſſerculus in terram decidat ſine voluntate Patris cæleſtis, & omnes omnium capilli numerati ſint. Ergo neceſſe eſt cùm ignis injectione aquæ agere deſinit; id fieri ex Divina voluntate, & Providentiæ Divinæ ordine: Atqui nihil magis repugnat idem dici de Divina motione; cùm Divina motio ſit executio Divinæ voluntatis, & participatio quædam infinitæ Omnipotentiæ Dei. Unde, ut aliàs advertimus, dici ſolet non poni in numero cum Divina voluntate, ac Omnipotentia Dei: cùm etiam aliunde certum ſit, Deum perpetuò in rebus omnibus agere, eaſque ſimultaneo ſaltem concurſu influxuque conſervare. Ergo ſicut cùm injectione aquæ ignis deſinit agere, neceſſe eſt Deum poſitivè velle, immò & ſaltem ſimultaneo concurſu efficere, aquam agere; & conſequenter retracto ſuo concurſu ab igne, deſinere actionem ipſius ignis conſervare: quid vetat, aut quid mirum videri debet, ſi à nobis dictum fuerit ignem injectione aquæ non agere, quia & Deus deſinit ignem applicare, & movere: & aquam econtra agere, quia Deus eam & movere & applicare incipit. Quod enim dici poſſit, id quidem non repugnare, ſed tamen etiam non neceſſariò exigi: refellit expreſſiſſimè S. Thomas quæſt. 3. de potent. art. 7. ad 15. & 7. Ex his verò.

Ad confirmationem planiſſima etiam ſolutio eſt, atque ea comparatione, conſervationem inter, & motionem, illa quæ ſuperiùs à nobis dicta ſunt, validè confirmantur. Nec enim in dubium vertere licet, immediatè Deum ſua actione res omnes creatas conſervare. Certum quidem eſt à Deo cauſis mediis, ac maximè ſuperiorum influxibus inferiora conſervari, & foveri: atque ita exigit ratio illa ordinis, quæ eſt in illa rerum omnium inter ſe connexarum longa ſerie, Non enim ſolus ordo eſt poſitionis, & ſitus localis, ſed & maximè ordo cauſalitatis. Ita enim ab ipſa natura conſtitutum eſt, ut ſuperiora perficiant inferiora.

Verùm etiam dubitari non poteſt, quin Deus etiam res omnes immediatè conſervet influxu perpetuo, quo primum rerum omnium fundamentum, ut vocat S. Thomas *ipſum eſſe* perpetuò infundit: qua immediata operatione, etiam immediata Dei in rebus omnibus exiſtentia, & præſentia conſtituitur, ut probat Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 8. art. 1. & ut inquit idem S. Doctor qu. 3. de Poten. art. 7. *Deus eſt intrà rem quamlibet, ſicut tenens rem in eſſe*: quòd dubio procul eſt rem ipſam conſervare. Sed de hoc fuſiùs Atticulo ſequenti.

Atque inde facilis eſt reſponſio. Nam verum quidem eſt, cætera defectibilia eſſe, quibus Deus hominem conſervat, v. g. aërem, Cælorum influxum, aliaque ejuſmodi: at verò ipſa Dei actio conſervativa, ſeù ipſa conſervatio qua Deus perpetuo influxu dat vitam, & inſpirationem, & omnia, ac maximè primum aliorum fundamentum ipſum eſſe; ea inquam conſervatio, ut eſt à Deo immediatè, indefectibilis eſt, ſed tamen juxta ſuæ infinitæ Sapientiæ regulas: ita ſcilicet ut tamdiu duret, hominemque conſervet, quandiu voluerit. Unde idem de conſervatione dicendum eſt, quod de motione Divina jam diximus: quam comparationem ſtatim infrà proſequemur.

Quæ verò de motione, & conſervatione in ordine naturæ diximus, non minus in ſupernaturali ordine locum habent. Enimverò dubium non eſt, quin etiam cùm voluntas ad propoſitum colendæ caſtitatis movetur, ſubitò ex occurſu delectabilis objecti commoveri poſſit: atque à pluribus quàm optandum eſſet, dici poſſit,

ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error; objecto scilicet rapiente oculos, & oculis penè fascinantibus mentem. Sed tunc Deus desinit movere voluntatem, ipsamque motionem retrahit; cùm ita permittente summi, & universalis Provisoris Sapientia Divina, voluntas incipit in objectum prohibitum ferri. Semper enim ubi de peccato agitur, voluntatem primam causam esse pro certo constituendum est: quod jam aliàs satis explicuimus. Deus igitur voluntatem ad propositum colendæ castitatis movere desinit, & simul etiam intellectum ad regulas veri, & boni moralis, & principia rectæ operationis applicare cessat. Et quidem dubium non est, quin Deus posset, si vellet, quamvis ex occursu objectorum exteriorum tentatio gravior fieret, & intellectum movere, & applicare, nè à cognitione veri, & boni moralis retraheretur: & quantumvis etiam appetitus inferior commoveretur, aut intellectus objectum delectabile proponeret, unde oritur gravis interior tentatio, posset Deus si vellet, voluntatem in eodem proposito immotam servare: & hoc, ut cum S. Augustino loquar de Corrept. & Grat. cap. 11. *Sanctorum martyria docuerunt*, à quibus *cum omnibus amoribus, terroribus, & erroribus suis victus est Mundus*. Atque id posset Deus, quia *est Agens fortissimum, ut res fiant eo modo quo vult fieri*, citò vel tardè, brevi vel longo tempore. Ex quibus manifestum est, nihil inde consequi, quod adversæ sententiæ faveat, aut indifferentem esse motionem, vel minimùm probet: sed omnia cum communi sententia de prævia motione infallibiliter effectum producente, opportunissimè posse conjungi.

Dices ista quidem posse concedi, si aliunde nihil obstaret, nec ullum indè periculum subesset lædendæ creatæ libertatis, quod maximè imminet ex ea immediata, & infallibili motione Divina.

Verùm & hanc responsionem, quam etiam Recentiores extra Scholam S. Thomæ usurpant, nos supra rejecimus; atque ex ea vel maximè ratione suspectam esse objicimus, quòd ad servanda humanæ libertatis jura, gratiæ Divinæ vim, & efficaciam deprimat, aut saltem inflectat. Vide quæ aliàs diximus. Utriusque enim & Divinæ gratiæ & libertatis creatæ jura illæsa servanda sunt, & summa Divinæ gratiæ efficacia, & integra libertatis creatæ in agendo indifferentia. Atque inde colligimus, verissimam esse Angelici Doctoris S. Thomæ Scholæ sententiam, eoque titulo cæteris maximè anteponendam, quòd ea utraque & libertatis, & gratiæ jura integra, & illæsa servari spondeat, quæ à cæteris illæsa servari non posse arbitramur. Sed

Dices demùm eam infallibilitatem motionis Divinæ ad confirmationem in gratia pertinere videri, quæ ad statum viatorum minimè pertineat, quo in statu nihil indefectibile sit; cùm ea indefectibilitas non aliundè oriri possit quàm ex ipsa plenitudine Divinæ bonitatis, quæ instar formæ totam capacitatatem potentiæ voluntatis creatæ replet, ut docet S. Thomas 2. qu. 24. art. 11. & probat comparatione cælestium corporum, quorum formæ indefectibiles sunt, quia omnem capacitatem materiæ replent, ejusque appetitum satiant: nulla enim creata bonitas infra Deum, in quo omnis boni plenitudo reperitur, infinitam propemodùm capacitatem voluntatis creatæ replere, & satiare potest.

Verùm abundè hæc difficultas explicata, & soluta est aliàs, ubi de variis libertatis gradibus actum est. Et sanè in eodem S. Doctoris Articulo 11. hujus difficultatis resolutio satis observari potest, ubi expressè inquit, quòd *Tripliciter possumus considerare charitatem: uno modo ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendū Deum; & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impossibile est, hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* Alio deinde modo considerari posse charitatem, inquit, secundùm propriam ipsius rationem quâ tendit in Deum, quò pacto non magìs ad peccatum tendere, aut ipsum ferre charitas potest, quàm calor frigus patiatur. Ac demùm inquit, posse charitatem considerari ex parte subjecti, scilicet voluntatis, quæ semper ob arbitrii libertatem est mutabilis quandiu à fonte luminis, & plenitudine boni longiùs abest; sola enim boni Divini plenitudo quam charitas consummata complectitur, voluntatem humanam satiare potest, omnemque ejus capacitatem replere, & nativam mutabilitatem firmare.

Igitur licèt ex parte potentiæ in statu viæ, ubi omnia perturbationibus obnoxia sunt, sicut infrà Cælū omnia perpetuis mutationibus volvuntur; licèt nunquam impeccabilis omninò ac simpliciter voluntas esse possit, cùm etiam confirmatis in gratia, dum vivunt aliquid ad consummatam impeccabilitatem desit, ut docet S. Thomas quæst. 24. de Verit. art. 9. Attamen quantùm ad actum, impeccabilitatem aliquam, aut impeccabilitatis veluti radicem, & veriùs, si ita loqui liceat impeccantiam voluntas ex Divina motione assequitur. Atque id expressè 1. Joan. 3. his verbis significatur: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius* (id est gratia ipsius Dei) *in ipso manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quæ verba ita explicat S. Thomas ibid. ad 1. ut velit intelligi consentaneè ad superiùs dicta: *Secundùm potestatem Spiritus Sancti, cujus conservatione à peccato reddūtur immunes, quos ipse movet quantùm ipse voluerit.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

Unde oriatur infallibillitas effectus? oriri in primis ex efficacia Divinæ voluntatis.

PRæcipuum hic caput attingimus, quo ſe ſe novum aliquid in Scholam S. Thomæ advocaſſe exiſtimat Joſephus à Vita, quod hactenus incompertum fuerat, ſcilicet infallibilitatem effectus oriri ex diſpoſitione Providentiæ Divinæ, quæ ita cauſas omnes licet contingentes diſponit, & ordinat, ut una alteram ad producendum infallibiliter effectum juvet; ac ſubinde infallibilem eſſe ſcientiam Divinam, etiam cùm circa futuros effectus fallibiles verſatur; eamque infallibilitatem oriri ex Divinæ ſcientiæ, & Providentiæ Divinæ univerſalitate, quæ cauſarum omnium diſpoſitiones cognoſcit, & conſtituit, quibus contingentes effectus peoducendi vel juvari, vel impediri poſſunt. Hæc à ſe primùm detecta Joſephus arbitratur, nec minùs ſibi applaudit, quòd hæc veluti Phænomena in cælo Thomiſtico primus, ut putat, animadvertit; quàm qui olim Saturni circulum, vel Jovis ſatellites in Cœlo primi detexerunt. Verum antequam de hac ſententia quidquam à nobis ſtatuatur, in primis ex D. Thomæ principiis nobis demonſtrandum eſt, veram infallibilitatis effectuum cauſam, & originem eſſe vim, & efficaciam Divinæ voluntatis.

Probatur itaque infallibilitatem omnium effectuum immediatè ex efficacia Divinæ voluntatis ut à prima, & vera cauſa oriri. Et ſanè hæc omnia quę probanda ſuſcepimus adeò Sãctus Thomas expreſſit, ut mirum ſit hæc in dubium potuiſſe revocari. Atque ut compertum ſit Joſepho à Vita contigiſſe quod ex S. Thoma accidere aliquando animadvertimus ſuprà, ſcilicet quòd *Cùm homini complacet una opinio, diligenter inquirit quæ ſunt pro illa opinione, & negligit, ea quæ ſunt contra*, in 1. ad Annibal. in Prolog. quæſt. 3. art. 5. in uno eodemque loco, hæc omnia conjungit S. Thomas, ſcilicet infallibilitatem ex efficacia Divinæ voluntatis, & infallibilitatem ex ordine Divinæ ſapientiæ: & tamen quamvis locum integrum Joſephus afferat; quæ de infallibilitate ex efficacia Divinę voluntatis Sãctus Thomas refert, prætermittit: quæ verò de alia infallibilitate ex ordine Divinæ ſapientiæ, de ponderat, ea in omne latus vertit, ac in illa S. Thomæ authoritate per partes explicanda, & verſanda mirè ſibi complacet. Sed reponendus imprimis integer D. Thomæ locus.

Ita verò habet S. Thomas opuſc. 2. in compend. Theolog. cap. 140. ubi explicat, quòd *Divina Providentia manente, multa ſunt contingentia*. Ita verò inquit. *Nec tamen effectuum contingentia vel cauſarum certitudinem Divinæ Providentiæ perturbare poteſt. Tria enim ſunt quæ Providentiæ certitudinem præſtare videntur, ſcilicet infallibilitas Divinæ præſcientiæ, EFFICACIA DIVINÆ VOLUNTATIS, ET SAPIENTIA DIVINÆ DISPOSITIONIS, quæ vias ſufficientes ad effectum conſequendum advenit: quorum nullum contingentiæ rerum repugnat. Nam ſcientia Dei infallibilis eſt etiam contingentium futurorũ, inquantum Deus intuetur in ſuo æterno decreto futura prout ſunt actu in ſuo eſſe, ut ſuprà expoſitũ eſt. Voluntas etiam Dei cum ſit univerſalis rerum cauſa, non ſolùm eſt de hoc quod aliquid fiat, ſed ut ſic fiat. Hoc igitur ad efficaciam Divinæ voluntatis pertinet, ut non ſolùm fiat quod Deus vult, ſed ut hoc modo fiat quo illud fieri vult. Vult autem quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter, quia utrumque requiritur ad complementum eſſe univerſi. Ut igitur utroque modo res proveniant, quibusdam adaptat neceſſarias cauſas, quibusdam verò contingẽtes, ut ſic dum quædam fiunt neceſſariò, quædam contingenter, Divina voluntas efficaciter impleatur. Manifeſtum eſt etiam quòd per ſapientiam Divinæ diſpoſitionis Providentiæ certitudo ſervatur, contingentia rerum manente. Nam ſi hoc per providentiam hominis fieri poteſt, ut cauſæ quæ deficere poteſt ab effectu, ſic ferat anxilium, ut interdum indeficienter ſequatur effectus, ſicut patet in medico ſanante, & in vineæ cultore contra ſterilitatem vitis adhibendo remedium; multò magis hoc ex ſapientia Divinæ diſpoſitionis contingit, ut quamvis cauſæ contingentes deficere poſſint. quantùm eſt de ſe, ab effectu; tamen quibuſdam adminiculis adhibitis, indeficienter ſequatur effectus, quod ejus cõtingentiam non tollit. Sic ergo patet quod rerum contingentia Divinæ Providentiæ certitudinem non excludit.*

Hactenus S. Thomas: quæ cùm referret Joſephus, poſtquam ſecundam partem retulit, quædam fieri contingenter ex cauſis contingentibus, *ut Divina voluntas efficaciter impleatur*. Poſtea interſerit hæc verba, ut Lectorem moveat, maximè intendendum animum eſſe ut veram infallibilitatis cauſam animadvertat. (Nunc nota, inquit qualiter Divina Sapientia adinvenerit congruentes vias ad effectus per cauſas contingentes; nam ſubdit D. Thomas; *Manifeſtum eſt quòd per ſapientiam Divinæ diſpoſitionis Providentiæ certitudo ſervatur, contingentia rerum manente*. Audi hoc manifeſtum: ſubdit enim S. Thomas.) Et alia quæ deinde proſequitur. Vix in alium veriùs quàm in Joſephum cadere unquam poſſint quæ ex S. Thoma retulimus de variis ejuſmodi ingeniis, quæ ex præjudicata ſententia, aut vario affectu ea quæ penè verſantur ob oculos, non animadvertunt. Enim verò expreſsè D. Thomas duplicem infallibilitatis effectus cauſam refert, alteram *ex efficacia Divinæ voluntatis*, alteram ex *ſapientia Divinæ diſpoſitionis*. (Prætermittimus enim alteram infallibilis Divinæ cognitionis, & præſcientiæ cauſam, ex præſentia rerum in æternitate, de qua modo nulla eſt difficultas.) Ergo apertiſſimè ex S. Thoma præter eam quam

Josephus assignat ex multiplici causarum concursu, quæ se se invicem juvent; altera admittenda est infallibilitatis effectuum causa, scilicet Divinæ voluntatis, & Divinæ Potentiæ efficacia, quam post D. Thomam cæteri omnes ipsius Discipuli admittunt, & in qua defendenda, ut diximus, immorantur.

Dices S. Thomam in eo Divinæ voluntatis efficaciam reposuisse, quòd varias causas præparaverit ad varios effectus producendos. Inquit enim quòd *Voluntas Dei cùm sit universalis rerum causa, non solùm est de hoc quòd aliquid fiat, sed ut sic fiat. Vult autem quædam fieri necessariò, & quædam contingenter ..... ut igitur utroq; modo res provenirent, quibusdam adaptat necessarias causas, quibusdam verò contingentes.*

Verùm optandum fuisset, ut in ea S. Thomæ authoritate expendenda, & legitimo sensu intelligenda acumen omne, quo valebat, hic author advocasset. Animadvertimus enim suprà, hunc esse veluti offensionis lapidem, atque eam esse communem Recentiorum extra D. Thomæ Scholam responsionem, quos audire maluit Josephus quàm D. Thomæ Discipulos, à quibus veram hujus loci ac similium interpretationem didicisset: quin etiam ex ipso D. Thoma discere potuerat, à quo expressè observatum est, quæst.23. de verit.art.5. duplicem esse contingentiæ rationem, *Aliam principalem, cui causa præassignata* (ut minus principalis) *subserviat*, quæ causa principalis est ipsa Divina voluntas, quæ *Est agens fortissimum. Unde oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat id quod fit, quod est quasi assimilari secūdùm speciem, sed ut fiat eo modo quo Deus vult illud fieri, vel necessariò, vel contingenter, vel cito, vel tardè.* Unde tandem concludit S. Thomas: *& sic non dicimus quod aliqui Divinorum effectuum sint contingentes solummodo propter contingentiam causarum secundarū, sed magis propter dispositionem Divinæ voluntatis quæ talem ordinem in rebus providit*: Ergo ex S. Thomæ sententia non in eo solùm posita est Divinę voluntatis efficacia, quòd præparaverit similes causas, sed in eo potissimum, & principaliter, quòd cum Divina voluntas sit agens fortissimum, omniaque immediatè efficiat, efficit, & ipsam necessitatem, & ipsam contingentiam, & ipsam operantis voluntatis creatæ libertatem. Vide supra quæst.2. art.7. pag.43.

Confirmatur *Primò*: cùm à S. Thoma dictum est infallibilitatem effectuũ oriri ex efficacia Divinæ voluntatis, vel intelligit eam efficaciam positam esse in ea universalitate, quæ causas omnes ita disponit, ut una alteram adjuvet, & si deficiat, in ejus locum succedat: vel intelligit positam esse in eo quòd causas consentaneas effectibus præparet, necessarias necessariis, & liberas liberis: vel demum intelligit eam efficaciam repositam esse in ea immediata motione, & causalitate qua causas omnes ita movet, & applicat: ut repugnet causas moveri, & applicari, & tamen non agere; etsi tamen consentaneè ad earum genium, & conditionem eas moveat; & applicet: non enim in mentem ut puto, modus alius venire potest, quo illa efficacia explicetur: Atqui nec primo, nec secundo modo, ea Divinæ voluntatis efficacia à S. Thoma intelligi potuit: Ergo intellecta est solum tertio modo, seu de efficacia Divinæ motionis, qua immediatè, infallibiliter, & immutabiliter, ac ut loquitur S. Augustinus, indeclinabiliter, & insuperabiliter voluntas moveatur.

Minor quoad primam partem apertior est, quàm ut probari debeat. Distinguit enim Sanctus Thomas infallibilitatem ex duplici capite or, tam: primò *ex efficacia voluntatis Divinæ*, & secundò *ex dispositione Divinæ sapientiæ*: Atqui hæc universalitas, quæ causas conjungit, ut una alteram juvet, aut muniat, pertinet ad secundum infallibilitatis caput, ut non diffitetur Josephus, & res aperta est: Ergo non intellexit S. Thomas illam *efficaciam Divinæ voluntatis* in ea universalitate esse positam, quæ causas omnes comprehendit: &c.

Secunda verò ejusdem Minoris pars, scilicet non intellexisse S. Thomam, eam efficaciam Divinæ voluntatis esse positam in præparatione causarum: satis probata videri posset. Et quidem multa jam diximus suprà quæst. 2. art.3. ubi ostensum est Divinam intentionem ad quemlibet effectum quantumvis minimum ferri, nec minùs causalitatem quàm intentionem extendi. Sed præterea, quia si ea efficacia voluntatis Divinæ in eo solum posita esset, quòd causas præparasset effectibus producendis idoneas: Ergo nullo modo ad Divinæ potentiæ efficaciam immediatè pertineret ipsa effectuum productio, sed in sola præparatione causarum, ea Divinæ voluntatis efficacia sisteret, nec ultra ferretur, & præparatis causis ac dispositis, ipsa effectuum productio efficaciæ causarum, non verò Divinæ Omnipotentiæ efficaciæ tribuenda esset: Atqui id omnino, omnibusque S. Thomæ principiis repugnat. Perpetuò enim docet, quòd Deus *In omni operatione naturæ operetur*: *quòd est causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens, & applicans virtutem ad agendum.* qu.3. de potent. art.7. & 1. par. quæst. 104. *Quod est causa operandi omnibus operationibus.* 3. cont. gent. cap. 67. *quodque etiam nihil dat esse: nisi in quantum agit virtute Divina* cap.66. quæ omnia fusè alias prosecuti sumus: Ergo impossibile est quòd S. Thomas intellexerit, eam efficaciam Divinæ voluntatis positam esse in sola præparatione causarum, in eaque sistere, neque ultrà ad productionem effectuum tendere. Vid. suprà

Confirmatur *Secundò*: quia non potuit S. Thomas ita intelligere, nisi ipsius sententia in eam opinionem, aut verius errorem recideret, quem in Origene reprehendit. Etenim lib.3. cont. gent. cap.89. ubi explicat, quod *motus voluntatis causatur à Deo, & non à sola voluntate*; observat quòd, *Quidam non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare potest absq; præjudicio*

dicio libertatis , conati ſunt has authoritates , (quas retulerat Articulo præcedenti , ſcilicet Proverb.21.*Cor Regis in manu Domini , quocumque voluerit inclinabit illud* . „ Et ad Philipp.2. *Deus eſt qui operatur in nobis velle,& perficere.*„) *conati ſunt malè exponere, ut ſcilicet dicerēt, quòd Deus cauſat in nobis velle,& perficere , in quantū dat nobis virtutem volendi;non autem ſic,quòd faciat nos velle hoc vel illud , ſicut Origenes ponit in* 3. *Periarchon , liberum arbitrium defendens contra authoritates prædictas*.Enim verò ex S.Thoma ea efficacia Divinæ voluntatis in eo ſolum poſita eſſet , quòd præpararet conſentaneas , & homogeneas cauſas ; Ergo ea ſolùm ratione Deus intelligeretur operari in nobis velle, & perficere, quòd voluntatem liberam præparaſſet. Et quidem quòd ea interpretatio . & præparatio cauſarum ab his qui extra Scholam D. Thomæ audiunt . uſurpetur , mirum videri non debet . Cùm enim exiſtiment nihil aliud requiri in cauſis ſecundis , ut agant, præter facultates activas , quibus inſtructæ ſunt, ſi modo impeditæ non fuerint, nec deſit ſimultaneus concurſus : nihil mirum quòd ſentiant , in ſupernaturali ordine non aliud requiri præter ſufficiens auxilium , quod connaturali agendi virtuti ; & facultati activæ correſpondet , pertinetque ad actum primum ; ac ſubinde Deum ea ſola ratione intelligi operari in rebus , aut in nobis agere , quòd præparet cauſas ſecundas effectibus proportionatas . At verò ea interpretatio , qua ratione S. Thomæ Diſcipulis probari poſſet , ab iiſque uſurpari , cùm apertè repugnet certiſſimis ipſius Angelici Doctoris principiis , eamque in Origene reprehendat ? Vide quæ ſuprà diximus ubi hæc ſatis explicata ſunt quæſt.2.

Confirmatur *Tertiò* : quòd certum ſit D. Thomam aliud exigere præter præparationem cauſarum , ut meritò dici poſſit , Deum in natura ſine voluntate operari : Ergo ea efficacia virtutis Divinæ, ex qua cauſæ ſecundæ operatio oritur , & quidem infallibiliter oritur , alia eſſe debet ab ea præparatione cauſarum . Conſequentia ipſa clamat ſe legitimam eſſe . Antecedens verò quæcumque hactenus dicta ſunt , evidentiſſimè probant. Et quidem ipſe Sanctus Thomas celebri illa quæſt.3. de potent,art.7. expreſsè dixit , virtutem quidem activam cujuſque cauſæ ſufficere ut agat in ſuo ordine : attamen requiri præterea aliud, ſcilicet Divinam motionem . Etenim primo Argumento ſtatim ſibi objicit : *Natura neque deficit in neceſſariis , neque abundat in ſuperfluis : Sed ad actionem naturalem ſufficit virtus activa ex parte agentis,& paſsiva ex parte recipientis:Ergo non requiritur virtus Divina in rebus operans* . En ſanè præparationem cauſarum . Quid enim aliud eſſe poſſet cauſam præparari , niſi conferri cauſæ virtutem qua agat , ſubjectumque actionis præparatum ac diſpoſitum eſſe ?

Idem fermè ibid. Argumento quinto ſibi objicit S. Thomas . *Quandocumque Deus aliquam naturam inſtituit,ex hoc ipſo dat ei omnia illa quæ ſunt de ratione illius naturæ:ſicut ex hoc ipſo quòd facit hominem,dat ei animam rationalem : Sed de ratione virtutis eſt , quòd ſit principium agendi , cùm virtus ſit ultimum potentiæ ; quæ eſt principium agendi in alio ſecundùm quòd eſt aliud,ut dicitur* 5. *Metaphyſ. Ergo ex hoc ipſo quòd virtutes naturales rebus indidit,dedit eis quòd operationes ſuas naturales perficerent . Non ergo oportet quòd ulteriùs in rebus naturalibus operetur*.En iterum eam præparationem cauſarum , & duplex Argumentum quo probari poſſet,Deum non alia ratione operari effectus cauſarum , niſi quia cauſis virtutem agendi contulit: quod ſane idem eſt,ac efficaciam voluntatis Divinæ in eo poſitam eſſe,quòd cauſas præparaverit . Verùm

Reſpondet S. Thomas ad 1. : *Quòd virtus activa , & paſsiva rei naturalis ſufficit ad agendum in ordine ſuo,requiritur tamen virtus Divina,ratione jam dicta*:ſcilicet in corpore Articuli , ex dependentia , & ſubordinatione cauſarum .

Reſpondet iterum , & explicat magis hanc ſolutionem ad quintum. *Dicendum,quòd de ratione virtutis inferioris eſt , quòd ſit aliquomodo operationis principium in ſuo ordine , ideſt , ut agat ut inſtrumentum ſuperioris virtutis . Unde excluſa ſuperiori virtute inferior virtus operationem non habet* : Ergo manifeſtiſſimè ex S. Thoma præter præparationem cauſarum , & præter eam virtutem activam in inſtitutione naturæ collatam , alteram virtutem impreſſam exigit , qua Deus intelligi poſſit , actu in natura operante operari . Quod idem magis deinde confirmat .

Reſponſione ad ſeptimùm ubi explicat quæ ſit illa virtus impreſſa , his verbis : *Quod a Deo fit in re naturali quo actualiter agat , eſt ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum , per modum quo colores ſunt in aëre , & virtus artis in inſtrumento artificis* : Ergo efficacia Divinæ voluntatis qua operatur in rebus creatis , alia eſſe debet præter præparationem cauſarum , & collationem virtutis activæ , quæ vel neceſſariò , vel contingenter agat .

Dices , eſſe quidem virtutem ſuperadditam , ſed eam non aliam eſſe præter motum indifferentem , indeterminatum , & defectibilem,quo Deus cauſas ſecundas movet . Verùm de ea motionis indifferentia multa diximus . Et ſanè inprimis textus ipſe reclamat , ſiquidem expreſsè inquit S. Thomas eo art.7. quæſt. 3. de potent. quòd ea motio Divina eſt ipſa *Applicatio virtutis ad actionem ; ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ad incidendum movendo ipſum* . Quommodo autem fieri unquam poſſit,indifferenti motu certam ac determinatam inciſionem fieri , aut alicujus inſtrumenti v. g. penicilli motu indifferenter ducti elegans opus ſummaque arte elaboratum fieri ? Et motum quidem ut in cauſa receptum aliquo pacto indifferentem eſſe intelligi poſſe,ultrò ſuprà conceſſimus : at verò motum ut ſubſtat regulis artis in inſtrumentis , ipſamque motionem Divinam , ſeu ipſum motum ut à Deo deſcendit , indeterminatum eſſe ſuſpenſum aç indifferentem

planè repugnat : cùm neceſsè ſit ferre ſecum, ac veluti Deus agentis intentionem involuere, quam indeterminatam, & incertam, eſſe neſcio quis unquam ſuadere poſſet.

Sed Præterea quis unquam iſta intelligat? Jungat hæc quiſquis potuerit: ſummam eſſe efficaciam Divinæ voluntatis, parem eſſe infallibilitatem effectus, & tamen poſitam eſſe efficaciam Divinæ voluntatis in eo quòd cauſis ſecundis motum tribuat indifferentem, indeterminatum, defectibilem, & fallibilem. Quo pacto enim ex indifferenti, ac indeterminata motione infallibiliter operatio oriri poſſet? injuriam dubio procul S. Thomæ inferret, quiſquis exiſtimaret iſta nos Angelicum Doctorem docere voluiſſe.

Confirmatur *Quartò*: quòd hic recurri non poſſit ad eam coacervationem cauſarum quæ ſe ſe invicem juvat, & quarum una ſemper præſto eſt ad defectum alterius reparandum. Hic enim concurſus cauſarum ad tertium caput pertinet, ſcilicet *divinæ ſapientiæ diſpoſitionem*; quod omnino tanquam diverſum caput diſtinguit Sanctus Thomas, ex quo infallibilitas effectuum oriatur: Ergo neceſſe eſt quòd ex ſola *efficacia Divinæ voluntatis*, infallibilitatem effectus, & certitudinē providentiæ Divinæ oriri, intelligatur: Atqui impoſſibile eſt, ita & explicari, & intelligi, ſi illa efficacia Divinæ voluntatis poſita ſit in eo quòd cauſas ſecundas præparavit, vel motum indifferentem aliquem, & defectibilem contulerit: Ergo neceſſe eſt alio pacto intelligi; infallibilitatem ſcilicet oriri ex ipſa Divinæ voluntatis, & omnipotentiæ efficacia, quæ ipſa ſua vi efficit, ut cauſa quælibet ſecunda infallibiliter, & contingenter, voluntas autem & infallibiliter, & liberè operetur. Iterum

Confirmatur *Quintò*: quòd intelligere non potuerit D. Thomas ex *efficacia Divinæ voluntatis* oriri infallibilitatem effectuum quoquo modo, & veluti in communi: nimirum quòd cùm præparaverit cauſas defectibiles, infallibiliter effectus aliquis defectibilis, & contingens & liber oriatur; quamvis ex alio deinde capite accidat, quòd hic determinatus effectus hic & nunc infalllibiliter producatur, ſcilicet ex concurſu aliarum cauſarum, quæ cauſam propriam effectus producendi aut juvant, aut circumſtant, & muniunt, ne altera cauſa ipſi impedimento ſit. Contrà enim iterum apertiſſimè reclamat ipſe S. Thomæ contextus: cùm enim ait S. Doctor, quod *Tria ſunt quæ Providentiæ certitudinem præſtare videntur*, ſcilicet *infallibilitas Divinæ Præſcientiæ, efficacia Divinæ voluntatis, & ſapientia Divinæ diſpoſitionis*; evidentiſſimè intelligit de infallibilitate effectus, non ſolum in communi, ſed etiam in particulari. Cur hæc planta v. g. in hoc momento infallibiliter, & tamen contingenter agat, & florem emittat: cur D. Paulus in hoc momento infallibiliter, & tamen liberè convertatur; & quæ cauſa ſit quæ adeò utrumque effectum certum efficiat, ut quamvis, & contingens & liber ſit, Divina tamen Providentia falli non poſſit. Et contendit S. Thomas, præter infallibilitatem Providentiæ Divinæ de qua nemo dubitat; præter infallibilitatem diſpoſitionis Divinæ Sapientiæ ex concurſu cauſarum, etiam eandem infallibilitatem, & certitudinem oriri ex ſola efficacia Divinæ voluntatis.

Confirmatur *Sextò*: vel enim oritur infallibilitas effectus ex cauſalitate Divinæ voluntatis ſimul, & ex diſpoſitione cauſarum, vel oritur ſolùm ex cauſarum diſpoſitione? Si primum: quæ cauſa fuit cur ſe ſe Joſephus à communi ſententia ſejungeret, ſi reipſa idem cum aliis ipſe ſentiat? Ita enim cæteri ſentiunt. Si verò ſecundum: quid efficit illa motio potiſſimùm indifferens, aut quid juvat ad infallibilitatem effectus conſequendam? Perinde enim ex diſpoſitione cauſarum oriretur effectus infallibilis, etiam ſi nulla eſſet ea motio. Nulla igitur cauſa eſſet admittendi Divinam motionem ad infallibilitatem effectus adſtruendam: neque efficacia Divinæ motionis cauſa eſſet, ſaltem per ſe immediata, & proxima infallibilitatis effectus. Atqui tamen id omnino falſum eſt: cùm centies D. Thomas infallibilitatem effectus revocet ad immobilitatem Divinæ motionis: & expreſsè dixerit, *Quòd Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam Divinæ virtutis, quæ deficere non poteſt.* Vides an virtus, & motio quæ deficere non poteſt indifferens, & defectibilis ſit? At verò mirum in modum hæc in noſtra veraque ſententia conſentiunt, qua admittitur ex duplici capite infallibilitatem effectus oriri: ſcilicet ex diſpoſitione cauſarum, ſed & maximè ex ea cauſalitate Divinæ voluntatis, ad quam revocatur efficacia Divinæ motionis: quæ tamen Divina motio ad diſpoſitionem cauſarum, & ordinem Divinæ ſapientiæ, ut ſatis conſtat, revocari non poteſt. Unde in ea Joſephi ſententia planè inutilis eſſet Divina motio ad infallibilitatem effectus conſequendam, aut ea ſaltem immediata hujus cauſa dici non poſſet: quod apertè D. Thomæ ſententiæ adverſatur.

Confirmatur *Septimò*, impugnando quod à Joſepho dictum eſt, quodque veluti fundamentum ſupponit, cui ſuam ſententiam ſuperſtruit: ſcilicet, omnem cauſam ſecundam naturalem, niſi impediatur, naturaliter agere, atque adeò non altero opus eſſe, niſi ut ea cauſa muniatur concurſu aliarum ſecundarum cauſarum, quæ ipſam imperturbatam relinquant, aut impedimenta omnia ab ipſa amoveant; neque requiri aliam virtutem ſuperadditam, qua ad agendum infallibiliter applicetur, & determinetur: Atqui id recta fronte pugnat cum D. Thomæ ſententia; & fundamentum iſtud diruit, ac penitus convellit ipſe Angelicus Doctor. Etenim præfata q. 3. de potent. art. 7. argument. 8. ita ſibi objicit. *Poſita cauſa ex neceſſitate naturæ agente ſequitur ejus actio, niſi per accidens impediatur, eò quòd natura eſt determinata ad unum: ſi ergo calor ignis agit ex neceſſitate naturæ. Ergo poſito calore ſequi-*

tur

tur Calefactio, nec requiritur aliqua virtus ſuperior agens in ipſo.

En planè ipſius Joſephi ſententiæ fundamentum, ſcilicet cauſam naturalem non impeditam agere, nec aliud ut agat requiri, niſi ut impedimenta amoveantur.

Verùm reſpondet S. Thomas, breviſſimè quidem, ſed profundiſſimè: *Dicendum*, inquit, *quòd neceſſitas naturæ per quam calor agit, conſtituitur ex ordine omnium cauſarum præcedentium. Unde non excluditur virtus cauſæ primæ.* Profundiſſimè ſanè: ex ſubordinatione, & dependentia cauſarum inferiorum à ſuperioribus, etiam dependentiam omnium cauſarum à prima infert S. Thomas. Et verò *ea neceſſitas naturæ*, quam hìc vocat S. Doctor, non alia eſſe videtur præter eam *immobilem rebus à Deo impreſſam diſpoſitionem*, ut Boëtius nuncupat, *& cauſarum ſeriem*, ut D. Auguſtinus loquitur: quæ omnia Fati nomine intelligi poſſunt, ut explicat S. Thomas 1. par. quæſt. 116. art. 2. his verbis. *Reſpondeo, dicendum quòd ſicut ex prædictis patet, Divina Providentia per cauſas medias ſuos effectus exequitur. Poteſt ergo ipſa ordinatio effectuum dupliciter conſiderari, uno modo ſecundum quòd eſt in ipſo Deo, & ſic ipſa ordinatio effectuum vocatur providētia. Secundùm verò quòd prædicta ordinatio conſideratur in mediis cauſis à Deo ordinatis ad aliquos effectus producēdos, ſic habet rationē Fati: & hoc eſt quod Boetius dicit 4. de Conſolat. „ſivè famulantibus quibuſdā Providētiæ Divinæ ſpiritibus, Fatum exercetur: ſeù anima, ſeù tota inſerviente natura, ſivè cæleſtibus ſyderū motibus, ſeù Angelica virtute, ſeù dæmonum varia ſolertia, ſeù aliquibus eorum, ſeù omnibus, fatalis ſeries texitur „. Sic ergo eſt manifeſtum, quòd Fatum eſt in ipſis cauſis creatis, in quantū ſunt ordinatæ à Deo ad effectus producendos.* Ea igitur eſt naturæ neceſſitas, quæ cauſarum omnium ſerie, & connexione conſtituitur. Atqui inter omnes cauſas primam ſupremam eſſe, & primum locum tenere neceſſe eſt, à qua cæteræ omnes dependeant. Unde etiam omnium neceſſitas, ſtabilitas, ac in agendo infallibilitas oriatur, non propter ſolam ipſarum cauſarum diſpoſitionem, ſed potiſſimùm ex ipſa Providentia Divina, Divinæque Omnipotentiæ efficacia. Unde inquit Sanctus Thomas art. 3. *Quòd diſpoſitio cauſarum ſecundarum, quam Fatum dicimus, poteſt dupliciter conſiderari: uno modo ſecundùm ipſas cauſas ſecundas, quæ ſic diſponuntur ſeù ordinantur: alio modo per relationem ad primū principium, à quo ordinātur, ſcilicet Deum.* Atque ex eo dnplici reſpectu obſervat S. Thomas, olim Veteres in duplicem extremam partem abiiſſe, cùm utramque ſatis conjungi poſſe non intelligerent. *Quidam poſuerunt ipſam ſeriem, ſeù diſpoſitionem cauſarum eſſe ſecundùm ſe neceſſariam, ita quòd omnia ex neceſſitate contingerent, propter hoc quòd quilibet effectus habet cauſam, & poſita cauſa neceſſe eſt effectum poni*: potiſſimùm verò poſita cauſa prima, cujus in agendo immobilem eſſe potentiam non dubitabant. Unde ex ea immobili Divinæ Providentiæ diſpoſitione omnia immobiliter, & neceſſariò eventura exiſtimabant. Atque eadem ferè eorum exiſtimatio eſſe videtùr, qui ſolius Divinæ Omnipotentiæ rationem habent, prætermiſſa ea ſuavitate, quæ omnia conſentaneè ad eorum naturam adminiſtrat: unde voluntati creatæ Divina motione neceſſitatem imponi arbitrantur. *At verò alii è contrario poſuerunt Fatum eſſe mobile, etiam ſecundùm quod à Divina Providentia dependet: Unde Ægyptii dicebant, quibuſdam Sacrificiis Fatum poſſe mutari, ut Gregorius Nyſſenus dicit*: cui ex parte videtur eſſe ſimile, quod dicitur eam motionem planè verſatilem eſſe, & mobilem, etiam ut à Deo deſcendit; & quod etiam aliquando à quibuſdam dictum eſt, ipſam Divinam Omnipotentiam voluntati creatæ ſubjectam eſſe: etſi tamen aliunde Divinam Providentiam, nec mutari nec falli poſſe ſentirent, ea ſcilicet ratione; quòd jam Præſcientia Divina exploraverit, quid ipſa voluntas creata volitura ſit, dubia alioquin, ne ſi quid inconſulta inclinatione voluntatis creatæ, Divina voluntas ſtatueret: forſitan voluntas creata non probaret, ſed reſpueret.

Verùm hæc omnia rejicit S. Thomas, ſtatuitque *Dicendum: quòd Fatum ſecundùm cōſiderationem cauſarum ſecundarum, mobile eſt; ſed ſecundùm quòd ſubeſt Divinæ Providentiæ, immobilitatem ſortitur; non quidem abſolutæ neceſſitatis, ſed conditionatæ: ſecundùm quòd dicimus, hanc conditionalem eſſe veram vel neceſſariam, ſi Deus præſcivit hoc, futurum erit. Unde cùm Boëtius dixiſſet, Fati ſeriem eſſe mobilem, poſt pauca ſubdit: quæ cùm ab immobilis providentiæ proficiſcatur exordiis, ipſam quoque immutabilem eſſe neceſſe eſt.*

Igitur ex D. Thoma, ea neceſſitas naturæ, & cauſarum omnium diſpoſitio ex Divina Providentia oritur, quæ mobilem quidem in rebus ordinem conſtituit, conſtantem tamen, ut Divinæ Providentiæ ſubeſt etiam immobili.

Atque idem eſt quod aliàs ex S. Doctore retulimus, 6. metaphyſ. lib. 3. *Invenitur uniuſcujuſque effectus ſecundùm quòd eſt ſub ordine Providentiæ, neceſſitatem habere, ex quo contingit quòd hæc conditionalis eſt vera, ſi aliquid eſt à Deo præviſum, hoc erit: ſecundùm autem quòd effectus aliquis conſideratur ſub ordine cauſæ proximæ, ſic non omnis effectus eſt neceſſarius, ſed quidam neceſſarius, & quidā contingens, ſecundùm analogiam ſuæ cauſæ. Effectus enim in ſuis naturis ſimilantur ſuis cauſis proximis, non autem remotis, ad quarum conditionem non pertingunt*; à quibus tamen aliquid participant.

Ex quibus omnibus conſtat: in primis, ut toties obſervavimus, hæc duo ſemper jungenda eſſe, ſcilicet infallibilitatem effectus, prout cauſa ſecunda à prima, & voluntas creata dependet à Deo, ab eoque applicatur, & movetur; & contingentiam, ac libertatem effectus, ut prima cauſa ſecundam conſentaneè ad ejus conditionem applicat, & movet: ut ex uno dictum ſit

agere

agere fortiter, ex altero autem agere suaviter: ac deinde quòd quantumvis causa secunda in suo ordine constituta sit, suis facultatibus instructa, & vi agendi prædita necessariò agat, nihilominùs moveri, & applicari à causa prima debeat, à qua hoc ipsum habet, quòd necessariò agat; immò cujus vi, & efficacia ipsa causæ secundæ actio firmatur, & stabilitur: quia ut egregiè à S. Thoma dictum est: *Actiones omnium secundorum agentium fundãtur super actionem primi agẽtis, quæ cùm sit una communiter omnes firmat.* in 3. dist. 23. quæst. 3. art. 1.

Plurima alia ejusmodi referri iterum possent ex S. Thoma, cùm nullus locus sit, ubi de ea re pertractat, qui plura nobis non suppeditet. Sed satis multa à nobis dicta sunt, ex quibus ea quæ hìc deesse possint desumi poterunt. Fusè enim probatum est suprà, infallibilitatem motionis, & gratiæ cum libertate voluntatis creatæ posse conjungi, atque iterum infallibilitatem, & efficaciam motionis, & gratiæ oriri ex Divina Omnipotentia. Quibus addi potest, quòd si D. Thomas causarum secundarum concursum advocaverit, ut Divinæ gratiæ efficaciam cum libertate creata conjungeret; non minùs tamen sed magis, & ut ad principalem causam, ad Divinam Omnipotentiam refert. Quòd enim voluntas creata liberè velit, hoc inquit, *facit sua Omnipotentia Deus*. Videnda etiam quæ primo Tomo diximus, ubi ex D. Augustini sententia omnium causarum subordinatio probata est: in qua serie causarum Ciceronem non reposuisse primam omnium causam observat, unde ipsi errandi occasio fuit.

ARTICULUS V.

Infallibilitatem effectus oriri ex ordinatione Sapientiæ Divinæ, & dispositione Causarum.

HIc præcipuus locus est, ubi se plurimùm à cæteris omnibus D. Thomæ Discipulis abesse, & novum aliquid reperisse Josephus arbitratur: cùm tamen reipsà nihil habeat, quod etiam alii non sentiant: quamvis tamen in eo parùm immorentur, quòd revera difficultatem de qua agitur, non attingat.

Sed tamen in primis observari velim non fuisse quòd sibi tantoperè Josephus applauderet, & comprimi potest ea gloriatio, quòd si quæ in ea explicatione laus esse possit, eam ipsi Durandus pluribus sæculis antiquior præripuerit: eundem enim infallibilitatem Divinæ Scientiæ explicandi modum in terminis olim Durandus expresserat, à quo Josephus eum desumpsisse videri possit, & quem forsitan Durandus eò libentiùs amplexus fuerat, quòd eum S. Thomæ sententiæ adversum licet falsò existimaret, aut quòd eo rariùs D. Tho. usus fuisset. Dictum enim est sæpius à D. Tho. & tanquam certum principium usurpatum, quòd futurum contingens, ut futurum contingens nunquam certò cognosci possit etiam à Deo. At contra reponit Durandus arguitque, quòd futurum contingens certò cognosci possit, cùm etiam possit infallibiliter oriri: etenim necesse est, inquit, quòd ex causa contingente, si impedita non fuerit, effectus infallibiliter oriatur. Cùm autem à Deo ob infinitam ipsius scientiam, quæ omnium causarum dispositiones quæ fingi unquam possunt, comprehendit, causæ omnes quæ vel impedire, vel juvare possunt effectus productionem, cognoscantur: inde, inquit, necesse est, quòd cognita à Deo causa impedibili, cognitisque omnibus, quæ causam vel impedire vel juvare possunt, certò & infallibiliter à Deo cognoscatur, quis effectus oriturus sit. Sed præstat ipsum Durandum audire; multò enim feliciùs, & apertiùs seipsum explicat, quàm sese Josephus explicuerit, cui parùm hanc dotem perspicuæ dictionis natura contulerat. Ita verò habet Durandus in 1. dist. 38. quæst. 3. num. 9. *Sicut ex causa necessaria sequitur effectus necessarius infallibiliter, sic ex causa impedibili, determinata ad unum, si non sit impedita, sequitur effectus contingens infallibiliter, nisi quòd hæc infallibilitas est ex suppositione, prima autem est secundùm se, & absolutè: & eodem modo à causa indifferente, & impedibili, si determinetur, & non impediatur, sequitur suus effectus proprius infallibiliter. Igitur sicut in causa necessaria præcognoscitur effectus necessarius certa cognitione, sic cognita causa impedibili, & omnibus quæ eam impedire possunt, & insuper quæ eam impedient, vel non impedient, certitudinaliter potest cognosci quis effectus veniet, vel nõ veniet; & similiter cognita causa indifferente, & impedibili, si cum ea cognoscantur omnia, quæ eam determinare possunt, & determinabunt, & omnia quæ eam impedire possunt, & quæ impedient, vel non impedient; potest infallibiliter cognosci quis effectus veniet: nunc autem Deus non solùm cognoscit causam contingentem in se, & absolutè; quia sic in ea, vel per eam non cognosceretur infallibiliter aliquis effectus nisi tantùm conjectura probabili, sed cognoscit omnia, quæ eam determinare possunt, & quæ determinabunt: insuper cognoscit omnia, quæ eam impedire possunt, & quæ impedient vel non impedient: Ergo Deus in causa cõtingente sic cognita, potest certitudinaliter cognoscere effectum futurum contingentem.* Hæc Durandus. Cui ibidem Capreolus eadem dist. quæst. 1. art. 2. Cajetanus in 1. par. quæst. 14. art. 13. & Ferrariensis 1. cont. Gent. cap. 67. Respondent ea parte, quâ hic explicandi modus adversus Divi Thomæ sententiæ videri potest, de quo nos postea dicemus. Sed inde satis liquet, Josephum causam gloriandi nullam habuisse, cùm in illo explicandi modo, si quæ laus esse possit, eam ipsi Durandus præripuerit.

Sed preterea observandum est, non minùs de-

deceptum fuiſſe Joſephum, quòd eum explicandi modum communi Diſcipulorum D. Thomæ ſententiæ adverſum exiſtimaverit, quàm deceptus olim fuerit Durandus, quòd ſtabilita à S. Thoma principia ea obſervatione, & veluti eo ſyſtemate conſtituto ſe ſe evertere putaverit: neque enim id unquam à S. Doctore negatum eſt: quin etiam quàm frequentiſſimè ndem infallibilitatem Divinæ Scientiæ circa futura contingentia explicuit, & admiſit S. Thomas, ex eodem capite, quòd ſcilicet Deus cauſarum omnium ſeriem cognoſcat, à quibus effectus producendus impediri poſſet. Etenim 1. cont. Gent. cap. 67. *quod Deus cognoſcit ſingularia contingentia futura*, inter alia quamplurima, ita num. 3. expreſsè inquit. *Sicut ex cauſa ſequitur effectus certitudinaliter, ita ex cauſa contingenti completa, ſi non impediatur: ſed cùm Deus cognoſcat omnia, ſcit non ſolùm cauſas contingentium, ſed etiam ea, quibus poſſunt impediri: ſcit igitur per certitudinem, an contingentia ſint vel non ſint.*

En igitur eandem planè à D. Thoma ſtatutam Divinę Scientię infallibilitatem, & ex ea univerſalitate, qua Deus cauſas omnes complectitur, expreſſam. Quid igitur à S. Thoma negatum eſt? hoc unum, ſcilicet, futurum contingens, ut futurum contingens, id eſt, ex cauſis indeterminatis poſſe unquam certò cognoſci. Quod ſi effectus in ſe ſe futurus, per ordinem ad Divinam ſcientiam decreto determinatam, vel ut præſens, vel ut neceſſarius, licet ex ſuppoſitione, ſumatur; nihil vetat, quinimò neceſse eſt cognoſci à Deo. At verò cùm intelligitur eſse effectus in cauſa determinata, & non impedita, intelligitur non ut futurus, ſed præſens; intelligitur non ut contingens, ſed ut neceſsarius, licèt ex ſuppoſitione ſolùm quòd cauſa impedita non fuerit. Atque eo pacto reſpondent Durando antiquiores Thomiſtę. Et ex eodem S. Thoma eodem cap. 67. lib. 1. cont. Gent. utriuſque obſervationis fundamentum deſumptum eſt. Etenim num. 1. ſtatim primę obſervationis fundamentum ita conſtituit. *Contingens* inquit *certitudini cognitionis non repugnat, niſi ſecundùm quòd futurum eſt, non autem ſecundùm quòd præſens eſt.* At verò effectus ut eſt in cauſa completa determinata non impedita, jam præſens eſt, non futurus, quia ſi cauſa completa eſt, & non impedita, ſtatim agit. Unde certò cognoſcitur à Deo. Deinde num. 2. alteram obſervationem expreſsè habet, his verbis: *Contingens à neceſſario differt, ſecundùm quòd contingens ſic in ſua cauſa eſt, ut non eſſe ex ea poſſit, & eſſe: neceſſarium autem ex ſua cauſa non poteſt non eſſe.* At verò cùm in ſua cauſa completa, determinata, & non impedita, eſse intelligitur, tunc etiam intelligitur, non ut contingens, ſed ut neceſsariò futurum, licèt ex ſuppoſitione, quòd cauſa & completa, & non impedita ſit. Igitur nihil vetat, quin etiam neceſse eſt, ipſum effectum certò cognoſci à Deo.

Hęc omnia in ipſo S. Thoma legere Durandus potuerat, niſi à Magiſtro recedendi cauſas quęſiiſſet, non erat cùr D. Thomam impugnaſſet. Idem etiam de Joſepho dicendum erga cæteros ejuſdem S. Doctoris Scholæ Diſcipulos. Quòd ſcilicet niſi Joſephus cauſas diſſidii ſponte quæſiiſſet, non erat cur à communi Thomiſtarum ſententia recederet: neque enim ullus, quòd ſciam, eam infallibilitatem ex ordine Divinæ Providentiæ ortam, unquam negavit, neque etiam de ea unqnam difficultas mota, & excitata eſt; ſed hic ſolùm vindice ſemper ſivè nodus dignus fuit, cui ſolvendo cæteri S. Thomæ Diſcipuli immorantur; Utrum ſcilicet ad ſingulos actus Divinæ gratiæ motio infallibilem ordinem, ac connexionem habeat: v. g. cùm D. Paulus converſus eſt, & grandi voce loquentis Chriſti dejectus; utrùm ea gratia quam efficaciſſimam S. Auguſtinus vocat, ipſa ſua efficacia obſtinati pectoris duritiem fregerit, an verò ex ejus voluntate, & conſenſu ſuſpenſa fuerit? utrùm in quolibet effectu, cùm ignis v. g. calefacit, ea Divina motio quæ ignem movet, & applicat, ſua ipſa vi calefactionem efficiat, & quantùm, & quandiù Divina motio ignem applicatum tenuerit: an verò nulla ſit motio impreſſa, ſed ſatis ipſa virtus nativa calefactiva, quam nulla alia circumſtans, & adverſans cauſa impediat, adſitque ſimultaneus concurſus; quæ eſt Recentiorum extra D. Thomæ Scholam ſententia. Nam alioquin quòd Divina voluntas, Divinaque Providentia, ut cauſa univerſaliſſima, quæ cauſas omnes ambit; & complectitur, eas ita diſponat, & in eo veluti choro, & ut Philo loquitur, in ea Chorea quàm Verbum Divinum in Orbe agit, quælibet ſuas partes habeat, ſuamque ſtationem ſervet, ut ſi una deficit, altera in ejus ſubſidium, & in ejus locum veniat, nihilque poſſit ab eo univerſaliſſimo ordine ſe ſe ſubducere; quis negavit unquam, aut cui etiam, ut negaret in metem venit, cùm res apertiſſima ſit? Sed explicata jam communi ſententia: hæc etiam explicanda eſt, ſcilicet ex diſpoſitione cauſarum, & ordinatione Divinæ Sapientiæ infallibilitatem effectuum oriri.

Probatur itaque: quòd etiam eam ſententiam adeò expreſsè S. Thomas docuerit, ut de illius mente dubitari nulla ratione poſſit. Etenim Opuſ. 2. cap. 140. ſic habet. *Si hoc per Providentiam hominis fieri poteſt, ut cauſa quæ deficere poteſt ab effectu, ſic ferat auxilium, ut interdum indeficienter ſequatur effectus; ſicut patet in Medico ſanante, & in vineæ cultore contra ſterilitatē vitis adhibendo remediū; multò magis hoc ex ſapientia Divinæ diſpoſitionis contingit, ut quamvis cauſæ contingentes deficere poſſint, tamen quibuſdā adminiculis adhibitis indeficienter ſequatur effectus; quod ejus cōtingentiam non tollit.* Hæc D. Thomas, à quo nihil prætermiſſum eſt, quod difficultates theologicas explanare poſſet: & cùm hic etiam explicandi modus uſum aliquem habere poſſit, & inde facilius explicari forſitan poſſit concordia libertatis cum Divina motione à D. Thoma, prætermiſſus non eſt: cùm alioquin palàm ſit

pertinere ad Divinam Providentiam, quæ ad effectus producendos varie causas disponit, ex qua dispositione etiam infallibilitas effectuum oritur; unde & canit Ecclesia, *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur*. Igitur

Probatur hæc infallibilitas effectuum ex dispositione causarum orta: In primis ratione S. Thomæ, quam superiùs retulimus ex lib. 1. cont. Gent. cap. 67. ubi probat, à Deo certò, & infallibiliter cognosci singularia contingentia futura; & quam rationem paululùm inflectemus ut ea infallibilitas contingentium futurorum possit inde colligi. Sic igitur habet.

Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter, ita ex causa cõtingenti completa, si non impediatur: *Sed cùm Deus cognoscat*, & ordinet *omnia, scit etiam*, & ordinat *ea quibus possint impediri*, vel non impediri: *scit igitur per certitudinem an contingentia sint* oritura, *vel non sint* oritura, & quòd ipsa etiam contingentia certò, & infallibiliter oritura sunt si non impediantur, & non oritura si impediantur. Sicut v. g. ut hoc exemplum addatur, Deus certò sciebat, nullam fœminam esse parituram in domo Abimelech, *quarum concluserat vulvam propter Saram uxorem Abrahæ* Genes. 20. & econtrà cæteras fœminas quas non impediebat, esse parituras. Etenim fœcundæ sunt causæ omnes, ac veluti gravidæ seminibus, quæ à Deo rebus omnibus veluti injecta sunt, & quibuscum creatus est Mundus; ut liquet ex Sancto Augustino lib. 5. de genesi ad literam, potissimùm cap. ultimo, ac alibi sæpiùs, quem explicat S. Thomas 1. par. quæst. 115. art. 1.

Major duplicem partem habet, scilicet ex causa contingenti effectum infallibiliter oriri, primò si causa *completa sit*, & secundò *si non sit impedita*. Atque utramque probat D. Thomas multis in locis: ac in primis, *quòd posita causa sufficienti*, seu completa, necesse sit effectum poni; ita probat 2. cont. Gent. cap. 32. *Si enim*, inquit, *adhuc posita causa non necesse est effectum poni, possibile igitur erit causa posita effectum esse, & non esse: consecutio igitur effectus ad causam erit possibilis tantùm: quod autem est possibile indiget aliquo quo reducatur in actum; oportebit igitur ponere aliquã causam, qua fiat ut effectus reducatur in actum. & sic hæc prima causa non erat sufficiens*. Ergo si causa supponatur esse sufficiens, & completa, quamvis contingens sit, necesse est, ut ex ea necessariò sed infallibiliter effectus consequatur. Atque ea definitio causæ; scilicet *causam esse ex qua de necessitate sequitur effectus*, ab Avicenna rectè quidem tradita est; sed ea abutebatur, ut refert S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 86. ut probaret: *Impossibile esse quòd si totus ordo cælestium corporum simul accipiatur, quòd effectus ejus unquam cassetur*: quia cùm Cælum sit causa completa, necesse est ut ex necessitate sequatur effectus: *Quod si quando effectus impediatur, oportet quòd hoc sit per aliquam causam voluntariam, vel naturalem: omnis autem causa vel naturalis vel voluntaria reducitur ad aliquod cæleste principiũ: Ergo impedimentum effectuum cælestium corporum procedit ex aliquibus cælestibus principiis. Impossibile est ergo quòd si totus ordo cælestium corporum simul accipiatur, quòd effectus ejus unquam cassetur*. Unde concludebat, necessariò omnia evenire. Atque eadem erat ratio, addit S. Thomas, quorundam Antiquorum, ut refert Aristoteles in 2. physicor. à quibus negabatur, casum esse & fortunam: quam tamen rationem solvit Aristoteles in Metaphys. De quibus omnibus videndus D. Thomas locis citatis 3. cont. Gent. 2. Physic. & 6. Metaphys. & nos statim aliqua referemus.

Alteram verò ejusdem Majoris partem, debere causam non solùm esse completam, sed etiam non esse impeditam ut infallibiliter effectus consequatur, docet quàm sæpissimè S. Thomas: ac præcipuè 1. 2. quæst. 75. art. 1. ubi cùm inquireret, utrùm peccatum habeat causam? objicit sibi num. 2. *Causa est, quam ex necessitate sequitur aliud* (quæ definitio ex Avicenna desumpta est ut diximus:) *Sed quod est ex necessitate, non videtur esse peccatum, eò quòd omne peccatum est voluntarium: Ergo peccatum non habet causam*. Respondet D. Thomas. *Ad 2. dicendum, quòd si illa definitio causæ debeat verificari, oportet ut intelligatur de causa sufficienti, & non impedita. Contingit enim aliquid esse causam sufficientem alterius, & tamen non ex necessitate sequitur effectus propter aliquod impedimentum superveniens; alioquin sequeretur quòd omnia ex necessitate contingerent, ut patet 6. Metaphys. Sic igitur etsi peccatum habeat causam, non tamẽ sequitur quòd sit necessaria, quia effectus potest impediri*. Hæc ibi. Ubi etiam obiter observari potest, quæ sit causæ sufficientis vera notio: scilicet quæ seipsa vim habet agendi, quamvis aliunde ne agat possit interdum impediri.

Et sanè ut notat etiam idem Sanctus Doctor loco citato, 3. contr. Gent. cap. 86. solvit hac ratione Aristoteles, quod à quibusdam dictum fuerat, necessariò omnia evenire; & quod deinde etiam sua causæ definitione delusus Avicenna existimavit: *Solvit verò* Aristoteles (inquit Sanctus Thomas) *Negando duas propositiones quibus hæc ratio utitur; quarum una est, quòd posita causa quacumque, necesse sit ejus effectum poni: hoc enim non oportet in omnibus causis: quia aliqua causa licèt sit per se, & propria causa sufficiẽs alicujus effectus, potest tamen impediri ex concursu alterius causæ ut non sequatur effectus. Alia propositio est quam negat (Aristoteles) quòd non omne, quod est quocumque modo in Mundo, habet causam per se, sed solùm ea quæ sunt per se: quæ autem sunt per accidens, non habent aliquam causam. &c.* Sicut quòd Musicus sit albus, vel quòd fodiens thesaurũ reperiat &c. *Sic ergo proposito aliquo effectu dicimus; quòd habet causã ex qua non de necessitate sequebatur, quia poterat impediri ex aliqua alia causa cõcurrente per accidẽs: Et licèt illã causã concurrentem oporteat reducere in aliquã causam altiorem, tamen ipsum concursum qui impedit, nõ est*

redu-

reducere in aliquã cauſam (prçter Divinam providentiam quæ omnibus cauſis ſuperior eſt :) *Et ſic non poteſt dici, quòd impedimentũ hujus effectus vel illius, procedit ex aliquo cæleſti principio. Unde non oportet dicere, quòd effectus corporum cæleſtium ex neceſſitate proveniãt in iſtis inferioribus.*

Addit verò multis in locis S. Thomas, quòd attinet ad cauſas liberas, multò potiori ratione ab iis interdum opponi impedimentum effectibus producendis ; cùm non agant ut ſunt ex determinatione naturæ, ſed ut volunt ex poteſtate liberi arbitrii.

Confirmatur : quòd non ſolùm in cauſis naturalibus eam duplicem conditionem D. Thomas requirat ut agant, ſcilicet cauſam eſſe completam, & non eſſe impeditam ; ſed etiam in cauſis liberis. Unde quæſt. 6. de Malo, ubi de libertate electionis agit : cùm ſibi num. 15. idem Argumentum objeciſſet ; quòd cùm voluntas ſit potentia ad oppoſita, oportet quòd *Si voluntas aliquid determinatè vult, ſit aliqua cauſa quæ facit eam hoc velle.* At verò ſubjicit : *Cauſa poſita neceſſè eſt effectum poni, ut Avicenna probat ; quia ſi cauſa poſita adhuc eſſet poſſibile, effectum non eſſe, indigebit adhuc alio reducente de potẽtia in actum, & ſic prima non erat ſufficiens cauſa.* Unde ſic infert Sanctus Thomas, ſibique opponit : *Ergo voluntas ex neceſſitate movetur ad aliquid volendum.*

Verùm reſpondet S. Doctor, id minimè ſequi, quia quantumvis cauſa, & completa, & ſufficiens ſit, poteſt tamen impediri. Unde altera conditio, ut agat neceſſaria eſt, ſcilicet ut non ſit impedita. Ea enim eſt dos voluntatis, ut poſſit ſe ipſam impedire, & aſſenſum cohibere ut libuerit, poſſitque efficere quòd intellectus alterum objectum proponat, quo magìs illa afficiatur. *Dicendum* inquit, *quòd non omnis cauſa ex neceſſitate inducit effectum, etiamſi ſit cauſa ſufficiens, eò quòd cauſa poteſt impediri, ut quandoq ; effectum ſuum non conſequatur, ſicut cauſæ naturales quæ non ex neceſſitate producunt ſuos effectus, ſed ut in pluribus, quia in paucioribus impediũtur. Sic ergo illa cauſa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quòd ex neceſſitate hoc faciat ; quia poteſt per ipsã voluntatem impedimentum preſtari, vel removendo talem conſiderationem quæ inducat eam ad volendum, vel conſiderando oppoſitum, ſcilicet quòd hoc quod proponitur ut bonum, ſecundùm aliquid non eſt bonum.* Hæc ibi. Ubi tamen obiter

Obſervari velim, quòd cùm ex duplici capite probari poſſit, Divina motione non lædi libertatem, *Primò* ex ipſa conditione voluntatis quæ ſub ipſa motione ſe ſe movet, ſervatque propriũ modum agendi ; *Secundò* ex ipſa efficacia Divinæ motionis, quæ voluntatem creatam movet conſentaneè ad ejus naturam : utramque ſolutionem adhibuit S. Thomas eodem Articulo : hanc quidem poſtremam jam in eodem Articulo adhibuerat num. 3. Ubi cùm ſibi objeciſſet, quòd *Si voluntas immobiliter movetur à Deo, ſequitur quòd non habeat liberam electionem* : Et reſponderat, quòd *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas, in quantùm Deus movet proportionaliter unumquodque ſecundùm modum ſuum.*

Hæc quantùm ad efficaciam Divinæ motionis. Et quamvis eâdem ſolutione uti potuiſſet Sanctus Thomas ad ſolvendum ſuperius argumentum, nimirum quòd quamvis poſita movente cauſa ſufficienti neceſſe ſit poni effectum, id tamen intelligendum eſt juxta conditionem cauſæ moventis, quæ & immutabiliter movet propter efficaciam ſuæ virtutis, & tamen libertatem ſervat propter indifferentiam libertatis voluntatis creatæ : attamen cùm eam ſolutionem jam adhibuiſſet, maluit adhibere aliam, in qua ſolius voluntatis rationem habet, quæ ſuo jure movet, & applicat intellectum, ut libet. Unde quamvis ea cauſa completiſſima ſit, quâ voluntas movetur, poteſt tamen impediri à voluntate, quæ ſuo jure utens, intellectum à cogitatione quâ uno modo afficiebatur avertit, & ad alteram cogitationem applicat, quâ alio modo afficiatur. Sicut cùm quis injuriam illatam animo volvit, & ad vindictam inardeſcit ; voluntas intellectum ab ea cogitatione dimovet, ut potiùs de ferenda injuria cogitet : ex qua cogitatione ad manſuetudinem componatur : quæ tamen omnia Divinam motionem ſupponunt, quâ fiat hæc mutatio, & in lenitatem converſio.

Igitur ut ad ſuperiora recurramus, nedum in cauſis neceſſariis, ſed etiam in liberis duplex ea conditio neceſſaria eſt, ut cauſa ex neceſſitate ſeu infallibiliter agat. *Primò*, quòd completa ſit ; & *Secundò*, quòd non ſit impedita.

Major itaque eo ſenſu intellecta, & explicata apertiſſima eſt : eaque ſemel conſtituta jam inſtauranda eſt ratio S. Thomæ. *Sicut ex cauſa neceſſaria ſequitur effectus certitudinaliter ; ita ex cauſa contingenti completa, ſi non impediatur : Sed cùm Deus cognoſcat*, & ordinet *omnia, ſcit etiam* ; & ordinat *ea quibus poſſunt impediri, & non* impediri : *ſcit igitur per certitudinem an contingentia ſint* oritura, *vel non* ſint oritura, & ipſa etiam contingentia certò, & infallibiliter oritura ſunt, ſi non impediantur.

Major, ut Tertulliani verbo utar, plena, & ſatiata varietate jam probata eſt. De minori autem nullum dubium eſſe poteſt : quòd ſcilicet, *Cùm Deus cognoſcat*, & ordinet *omnia, ſciat etiam*, & ordinet *ea quibus cauſæ poſſunt impediri, vel non* impediri. Unde rectè illud conſequitur : Deus *ergo ſcit per certitudinem an contingentia ſint* oritura, *vel non* oritura. Atque adeò etiam effectus omnes ex ipſa diſpoſitione, vel concurſu cauſarum quæ vel agere ſinuntur, vel impediuntur, certò, & infallibiliter, vel oriuntur, vel non oriuntur : quod erat demonſtrandum.

Probatur *Secundò* : Altera D. Thomæ ratione, aut veriùs iis omnibus rationibus quas ita eſt

complexus 1. par. quæst. 19. art. 6. *Utrùm Dei voluntas semper impleatur*, ut vix aliquid aliud addi posse videatur. Unde exscribendus est in primis integer articulus, in quo sanè has dotes conjunctas Lector mirari poterit plenitudinem, brevitatem, profunditatem, & claritatem. Ita igitur habet, cùm jam sibi quædam objecisset.

Sed contra est quod dicitur in Psal. Omnia quæcumque voluit Deus fecit. Deinde

Respondeo dicendum, quòd necesse est voluntatem Dei semper impleri. Ad cujus evidentiam considerandum est, quòd cùm effectus conformetur agenti secundùm suam formam; eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus. In formis autem sic est, quòd licèt aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, tamē à forma universali nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid, quod non est homo, vel vivum, non autē potest esse aliquid quod non sit ens. Unde hoc idem in causis agentibus contingere oportet. Potest enim aliquid fieri extra ordinem alicujus causæ particularis agentis, non autem extra ordinem alicujus causæ universalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur: quia si aliqua causa particularis deficiat à suo effectu, hoc est propter aliquā aliā causam particularem impedientem, quæ cōtinetur sub ordine causæ universalis. Unde effectus ordinem causæ universalis nullo modo potest exire, & hoc etiam patet in corporalibus. Potest enim impediri quòd aliqua stella non inducat suū effectum: sed tamen quicumq; effectus ex causa corporea impediente in rebus corporalibus consequatur, oportet quòd reducatur per aliquas causas medias in universalem virtutem primi Cæli. Cùm igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quòd Divina volūtas suū effectū non cōsequatur. Unde quod recedere videtur à Divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm aliū. Sicut peccator, qui quantùm est in se, recedit à Divina voluntate, peccando, incidit in ordinem Divinæ voluntatis, dum per justitiam punitur. Hactenus S. Thomas. Atque ex iis ita

Probari potest ex universalitate Divinæ Providentiæ. Non potest non infallibiliter effectus oriri à causa universali, quæ causas omnes inferiores ad effectum producendum necessarias, aut utiles ita ordinat, & disponit, ut à nulla impediri possit, quin agat: Atqui Divina Sapientia, Divina Providentia, aut Divina voluntas causa universalis est, quæ causas omnes inferiores ad effectum à se producendum ita ordinat, & disponit: Ergo infallibiliter effectus ex illa Divina dispositione oritur.

Majorem probat S. Thomas ex discrimine quod reperitur inter causam particularem, & universalem. *Potest enim aliquid fieri extra ordinem alicujus causæ particularis*; atq; id contingit sæpiùs, *quòd aliqua causa particularis deficiat à suo effectu*: sed hoc accidit solùm *propter aliquam aliam causam particularem impedientem*, quę non continetur sub ordine causæ particularis: Atqui è contra nulla causa particularis est *extra ordinē causæ universalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur*: Ergo *nunquam effectus extra ordinem causæ universalis potest exire*; sed necesse est, quòd universalis causa, quæ singulares omnes causas ad suum effectum producendum disponit, infallibiliter effectum producat. Atque ejusdem discrimen causam inter particularem, & universalem.

Confirmat *Primò* Sanctus Doctor egregiis, & selectis exemplis. In primis exemplo, & comparatione causarum formalium. Liquet enim quòd *Licèt aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari; tamen à forma universali nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid quod non est homo, vel vivum, non autem potest esse aliquid quod non sit ens*: Atqui *eadem ratio est in causis agentibus, quæ est in causis formalibus*: Ergo licèt effectus aliquis ex ordine particularis causæ se subducere possit, nihil tamen potest ex ordine causæ universalis se se subtrahere, nec potest universalis causa effectum suum non infallibiliter producere.

Confirmat *Secundò* exemplo causarum agentium universalium. *Potest* enim *impediri* exempli gratiâ, *quòd aliqua stella non inducat suum effectū: sed tamen quicūq; effectus ex causa corporea impediente in rebus corporalibus consequatur, oportet quòd reducatur per aliquas causas medias in universalē virtutem primi Cæli*. Nihil enim dubium quin stellæ suos effectus habeant: ut v.g. Canicula omnium stellarum fulgentissima calores inducit maximos ac periculosiores, de qua Plinius lib. 1. c. 4. & ut Boëtius inquit lib. 1. Metr. 5. *Quæ Arcturus semina viderat, Sirius altas urat segetes*. Sirius enim ipsa Canicula est: quāvis & ipsâ experientiâ cōpertū sit, non eosdē semper calores esse, eò quòd Planetarū variis influxibus tēperentur. Cum Saturno enim existimatur excitare pluviam, cum Mercurio ventos, cum Mare æstus augere: quod de aliis stellarū effectibus, qui interdum vel impediuntur, vel temperantur, est dicendum. Cùm tamen quęcūq; sit illa virtus impedientis causæ, necesse est etiā eam reduci in superiorem motum, & causam, scilicet primū Cælum, & intelligentiam motricem, cujus virtuti, & directioni causę omnes particulares subjiciuntur. Ergo quęcumque causa sit particularis, quæ alteram particularem causam impediat, nulla tamen impedire potest universalem causam, quæ omnes complectitur.

Ex quibus omnibus exēplis ita concludit S. Thomas. Unde, *Quod recedere videtur à Divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundùm alium: sicut peccator qui quantùm est in se, recedit à Divina voluntate peccando, incidit in ordinem Divinæ voluntatis, dum per justitiam punitur*. Non secùs ac alibi dixit: cùm quis ab uno Cæli polo recedit, ad alterum propriùs accedat necesse est; quam rationem fusè prosequitur Sanctus Augustinus cap. 100. Enchirid. ubi de Angelo atque homine loquens inquit: *Hoc quippè ipso quòd contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus: propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes*

volun-

voluntates ejus: ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem. Et ut D. Tho. q. 22. de Verit. ar. 7. ad 12. ex Avicenna refert: *Quod est intrà corpus sphæricum quò magis ab una parte circumstantiæ se elongat, eò magis ad alteram appropinquat.*

Confirmatur iterum ex eadem universalitate primæ causæ, quæ cæteras omnes causas complectitur, & disponit pro arbitrio. Atque hanc rationem etiam habet D. Tho. in 1. dist. 47. q. 1. ar. 1. ad 3. ubi eandem quæstionem sicut in prima parte pertractat, *Utrùm Divina voluntas semper efficaciter impleatur?* Ita eam semper impleri demonstrat eodem discrimine, quòd intercedit inter Divinam voluntatem, & quamcumque aliam causam, etiam in ordine inferiori Universalem, cujusmodi est Cælum. Etenim necesse est ut universalis causa, cui causæ omnes quæ ad effectum producendum concurrunt, omninò subjacent; infallibiliter effectum producat: Atqui *Voluntati Divinæ non solùm subjacet expletio effectus, sed etiam omnium causarum præcedentium ordo secũdùm illas conditiones quibus determinatur ad effectus sine defectu, v. g. ut quod talis volens, & merens salutem, salvetur*: Ergo necesse est, quòd Divinæ volũtatis effectus infallibiliter semper oriatur. Egregia sanè ratio. Quo enim pacto intelligi posset impediri effectum nè oriretur, si nedum expletio, & productio effectus, sed etiam omnium causarum ordo, & series, Divinæ voluntati subjiciatur; & omnes ita ex Divina voluntate dispositæ sint, ut ad producendum effectum conducant. Unde

Respondet S. Thomas communi argumento quod sibi objecerat; nimirum, *Omnis causa prima, quæ producit effectum mediante causa secunda, quæ impediri potest, non producit efficaciter effectum suum: sicut virtus Solis est causa pullulationis arborum mediante virtute generativa arboris, quæ deficere potest: unde & effectus efficaciter non producitur, nec demonstrari potest ex causa prima: Sed voluntas Dei est causa prima non excludens secundas quæ deficere possunt: Ergo videtur quòd non efficaciter producat effectum.*

Sed negat paritatem D. Thomas ex latissimo illo discrimine, quod inter voluntatem Divinam universalem simpliciter causam, & Solem intercedit. Non enim subjiciuntur virtuti Solis omnes causæ quæ germinationem plantæ impedire possunt: ut v. g. planta interdum corrumpi potest ex nimiis imbribus, quos Pleiades excitant Veris tempore quo oriuntur; unde & Vergiliæ dictæ sunt: neq; Pleiedum ortum, unde imbres oriuntur, Sol impedire potest. At verò Divinæ voluntati *Omnium causarum præcedentium ordo secundùm illas conditiones quibus determinantur ad effectum, subjacet.* Unde, ut supra ex eodem S. Thoma retulimus, ut apertior fiat comparatio: à causalitate quidem Solis germinatio plantæ subduci potest, altera impediente causa, scilicet causalitate Pleiadum: Atqui à primi mobilis, vel Intelligentiæ motricis virtute, & efficaci ac universalissima causalitate, fors etiam, ut ita dixerim, orituræ plantæ subduci non potest; quia & Sol cujus calore planta foveri potest, & Pleiades quarum imbribus potest corrumpi, primo mobili, primoque moventi, & Intelligentiæ motrici subjiciuntur. Ita planè nihil extra Divinæ voluntatis ordinem exire potest, cùm causæ omnes, & causarum positiones ipsi subjiciantur.

Alterum etiam discrimen addit S. Thomas in 1. ad Annibald. eadem distinctione, unico quidem verbo, sed quòd longissimæ explicationis materiam suppeditare posset, nisi nos jam supra idem discrimen latè prosecuti fuissemus. Proposito enim eodem argumento idem fermè respondet S. Thomas, quod jam jam retulimus. Sed deinde alterum discrimen adjungit. *Vel dicendum*, inquit, *quòd Deus non tantùm est causa mediata, eò quòd coagit cuilibet causæ, sed etiam immediata, eò quòd agit per essentiam suam.* Egregia sanè nec minùs quàm superior responsio, & quæ unica totum penè Josephi à Vita Systema evertit: qui, ut supra retulimus, non aliam, quàm mediatam motionem Dei in causis secundis admittit: eo planè modo quo vel motrix Intelligentia, vel primum mobile v. g. movet res sublunares mediis causis intermediis. At verò inquit S. Thomas, Deus *non tantùm est causa mediata, eò quòd coagit cuilibet causæ, sed etiam immediata, eò quòd agit per essentiam suam.* Unde necesse est ex duplici capite infallibilitatem effectuum derivari, scilicet ex ipsa dispositione causarum secundarum, quæ hujus causæ primæ ordinationi subjiciuntur, secundùm dispositiones quibus ad effectum producendum determinantur: ac præterea ex ea motione, & causalitate Dei immediata, quâ rebus omnibus inexistens, eas omnes ad suos effectus producendos movet: de quo videnda sunt quæ aliàs explicuimus.

Confirmat iterum S. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 94. *De Certitudine Divinæ Providentiæ.* Ubi ex ea dispositione, & ministerio causarum omnium quæ Divinæ Providentiæ obtemperant, atque ejus jussa exequuntur, Divinæ Providentiæ infallibilitatem, & certitudinem deducit. Sed cùm nec paucioribus, nec clarioribus verbis dici à nobis possit, quàm à S. Thoma dictum fuerit, eadem ipsius verba usurpabimus.

Observat igitur, & tanquam immotum fundamentum statuit S. Doctor, *Quòd cùm Deus sit omnium existentium causa, rebus omnibus conferens esse, oportet quòd suæ Providentiæ ordo omnes res complectatur: quibus enim esse largitus est, oportet quòd & conservationem largiatur, & perfectionem in ultimo fine conferat. Cùm autem in quolibet providente duo considerari oporteat, scilicet ordinis præmeditationẽ, & præmeditati ordinis institutionem in rebus, quæ Providentiæ subduntur, quorũ primum ad cognoscitivã virtutem pertinet, aliud verò ad operativam; hoc inter utrãq; differt, quòd in præmeditando ordinẽ tantò est Providentia perfectior, quantò magis usq; ad minima ordo Providentiæ potest produci. Quod enim nos omniũ particula-*

cularium ordinem premeditari non possumus circa ea quæ sunt disponenda à nobis, ex defectu nostræ cognitionis provenit, quæ cuncta singularia cõplecti nõ potest. Tantò autem unusquisque in providendo solertior habetur, quantò plura singularia præmeditari potest. Cujus autem provisio in solis universalibus consisteret, parũ de prudentia participaret. Simile autẽ in omnibus operativis artibus cõsiderari potest: sed in hoc quòd ordo premeditatus rebus imponitur, tantò est dignior, & perfectior providentiâ gubernantis, quantò universalior est, & per plura ministeria suã explicat præmeditationem: quia & ipsa ministeriorum dispositio magnam partem provisi ordinis habet. Oportet autẽ quòd Divina Providentia in summo perfectionis consistat, quia ipse est simpliciter, & universaliter perfectus, ut in primo libro ostensum est. In providendo igitur suæ sapientiæ premeditatione sempiterna omnia ordinat, quantumcumq; minima videantur: quæcumq; verò aliquid operantur, instrumentaliter agunt ab eo mota, & ei obtemperando ministrant ad ordinem Providentiæ ab æterno, ut ita dicam, excogitatum explicandum in rebus. Si autem omnia quæ agere possunt, necesse est, ut in agendo ei ministrent; impossibile est, quòd aliquod agens Divinæ Providentiæ executionem impediat, sibi contrarium agendo. Neque etiam possibile est Divinam Providentiam impediri per defectum alicujus agentis, vel patientis; cùm omnis virtus activa, & passiva sit in rebus secundùm Divinam dispositionem causata. Impossibile est etiã quòd impediatur Divinæ Providentiæ executio per Providentis immutationem, cùm Deus sit omninò immutabilis, ut supra ostensum est. Relinquitur ergo quòd Divina provisio omninò cassari non potest.

Aurea planè verba, atq; infinitis partibus illius Oppiani Vatis carminibus nobiliora, quæ aurea olim dicta sunt. Ac in primis observari potest eum D. Thomæ discursum opportunissimum esse ad explicandam Divinæ gratiæ cum libertate concordiam. *Etenim si omnia quæ agere possunt, Divinæ Providentiæ in agendo ministrent* ad servandum ordinem institutum à Deo: Ergo etiam & causæ liberæ ad servandum ordinem liberum à Deo institutum ipsi ministrant: Ergo impossibile est, quòd *Divinæ Providentiæ executionem impediant contrarium agendo*; & quòd voluntas agat necessariò, cùm à Deo intrà illum ordinem liberum, & ad servandum illum ordinem liberum à Deo movetur. Et verò evidens est, quòd si voluntas cùm à Deo movetur, ageret necessariò, reipsà impediret illum ordinem, qui liber esse debet, neque ad servandum illum ordinem Deo ministraret: Ergo cùm è contra ex D. Thomæ principio, quod apertissimum esse videtur, voluntas cùm agit, Deo ministret, ad servandum ordinem à Deo institutum; necesse est, ut libertatem servet, quâ intrà ordinem liberum reponitur, & quæ ipsum liberum ordinem constituit. Idque

Confirmatur *Primò*, quòd existimandum non sit voluntatem ex communi regula esse excipiendam. *Quæcumque*, inquit D. Thomas, *aliquid operantur instrumentaliter agunt, à Deo mota, & ei operando ministrant ad ordinem Divinæ Providentiæ ab æterno excogitatum explicandũ in rebus:* Ergo si omnia instrumenta sint à Deo mota, si voluntas dum agit, & quidem in ordine physico, & per modum causæ efficientis, sit instrumentum intrà ordinem liberum; si dum à Deo movetur ipsi obtemperet; si ipsi ministret ad servandum illum ordinem liberum; impossibile est, quòd voluntas cum movetur, & agit, & quidem physicè, & per modum causæ efficientis, neque enim aliter agere potest; integram ac perfectam libertatem non servet: Aliàs neque obtemperaret Deo, neque ipsi ministraret ad illum ordinem servandum; sed potiùs eum ordinem Divinæ Providentiæ everteret, & ejus executionem impediret contrarium agendo, siquidem ipsa à Deo moveretur ad servandum ordinem liberum, & ipsa tamen ageret necessariò. Et

Confirmatur iterum: quòd non possit intelligi ordinem liberum, & quidem actualem constitui, nisi per hoc, quòd voluntas agat, & physicè, & per modum causæ efficientis sub judicio rationis. Quo pacto enim aliter ordo ille liber constare posset, quàm in ipsis actibus liberis? Neque enim minùs libertas actualis, seu libertatis exercitium reperiri potest, quàm cujusque alterius seu potentiæ, seu habitûs, seu perfectionis exercitium. Igitur & cùm agit voluntas liberè, & dum intrà ordinem liberum constituitur, agit tamen etiam simul in ordine physico, & per modum causæ efficientis, neque enim aliter agere potest: Atqui, ut inquit D. Thomas, *Quæcumque agunt*, suosque actus exercent, nè quidem excepta libertate ut libera, *instrumentaliter agunt*, sub Deo principali agente, & ab eo moventur; *Et ab eo mota ei obtemperando ministrant ad ordinem Divinæ Providentiæ ab æterno excogitatum explicandum in rebus*: Ergo etiam cùm voluntas agit in ordine physico, & per modum causæ efficientis, instrumentaliter movetur à Deo, & ei obtẽperando ministrat intrà ordinem liberũ, & ad eum ordinem liberum Divinæ Providentiæ ab æterno excogitatum explicandum, & servandum in rebus. Neque enim aliter potest intelligi, quòd voluntas Deo obtemperet, & ministret ad servandum ordinem, nisi quando reipsà agit. Atque ea observatio confirmari potest ex his quæ habet D. Thomas eodem lib. 3. cap. 100. ut aliàs expendimus tom. 1. nimirùm, quòd *Ad hoc sunt instrumenta instituta, ut deserviant actioni principalis agentis dum moventur ab ipso: unde talis instrumenti materia, & forma esse debet, ut sit competens actioni quam intendit principale agens.* Et verò quis dubitet imperitum fore artificem qui nesciret sua instrumenta conficere, ut ipsi ad suos effectus producendos, & ad destinatum conceptumque finem deservirent. Ergo cùm à Deo ordo libertatis institutus sit, & intrà illum ordinem, voluntas instrumentum sit, quo Deus utitur ad illum ordinem servandum, dubitari non potest, quin ita à Deo voluntas constituta sit, ut in illo

eodem

eodem ordine in quo agit, ſcilicet in genere cauſæ efficientis, ita moveri poſſit, ut tamen libertatem ſervet, neque extra illum ordinem feratur. Neque enim exiſtimandum eſt, voluntatem eſſe in manu Dei ſummi artificis, ut inſtrumentum in manu artificis imperiti, quod cùm peritè ducere neſciat, interdum à regulis artis deflectit, & extra lineas conſtitutas, ut ita dixerim, ſaltat & fertur. Unde etiam exiſtimandum non eſt adeò fragilem eſſe libertatem à Deo conſtitutam, ut ipſius Dei contactum ferre non poſſit niſi frangatur. Inſtrumentum eſt à Deo inſtitutum, ut actioni Dei principalis agentis deſerviat, unde adeò valida fortiſque effici debuit, ut ipſam Dei Omnipotentis motionem ferre poſſet. Hæc ſatis de ea obſervatione, quæ data occaſione prærermitti non debuit,

Sed ut ad noſtra redeamus, inde liquet, cur neceſſe ſit effectus veluti longo circuitu, & magna cauſarum ſerie produci, qui minori apparatu produci potuiſſent; nimirum *Quia & ipſa Miniſteriorum diſpoſitio magnam partem proviſi ordinis habet*: atque ex ea tanta rerum varietate mirè elucet Divinæ Providentiæ, & Divinæ Sapientiæ vis. Sed præterea apertiſſima eſt S. Thomæ ratiocinatio, nec demonſtratione mathematica inferior. *Si omnia quæ agere poſſint, Divinæ Providentiæ in agendo miniſtrent*, ipſiuſque inſtrumẽta ſint, *& inſtrumentaliter agant ab eo mota, & ei obtemperando miniſtrent ad ordinem Providentiæ ab æterno excogitatum* (exequendum) *& explicãdum* in rebus; impoſſibile eſt, quòd aliquod agens *Divinæ Providentiæ executionem impediat, contrarium agendo*: Atqui ita eſt, omnia Divinæ Providentiæ obtemperant, omnia ſtatutum à Deo ordinem exequuntur, omnia ad illum Dei ordinem exequendum miniſtrant: Ergo planè repugnat, ordinem Divinæ Providentiæ impediri; & effectum quem ordine ſuæ Providentiæ producendum ſtatuerit, infallibiliter non oriri; cùm omnia ita ordinata ſint, ut ad illum producendum concurrant: & ut à Davide dictum eſt, pſal. 118. *Ordinatione tua*, Deus, (vel ut legit Sanctus Ambroſius, aliique;) *Diſpoſitione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi*. Aut ut Hebraicum habet כי הכל עבדיך. Chi hacol nghavadecha *Quia omnia ſervi tui*. Quia ſcilicet ad *Exequendum, & explicandum in rebus excogitatum à Deo ordinem ipſi obtemperando miniſtrant*.

Confirmari præterea poteſt: quòd ea ſolùm ratione probari poſſit, probetque Sanctus Thomas, nihil in rebus ſi ad Deum referatur, dici poſſe fortuitò accidere; ſed quòd reſpectu cauſarum particularium, & Providentiæ hominis fortuitum eſſe poreſt, à Deo proviſum dicendum eſt. Unde ſic: non poteſt non eſſe infallibilis Divinæ Providentiæ effectus ex ipſa rerum omnium diſpoſitione, ſi nullus unquam effectus Deo fortuitus eſſe poſſit: Atqui, nihil Deo fortuitum eſſe poteſt: ea ſemper ratione, quòd ex ordine cauſæ univerſalis nihil exire poſſit. Etenim inquit Sanctus Doctor 1. par. quæſt. 22. art. 2. ad 1. *Aliter eſt de cauſa univerſali, & de cauſa particulari: Ordinẽ* enim *cauſæ particularis aliquid poteſt exire, non autem ordinem cauſæ univerſalis: non enim ſubducitur aliquid ab ordine cauſæ particularis, niſi per aliquam aliã cauſam particularẽ impediẽtem: ſicut lignum impeditur à combuſtione per actionem aquæ. Unde cùm omnes cauſæ particulares cõcludantur ſub univerſali cauſa, impoſſibile eſt aliquem effectum ordinem cauſæ univerſalis effugere. Inquãtum igitur aliquis effectus ordinem alicujus cauſæ particularis effugit, dicitur eſſe caſualis, vel fortuitus reſpectu cauſæ particularis: Sed reſpectu cauſæ univerſalis, à cujus ordine ſubtrahi non poteſt, dicitur eſſe proviſum. Sicut & concurſus duorũ ſervorũ, licèt ſit caſualis in quantum ad eos, eſt tamen proviſus à Domino, qui eo ſcienter ſic ad unum locum mittit, ut unus de alio neſciat*. Hæc Divus Thomas, quibus explicandis addi poſſunt quæ habet idem Sanctus Doctor 1. par. quæſt. 115. art. 6. cum Cajetani commentario. Quibus

Confirmari demum poteſt, quòd ea ratione non immeritò Fatum legitimo ſenſu admitti poſſit, ut eſt ſeries, & connexio quædam cauſarum, quæ à Deo diſpoſitæ, & ordinatæ ſunt ad eundem effectum infallibiliter producendum. Cùm enim ad unum effectum producendum longa ſeries cauſarum à Deo diſpoſita ſit; quamvis in ſe ſe quælibet ſit cauſa mutabilis; ut tamen omnes illo veluti longo fune conſtringuntur, infallibiliter ad effectum producendum conducunt. Unde Sanctus Thomas quæſt. 116. art. 3. ubi de Fato agit, obſervat. *Quòd diſpoſitio ſecundarum cauſarum quam Fatum dicimus, poteſt dupliciter cõſiderari, uno modo ſecundùm ipſas cauſas ſecundas quæ ſic diſponuntur ſeu ordinantur: alio modo per relationem ad primum principium, à quo ordinantur, ſcilicet Deum. Quidam ergo poſuerunt ipſam ſeriem, ſeu diſpoſitionem cauſarum eſſe ſecundùm ſe neceſſariam: ita quòd omnia ex neceſſitate contingerent, propter hòc, quòd quilibet effectus habet cauſam, & cauſa poſita neceſſe eſt effectum poni. Sed hoc patet eſſe falſum per ea quæ ſupra dicta ſunt. Alii verò è contrario poſuerunt, Fatum eſſe mobile etiam ſecundùm quod à Divina Providẽtia dependet. Unde Ægyptii dicebant quibuſdam Sacrificiis Fatũ poſſe mutari, ut Gregorius Nyſſenus dicit. Sed hoc ſuprà excluſum eſt, quia immobilitati Divinæ Providentiæ repugnat. Et ideò dicendum eſt, quòd Fatũ ſecundùm conſiderationem ſecundarum cauſarum mobile eſt; ſed ſecundùm quòd ſubeſt Divinæ Providentiæ, immobilitatem ſortitur, non quidem abſolutæ neceſſitatis ſed conditionatæ; ſecundùm quod dicimus, hanc cõditionalem eſſe veram, vel neceſſariam; ſi Deus præſcivit hoc futurum erit. Unde cũ Boëtius dixiſſet, Fati ſeriem eſſe mobilem, poſt pauca ſubdit, quæ tamen ab immobilis Providentiæ proficiſcatur exordiis, ipſamque immutabilem eſſe neceſſe eſt*.

Hæc S. Thomas: ubi extremum duplicem Veterum errorem diſtinguit, & Fidei veritatem in medio poſitam demonſtrat, quæ utrumque extremum conjungit, admiſſa neceſſitate ex Divina Providentia, quæ tamen non impedit cauſarum

rum mobilitatem. Atque ex iisdem principiis, aut veriùs ex eo duplici errore Philosophorum, duplex olim hæresis ortum habuit, quòd attinet ad actus voluntatis humanæ, potissimùm in ordine gratiæ: nam etiam omnes hæreses à Philosophia *subornantur*, ut inquit Tertullianus: siquidem ab eo duplici errore alii, scilicet Manichæi, ac postea Calviniſtæ voluerunt, nihil esse relictum in manu voluntatis, sed Divinâ Providentiâ voluntatem constringi: alii è contra, ut Pelagiani existimarunt, omnia relicta esse in manu arbitrii liberi, & ipsam Divinam Providentiam voluntate prævia duci, ipsique velut obsequi. Ita ut dicere viderentur: *Nullum numen abest si sit Prudentia*, aut illud: *Spes sibi quisque*, ut notat S. Augustinus libro de prædest. SS. cap. 1. At verò immobilis veritas eadem in medio posita est inter Veterum Philosophorum, Stoicorum scilicet & Ægyptiorum errores; ac inter Hæreticorum, scilicet Pelagianorum, & Calviniſtarum hæreses: atque ea quàm facillimè his D. Thomæ principiis, explicantur: scilicet *quòd dispositio causarum secundarum, quam Fatum dicimus potest dupliciter considerari: uno modo secundùm ipsas causas secundas, quæ sic disponuntur, seu ordinatur: alio modo per relationem ac primum principium, à quo ordinantur, scilicet Deum.* Nam secundùm se quidem, & attenta dumtaxat earum conditione mobiles sunt: si autem ad Divinam Providentiam referantur, à quo dispositæ sunt, & à quo firmantur, & certum ordinem habent, infallibiliter suum effectum producunt: & ea est necessitas ex conditione, & secundùm quid, quæ neque contingentiæ rerum, neque libertati voluntatis repugnat.

Atque ex his omnibus clarissimè, ut puto, constat, habita solùm ratione dispositionis qua Divina Sapientia res constituit ad effectum ipsarum producendum, explicari quàm facillimè posse effectum hujusmodi oriri infallibiliter. Unde & certissimè illud ab Ecclesia canitur: *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur*: cùm ipsa rerum dispositio, & connexio, qua productura effectum causa undique circumcingitur, nè quæcumque altera causa effectum ipsius impediat, Divinæ Providentiæ ordinem infallibiliter exequatur.

ARTICULUS VI.

Eodem explicandi modo usum fuisse S. Thomam, cùm Prædestinationis Divinæ certitudinem in eo reponit, quòd plurima adminicula homini præparentur à Deo, quibus ad finem perveniat.

EX præfatis principiis explicari etiam commodissimè potest id quod habet S. Thomas quæst. 6. de verit. art. 3. ubi certitudinem Divinæ Prædestinationis repetit ex vario concursu auxiliorum, & ex eo quòd Deus plura adminicula tribuat, quorum si unum deficiat, alterum in ejus locum cedat. Quem locum S. Thomæ objiciunt plurimi, veluti communi Thomistarum sententiæ adversum; cùm tamen nihil aliud docuerit S. Doctor, quàm quod de infallibilitate orta ex Divinæ Sapientiæ dispositione jam explicuimus. Cùm enim prædestinatio pars Divinæ Providentiæ sit, eaque præcipua, atque eundem utraque modum operandi habeat; nihil mirum si quod de Divinæ Providentiæ certitudine docuit S. Thomas, etiam ad Divinæ Prædestinationis certitudinem transtulerit: quin immò suismet principiis minimè consentiret, si aliud statuisset.

Igitur cùm infallibilitas Prædestinationis Divinæ; sicut & Divinæ Providentiæ, ex duplici capite repetenda sit, scilicet *ex efficacia Divinæ voluntatis, & dispositione Divinæ Sapientiæ*; hanc secundam viam iniit S. Thomas laudata quæst. 6. de Prædestinatione: probatque certam, & infallibilem esse prædestinationem, quia Deus cùm aliquem prædestinat, tot ei adminicula parat, tot auxiliis eum circumcingit, & ut de Job dicitur, tot præsidiis eum veluti per circuitum circumvallat, ut minimè cadere possit. Et quamvis inter ea auxilia quodlibet singulare deficere possit, ipsa tamen tota collectio nunquam deficere potest; quia si quod eorum auxilium irritum sit, alterum præsto est & efficacius, quodque hominem labentem fulcit.

Sed ut apertissimum sit, non aliud docuisse S. Thomam eo articulo de Prædestinatione, quàm quod ubique alibi ipsum docuisse demonstravimus, integer Articulus etsi paulò longior referendus est. Ex quo etiam clarissimum erit rejectam esse omninò à S. Thoma communem Recentiorum sententiam. Ita igitur habet.

Respondeo, dicendum, quòd duplex est certitudo, scilicet cognitionis, & ordinis. Cognitionis quidem certitudo est, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re sicut est. Et quia certa existimatio habetur

de

de re præcipuè per causam, ideò tractum est nomen certitudinis ad ordinem causæ ad effectum, ut dicatur ordo causæ esse ad effectum certus, quando causa infallibiliter effectum producit. Præscientia ergo Dei, quia nō importat universaliter habitudinem causæ respectu horum quorum est, non consideratur in ea nisi certitudo cognitionis tantùm. Sed prædestinatio, quia præscientiam includit, & habitudinem causæ ad ea quorum est, addit, in quantum est directio sivè præparatio quædam; & sic potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis certitudo ordinis: de qua solùm certitudine prædestinationis hic quærimus; de certitudine enim cognitionis in ipsa inventa, patere potest ex his quę dicta sunt, cùm de Scientia Dei quæreretur.

Sciendum est autem, quòd cùm prædestinatio sit quædā Providentiæ pars, sicut secundùm suam rationem super providentiam addit, sic & certitudo ejus supra certitudinē providentiæ. Ordo enim providentiæ dupliciter certus invenitur. Uno modo in particulari, quando scilicet res, quæ à Divina providentia in finem aliquem ordinantur, absque defectu ad finem illum particularem deveniunt: sicut patet in motibus cælestibus, & in omnibus quę necessariò agūtur in natura. Alio modo in universali, & non in particulari; sicut videmus in generabilibus, & corruptibilibus, quorum virtutes quandoque deficiūt à propriis effectibus, ad quos sunt ordinatæ sicut ad proprios fines: sicut virtus formativa deficit quandoque à perfecta consummatione membrorū, sed tamen ipse defectus divinitùs ordinatur ad aliquem finem, ut patet ex dictis, dum de providentia ageretur: & sic nihil potest deficere à generali fine providentię, quamvis quandoque deficiat ab aliquo particulari fine. Sed ordo prædestinationis est certus, non solùm respectu universalis finis, sed etiā respectu particularis, & determinati: quia ille qui est ordinatus per prædestinationem ad salutem, nunquam deficit à consecutione salutis. Nec tamē hoc modo certus est ordo prędestinationis, sicut erat ordo providentiæ: quia in providentia ordo nō erat certus respectu particularis finis, nisi quando causa proxima necessariò producebat effectum suū; in prędestinatione autē invenitur certitudo respectu singularis finis, & tamen causa proxima, scilicet liberi arbitrii non producit effectum illū nisi cōtingenter. Unde difficile videtur concordare infallibilitatem prædestinationis cum libertate arbitrii. Non enim potest dici quòd prędestinatio supra certudinē providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur quòd Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sed hoc de prædestinato scit, quòd non deficiet à salute. Sic enim dicendo non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantū ex parte præscientię evētus, & sic præscientia esset causa prædestinationis; nec prædestinatio esset per electionē prędestinātis: quod est contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet infallibilē certitudinē: nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessariò, sed contingenter, scilicet liberum arbitrium. Quod hoc modo potest considerari.

Invenimus enim ordinem compossibilem esse respectu alicujus dupliciter, uno modo in quantùm una causa singularis producit effectum suum ex ordine Divinæ Providentiæ: alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium, & deficere possibilium, pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus quæ deficit, vel nè altera deficiat. Sicut videmus quòd omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, & tamen per successionem unius ad alterum potest in eis secūdùm numerum salvari perpetuitas speciei, Divina providentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant uno deficiente. Et hoc modo est in prædestinatione. Liberum enim arbitrium deficere potest à salute: tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat; vel si cadat, quòd resurgat: sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia hujnsmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam: respectu autem causæ primæ; quæ est prędestinatio, habet certitudinem.

Hactenus celeberrimus ille S. Thomæ Articulus, in quo existimarunt aliqui, constituta fuisse à S. Doctore principia præviæ motioni, & sua ipsa vi efficaci omnino adversa; cùm Divinæ prædestinationis certitudinem non in efficaciam, & vim unius motionis Divinæ, & quæ semper sit unius modi, refundat S. Thomas, sed in auxiliorum multitudinem, ac veluti congeriem, & cumulum, ut sua multitudine efficiant, quod unicum sua ipsa vi, & indefectibili, efficere non posset. Sed in primis, observandum ac etiam.

Probandum est, expresè à S. Thoma eorum sententiam rejici, qui prædestinationem inniti præscientiæ, seù fieri ex præscientia meritorum arbitrantur; aut qui omnia ex præscientia futuri eventus, seù ex scientia media exploratrice consensus voluntatis, ita metiuntur, ut ea solùm dirigi prædestinationis œconomia possit: adeoque necessariam putant ad firmandum concordiam libertatis cum prædestinatione, ut nisi ea præscientia, aut scientia media præluxerit, nunquam possit intellligi, libertatem jungi posse cum certitudine infallibili, & immobili prædestinationis Divinæ.

Verùm hæc omnia rejicit S. Thomas hoc eodem Articulo quem nobis adversæ sententiæ Authores opponunt. Et quidem inquit S. Doctor *Difficilè videtur concordare infallibilitatem prædestinationis cum libertate arbitrii*. En communem difficultatem, quam non prætermisit Divus Thomas, sed potiùs explicandam suscepit. Quo pacto autem eam explicat? an putat advocandam esse futurorum præscientiam exploratricem? minimè verò, sed contendit neque prædestinationem inniti præscientiæ, neque ex præ-

ſcientia repetendam eſſe prædeſtinationis certitudinem, neque præſcientiæ beneficio conciliari libertatem cum prædeſtinatione. *Non poteſt* inquit *dici quòd prædeſtinatio ſupra certitudinẽ providentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ, ut ſic dicatur quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium; ſed hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute. Sic enim dicendo, non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ eventus: & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præſcientiæ, ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinẽ* (reſpectu ſcilicet cauſæ primæ, ideſt Dei hominem ad ſalutem prædeſtinantis:) Ergo ex ipſo S. Doctore dici non poteſt prædeſtinationem inniti præſcientiæ; eu apertiùs prædeſtinationem factam eſſe ex prævisione meritorum. *Ita enim prædeſtinatus non differret à non prædeſtinato ex parte ordinis*: ideſt, prædeſtinatio non refunderetur in efficaciam, & cauſalitatem prædeſtinationis; *ſed* differret *tantùm ex parte præſcientiæ eventus, & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem, quod eſt contra authoritatem Scripturæ*. Ergo iterum juxta D. Thomam, non ſolùm ex præſcientia eventus futuri, ſed etiam & magis ex efficacia ipſius prædeſtinationis repetenda eſt prædeſtinationis certitudo ac immobilitas. *Ac præter certitudinem præſcientiæ, ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem* ſcilicet ex cauſa prima prædeſtinãte.

Confirmatur quòd apertè nomine ordinis prædeſtinationis, qui ordo *habet infallibilem certitudinem*, intelligat D. Thomas ipſam Divinæ prædeſtinationis ex collatis beneficiis cauſalitatem: ita enim ſatis explicat initio hujus Articuli, cùm inquit; *Quia certa exiſtimatio habetur de re per cauſam rei, ideò tractum eſt nomen certitudinis ad ordinem cauſæ ad effectum, ut ſi dicatur ordo cauſæ eſſe ad effectum certus, quando cauſa infallibiliter effectum producit*. Igitur cùm à Sancto Thoma dictum eſt, *quòd ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem*; ipſo S. Doctore interprete, ſenſus eſt, quòd ipſa prædeſtinatio ut *cauſa infallibiliter ſuum effectum producit*. Ergo magnifeſtum eſt S. Thomam repetere prædeſtinationis certitudinem, non ex ſola ſaltem, præſcientia futuri eventus, ſed etiam, ex ipſamet prædeſtinatione, & prædeſtinationis efficacia. Quòd etiam eodem Articulo confirmat ex illo S. Auguſtini, quem refert Gloſſa ad Rom. S. ubi prædeſtinatio definitur *præparatio beneficiorum De quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberantur*. Atqui ex his nemo jure negaverit everti planè à S: Thoma Recentiorum ſententiam, qui ex directione ſolius ſcientiæ mediæ certitudinem prædeſtinationis repetendam eſſe arbitrantur.

Confirmatur iterum, quòd ad conciliandam cum Divina Predeſtinatione libertatẽ nullo planè modo utilem aut neceſſariam eſſe præſcientiam futuri eventus indagatricem, ſeu ſcientiam mediam D. Thomas exiſtimaverit. Neque enim vel unicum in toto Articulo verbum eſt, quo ſignificari poſſit S. Doctorem ad eum uſum præſcientiam futuri eventus advocaſſe. Equidem adverſæ ſententiæ Theologi cùm efficaciam antecedentem, & præviam, auxiliorum quibus prædeſtinatio Divina executioni mandatur, admittere noluerint, neque ex ea libertatem derivandam eſſe cenſuerint, coacti ſunt aliam cauſam concordiæ libertatis cum gratia vel prædeſtinatione ſtatuere: unde eam ex præſcientia futuri eventus, ſeu ex ſcientia media repetere ſolent, quam ad omnem uſum advocant, & inflectunt. Sed longè aliam viam iniit Sanctus Thomas, & inire etiam compulſus eſt, cùm jam admiſerit, certitudinem prædeſtinationis non ex ipſa præſcientia oriri, ſed ex ipſo ordine prædeſtinationis ad effectum, ſeu ut explicavimus, ex ipſa Divinæ prædeſtinationis cauſalitate, & efficacia. Unde quamvis aliunde admitti poſſet, neque aliunde ſcientia hæc media repugnaret, ut tamen reipſa repugnat; nullius tamen uſus eſſe poſſet in principiis S. Thomæ: ideoque minimè etiam hoc loco eam advocavit, ubi tamen aliqui ipſum minùs favere motioni præviæ arbitrantur. Admittit quidem D. Thomas aliquam certitudinem ex ordine, & diſpoſitione Divinæ Sapientiæ præter certitudinem ex efficacia Divinæ voluntatis: ſed ea longiſſimè abeſt ab ea certitudine quæ ex directione ſcientiæ mediæ oriri exiſtimatur, ut ſatis ex dicendis conſtabit.

Hac igitur obſervatione præmiſſa præcipua hujus Articuli difficultas attingenda, & explicanda eſt, ſcilicet hoc unum voluiſſe D. Thomam, quòd infallibilitas Divinæ Prædeſtinationis oriatur etiam ex multitudine auxiliorum; ſicut infallibilitas Divinæ Providentiæ, ut diximus oritur ex multitudine cauſarum, quas Deus ordinat, & diſponit.

Et verò meritò hanc ſecundam certitudinis Prædeſtinationis rationem eligit ac proſequitur S. Thomas; quia cùm Prædeſtinationis certitudo, & executio non in uno ſolùm actu voluntatis poſita ſit, ſed in toto vitæ diſcurſu peragatur; neceſſe fuit ut S. Doctor longam illam ſeriem auxiliorum explicaret, quibus homo per varios caſus, per tot diſcrimina rerum, ad ultimum finem, & beatitudinem perducitur. Probatur igitur non aliud ſenſiſſe D. Thomam, niſi quòd ſicut Divina Providentia cauſas omnes diſponit ad producendum infallibiliter effectum; ita Divina Prædeſtinatio varia auxilia præparat, & diſponit, ut prædeſtinatus infallibiter ſalutem conſequatur. Idque probatur ex ipſa littera Articuli: ſuppoſito enim quòd *præter certitudinem præſcientiæ, ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinẽ*, & tamen ſervatur integra voluntati libertas, nec *cauſa proxima ſalutis, ſcilicet liberum arbitrium ordinatur ad eã neceſſariò, ſed contingenter, & liberè*: deinde hoc pacto

hanc

hanc difficultatem reſolvit. *Invenimus* inquit, *ordinem* ſeu cauſalitatem, & efficaciam cauſæ *compoſſibilem eſſe reſpectu alicujus dupliciter*: uno modo, *in quantum una cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine*, & cauſalitate immediata *Divinæ Providentiæ*, qui modus idem ille eſt quem explicuimus ex efficacia ſeu Divinæ motionis, ſeu Prædeſtinationis, ut eſt præparatio beneficiorum quibus certiſſimè liberatur quiſquis electus à Deo eſt. *Alio modo, quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium, pervenitur ad unum effectum; quarum namquamque Deus ordinat ad conſecutionē effectus loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat: ſicut idemus quòd omnia ſingularia unius ſpeciei ſunt corruptibilia, & tamen per ſucceſſionem unius ad alterum, poteſt in eis ſecundùm numerum ſalvari perpetuitas ſpeciei, Divina Providētia taliter gubernante, quòd nō omnia deficiant, uno deficiente.*

Atque huic exemplo ſimile eſt duplex alterum quod ex ipſo retulimus; *de medico*, à quo variis remediis juvatur, & ſanatur natura; & *de vineæ cultore*, à quo variis adhibitis adminiculis ſterilitas vitis corrigtur. At verò inquit D. Thoma, *Hoc modo eſt in prædeſtinatione: liberū enim arbitrium deficere poteſt à ſalute: tamen in eo quem Deus Prædeſtinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel nō cadat; vel ſi cadat, quod reſurgat, ſicut exhortationes, & ſuffragia orationū, donū gratiæ, & alia ejuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.*

Quæ quidem omnia ſi ſigillatim ſpectentur, infallibilem certitudinem non habent; ita tamen connectuntur, ita à Deo omnia temperantur, ut quodlibet ſingulare ſaltem aliquid pro ſua quidem parte efficiat, & diſpoſitionem aliquam ad effectus productionem remotè ſaltem inducat, omnia tamen à Divina voluntate collecta, & ut ipſius directioni ſubjiciuntur, ipſique miniſtrant, ac ejus juſſa exequuntur, integrum effectum producunt, & hominem à Deo prædeſtinatum ad ultimum finem perducunt. Unde concludit S. Thomas. *Si ergo conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, ſed contingentiam: reſpectu autem cauſæ primæ, quę eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.* Ergo evidens eſt ex ipſo D. Thomæ Articuli contextu ipſum revocaſſe certitudinem Divinæ Prædeſtinationis ad variam diſpoſitionem, & concurſum cauſarum, ſicut & certitudinem Divinæ providentiæ ad variam diſpoſitionem cauſarum revocavit: Idq; eo opportuniùs, quòd ut advertimus de totius vitæ prædeſtinati curriculo fuerit locutus, non autem de uniço ſolum actu: cùm etiam prædeſtinatio per totum vitæ tempus executioni mandetur.

Confirmatur, & explicatur: quòd varii ſint hominum ſtatus, varii mores, varia ſtudia, & ut dicitur Eccl. 33. & explicat S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. *In multitudine diſciplinæ ſuæ Dominus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum.* Alios enim interdum ita regit, *ut non cadant*: alios verò ut *ſi cadant*, poſtea tamen *reſurgant. Alii* enim ſunt *qui abſque defectu ad finem particularem veniunt*, ut loquitur S. Thomas, ſicut *& in montibus cæleſtibus*; ut maximè vel confirmati in gratia, vel eminentioris ſanctitatis Viri, quorum vita unius coloris, & tota cæleſtis eſt, quique numquam e via excidunt, ſed celeri gradu ſemper ad majus ſummumque virtutum culmen contendunt; in quibus tamen cùm nunquam integra perfectaque confirmatio in gratia eſſe poſſit, neceſſe eſt ut, *quod deficit ad confirmationem, compleatur per cuſtodiam Divinæ Providentiæ, ut* vel occaſiones amoveantur, vel *quando occaſio peccati ſe ingerit, eorum mens Divinitus excitetur*, & adjuvetur *ad reſiſtendum*, inquit S. Thomas quæſt. 24. de verit. artic. 9. Alii verò ſunt, quorum inſtabilis voluntas, & Protheo mutabilior eſt, quorum vita *Cadiſurgium* cum Tertulliano nuncupari poſſit, quibus tamen, ſi prædeſtinati ſint, tot adminicula Deus parat, *ut ſi cadant*, poſtea *reſurgant*. Atque inter ea *adminicula*, alia externa ſunt quæ moraliter movent, *ut exhortationes*, quibus excitantur; alia etiam longiùs abſunt, quæ tamen ſuffragantur, & aliquid à Deo obtinent, ut *ſuffragia orationum*: neque prætermiſit S. Thomas *donum gratiæ*, cujus etiam varii gradus ſunt: alia enim voluntatem hominis languentem excitat, alia jacentem erigit, alia ſtantem confirmat. Sed inter illa etiam varia adminicula maximè recenſenda eſt remotio occaſionum, cùm certum ſit occaſionem pravam maximum eſſe virtutis, & ſalutis impedimentum. Solet enim occaſio ex objectorum occurſu penè rationem hominis obruere, ut nec voluntatem jam ab appetitu ſeductam, & corruptam, qua parte vellet, flectere poſſit, nec ei frænum injicere, ejuſq; impetū cohibere. Unde illud Jeremiæ 2. 24. *onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventū amoris ſui: quis avertet eū?* ubi ex Hebræo legi, poteſt legitque Pagninus, & alii: שׁאפּה רוּחַ אנאתה Schaaphath Ruah taanathah: *attraxit ventum occaſionis ſuæ.* Jūge hæc ſimul, & animadvertes quæ ſit occaſionis infelix vis, & ad perniciem pene invicta poteſtas. Cùm enim quis v.g. *in deſiderio animæ ſuæ* huc illuc circumfertur accepta opportunitate captandæ auræ; incurrunt varia objecta; ac tunc *attrahit ventum occaſionis ſuæ*: ſequitur quò eum occaſio trahit ac defert. Conſpectis interim objectis commovetur, afficitur, uterque infelix, & concitatis ac excitatis affectibus *attrahit ventum amoris ſui*; atque jam accenſus impetu in præceps fertur: & tunc *quis avertet eum?* dum nec ratione, nec conſilio regi aut coërceri poteſt. Atque hujus ratio ex S. Thoma afferri poteſt, quia ſcilicet accenſa inferioris appetitûs paſſio ſuperiorem rationem ligat, impeditque, Tripliciter. *Primò per quandam diſtractionem, quia quo magis una potētia intenditur in ſuo actu, neceſſe eſt ut altera in ſuo actu remittatur, vel totaliter impediatur. Secundò per contrarietatem, quia plerumque paſſio inclinat ad contrarium hujus, quod ſcientia univerſalis habet. Tertiò per quandam immutationem corporalem, ex qua ratio*

quodammodo ligatur, ne liberè in actum exeat, &c. 1. 2. quæst. 77. art. 2. Unde ligata ratione quæ proximè voluntatem regit, *evertet eum* ? cùm maximè Deus suæ Providentiæ communibus legibus sinere debeat, ut causæ secundæ agant juxta dispositionem in qua constitutæ sunt. Unde frequentiùs ea gratia solet à Deo concedi, quæ ab homine occasiones removeat, quàm quòd hominem in mediis occasionibus intactum & insontem servet. Instar enim miraculi Babilonici est mediis in ignibus tentationum hominem illæsum servari.

Unde, & D. Augustinus inter homilias 50. homilia 23. ad Dei singularem Providentiam, & gratiam refert quod peccandi occasiones præscindat. *Hoc*, inquit, *tibi Deus: regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit, & ut hæc deessent ego feci.* Quamvis etiam, & interdum ut suæ gratiæ vim omnino invictam ejusque efficaciam omnipotentissimam apertiùs demonstret, mediis etiam in tentationibus animum confirmet cùm quis potissimum sponte se se in tentationem non conjecit. Quare subdit idem Sanctus Augustinus, *Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui.* Atque adeò interdum animum firmat, ut *omnibus amoribus, terroribus suis vincatur hic mundus*: *Hoc Sanctorum Martyria docuerunt* inquit D. Aug. lib. de Corrept. grat. cap. 12. *qui cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarunt*: quodque majorem vim Divinæ gratiæ infusæ animis probat, etiam inter tormenta delitiis interdum perfundebantur. Ut etiam inquit D. Bernardus serm. 61. in cantica. *Stat martyr tripudians & triumphans toto licet lacero corpore; & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem.* Unde verò hæc tanta martyris in ea crudeli tentatione fortitudo? *Non facit hoc*, inquit, *stupor, sed amor; submittitur sensus, non amittitur; nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur*,

Hæc illa insolita victrixque gratia qua Deus interdum nedum animum firmat ne frangatur, dum asperrimi cruciatus lacrymas excutiunt, *& Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes*: Æneid. 4. sed etiam, ut à Davide dictum est *In tribulatione dilatasti mihi*; ideſt mediis in periculis ac tormentis Deus interdum animam lætitia implet, ut explicat S. Chrysostomus. Varia sunt igitur ea adminicula quibus Deus hominem prædestinatum per totam ipsius vitam regit, & inter varios fluctus, variasque procellas ad æternam beatitudinem perducit.

Confirmatur iterum: quòd apertiùs interdum ea adminicula atque ea dispositio causarum in peccatoris conversione eluceant, cùm Deus sua providentia ita causas disponit, ut tandem miro modo voluntatem hominis prædestinati ab ipso aversum, ad se se pertrahat. Atque ea causarum dispositio in conversione S. Augustini facilè potest animadverti, ut ab ipsomet refertur in lib. 8. confess. cap. 5. Cùm enim suspiraret ligatus, *non ferro alieno, sed sua ferrea voluntate*, ita res à Deo dispositæ sunt, ut Potitianum quendam audiret qui admirabilem S. Eremitæ Antonii vitam narraret. Dum autem plurima de SS. viro dicerentur, Deus interim Augustinum interiùs movet, ejusque animo eam cogitationem injicit quam detegit amico Alipio. *Quid patimur* inquit *surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum nostris doctrinis sine corde ecce ubi voluntamur ? carne, & sanguine* ? cap. 8. Cum verò jam pudore suffusus esset, & graves variisque veluti æstu in corde volverentur, Deus vehementiùs ipsum interiùs movet, ut in hortum qui in ædomo erat, sederet, ubi impedimentis omnibus solutus esset, ab ea que cogitatione reocari non posset. Tunc verò cùm ibi solus esset cum Alipio, urget Deus magis, magisque ingeminat *flagella timoris, & pudoris*: ac dum subjuadam arbore fici laxasset habenas lachrymis, Deus disposuit, ut vocem audiret alicujus, *Cum cantu dicentis, & crebro repetentis, tolle lege, tolle lege*, Repressit ea insolita vox impetum lacrymarum, sibique ea verba dicta interpretatur, librum statim arripit, aperitque: ac Deus disponit ut illud Apostoli capitulum occurrat, in quod conjicit oculos, & ubi hæc verba legit: *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum*: tunc subitò, & immissa à Deo majori luce veritatis, ac in ejus corde majori charitatis igne accenso, statim dubitationum omnes tenebræ diffugerunt, ac perfectissimè ruptis omnibus carnis, & sanguinis vinculis in Deum conversus est,

Hic sanè apertissimus est ille circumstantiarum, & causarum secundarum concursus. Ecquis enim in ea Augustini conversione non agnoscat dispositionem sapientiæ Divinæ, quæ varias causas conjungit, ut infallibiliter ipsum ad perfectam conversionem perducerent. Et quidem nulla singularis, & in particulari eam conversionem efficere potuisset, neque illæ inter se se connexionem habebant; conjunctæ tamen à Deo sunt, atque ita dispositæ ut ad Augustini conversionem infallibiliter concurrerent.

Alterum etiam exemplum de S. Paulo referri potest, in quo non minus ex dispositione sapientiæ ac Providentiæ Divinæ variæ causæ, & magis etiam insolitæ connjunctæ sunt, quibus Saulus converteretur perfectè ad Deum. *Quam rabida*, inquit S. Augustinus lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Pauli *voluntas, quam furiosa, quam cæca, qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sævitia retorqueretur, & corrigeretur ..... repente ex Evangelii persecutore mirabilior prædicator effectus*, Tunc enim omnia à Deo dispositæ sunt ut essent consentanea furiosæ, & rabidæ Sauli voluntati veluti contundendæ. Neque enim Saulus furiis invectus palpandus erat, sed voce grandi perterrendus; ac tunc *occurrenti tali viso*, luce undique cir-

circumfusus, à Christo loquente durè exceptus, & concurrentibus iis omnibus causis, ac potissimùm grandiori voce intus intonante, & Divina gratia cor Sauli commovente, ejus rabida voluntas devicta est.

Plurima ejusmodi alia exempla referri possent, & quisquis etiam seipsum consulere voluerit, agnoscet quàm sæpissime ita res omnes dispositas esse, eam fuisse causarum, & circumstantiarum seriem, ut tandem factū fuerit, quod etiam interdum ipsemet nunquam fieri potuisse existimasset.

Quibus omnibus satis liquet, quòd à nobis probari debuit docuitque D. Thomas; infallibitatem effectuum etiam ex dispositione causarum oriri posse, quæ à Divina Providentia certo ordine collocatæ sunt. Qui sane modus, alteri quem explicavimus suprà, non magis repugnat, quàm repugnet efficaciæ Divinæ voluntatis, Divinæ Providentiæ dispositio. Quinimmo ut observatum est sæpiùs, utrumque jungi necesse est: ex quorum altero, fortiter; altero suaviter effectus oriantur.

ARTICULUS VII.

Deum movere causas inferiores mediis superioribus, & voluntatem medio dictamine intellectus.

ALterum est quod in opinione Josephi minus probandum ferendumque videtur, quodque hoc Articulo impugnandum, & explicandum suscepimus: scilicet mediatè dumtaxat Deum movere causas secundas, mediis nimirum causis superioribus; voluntatem verò medio intellectus practici dictamine, quod primum est ac immediatum voluntatis motivum veluti homogeneum. Unde plures, aut veriùs cæteros omnes S. Thomæ Discipulos, hic Author reprehendit, quòd ingenti saltu à Deo primo motore, ad voluntatem creatam, relictis causis mediis, immediatè transierint.

Verùm à D. Thomæ certa sententia abiisse Josephum, multis & quam facillimè demonstrare promptissimum est. Ac primò quidem causas secundas inferiores, à Deo moveri mediis causis superioribus, & voluntatem creatam moveri medio dictamine intellectus; res apertior est quàm ut fermè probari debeat; neque in eo immorati sunt S. Thomæ Discipuli, quòd in eo minimè difficultas versaretur: maximè cùm causæ secundæ Superiores non moveant inferiores, neque ipse intellectus volontatem moveat, nisi quia movetur à Deo; eaque vis Divinæ motionis à causis secundis superioribus ad infimas, & ab intellectu ad voluntatem, veluti per gradus deferatur, mediis iis actibus qui à prima simplicique intentione aut volitione finis, usque ad ultimum, & singularem actum voluntatis versantur. Unde inutile fuerat, veluti in media via sistere; sed recurrendum erat ad primum principium, cujus vi cætera omnia media, seu causæ secundæ Superiores movent inferiores, & cujus vis etiam immediatior est, quàm vis agendi aliarum causarū secundarum Superiorum, immo & immediatissima censenda est, cùm sit aliis causis in suo ordine proxima ratio agendi, seu proxima ratio, & principalior etiam, cur media omnia, seu causæ omnes secundæ Superiores moveant inferiores. Unde tantùm abest, ut per saltum cæteri S. Thomæ Discipuli ab omnium prima causa ad ultimam transilierint; ut econtrà vim ipsam primæ causæ secuti fuerint & cum eam pervenire ad causam ultimam animadverterint, de ea solum locuti sunt, ipsum S. Thomę procedendi, & Philosophandi modum secuti, ut apertissimè demonstrandum suscipio.

Primò *Igitur Deum mediis causis secundis superioribus, inferiores omnes movere*, nobis probandum est. Et quamvis plurima Dissertat. 1. dicta sint, ubi de subordinatione causarum egimus: attamen cùm nihil nisi atomi novis Philosophis placeant, qui ut inquit D. Ambros. 1. Exam. cap 2. pro rerum omnium principiis non aliud, *Atomorum complexione* quam *telas aranearum* contextas supposuisse videntur; non erit abs re cùm ita occasio ferat, & argumentum pertractandum necessariò postulet, aliqua addere. Probatur itaque quòd ita exigat rectus ordo rerum, ipsaque causarum inter se se connexarum series. Atque id etiam nos alias animadvertimus ex Sacra Scriptura Oseæ 2. ubi preclarissima hac figura dictum est. *Et erit in die illa exaudiam dicit Dominus; exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum, & hæc exaudient Jezraël.* Scilicet, cùm omnia simul connexa sint, omniaque sint ad hominis commodum ordinata; ipsi fructus qui se se ubertim protrudunt, eorum vota qui terram colunt, exaudire videntur: ut etiam dictum est, quòd cùm colendis agris nulli labori parcitur, gemit taurus sub aratro, & sulco attritus vomer splendescit, *illa seges demum votis respondet avari Agricolæ*. Georgic. 1. Sic etiam ut terra feracior sit, humida solstitia hyemesque serenas Cœlum clamanti terræ largiri videtur: ac demum Deus Cœlis benigniores influxus impertitur.

Confirmatur ex D. Thoma, ex quo jam, quàm plurima hinc inde sparsa, ut occasio ferebat, sæpiùs retulimus. Et sanè quoties de Providentia Divina quæstionem pertractat Angelicus Doctor, toties observat; *Quòd ad Providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisarum in finem, & executio hujus ordinis, quæ gubernatio dicitur. Quantùm igitur ad primum horum, Deus immediatè omnibus providet, quia in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorū; & quascunq; causas aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutē ad illos effectus producendos: unde oportet quòd ordinem illorum effectuū in sua ratione prę-*

habue-

habuerit. Quantùm autem ad secundum, sunt aliqua media Divinæ Providentiæ; quæ inferiora gubernat per superiora; non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. 1. par. quæst. 22. art. 3.

Idem docet 3. cont. Gent. cap. 77. ubi probat quod *executio Divinæ Providentiæ fit mediantibus causis secundis.* cap. 78. *quod mediantibus creaturis intelligentibus aliæ creaturæ reguntur à Deo.* Et cap. 79. quòd etiam substantiæ intellectuales inferiores reguntur per superiores; quæ omnia deinde colligit cap. 83. his verbis. *Ex omnibus autem his, quæ ostensa sunt, colligere possumus, quod quantùm ad ordinis excogitationem rebus imponendi, Deus omnia per se ipsum disponit. Unde super illud Job. 34. quem posuit alium super orbem quem fabricatus est, dicit S. Gregorius, mundum quippe per se ipsum regit, qui per se ipsum cõdidit. Et Boëtius 4. de consolatione. Deus per se solum cuncta disponit. Sed quantùm ad executionem, inferiora per superiora dispensat, Corporalia quidem per spiritualia: Unde S. Gregorius dicit 4. Dialogo. In hoc mundo visibili nihil nisi per invisibilem creaturam disponi potest: inferiores verò spiritus per superiores. Unde dicit S. Dionysius 4. cap. 9. Cœlestis Hierarchiæ, quòd Cœlestes essentiæ intellectuales primò in se ipsas Divinam edunt illuminationem, & in nos deferunt, quæ supra nos sunt, manifestationes: inferiora etiam corpora superiora; unde Dionysius dicit 4. cap. de Div. nomin. quòd sol generationem visibilium corporum confert, & ad vitam ipsam movet, & nutrit, & auget, & perficit, & mundat, & renovat. De his autem omnibus simul dicit S. Augustinus in 3. de Trinitate. Quemadmodum corpora grossiora, & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, & spiritus rationalis peccator per spiritum rationalem justum.* Hæc omnia S. Thomas. Quibus eandem fuisse SS. Patrum sententiam, ac etiam præstantissimorum Philosophorum, manifestat. Vide etiam præterea opus. 15. cap. 14. aliisque in locis ubi agitur de Providentia Divina.

Confirmatur *Secundò*: quòd id non solùm affirmet Angelicus Doctor, sed manifestissimis etiam rationibus ita exigere rectum ordinem rerum demonsttet. Etenim cùm plures in quolibet effectu reperire sit rationes, quarum aliæ aliis superiores sunt; necesse etiam est, plures esse causas alias aliis superiores, quæ ejusmodi effectuum variis rationibus correspondeant, easque efficiant: ita ut hoc ordine causæ dispositæ sint, & agant; nimirum quòd, *Actio inferioris agentis non solùm sit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium; agit enim in virtute omnium.* 3. cont. Gent. cap. 70. Ita ut v. g. cùm animal generat simile, Leo Leonem, homo hominem &c. Leo ex propria sua agendi vi, & congenita virtute, efficit in Leone producto, non quidem rationem Leonis absolutè, ut statim dicendum est, sed solùm rationem Leonis in hac singulari materia; ut verò movetur à Cœlo, efficit rationem corporis alterabilis ut autem movetur ab intelligentia, efficit rationem nobiliorem viventis: ut verò movetur ab ipsomet Deo, efficit rationem omnium perfectissimam, & communissimam, ac etiam formalissimam entis, ac ipsum esse: Et cùm etiam omnes causæ mediæ ad ultimum effectum producendum concurrant; Intelligentia, virtute accepta à Deo, concurrit ad rationem viventis: Cælum ut Intelligentia movetur, concurrit ad rationem corporis alterabilis. Atque ita fit, quòd ut exigit rectus ordo, semper in inferiori agente, quod movetur, reperitur impressa virtus superioris agentis, à quo inferius agens movetur; & reperitur etiam virtus inferioris agentis quod nedum à superiori movetur, sed etiam movet, & agit aliud sibi inferius.

Et ita expressè docuit S. Thomas in 2. dist. 15. quæst. 1. art. 2. ubi explicat *Utrum corpora cælestia habeant aliquem effectum in corporibus inferioribus?* Et rejectis quorundam Philosophorum variis opinionibus: *Dicendum*, inquit, *quòd secundùm Avicennam duplex est agens, scilicet agens Divinum, quod est dans esse, & agens naturale quod est transmutans. Dico ergo quòd primus modus actionis soli Deo convenit: sed secundus modus etiam aliis convenire potest; & per modum illum dicendum est corpora cælestia causare generationem, & corruptionem in inferioribus, in quantum motus eorum, & causa omnium inferiorum mutationum. Sed cùm omnis motus sit actus motoris, & moti, oportet quòd in motu relinquatur virtus motoris & virtus mobilis. Unde ex ipso mobili, quod corpus est, habet virtutem movendi inferiora corpora, ad dispositiones corporales; ex parte autem motoris, qui est substantia spiritualis, quacumque sit illa, habet virtutem movendi ad formas substantiales, secundùm quas est esse specificum, quod Divinum esse dicitur. Relinquitur autem virtus spiritualis substantiæ in motu corporis cælestis, ad modũ quo virtus motoris relinquitur in instrumẽto: & per hunc modũ omnes formæ naturales descẽdunt à formis quæ sunt sine materia, ut Boëtius dicit primò de Trinitate cap. 2. in fine. Et comment. in 11. Metaphys. sicut formæ artificiatorũ ab artifice.*

Expressiùs verò rationem viventis in intelligentiam separatam refert 1. par. quæst. 118. art. 1. & quæst. 3. de potentia artic. 11. ad 12. 13. 14. & de spiritualibus creat. artic. 6. ad 12. & in 2. dist. 18. quæst. 2. artic. 3. ad 3. ubi iterum eandem rationem affert, quòd virtus motoris remanere semper debeat in mobili, *Supposito*, inquit, *secundùm fidem nostram, quòd Cælum sit corpus inanimatum, nihilominus tamen ponimus, quòd motus ejus sit ab aliqua substantia spirituali, sicut à motore; & cùm motus sit actus motoris, & mobilis, oportet quòd in motu non tantũ relinquatur virtus corporalis ex parte mobilis, sed etiã virtus quædã spiritualis ex parte motoris: & quia motor est vivẽs nobilissima vita; ideò nõ est incõveniens, si motus cælestis, in quantũ est in eo intentio, & virtus motoris,*

ris, per modum quo virtus agentis principalis eſt in inſtrumento; eſt cauſa vitæ materialis, qualis eſt per animam ſenſibilem, & vegetabilem. Ubi virtutem ſpiritualem nominat eandem vim agendi impreſſam, quam deinde intentionem vocat, quòd minime ſenſibus percipi poſſit.

Igitur ex S. Thoma, cùm in effectibns producendis variæ rationes ſint, neceſſe eſt varias eſſe cauſas quæ iis correſpondeant. Quod alia ratione explicat S. Thomas, cùm inquit, quòd *ſecundum ordinem effectuum oportet eſſe ordinem cauſarum*, quod toties alias retulimus, ut hic minimè ſit repetendum.

Confirmat præterea idem S. Doctor hanc ſubordinationem cauſarum, qua inter ſe ſe connexę quodam ordine agunt, ita ut prima medias moveat, & mediæ moveant ultimas: quia impoſſibile eſt ab ulla omnino cauſa in effectu eam rationem effici ſub qua ipſamet cauſa continetur, unde neceſſe eſt, à cauſa ſuperiori virtutem accipiat, qua eã rationem efficere poſſit. Atque hujus rationem iterum affert, quòd ſi quæ cauſa per ſe rationem producendam inſpiceret ſub qua ipſa continetur, quòd attinet ad virtutem agendi, per ſe etiam poſſet producere ſeipſam; ea ratione aut principio, quia cauſa quælibet, quæ naturæ vel rationis alicujus per ſe cauſa eſt, eam efficere debeat, ubicumque ea natura vel ratio invenitur. Unde neceſſe etiam eſt cauſam per ſe alicujus naturæ vel rationis ad minus uno ſemper gradu ſuperiorem, & altiorem eſſe, neque contineri poſſe eodem gradu, & veluti circulo ejuſdem rationis, & naturæ, quam per ſe, & directè inſpicit ac producit. Unde fieri non poteſt Leonem per ſe cauſam eſſe Leonis, neque hominem cauſam per ſe hominis; neque corpus alterationi obnoxium cauſam eſſe per ſe corporis alterabilis. Quæ omnia clariſſimè docet Sanctus Doctor quæſt. 3. de potent. art. 7. quem locum ex integro 1. Thom. diſſ. 1. retulimus, nec repere neceſſe eſt.

Addit verò S. Doctor, præclariſſimo Opuſc. 15. de Angelis, cap. 10. quæ cauſæ ſint, in quas variarum ſpecierum effectus referri debeant. Ita enim inquit *Alicujus naturæ vel formæ duplex cauſa invenitur: una quidem quæ eſt per ſe, & ſimpliciter cauſa talis naturæ, vel formæ: alia verò quæ eſt cauſa hujus naturæ, vel formæ in hoc. Cujus quidem diſtinctionis neceſſitas apparet, ſi quis cauſas conſideret eorũ quæ generantur. Cũ enim equus generatur, equus generans eſt quidem cauſa, quòd natura equi in hoc eſſe incipiat, non tamen eſt per ſe cauſa naturæ equinæ. Quod enim eſt per ſe cauſa alicujus naturæ ſecundùm ſpeciem, oportet quòd ſit cauſa ejus in omnibus habentibus illam ſpeciem. Cùm igitur equus generans habeat eandem naturã ſecundũ ſpeciem, oporteret quòd eſſet ſui ipſius cauſa, quod eſſe non poteſt. Relinquitur igitur quòd oportet, ſuper omnes participantes naturã equinã, eſſe aliquã univerſalem cauſam totius ſpeciei, quã quidem cauſam Platonici poſuerunt ſpeciẽ ſeparatam à materia ad modũ quo omnium artificialiũ principium eſt forma artis, non in materia exiſtẽs: ſecundùm Ariſtotelem autem hanc univerſalẽ cauſam oportet ponere in aliquo cæleſtium corporum. Unde & ipſe has duas cauſas diſtinguens, dixit, quòd homo generat hominem, & ſol.* Hæc ibi Sanctus Thomas.

Quibus illud addi poteſt quod habet in 2. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. ubi varios effectus, qui à cauſis ſublunaribus fiunt, etiam in ipſas Stellas referre videtur; quas etiam non ad ſolam viſus oblectationem in Cœlo poſitas eſſe exiſtimandum eſt, ſed quòd ad rerum inferiorum generationem plurimum conferre poſſint. *Dicendum* inquit ad 5. *quòd lux quantùm eſt de ſe, ſemper eſt effectiva caloris, etiam lux Lunæ. Unde dicit Philoſophus de partibus animal. lib. 4. cap. 5. quòd noctes pleniluniĩ ſunt calidiores: ſed præter naturam lucis, quę communis omnibus corporibus cæleſtibus, quælibet Stella habet virtutem determinatam, conſequentem ſuam ſpeciem, ratione cujus, lux ejus & motus habet vel infrigidare vel humectare, & ſic de aliis. Sicut etiam & præter motum communem, qui eſt motus diurnus, quilibet orbis habet motum proprium.* Hæc ibi. Quibus ſignificat, proprios à Stellis effectus produci. Quòd etiam 1. par. quæſt. 70. art. 2. dum explicat creationis opus quartæ diei, ex Scriptura Sacra deducit. Unde etiam 3. cont. gent. cap. 84. refert ex *S. Auguſtino in 5. de civit. Dei, quòd non uſquequaq; abſurdè dici poteſt, ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam valere ſidereos: & Damaſcenus dicit in 2. lib. quòd alii planetæ diverſas complexiones, & habitus, & diſpoſitiones in nobis conſtituunt: ideò indirectè corpora Cæleſtia ad bonitatem intelligentiæ operantur. Et ſic, ſicut medici poſſunt judicare de bonitate intellectus ex corporis complexione, ſicut ex diſpoſitione proximi: ita Aſtrologus ex motibus Cæleſtibus ſicut ex cauſa remota talis diſpoſitionis. Et per hunc modum poteſt verificari quod Ptolomæus in Centiloquio dicit: cùm fuerit Mercurius in nativitate alicujus in aliqua Domorum Saturni, & ipſe fortis in eſſe ſuo, dat bonitatem intelligentiæ medullitùs in rebus.* Quæ omnia fusè contra Picum Mirandulanum ibidem Ferrarienſis defendit; & quæ fuſiùs ipſe S. Thomas proſequitur Opuſc. 28. de Fato.

Confirmari iterum hæc omnia poſſunt luculento exemplo, cujus periculum facere quiſque facilè poſſit; ut ſe feciſſe teſtatur Vitalis in Lexico Mathematico ubi agit de Imaginibus aſtronomicis. Cùm enim ex Ptolomæo referat Divus Thomas. Opuſc. 28. art. 4. *quòd Luna exiſtente in Leone veſtes induere malum eſt*: cujus rationẽ reddit in fine Articuli: quia *ſicut radiatio periodi diſpoſitionẽ ordinis, eſſe, & durationis, imprimit rebus naturalibus, ita etiã imprimit artificiatis*: cũque hæc legiſſet Vitalis, neque his fidem haberet, experiri voluit, & periculo facto, quamvis ſuo damno, rem tamen ita eſſe comprobavit. Sed nullis meliùs quàm ipſius verbis res tota explicari poteſt. num. 25. ſic inquit. *Probatam olim nullam inprimi poſſe virtutem rebus artificialibus*

à Cæ-

à Cœlorum influxibus, sed tantùm rebus vivētibus, & naturalibus. At enim experientia duce edoctus sum etiam rebus artificialibus imprimi occultam quamdam virtutem à corporibus Cœlestibus, quam quandiù durant, retineant. Legeram in Centiloquio verbo 22. vestes nec incidendas, nec primò induendas ubi Luna fuerit in Leone collocata. Rationem mecum ipse quærens non inveni, sed nec apud scriptores, aliosq; viros doctos, quos consulvi. quę mentem firmaret. Volui periculum facere. Excluso prius omni dæmonis adminiculo, si forte se se ingereret, vestem dedita opera incidendam dedi, Luna in Leone existente, eodemque tempore indui. Mirùm! non ea duos integros menses usus sum, cùm penè tota discissa, atque combusta, perinde ac si in clibano extitisset. Cujus rei aliam causam tunc excogitare non potui, nisi Celestem constitutionem, & miram signi Leonis uredinem, quę etiam in artificialia tūc temporis facta protenditur. Quapropter optimè dixit D. Thomas. Opusc. 28. quod sicut radiatio: & alia quæ suprà retulimus. Quibus omnibus his Cajetani verbis in summâ finem imponit: *Non debemus secreta naturę, presertim Cœlestes influxus nostri ingenii viribus metiri, ut priscis Astronomis non deferamus.*

Hactenus egregius Author in eo præclarissimo opere, quo nullum Philosophis omnibus, & quibus animus est naturæ secreta explorare, & indagare utilius editum fuisse arbitror. Hujus igitur rei periculum facere quisque facilè potest: & levi damno hanc sibi certitudinem comparare, si rebus inferioribus Cælos influere dubitet.

Ex his omnibus satis liquet à Deo infimas causas moveri mediantibus superioribus, eoque pacto omnia in Deum referri, quòd virtus Dei primi moventis per intermedias causas usque ad omnium infimas deferatur. *In omnibus* enim *causis agentibus ordinatis*, inquit S. Doctor *semper oportet quòd causæ sequentes agant in virtute causę primę: sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum Celestium: & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur secundùm imperium supremi architectoris. In ordine autem causarum agentiū Deus est prima causa, ut in primo ostensum est: ergo omnes causę inferiores agentes agunt in virtute ipsius.* 3. cont. gent. cap. 67. num. 5. Et verò ut inquit eodem lib. 3. cont. gent. cap. 77. *Ad dignitatem regentis pertinet ut habeat multos ministros, & diversos sui regiminis executores; quia tantò altius & magis suū dominium ostendetur, quātò plures in diversis gradibus ei subduntur. Nulla autem dignitas alicujus regentis est comparabilis dignitati Divini regiminis: conveniens igitur est quòd per diversos gradus agentium fiat Divinæ Providentię executio.* Quibus simillima passim in D. Thoma, aliisque Patribus reperiuntur. Sed non est cur in re omnino obvia, & de qua inter omnes tum Theologos tum Philosophos convenit, diutiùs immoremur.

Quòd verò hactenus de inferioribus causis dictum est, quæ mediis superioribus à Deo moventur, etiam de ipso homine nihilo minus est dicendum, quem Deus etiam Angelorum ministerio docere, & illuminare solet: ac de ipsa voluntate quam movet medio intellectus dictamine. Atque id expressè habet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 111. art. 1. ubi statim inquit, *Quòd cùm Divinæ Providentiæ ordo habeat ut actionibus superiorum inferiora subdantur, sicut inferiores Angeli illuminantur per superiores: ita homines qui sunt Angelis inferiores, per eos illuminantur.* Idq; probat ex S. Dionysio cap. 4. de Cæleſt. Hierar. ubi Dionysius inquit: *Quod revelationes Divinorum perveniunt ad homines mediantibus Angelis.* Plurima ejusmodi addi possunt: sed cùm in eo nulla difficultas sit, & aliqua statim dicenda supersint, nihil ultrà hic addere necesse est.

Secundò voluntatem à Deo moveri medio intellectu, seù intellectus medio dictamine: Probari etiā non minùs facilè potest, & tam multis docuit Sanctus Thomas, ut nullus finis esset, si omnia quæ in eam rem habet S. Doctor, referrentur. Et quamvis Sanctus Thomas id expressè non observasset, nulla tamen ratione dubitari poterat; tum quia ita exigit ipse potentiarum ordo, quem causalitatis esse neminem latet: tum quia cùm voluntas in incognitum ferri non possit, neque esse possit ignoti ulla cupido; quis dubitet ab intellectu voluntatem quoties agit, moveri? Sed cùm intellectus primum principium movens immobile esse non possit; neque processum in infinitum inter causas per se subordinatas natura patiatur; necesse est tandem ad aliud principium altius, & melius intellectu, & ratione devenire quod Deus est. Unde prima motio, ac movendi virtus referenda est ad Deum, qui medio intellectu voluntatem movet. Atque id expressè docet Sanctus Thomas celeberrimo illo in ejus Schola ex 1. 2. quæst. 9. art. 4. ubi hanc quæstionem pertractat, *Utrum voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio?* Ita enim expressè inquit, quòd *Quantum ad exercitium actus adhuc ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri necesse est: omne enim quod quandoque est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente: manifestum est autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cùm hoc prius non vellet; necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem sicut dictum est, ipsa movet seipsam in quantum per hoc quòd vult finem, reducit seipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante. Cùm enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consequi possit, & per talem cognitionē pervenit ad hoc quòd potest sanari per medicum, & hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quòd incœperit velle sanari ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsuppositā. Hoc autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quòd in primum motū voluntatis volūtas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodā Capitulo Æthicę Eudemicę.*

Hacte-

Hactenus D. Thomas. Quibus manifestum est, moveri quidem à Deo voluntatem creatam, de ea enim agitur, *Utrum à principio exteriori, Deo scilicet moveatur*? Verùm eam voluntatis motionem refert Sanctus Thomas immediatè quidem ad intellectum, mediatè verò solùm in ipsum Deũ à quo ipsa ratio movetur. Unde sicut causæ mediæ in naturæ ordine, Dei primi moventis motionem, ac virtutem agendi ad ultimas usque causas deferunt; ita planè virtus Divina, ac Divina motio in ordine morali aut in ordine gratiæ ad ultimum dictamen practicum defertur, mediis iis actibus, qui inter primum actum ad quem Deus movet intellectum, ultimumque dictamen quo intellectus voluntatem movet, intercedunt.

Atque idem observat S. Thomas, 1. 2. qu. 109. art. 2. ad 1. ubi sic habet, *Dicendum quod homo est Dominus suorum actuum, & volendi, & non volendi, propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem vel ad aliam. Sed quòd deliberet, vel non deliberet, si hujus etiam sit Dominus, oportet quòd hoc sit per deliberationem præcedentem, & cùm hoc non procedat in infinitum; oportet quòd finaliter deveniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet à Deo, ut etiam Philosophus probat in capitulo de bona fortuna. Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri à Deo: & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur à bono propter corruptionẽ naturæ.*

Hæc S. Thomas, qui etiam similia sæpissimè alibi habet: sed post duplicem locum ex ejus Summa desumptum, supervacaneum foret plura ex aliis ejusdem Angelici Doctoris operibus loca exscribere. Vide tamen quæst. 6. de malo art. unico. Et ad Rom. 9. lect. 3. aliisque locis quàm plurimis. Frequentissimum enim est apud Sanctum Thomam principium, & sæpissimè ab ipso usurpatum: immediatè quidem intellectum moveri à Deo, sed voluntatem moveri mediatè, medio scilicet intellectu, aut intellectus ultimo dictamine, quòd Dei primi moventis motionem ad voluntatem defert.

Confirmatur *primò*, quòd ex D. Thoma primum, proprium, & immediatum principium quo voluntas movetur, sit ipse intellectus, seu ipsa ratio, quæ voluntatem in varias partes movet, ut varia objecta ipsi demonstrat, vel varia consilia capit, & tandem imperat voluntati: Ergo cùm Deus effectus per proprias causas producat, cùm inferiores causas per causas proximas, & veluti uno solùm gradu superiores moveat, ut servetur & debitus ordo, & debitus causandi modus; etiam voluntatem movet per intellectum, & rationem, itaut immediatè quidem intellectum moveat, sed mediante intellectu, & intellectus ratione seu rationis imperio moveat voluntatem.

Consequentiam ut puto, legitimam esse nemo ibit inficias. Antecedens verò infinitis propemodum locis ex Sancto Thoma probari potest. Et sanè res apertissima est. Cùm enim ut docet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 80. art. 1. *quamlibet formam sequatur aliqua inclinatio*, ac ejusdem conditionis cum forma cui annexa est; naturalem formam inclinatio naturalis consequitur, *sicut ignis ex sua forma inclinatur in superiorem locum, & ad hoc quod generet sibi simile*. Apprehensam verò per sensum formam similis, & sensitiva inclinatio consequitur, ad unum semper determinata, sicut forma singularis & ad unum semper determinata est; ac tandem universalem formam apprehensam per intellectum, ejusdem conditionis, & universalitatis inclinatio, nimirum voluntas, consequitur. *Fit* enim inquit Sanctus Thomas *Anima hominis omnia quodammodo secundum sensum, & intellectum, in quo cognitionem habentia ad Dei similitudinem appropinquant, in quo omnia præexistunt, sicut Dionysius dicit lib. de Div. Nom. cap. 5.* Unde sicut appetitus sensitivus immediatè regitur, in animalibus quidẽ æstimativa, in homine autem cogitativa, quæ particularis ratio dicitur; quia utraque seu imaginativa, seu cogitativa, apprehensam formam boni alicujus appetitui repræsentat, quo moveatur: ita etiam & voluntas altior, & nobilior appetitus, & inclinatio, regitur intellectu, qui universalis boni rationem, & formam ipsi repræsentat. Quę omnia explicat Sanctus Thomas 1. par. quæst. 81. art. 1. Unde cum à Philosopho 3. de Anima dictum est. *Quod appetitus superior movet appetitum inferiorem, sicut Sphæra superior inferiorem*, ut ibidem refert S. Thomas: sitque homo ut Philosophis, ac Patribus omnibus visum est, veluti minor mundus, qui totius universi imaginem referat, aut etiam si utriusque nobilitas spectetur, ut S. Gregorio Nazianzeno placuit, homo ipse major mundus dici debeat, cujus comparatione universum ipsum minor mundus fit, & angustior: sicut in universo una est omnium suprema Sphæra, primumque mobile, quod inferiores omnes Sphæras movet; ita planè in homine intellectus, veluti primum mobile, potentias omnes animæ rapit, ac movet. Itaut primum motum ab intellectu inchoari necesse sit: & Deus ad servandum inter causas omnes ordinem, & movendi modum, intellectum immediatè moveat, & medio intellectu moveat voluntatem, ac media voluntate inferiores potentias.

Confirmari *Secundò* potest, primum & immediatum volnntatis principium, quo movetur voluntas, esse intellectum, & rationem: quia quacumque ex parte voluntas inspiciatur, & quamlibet dotem habeat, eam veluti ex intellectu, & ratione immediatè haurit. Unde quamvis dubium esse non possit, perfectionem omnem à Deo ut primo, & pleniissimo totius boni fonte, derivari: Eam tamen primò Deus intellectui effundit, eo modo quo intellectus capax esse potest, ut inde in voluntatem derivetur. Et verò nul-

nulla major, ut satis liquet, voluntatis perfectio est quàm libertas, & in suos actus, ac mediis actibus, in res omnes dominium: Atqui libertas ab intellectu, ut immediata radice oritur, *Homo* enim, inquit Sanctus Thomas, *agit judicio, quia per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum, vel prosequendum. Sed quia judicium istud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis, ideò agit libero judicio potens in diversa ferri... Et pro tãto necesse est quòd homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod rationalis est*, seu ratione regitur, de quo alibi quàm plurima. Ergo primum, & immediatum voluntatis motivum, primum & immediatum ipsius perfectionum principium, est ratio, & intellectus. Unde & ipsam libertatem, modumque libertatis Deus in voluntate efficit, quia intellectum movet, ut cum indifferentia objecta proponat. Ex qua rationis indifferentia similis in voluntate indifferentia formalis derivatur: quamvis etiam, ne quis inde errandi occasionẽ accipiat, aliunde libertatem in voluntate creata efficiat Deus, ut alibi explicatur.

Confirmatur *Tertiò*, adeò primum, & immediatum voluntatis motivum, quo voluntas moveatur, intellectum esse; adeò primam esse regulam, & mensuram qua dirigi debeat, ut etiamsi errare aliquando intellectum contingat, similem etiam defectum voluntati imprimat. Unde perpetuò primam peccati causam, non alibi quam in ipso intellectu inquirendam esse monet Sanctus Thomas. Vide 1.2. quæst. 75. art. 1. ubi peccati causam inquirit, & ait quòd, *Voluntas carens directione regulæ rationis, & legis Divinæ, intendens aliquod bonum commutabile causat actũ peccati.* Unde illud *Omnis peccans est ignorans*: de quo Sanctus Thomas ibidem quæst. 76. ar. 1. & 78. art. 1. Sed apertiùs 3. contra Gent. cap. 10. ubi inquirit causam mali, & primam peccati radicem, & ita quæstionem resolvit: quòd *Sicut appetitus sensitivi proprium motivum est vis apprehensiva sensualis, ita voluntatis propriũ motivum est ratio ipsa.* Atque inde primam peccati causam repetit, quòd *Cujuslibet activi principii perfectio virtutis ex superiori activo dependet; agens enim* (quodlibet) *secundum agit per virtutem primi agentis. Cùm igitur secundum agens movet sub ordine primi agentis, indeficienter agit; deficit autem in agendo, si cõtingat ipsum ab ordine primi agentis deflecti; sicut patet in instrumẽto, cũ deficit à motu agentis.* Unde cùm voluntas à ratione ut proprio motivo moveatur, si ab eo ordine rationis recedat, sequitur in actione voluntatis malum morale. Atque idem repetit quoties eandem quæstionem pertractat. Quo eodem sensu, præter jam superius dicta, inquit 1.2. quæst. 71. art. 6. dum iterum veram peccati causam inquirit: quòd *Actus humanus fit malus, ex eo quòd caret debita commensuratione; omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata est. Regula autem voluntatis est duplex, una propinqua, & homogenea scilicet ipsa humana ratio: alia verò est prima regula, scilicet lex æterna quæ est quasi ratio Dei.* Ergo ex S. Thomæ sententia primum, & immediatum principium quo voluntas movetur, prima regula qua dirigitur. est intellectus & ratio: Ergo iterum cùm Deus inferiores causas per superiores moveat, aut cùm etiam quamlibet causam moveri necesse sit, ut moveri nata est, nisi prætermittatur communis ordo Providentiæ Divinæ; necesse est Deum quidem immediatè intellectum movere, sed medio intellectu, & intellectus dictamine movere voluntatem. Unde & hæc comparatio iniri potest Deum inter ut est primum agens, primumque principium movens; & Deum etiam, ut est suprema ratio, & prima regula cujusque voluntatis. Deus enim ut suprema ratio & lex æternæ regulat dirigitque voluntatem; at mediatè solùm, quatenus ipsius Divinæ rationis, & legis æternæ radius quidam impressus est humanæ rationi: at verò humana ratio, ut regula proxima, & homogenea, regulat voluntatem: Ergo etiam pari modo Deus voluntatem quidem movet: sed mediatè quatenus intellectum ipsum movet: sed deinde intellectus ipse dictamine practico, ac imperio, immediatè applicat voluntatem. Quamvis tamen discrimen sit, quòd cùm Divina motio de qua hic loquimur, sit in ordine physico, lex verò æterna quæ regit voluntatem, sit in ordine solùm morali; æterna lege immediatè voluntas regulari, & regi non possit, sed solùm medio intellectu, ut est quædam participatio Divinæ legis, & ut habet lumen impressum Divinæ rationis: at verò voluntas etiam immediatè moveri possit ea motione, quæ est in ordine physico, ut infra est explicandum.

Confirmatur. *Quartò*, & ad hanc rationem altera non ab similis revocari potest: quòd scilicet cum voluntas ob innatam sibi libertatem, circa plura versari possit, & ad illa indifferens sit, quod sæpius Divus Thomas ex Aristotele rationalibus potentiis tribuit; ut hæc voluntatis indifferentia solvatur, ad intellectum recurrat Sanctus Doctor, & ad judicium rationis, quod voluntatem suspensam, & in utramque partem æque propendentem determinat. Quod principium adeò certum existimat, ut etiam in Deo locum habere doceat in 2. dist. 25. ubi inquirit utrum in Deo sit liberum arbitrium? ita enim inquit, *Dicendùm quòd nihil agit, nisi secundùm quòd est in actu: & inde est, quòd oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem: quod enim ad utrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potentia respectu utriusque; & inde est, ut dicit Comm. in 2. physic. quòd ab eo quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur: determinatio autem agentis ad aliquã actionem, oportet quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem illi actioni*: Ac deinde discrimen refert inter agentia creata, quorum alia præstituunt sibi finem, alia verò à superiori agente præfixum sequuntur: Sed tamen nullum liberum omnino est quod ab ipsa ratione determinationem non habeat. Quod expressissimè

fissimè adhuc, etsi paucioribus verbis, repetit quæst. 3. de Malo artic. 3. ad 5. ubi inquit, *Quòd voluntas, cùm sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per judicium rationis*. Ex quibus ita concludo: Ergo cùm Deus naturam quamlibet, & causam moveat ac determinet, ut nata est moveri; & voluntas nata sit moveri, & determinari, immediatè ab ipsa ratione practica, quæ hujus indifferentiam solvit; ita etiam reipsa moveri, & determinari, existimandum est: immediatè quidem à judicio rationis, media verò ratione determinari à Deo. Et sanè, cùm ut diximus, voluntas natura sua cœca sit, quo pacto ageret, nisi præiret intellectus, ipsamque duceret? Non enim Deus hominem movere existimandus est, si de ea potissimum motione peculiari sermo sit, qua ad virtutem impellit; ut olim Caipham movit etiam nolentem, aut nihil saltem ejusmodi cogitantem, cùm ipsum ad prophetandum impulit, cujus dumtaxat linguam ut instrumentum, non verò mentem movit, inquit Sanctus Thomas, in Joan. 11. lect. 7. ut Passionis Christi utilitatem, ac necessitatem universo mundo denunciaret: *Cùm ejus tamen intentio*, ut inquit Sanctus Augustinus lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 22. *non haberet voluntatem prophetandi*: Aliter Deus hominem ad virtutem movet, ut scilicet meritum sibi comparet; quod tamen nullum esset, nisi voluntatem ipsa ratio præiret, quæ prima est radix libertatis.

Confirmari *Quintò* potest, Deum movere voluntatem medio intellectu, & intellectus dictamine, ex eo quòd si quid prohibere posset, Deum eo pacto voluntatem movere, esset maximè, quod ea motio Divina infallibilis esse debeat, ac infallibiliter cùm actu voluntatis conjuncta: quæ infallibilis connexio immediatæ intellectus motioni deesse forsitan videri posset: Atqui reipsa ea infallibilis connexio motioni intellectus non deest, ex certa D. Thomæ sententia. Et sanè aliàs à nobis probatum est, & ex Angelico Doctore planè demonstratum, judicium intellectus practicum, ac rationis dictamen, & imperium ultimum, ita voluntatem movere, ut omnino repugnet voluntatem intellectui, & rationi imperanti dissentire, & reluctari. Atque in eo omnes S. Thomę Discipuli conveniunt, ipseque Bellarminus quem alias retulimus Differt. 2. quæst. 1. art. 3. ubi probatum est non pertinere ad libertatem, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis, possit voluntas quocunque sensu agere, & non agere. Et verò res etiam aperta est; quia cùm voluntas potentia cœca sit, nec possit unquam nisi in bonum præcognitum ferri, & majus semper bonum voluntas minori præeligat, si cùm intellectus unum eligendum voluntati prosequendum proponit, v. g. castitatem servandam; voluntas alterum eligeret, scilicet indulgendum voluptati; necesse foret, quòd altera esset cognitio, quæ voluptatem castitati anteponendam proponeret. Unde alterum rationis judicium, quod castitatem servandam proposuisset, non fuisset ultimum, absolutumque, & efficax judicium; atque inde fit quòd si interdum contingat, rationi imperanti voluntatem non parere, ac subjici, ejusmodi judicium non esse plenum, efficax, & absolutum.

Atque id expresè docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 17. artic. 5. Cùm explicat, intellectum etiam voluntati imperare: ubi, cùm ex Sancto Augustino sibi objeciset 8. Confes. cap. 9. *Imperat animus ut velit animus, nec tamen facit*: Respondet, *quòd sicut Augustinus ibidem dicit, animus quando perfectè imperat sibi ut velit, tunc jam vult: sed quòd aliquando imperet, & non velit, hoc contingit ex hoc quòd non perfectè imperat. Imperfectum autem imperium*, prosequitur Sanctus Thomas, *contingit, quòd ratio ex diversis partibus moveatur ad imperandum, vel ad non imperandū, unde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat*: Ergo ex S. Thoma infallibilis est inter rationis dictamen ultimum quod voluntatis imperat ut agat, & ipsam voluntatis operationem connexio.

Nec dubitari potest quin D. Thomas verissimum D. Augustini sensum attigerit. Ita enim inquit Divus Augustinus loco citato lib. 8. Confes. cap. 9. *Unde hoc monstrum, & quare illud? imperat animus corpori, & paretur statim: imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tāta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium. Et animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum, & quare istud? Imperat inquam ut velit, & non imperaret nisi vellet, & non fit, quod imperat. Sed non ex toto vult: non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult, & in tantum non fit quod imperat, in quantum nō vult. Quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique plena imperat, ideò nō est quod imperat, nam si plena esset, nec imperaret ut esset, quia jam esset. Non igitur monstrum est partim velle, partim nolle; sed ægritudo animi est quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus. Et ideò sunt duæ voluntates, quia una earū tota non est, & hoc adest alteri, quòd deest alteri.* Hæc ibi; ex quibus liquet verissimam esse ac legitimam D. Thomæ interprætationem.

Igitur nihil est quòd repugnet à Deo voluntatem moveri medio intellectus dictamine: quod etiam aliunde ita esse propter potentiarum ordinem, & connexionem, necesse est. Unde instaurari hac forma iterum superius argumentum potest. Hoc Divinæ Providentiæ leges ferunt, ut causæ omnes, & potentiæ moveantur, quomodo moveri natæ sunt ac dispositæ, cùm maximè eum ordinem inverti nihil suadeat: Atqui voluntas potentia est nata moveri à rationis dictamine, ut immediato movente principio: Ergo ita sentiendum est, Deum movere intellectum medio intellectus dictamine: ita ut vis Divinæ motionis, qua Deus intellectum movet, mediis variis actibus, inquisitionis, consultationis, deliberationis, aliisque, quos Sanctus Thomas enume-

rat Prima secundæ, & nemo nescit in ea operationum intellectus, & voluntatis œconomia invicem connecti usque dum ad ultimam voluntatis operationem deferatur : non secus ac suprà diximus, Divinæ motionis vim, & ut vocat Sanctus Thomas intentionem, media Intelligentia, mediisque Ordibus cælestibus, ad infimas causas, rerumque effectus deferri. Attamen cum eo argumento probari videatur, inutilem esse immediatam motionem, qua voluntas immediatè à Deo moveatur, cùm voluntas eo judicio rationis determinari possit ; hoc argumentum infra ex Sancto Thoma solvemus.

Confirmatur demum : & certam esse Angelici Doctoris sententiam, scilicet à Deo inferiores causas mediis superioribus, & voluntatem medio intellectu moveri, probari potest iterum ex eodem S. Thoma 3. cont. Gent. cap. 67. Quod caput integrum aliàs explicavimus : ubi utramque partem, & quod ad inferiores causas spectat, & quod ad voluntatem pertinet, simul conjungit. Sic igitur habet. *Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis; artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, sicut cocus decoctionis quæ est per ignem,* (quem scilicet applicat.) *Sed omnis applicatio virtutis ad actionem est principaliter, & primò à Deo; applicantur enim virtutes operativæ ad propriam operationem per aliquem motum, vel corporis, vel animæ. Primum autē principium utrinsq; motus est Deus, est enim primū movens immobile : & similiter omnis motus voluntatis quo applicātur aliquę virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile, & primum volentem : omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo, & principali agenti.*

Hæc Sanctus Thomas. Cujus rationis ea vis est, quòd cùm quælibet causa corporea, & inferior à superioribus, moveatur ; neque tamen corpus cæleste possit esse primum principium immobile, necesse est revocari cujusque causæ motum in Deum ipsum primum immobile principium, quòd mediis cælestibus corporibus inferiores omnes causas movet. Pariter etiam in homine nulla potentia est, quæ à voluntate non moveatur, quæ primum est ad executionem movens principium. Verùm cùm nec ipsa voluntas primum principium immobile esse possit, necesse est ipsum voluntatis creatæ motum in Deum reduci, qui cùm sit primum volens, prima etiam est creatæ voluntatis regula, & primum movens. Unde Deus primò, voluntatem movet, & media voluntate movet cæteras potentias. Eadem ratio est de intellectu. Nunquam fieri potest, ut quidquam voluntas velit, aut agat, nisi præeat intellectus, ab eoque voluntas moveatur : sed cùm etiam intellectus immobile primumque principium esse non possit, necesse est, intellectum moveri à Deo primo intelligibili ac primo intelligente, & omnium intellectuum mensura, & regula. Unde primum in homine mobile erit censendus intellectus, à quo movetur immediatè voluntas, quæ deinde cæteras omnes potentias movet. Cùm verò Deus intellectum moveat, ipsius motio medio intellectu ad voluntatem, ac deinde media voluntate ad cæteras potentias descendet : Ergo immediatè quidem intellectus movetur à Deo, mediatè verò voluntas.

Hactenus eam sententiam explicavimus ; inferiores scilicet causas mediis superioribus, ac voluntatem medio dictamine intellectus moveri : quod à nemine unquā quod sciam, negatū est, imo nec etiam in controversiam vocatum : cùm ex illo communi principio toties decantato, Divinæ providentiæ legem esse, ut inferiora per superiora regat, & administret, satis demonstretur. Et si nihil aliud Josephus à Vita existimasset, facilè omnium assensum, & aliquem etiam plausum obtinuisset : sed non erat cur in cæteros S. Thomæ Discipulos inveheretur, quasi certam Angelici Doctoris sententiam deserviissent, & quos in rectam semitam, à qua longo errore deflexissent, revocare deberet.

Verùm cùm ex ea certa D. Thomæ sententia, duo Josephus deducat, alterum scilicet Deum mediatè solùm, non autem immediatè voluntatem movere : alterum verò quòd cæteros S. Thomæ Discipulos reprehendendos esse existimet, & graviter, ac duriùs etiam, aliquando ipsos reprehendat, quòd ex communi certoque principio remotissimam, & per ingentem saltum consequentiam deduxerint : nimirum quòd cùm à D. Thoma, post Aristotelem, probatum, & demonstratum sit in Deum ut primum principium immobile cujusque generis motum esse revocandum ; inde intulerint, Deum immediatè causas omnes movere : quod inquit, nisi per saltum fieri non potuit, prętermissis scilicet causis intermediis. Equidem enim inquit, Deus plantam ad emittendum florem movet, sed non nisi mediis Cæli influxibus : Deus voluntatem ad rectam operationem movet, sed non nisi medio intellectus dictamine : unde non potuit inquit, nisi per saltum, ex eo quòd Deus sit primum principium immobile, ac primum movens inferri, immediatè Deum causas inferiores, & voluntatem movere.

Verùm plurimùm, & à vero, & à certissima S. Thomæ sententia, aberrasse Josephum omnino in me demonstrandum suscipio, duplici sequenti articulo. In primis quia nedum mediatè ; sed & immediatè voluntatem à Deo moveri certissima est S. Thomæ, imo & fidei ut arbitror sententia, etsi de motionis, & modo, & vi dubitari possit : deinde, quia etsi Deus solùm mediatè, & causas omnes, & voluntatem moveret : attamen quia cùm vis ipsius motionis Divinæ, & veluti intentio ad causas omnes deferatur, legitimè nec per saltum, sed immediata consecutione deducitur, quòd cùm Deus sit primum principium immobile, cujus motio ad omnia pertingat, & cujus vis omnibus causis immediatissima sit ; causas omnes inferiores, ipsamque voluntatem

tem, habita ratione non rerum quæ intercedunt, ſed virtutis quæ immediata eſt, Deum immediatè cauſas omnes, & voluntatem movere eo demonſtratum.

ARTICULUS VIII.

Etſi Deus inferiores cauſas mediis ſuperioribus, & voluntatem medio intellectus dictamine moveat, vim tamen motionis Divinæ, & cauſis inferioribus, & voluntati immediatam eſſe.

COmmunem pro S. Thomæ Schola, ſeu Angelici Doctoris Diſcipulis defenſionem ſuſcipimus: neque ullum eſſe hiatum demonſtramus, ſi ex eo quòd Deus ſit primum principium immobile, conſequi exiſtimaverint D. Thomæ Diſcipuli, nulla habita ratione, aut facta mentione, cauſarum quæ intercedunt, cauſas ſecundas moveri à Deo. Duo igitur demonſtranda: ſunt *Primum*, nullum vitium eſſe ſi prætermiſſis cauſis mediis dictum ſit inferiores cauſas à Deo immediatè moveri: *Secundum*: Idque potiſſimum ea ratione potuiſſe fieri, quia virtus Divina immediata eſt cauſis inferioribus.

Primò igitur probatur ſine ullo demonſtrationis vitio potuiſſe probari Deum cauſas inferiores movere prætermiſſis cauſis mediis. Probatur inquam, quia, cùm difficultas verſaretur inter S. Thomæ Diſcipulos, alioſque extra ipſius Scholam Recentiores, utrum phyſica, & prævia motione Deus moveret voluntatem, eaque motio ſua vi, & efficacia actum voluntatis efficeret; an verò ſuſpenſa eſſet ea motio ex voluntatis conſenſu, quem prævideri neceſſe foret ſcientia aliqua media, quæ poſt exploratum, & prævisum conſenſum opportuna ſuppeditaret media, ne alioquin quòd voluntas Divina decreviſſet, humana voluntas libertate ſua impediret: huic uni probationi incumbendum erat S. Thomæ Diſcipulis, illudque conſtituendum: ſcilicet eam motionem Divinam eſſe phyſicam, & ſua vi actuum omnium cauſarum ipſiuſque voluntatis effectricem; ac inutilem eſſe negotio ſalutis peragendo ſcientiam medicam; quæ præterea plurima ſecum, eaque gravia incommoda inveheret. At verò de cæteris hujus motionis conditionibus, non erat cur admodùm eſſent ſoliciti; dummodo quod erat unicum in controverſia poſitum certò conſtaret; ſcilicet, & phyſicam, & prævium eſſe motionem Divinam, ſuaque ipſa vi, & rejecta quacumque exploratione voluntatis, actum voluntatis efficeret. Unde facilè Joſephus poterat cæteros S. Thomæ Diſcipulos defendere, aut etiam eorum conſilium probare; quòd utili, & opportuno compendio uſi, non verò ſaltu aut caſu dejecti, ex eo quòd Deus eſt primum movens immobile à Deo omnia moveri phyſica, & prævia motione, de qua quæſtio verſabatur, intuliſſent.

Secundò: & Confirmatur, cur enim ita non intuliſſent, cùm ipſemet S. Thomas cujus philoſophandi modum imitari ſibi honori ducebant, ita etiam quam ſæpiſſimè intulerit, nullaque mentione facta earum cauſarum quæ mediant, Deum quia eſt primum agens, & principium immobile, cauſas omnes ac voluntatem movere docuerit. Enim verò ut ex ſola S. Thomæ Summa quæ omnium Theologorum manibus teritur, id aperte demonſtremus: 1. par. quæſt. 105. art. 4. ubi inquirit, *Utrum Deus poſſit movere voluntatem.* Reſpondet, *Dicendum, quòd ſicut intellectus ut dictum eſt, movetur ab objecto, & ab eo qui dedit virtutem intelligendi, ita voluntas movetur ab objecto quod eſt bonum, & ab eo qui creat virtutem volendi. Poteſt autem voluntas moveri ſicut ab objecto à quocumque bono, non autem ſufficienter, & efficaciter niſi à Deo ..... Unde ipſe ſolus implet voluntatem, & ſufficienter eam movet ut objectum. Similiter autē & virtus volendi, à ſolo Deo cauſatur. Velle autem nihil aliud eſt, quàm inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod eſt bonum univerſale. Inclinare autem in bonum univerſale eſt primi moventis, cui proportionatur ultimus finis; ſicut in rebus humanis dirigere ad bonum humanum, eſt ejus qui præeſt multitudini. Unde utroque modo propriè eſt Dei movere voluntatem, ſed maximè ſecundo modo, interiùs eam inclinando.*

Hæc Sanctus Thomas. Ubi ex eo quod *Deus ſit primum movens*, infert, Deum *movere voluntatem eam interiùs inclinando*. Ubi nam verò longus ille diſcurſus qui cauſas omnes medias percurrat; ut deveniat tandem ad judicium rationis, quo immediatè voluntas moveatur? Nec verò Sanctus Thomas immanem hiatum in eo diſcurſu, prætermiſſis omnibus cauſis mediis, reliquit. De ea re non agebatur, ubi de Divina motione quæſtio erat. Ubi quidem de providentia Divina agendum fuit, non eſt unquam hic ordo à Sancto Thoma prætermiſſus, ut ſæpiùs ſupra retulimus: quia præcipuum Divinæ Providentiæ munus eſt, ut per ſuperiora adminiſtret inferiora. At verò ubi de motione Divina agitur, Deus ut primum movens, cætera omnia indiſcriminatim, ut ſecunda agentia inſpiciuntur. Unde non per ſaltum, ſed compendio infertur, & quidem legitimè, niſi novæ Dialecticæ leges condantur: Neceſſe eſt ut primum agens moveat ſecundum. Voluntas eſt ſecundum agens; Ergo neceſſe à Deo voluntatem moveri.

Confirmatur *Tertiò*, & apertiùs ex ſequenti articulo quinto, ubi inquirit Sanctus Thomas, *Utrum Deus operetur in omni operante?* Et quamvis videri poſſet, latiſſimè inſtitutam quæſtionem de omni operante, exigere ut Sanctus Doctor explicaret diſcrimen cauſarum, & rerum, in quibus operatur, & ordinem agentium, quæ hujus operatio-

rationem recipiunt; inutilem tamen rem futuram existimavit Sanctus Doctor, & ut diximus, compendio usus, ex eo quòd Deus sit primum agens, & cætera omnia ea ratione conveniant, quòd sint secunda agentia, in quibus necesse est primum agens operari; statim intulit, nec præproperam ac præcipitem consecutionem esse existimavit, Deum in omni operante operari. Et primò quidem advertit, *Quod Deum operari in quolibet operante, aliqui sic intellexerunt, quòd nulla virtus creata aliquid operaretur, puta quòd ignis non tale faceret, sed Deus in igne.* Hanc immediatam Dei operationem, quæ causas medias excludit, & operatrices causarum virtutes otiosas, & inertes relinquit, refellit Divus Thomas. Alioquin enim existimatum esse à Sancto Doctore Deum immediatè in rebus operari; sicut & eas immediatè conservare infrà abundè ostendemus. Rejecto autem hoc otiosorum Philosophorum errore quæstionem resolvit: Et cùm triplex causarum genus distinxisset, quæ sunt operationis principia; scilicet finem, agens, & formam: *Secundùm hæc tria* inquit *Deus in quolibet operante operatur. Primò quidem secundùm rationem finis. Cùm enim omnis operatio sit propter aliquod bonum verum vel apparens, nihil autem est vel apparet bonum, nisi secundùm quòd participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus; sequitur quòd ipse Deus sit cujuslibet operationi, causa, ut finis. Similiter considerandum est, quòd si sint multa agentia ordinata, semper secundùm agens agit in virtute primi. Nam primũ agens movet secundùm ad agendum, & secundùm hoc omnia agũt in virtute ipsius Dei: & ita ipse est causa omnium actionum agentiũ. Tertio considerandum est, quòd Deus movet non solùm res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum, qui tamen interdum formam securi non tribuit, sed etiã dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in esse. Unde non solùm est causa actionum, inquantum dat formam quæ est principium actionis, sicut generans dicitur esse causa motus gravium, & levium, sed etiam sicut conservans & formas, & virtutes rerũ; prout sol dicitur causa manifestationis colorũ, in quantũ dat, & conservat lumen, quo manifestãtur colores. Et quia forma rei est intra rem, & tãtò magis, quantò cõsideratur ut prior, & universalior; & ipse Deus est propriè causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus: sequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur. Et propter hoc in Sacra Scriptura operationes naturæ Deo attribuuntur, quasi operanti in natura, secundùm illud Job. 10. pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me.*

Hæc S. Thomas. Ubi ex eo quòd *semper secundùm agens agit in virtute primi; nam primum agens movet secundum ad agendum;* statim refert quòd *secundùm hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei* primi agentis. Nimirum quia cætera omnia agentia eodem loco reponit secundorum agentium. Unde perinde est quemcunque ordinem servent inter se: ea solùm ratione quòd sint secunda agentia, necesse est à primo agente moveri. *Et ita*, inquit, *ipsa virtus*, & motio Divina *est causa omnium actionum agentium*. An verò non sit legitima hæc consequentia, & hujus totius Argumenti forma non sit ex arte rectè composita? *semper secundùm agens agit in virtute primi*, & secundum movetur à primò: Atqui ignis, atqui voluntas est secundùm agens: Ergo ignis, ergo voluntas agit in virtute primi agentis Dei, & à Deo ad agendum movetur. Quis verò quantumvis contentionibus assuetus, in eo Argumento aut hiatum, aut præcipitem saltum esse causetur?

Dices ignem esse quidem secundùm agens, sed non esse immediatum, & in eo agentium ordine, à primò agente longiùs ignem remotum esse, nimiumque distare, ut statim, & prætermisso tam longo intervallo, quod intercedit, legitima consecutione statim deduci possit, ignem à Deo moveri.

Sed si ita necesse est, cur eum ordinem prætermisit D. Thomas, nec monuit nos lentè, & per gradus esse progrediendum: scilicet à Deo primò agente ad primam intelligentiam, ab Intelligentia ad primum mobile, à primo mobili ad planetam Solis qui causa generationum dicitur, & à Sole ad ignem, qui ultimò, & mediate solùm Dei primi agentis motionem recipiat? sed inutilem planè longum illum progressum Sanctus Thomas existimavit: compendio usus est, & ex eo quòd *semper secundùm agens agit in virtute primi, nam primũ agens movet secundum ad agendum*, & Deus sit primum agens, ignis autem secundum, statim infert, ignem à Deo moveri ad agendum. Statim enim subdit: *Et secundùm hoc, omnia agunt in virtute ipsius Dei: & ita ipse est causa omnium actionum agentium*. Cur verò Angelici Doctoris Discipulis non licuit, quod ab ipsomet usurpatum est quodque summæ audaciæ, & temeritatis esset in S. Thoma reprehendere?

Confirmatur *Tertiò* quòd parùm hæc Josephi cogitatio ab eorum errore abesse videatur, qui ut dictum est suprà, & ex D. Thoma observatum, à Deo dumtaxat primam Intelligentiam oriri, & moveri imaginabantur; à prima secundam, & deinde ordine quodam, oriri & produci etiam corpora, quæ eo imperfectiora essent, quo longiùs à primo ente recederent. Et quidem aliquo pacto servari hunc ordinem, & rerum omnium longam seriem per varios gradus produci, & protrahi, eamque esse decantatam à Pythagora, & Homero, aliisque Veteribus catenam e Cælo delapsam, nos ipsi ultro admittimus. Sed aliud præterea contendimus esse addendum, scilicet nedum mediatè à primo agente ultima agentia moveri, diffusa per omnes causas medias Divina motione; sed moveri etiam immediatè à Deo: tum quòd Divinæ motionis vis, & veluti intentio, immediatè ad omnes causas perveniat: tum quòd ipse Deus intimè rebus omnibus præ-

sens,

ſens, etiam immediatè eas moveat, ut Articulo ſequenti proſequemur. Neque id prætermiſit S. Thomas illo eodem loco quem verſamus: nam deinde inquit, *Et quia forma rei eſt intra rem, & tantò magis quantò conſideretur ut prior, & univerſalior; & ipſe Deus eſt propriè cauſa ipſius eſſe univerſalis in rebus omnibus, quod inter omnia eſt magis intimum rebus, ſequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur*. Cujus rationis ea vis eſt. Proprius effectus Dei, primi & univerſalis agentis eſt ipſum *eſſe*, quo intimius nihil rebus eſſe aut etiam fingi poteſt, ulla etiam virtute niſi Divina attingi, & fieri poteſt *eſſe*, Dei primi agentis effectus: Ergo neceſſe eſt ut Divina virtute *eſſe* quod rebus intimum eſt fiat: atque adeò quod ipſa Divina virtus ad ipſum rebus intimum *eſſe*, immediatè perveniat. Sed apertiùs eam rationem aliis in locis explicat S. Thomas.

Secundum verò quod explicandum ſuſcepimus eſt, quòd quamvis Deus dumtaxat mediis cauſis ſuperioribus inferiores moveret, attamen cũ Dei moventis virtus etiam inferioribus cauſis immediatiſſima ſit, & eſſe debeat; etiam immediatè, & immediatiſſimè movere cauſas omnes Deus dicendus ſit. Unde nec meritò reprehendi poſſunt S. Thom. Diſcipuli, quòd ex eo quòd Deus ſit primum movens à quo neceſſe eſt cætera omnia agentia moveri, ſtatim, & immediatè intulerint, Deum cauſas omnes inferiores movere. Et verò ita expreſsè docuiſſe S. Thomam, apertiſſimè & ut ita dixerim Homericis etiam oculis demonſtrandum ſuſcipio. Etenim quæſt. 3. de potent. art. 7. ſic expreſsè inquit. *Si conſideremus ſuppoſita agentia, quodlibet agens particulare eſt immediatum ſuo effectui: ſi autem conſideremus virtutem qua fit actio; ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtutes inferiores. Nam virtus inferior non conjungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in lib. de cauſis, quod virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum*.

Hæc ibi S. Thomas. Ergo ex ipſo Angelico Doctore, cùm Deus cauſas ſecundas movet, etſi mediis ſuperioribus inferiores cauſas moveat, attamen virtus qua Deus eas movet, intimior eſt, ac immediatior effectui, quàm ſit ipſa virtus cauſæ ſecundæ inferioris. Atque id probat S. Thomas. Primò quidem ratione, quia ſcilicet *virtus cauſæ inferioris non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris*. Etenim cùm cauſa veluti in otio eſſe concipitur, & nondum agit; undenam habet quòd illud veluti otium ſoluatur, & cauſa agat? hoc ſcilicet habet ex virtute ſuperioris: Ergo ſuperioris cauſæ virtus conjungit inferiorem cauſam cum effectu, eam in actum reducit, eam applicat, & quo nihil apertiùs aut nervoſius dici poteſt, ut loquitur S. Thomas, *eam conjungit effectui*. Ergo virtus cauſæ ſuperioris immediatiſſima effectui dicenda eſt; immo immediatior effectui, quàm ſit ipſa virtus cauſæ inferioris, à qua immediatè effectus producitur.

Confirmatur *Primò* ex eodem D. Thoma à quo aſſertur additurque authoritas Philoſophi, quem inter præſtantiſſimos eſſe, neminem latet, quiſquis is ſit, cui liber de cauſis tribuendus eſt à quo D. Thomas dictum refert, quòd *virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum*: Ergo ſi vehementiùs, & intimiùs; etiam ac profundiùs, & immediatiùs virtus primæ cauſæ agit. Quid enim immediatum magis, quàm quod rem omnem, atque hujus omnes receſſus, ut ita dixerim, intimiſſimos profundiſſimè pervadit?

Confirmatur *Secundò* ex eodem D. Thoma Idem enim repetit 3. cont. Gent. cap. 70. ubi cùm explicat, *quomodo idem effectus ſit à Deo, & à naturali agente*: Ita expreſsè inquit: *Sicut agens infimum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum. Nã virtus infimi agentis non habet quòd producat hũc effectum ex ſe, ſed ex virtute ſuperioris, & virtus illius ex virtute ſuperioris ..... Et ſic virtus ſuperioris agentis invenitur ex ſe productiva effectus quaſi cauſa immediata: ſicut patet in principiis demonſtrationum, quorum primum eſt immediatum. Sicut igitur non eſt inconveniens, quòd una actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute; ita non eſt inconveniens quòd producatur idẽ effectus ab inferiori agẽte, & à Deo, ab utroque immediatè, licet alio, & alio modo*.

Nihil ſane expreſſius aut verius dici unquam poteſt. *Sicut agens infimum invenitur immediatũ activum*, ac immediatè effectum producit: *Ita virtus primi agentis*, ſcilicet Dei, *invenitur immediata ad producendum effectum*. Nec verò neceſſe eſt de cauſis mediis admodum ſolliciti ſimus: eas omnes virtus Divina, & Divinæ artis *intentio*, ut alibi loquitur S. Thomas, pertranſit, ac per eas deducitur, & ad ultimam cauſam pertingit, & hujus ultimæ cauſæ activam virtutem virtus Divina, altior, & univerſalior in actum reducit: quia *virtus infimi agentis non habet, quòd producat hunc effectum ex ſe, ſed ex virtute ſuperioris agentis*: Ergo virtus ſuperioris agentis non poteſt non eſſe immediatiſſima effectui cauſæ inferioris: immo non poteſt non eſſe immediatior, quàm ſit ipſa virtus cauſæ inferioris: cùm ipſa virtus ſuperioris cauſæ media ſit, & veluti vinculum virtutem cauſæ inferioris cum ſuo effectu connectat. Quo ſenſu propriiſſimè ut alias dictum eſt, efficit cauſa ſuperior, ut inferior agat. Atque ut addit S. Thomas, *Id patet in principiis demonſtrationum, quorum primum eſt immediatum*. Fit enim demonſtratio, ut inter prima Dialecticę rudimenta Tirones addiſcunt, ex primis, veris, & immediatis, cauſiſque concluſionum. Quo verò ſenſu primum demonſtrationis principium immediatum eſſe poſſit, ſi aliud medium ſit quo concluſio inferatur? ſcilicet eo ſenſu, quòd quantumvis aliud medium requiratur, & intercedat, non agit tamen niſi in virtute primi, & univerſaliſſimi principii, cujus virtutem alterum inferius defert. Unde ſi demonſtrandi vis ratio habeatur; primum principium immediatum dicendum

cendum est: ex eoque si, ut dixi, demonstrandi vis ratio habeatur, non mediatè sed immediatè concluſio infertur. Ergo etiam cùm eundem ordinem inter cauſas omnes quæ agunt ſervari neceſſe ſit, qui in demonſtrationibus ſervatur: etiam neceſſe eſt virtutem cauſæ primæ, ſeu primi agentis, cæteris omnibus inferioribus cauſis agentibus immediatiſſimam eſſe, atque ad ultimum inferioris cauſæ, & ultimæ effectum pervenire; cùm hujus ultimæ cauſæ virtutem cum ipſius effectu conjungat.

Confirmatur *Quartò*: & alter adhuc D. Thomæ locus referendus eſt, ne quiſquam receptiſſimam eſſe à Divo Thoma ſententiam in dubium vertat. Locus ille ex 1. diſt. 12. quæſt. unica art. unico ad 5 deſumptus eſt, ubi ſic habet. *Dicendum quòd quando ſunt multæ cauſæ agentes ordinatæ, poſſunt dupliciter conſiderari ſecundùm quòd eſt duo invenire in agente; ſcilicet ipſum agens, quod excercet actionem, & virtutem ipſius quæ eſt principium actionis. Si igitur conſiderentur cauſæ agentes ordinatæ ſecundùm rationē agentis, cujus eſt agere; ſic quantò agens eſt poſterius, tantò magis eſt proximū, & immediatum ad actionum, & ad id quod per actionem educitur: Si autem conſiderentur quantùm ad virtutem, quæ eſt principium operationis; quantò cauſa magis prima, tantò eſt magis immediata; eo quòd agens ſecundum non agit, niſi in quantum eſt motum à primo, & ſecundùm quod virtus primi eſt in ipſo. Unde oportet ut ſemper reſolvatur virtus ultimi agentis in virtutem agētis primi: v.g. quod plāta generet plātā, hoc habet à virtute Solis; & quòd Sol moveat ad generationē plantæ, habet à virtute motoris ſui, quicumque ſit ille. Et inde eſt, quòd quia Deus eſt agens primū, ipſe immediatiùs ſe habet ſecundū virtutē ſuam ad quālibet operationem naturæ, quā aliquod agens naturale. Et inde eſt etiā, quòd propoſitiones primæ dicūtur immediatæ, quia prædicatū non conjungitur ubiecto per virtutem alterius cauſæ præcedentis.*

Hæc Sanctus Thomas. Quibus ſanè velle aliquid addere, eſſet plane velle Soli lucem afferre. Igitur, ut quod unum de eſſe poteſt, & ea quæ de cauſis in ordine naturæ ab Angelico Doctore dicta ſunt ad ordinem moralem, & ſupernaturalem etiam referantur: Non negaverim equidem, voluntatem immediatè ab intellectu ac judicio rationis moveri, & imperio practico, quo immediatè applicetur ad opus; ſed negandum omnino, ideò voluntatem à Deo mediatè ſolùm, & non immediatè moveri. Nam & à Deo immediatè movetur, & movetur etiam immediatè imperio rationis; *ſed alio, & alio modo*, ut dixit Sanctus Thomas 3. cont. Gent. *quamvis ab utroque immediatè*. Ab intellectu quidem immediatè movetur, ut ab agente congenito, proximo, & homogeneo: à Deo autem immediatè movetur, quia ipſe intellectus, & ipſum imperium rationis non movet niſi vi ipſius Divinæ motionis. Unde ſicut in naturæ ordine, *ſi conſiderentur cauſæ agentes ordinatæ ſecundum rationem agentis, cujus eſt agere; ſic quantò agens eſt poſteriùs; tantò magis eſt proximum, & immediatum ad actionem & ad id quod per actionem educitur*, ſcilicet effectum. *Sed ſi conſiderentur quantùm ad virtutem quæ eſt principium operationis; quantò cauſa eſt magis prima tantò eſt immediata; eo quod agens ſecundum non agat, niſi in quantum eſt motum à primo, & ſecundùm quod virtus primi eſt in ipſo*. Ita planè in ordine morali, & in ordine ſupernaturali gratiæ. Si conſiderentur intellectus, & voluntatis actus, ipſaque ſeries actuum, intentionis, deliberationis, imperii, uſus, & alii ſi qui ſint; dubium non eſt, quin ipſum imperium quod applicat virtutem ſit ipſius immediatum motivum: ſed ſi conſideretur ipſa virtus Divinæ motionis, qua ipſum imperium rationis applicat voluntatem; ſic ipſa virtus Divinæ motionis, & intimior, & immediatior eſt. Unde cùm Deus primò nihil cogitantem hominem, nihilque tale merentem, ad virtutis actum eliciendum movet, & illum accendit; prima illa cogitatio, eaque prima & ſimplex boni volitio, quæ utraque, vocationis nomine comprehenditur, immediatè eſt à Deo, eamque ſæpiùs Divus Thomas *inſtinctum Spiritus Sancti* vocat. Sed tamen ea vocatio virtutem motionis Divinæ ad cæteros actus deferre intelligenda eſt; ita ut ultimum judicium, & imperium practicum, virtute motionis Divinæ moveat, applicetque voluntatem. Unde non ſolùm judicium practicum eſt proximum, ac immediatum motivum voluntatis; ſed etiam ipſa motio Divina, ſeu Divinæ motionis virtus immediata eſt actui voluntatis; imò & immediatior eſt quā ſit ipſa voluntatis activa virtus: quia ipſa voluntatis virtus Divina motione cū ſuo actu conjungitur.

Atque eo ſenſu, quod à S. Thoma dictum eſt clariſſimè intelligitur 3. contr. Gent. cap. 67. quòd omnis *applicatio virtutis ad operationem eſt principaliter à Deo. Applicantur enim virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum. .... animæ, & voluntas applicatur per directionē intellectus. Primum autē* omnis *motus principium eſt Deus, eſt enim primum movens immobile.* Unde omnis *operatio* voluntatis *debet attribui Deo ſicut primo, & principaliter agenti*. Quare ſicut inſtrumentum quodlibet *per modum intētionis*, ut loquitur S. Thomas quæſt. 3. de potent. art. 7. defert virtutem artis, & induſtriam artificis; ſicut in illa longa ſerie cauſarum quæ moventur, quælibet ex mediis defert *per modum intentionis* eam virtutem primæ cauſæ, & primi agentis, quæ ipſis immediata eſt ratio agendi, quæ ſi deeſſent, omnino inertes eſſent: ita planè cùm Deus primò hominem movet, ut eo modo quo ſupra ex D. Thoma, Ariſtotele cap. de bona fortuna dictum eſt, cæteri omnes actus intellectus, & voluntatis, qui inter primam illam motionem ſeu vocationem, & ultimum actum voluntatis intercedunt, *per modum intentionis* Divinam motionem, & motionis virtutem deferunt. Ex quo luce clarius, eſt nunquam dicendum eſſe, & concedendum à S. Thomæ Diſcipulis ejuſque principii

cipii

cipiis inſtitutis Deum mediatè ſolùm movere voluntatem, non verò immediatè.

Hæc equidem non negaſſe Joſephum ſatis exiſtimaverim, cùm ea toties in S. Thoma occurrant, & ex iis quæ ſenſibus patent ſatis percipi poſſint: ut cùm v. g. plures inter ſe ſe machinæ inſertæ ſunt, quarum intermediç virtutem primç moventis rotæ ad ultimam deferunt. Æquiores enim ſumus erga Joſephum, quàm ipſe erga cæteros fuerit. Sed ex his liquet in primis non immeritò in eo reprehendi poſſe, quòd acriter in reliquos ſuæ Scholæ Theologos invectus fuerit, quos nullo negotio defendere poterat, & quos ipſemet velit nolit, hac in re ſequi debeat, niſi apertiſſimè Angelico Doctori, & Magiſtro S. Thomæ adverſari velit: ac deinde multò infeliciorem fuiſſe in deducendis conſequentiis, quàm alii fuerint, quorum philoſophandi modum toties, ut ſupra diximus, reprehendit: cùm ex eo principio, quòd Deus moveat voluntatem medio dictamine intellectus, negativam conſequentiam deduxerit, ſcilicet voluntatem à Deo immediatè non moveri. Latiùs enim patet hæc malignæ naturæ negatio, quàm ut poſſit huc meritò advocari: eſtò enim ita ſit, ex parte qua voluntas medio judicio rationis à Deo movetur, immediatè non moveatur à Deo; vitium tamen eſt, nec parcendum Theologo, qui ſummam in ratiocinando acribologiam ſectatur, quòd ex eo affirmativo, & particulari modo movendi mediatè, in totum omnem movendi immediatè modum negaverit.

ARTICULUS IX.

Voluntatem cauſaſque omnes immediatè moveri à Deo: Deum in voluntatem imprimere, unde quis fortunatus dici poſſit explicatur.

PRæcipuum caput hìc attingimus, quo plurimùm aberrare à S. Thomæ principiis eum arbitramur, quiſquis is fuerit, qui admiſſa ſolùm mediata, ſeu mediis cauſis ſuperioribus, motione Dei in rebus, immediatam Dei moventis operationem negaverit. Et ſanè parùm Fidei principiis eam opinionem conſentire non immeritò exiſtimari poteſt, niſi aliquo ſaltem modo temperata fuerit, cùm negari non poſſit Deum ſua immenſitate, & potentiâ rebus omnibus præſentem in iis operari: quam operationem Divinam cum phyſica, & prævia motione conjunctam eſſe, aliàs non ſemel demonſtravimus. Unde & pro totius quæſtionis reſolutione de Divina motione, ſeu in ordine naturæ, ſeu in ordine gratiæ, tanquam immotum fundamentum conſtituimus, Deum præſentem eſſe in rebus: quæ præſentia cum ea operatione conjuncta ſit, quâ Deus in rebus quidquid perfectionis eſt, ac ipſum cæterarum perfectionum primum fundamentum ſcilicet *eſſe* producit: quo principio Sanctus Thomas, & cum ipſo ejus Diſcipuli perpetuò Divinæ motionis neceſſitatem demonſtrant.

Et verò ut digna Deo cogitatio, & iis quæ nos Sacra Scriptura docet, conſentanea habeatur, exiſtimandum eſt, Deum ſua manu Mundum concludere, & ut dicitur Pſal. 94. *In manu ejus ſunt omnes fines Terræ*, & ut Hebræum habet מחקרי Mechkere *perſcrutationes, profunditates, & veluti ima veſtigia, & prima fundamenta*, ſicut *& altitudines montium* רמעות Tonghaphoth *laſſitudines*, id eſt *cacumina*, ad quæ non niſi exhauſtis viribus, & ſumma defatigatione perveniri unquam poſſit. Igitur omnia in manu ejus ſunt, ut ea moveat, invertat, ac immutet, ut libuerit. Sed prætereà nedum totum Orbem manu continet, & concludit, ſed etiam ipſi infuſus eſt, ac in ipſo omnia ſua operatione efficit. Quòd Ezechielis cap. 1. à verſu 4. veluti ob oculos ponitur: ubi ex communi omnium Interpretum explicatione infinitâ Dei Providentiâ in totius Orbis adminiſtratione, duplicique adminiſtrationis modo, mediato ſcilicet & immediato elegantiſſimis figuris adumbratur. Primò enim ſe vidiſſe inquit Propheta ea quæ Divinæ præſentiæ, ac Divinæ Majeſtatis argumenta eſſe ſolent, & ſæpiùs alibi in Sacra Scriptura referuntur. Vidit ab Aquilone ingenti turbine delapſam lucidiſſimam nubem, quam undique ignis involveret, & circumquaque, & in circuitu immenſus ſplendor circumcingeret; & ex medio ipſius ignis, ſeu fulgentiſſimæ & accenſæ nubis, vidit ſpeciem electri, hebraicè חשמל *Chaſmal*, quæ vox admodùm difficilis eſt, & quæ exiſtimatur ſignificare *Aurichalcum*, ſeu ut alii malunt, Orichalum, quaſi montanum æs & foſſile, quod olim maximo in pretio fuit, & ex Plinio diu admirationem obtinuit, nec ampliùs reperiri quidam arbitrantur, quaſi exhauſtis viribus terra auro par, aut pretioſius metallum ferre non poſſit. Alii tamen ſignificari exiſtimant aurichalcum ex auro, & ære mixtum; ut Apocal. 1. verſ. 15. ad hunc Ezechielis locum D. Joannes alluſiſſe videatur. De quo multa apud Malvendam in Ezechielem. In medio verò hujus electri vidit Propheta ſimilitudinem quatuor Animalium, quorum *aſpectus*, figura, ſtatura, ac ſpecies erat inſtar hominis; quâ figurâ Animalium intelliguntur Angeli, & Intelligentiæ, quarum miniſteria Deus ad regendum Univerſum adhibet. Ideòque additur quòd *Quatuor facies* erant *uni*, ſeu cuilibet, ut in omnes Orbis partes aſpicere viderentur, & *quatuor pennæ uni*, ac cuilibet, quibus *ibant*, *& revertebantur inſimilitudinem fulguris coruſcantis*, ut ſua miniſteria in adminiſtratione Univerſi implerent. Deinde verò deſcribuntur Cæli elegantiſſima rotarum metaphora à verſu 15. abſque ad verſum 20. Vidit igitur

Propheta juxta animalia, & veluti ad eorum pedes ingentem Rotam ſuper terram, quod propriiſſimè nomen Cælis convenit: quæ Rota eſſet coloris cærulei: & veluti Turcicæ gemmæ, ac inſtar Maris: & erat *Quaſi rota in medio rotæ*; ſeu videretur reipsà rota una intrà alterius ambitum contineri, eo planè modo quo Cælos eſſe intelligimus, quorum inferiores ambiuntur à ſuperioribus; vel, ut alii intelligunt, quaſi una rota alteram ad angulos ſphærales ſecaret, ut in artificiali ſphæra videre eſt, ubi unus circulus alterum in partes æquales ſecat. Atque ejuſmodi rotæ *per quatuor partes ibant*: id eſt, à quatuor partibus movebantur, ab Oriente ad Occidentem, & à Meridie ad Septentrionem: ut motus omnis Cælorum ſignificetur, & totum rotarum veluti corpus plenum erat oculis, quales conſpicimus in caudis pavonum, ut quidam putant: quibus ſignificarentur Stellæ Cælis affixæ; vel, ut alii volunt, viderentur rotis affixi aperti oculi: quibus ſignificaretur, Cælos perpetuò influxus versùs terram veluti radios ejaculari. Additur verò, quòd *cùm animalia ambularent, pariter & rotæ ambulabant*: quo ſignificatur, ſphærarum Cæleſtium motus ſequi motionem Intelligentiarum, ex eaque oriri. Unde dicitur verſ. 19. *Cùmque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea; & cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur ſimul & rotæ*. Quibus perfectiſſima totius Cæleſtis machinæ, & omnium ſphærarum motio, & converſio quaquaverſum ad nutum Angelorum intelligitur: qua motione inferiorem hunc Mundum perpetuò adminiſtrant, ut non incongruè etiam rotarum nomine totius Univerſi integra machina intelligatur, quam Deus mediis Intelligentiis, & mediis cauſis ſuperioribus regit. Sed quamvis ſphæras Cæleſtes mediis Intelligentiis moveri, & rotari dictum ſit, nihilominùs tamen verſu 20. additur; *Quocumque ibat Spiritus, illuc eunte Spiritu: & rotæ pariter elevabantur ſequentes eum: Spiritus enim vitæ erat in rotis*. Quibus intelligitur præſentia Divina, Divinaque operatio, quæ ſphæras etiam Cæleſtes, ac totius Univerſi machinam regeret, ac veluti infuſo Spiritu moveret, & impelleret.

Atque hinc ea immediata operatio Dei, adjuncta operatione mediata, & cauſarum ſecundarum miniſterio, clariſſimè intelligitur. Quid enim neceſſe fuit, Cæleſtes ſphæras, & totius Univerſi machinam moveri etiam Divino Spiritu, Divinaque operatione, veluti ſingulari, & ſejuncta ab Intelligentiarum operatione, cùm jam ſatis Intelligentiæ ſphæras Cæleſtes impellerent, ac eorum motu inferiora omnia vegetarent? Verùm aliter fieri non poteſt: ſed utramque Dei operationem mediatam, & immediatam conjungi neceſſe eſt. Deus equidem ad communicandam ſuæ bonitatis plenitudinem, cauſas etiam ad agendum adhibet, iiſque eam dignitatem impertit, ut eas veluti ad effectus producendos ſibi aſſociet, quos ſolus ſi vellet produceret: attamen quamvis cauſas ſecundas adhibeat, fieri non poteſt, quòd ipſe vel momento operationem à rebus retrahat. Neceſſe enim eſt, Deum ſua immenſitate rebus omnibus præſentem, & intimum eſſe, atque ipſius operatione, ut rectè à S. Thoma dictum eſt in 2. diſt. 23. qu. 2. art. 1. omnium agentium operationem firmari. Omnium enim *Secundorum agentium actiones fundantur ſuper operationem primi agentis*: Dei ſcilicet, qui cæteras omnes cauſas ſuſtinet, ac fulcit, & quæ ſi deeſſet, cauſæ omnes quantumvis ſuis virtutibus inſtructæ omninò inertes eſſent, nihilque agerent: ideòque neceſſe eſt, Deum rebus omnibus adeſſe ut agant: immò & illud idem, quod agant conferre. Unde & idem Sanctus Doctor 3. cont. Gent. cap. 69. ubi eorum opinionem rejecit, qui à *rebus naturalibus proprias ſubtrahunt actiones*, ſtatuitque Deum ex ſua bonitate rebus largiri ut agant; ſtatim cap. ſequenti 70. explicat, *quomodò idem effectus ſit à Deo, & à naturali agente*; & quidem immediatè: abſurdum enim foret inquirere, quomodò idem effectus à cauſis ſecundis immediatè, & à Deo mediatè, & mediis aliis cauſis oriretur: & probat, *quod ſicut agens infinitum invenitur immediatum activum, ita virtus primi agentis invenitur activa ad producendum effectum*, ut ſupra explicuimus. Quæ virtus Divina cùm alia non ſit ab ipſius eſſentia, & ſubſtantia; fit indè quòd Deus immediatiſſimè rebus omnibus præſens, immediatiſſimè etiam in iis operetur, & ſicut, addit S. Thomas, *Non eſt inconveniens, quòd una actio producatur ab aliquo agente, & ejus virtute; ita non eſt inconveniens, quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab utroque immediatè, licèt alio, & alio modo*, ſcilicet ab agente naturali, ſub inferiori, & magis limitata ratione, à Deo ſub univerſaliori.

Ac præterèà inquit S. Thomas: *Patet quòd ſi res naturalis* immediatè *producat proprium effectum, non eſt ſuperfluum, quòd Deus illum* etiam immediatè *producat; quia res naturalis non producit ipſum niſi virtute Divina*, quæ actionem rei naturalis firmat, ac fulcit, ut dictum eſt, & quæ ipſum Deum intimiſſimè præſentem ſiſtit. *Neque* iterum *eſt ſuperfluum ſi Deus per ſe ipſum poteſt omnes effectus producere quòd per quaſdam alias cauſas producantur. Non enim hoc eſt ex inſufficientia Divinæ virtutis, ſed ex immenſitate bonitatis ipſius, per quam ſimilitudinem rebus ſuam communicare voluit, non ſolùm quantùm ad hoc quòd eſſent, ſed etiam quantùm ad hoc quòd aliorum cauſæ eſſent. His enim duobus modis creaturæ communiter omnes Divinam ſimilitudinem conſequuntur: per hoc etiam decor ordinis in rebus apparet*.

Hactenus D. Thomas. Ex quibus omnibus ſi juncta fuerint, præter mediatam Dei operationem, etiam immediatam eſſe admittendam ſatis liquet. Ideòque licèt à Propheta dictum fuerit, ſuperiores omnes cauſas ac Cælos ab Intelligentiis regi, & moveri, & quòd *cùm ambu-*

larent

larent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea. Attamen poſtea additum eſt; quòd *quocumque ibat Spiritus, illic eũte Spiritu, & rotæ pariter elevabantur, ſequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis*. Quod nedum Cæli ab Intelligentiis, ac inferiora ſuperiorum motibus moveantur; ſed præterea etiam Divino Spiritu, qui rebus omnibus iutimè adeſt, impellantur & ad ſũas operationes applicentur. Unde & doctiſſimus Malvenda, qui litteralem Scripturæ Sacræ ſenſum exactiſſimè proſecutus eſt Divino Spiritu mundialem machinam agi eodem ſenſu intelligit, quo dictum eſt Æneid. 6.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus, Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quòd nimirum naturali lumine à Philoſophis agnitum fuerit, Deum rebus omnibus intimè præſentem in rebus omnibus perpetuò operari, & quidquid in iis perfectionis eſt perpetuò effundere. Unde & ex Ariſtotele retulimus lib. 7. Moralium Eudemiorum cap. 18. *Patet autem ſic eſſe ſicut in Univerſo Deus, & omnia in illo: moventur enim, ab inexiſtente in nobis numine, quid autem illud niſi Deus*. Quibus fermè ſimilia habet Manilius lib. 2. Aſtronom. *infuſumque Deum Cælo, terriſque, fretoque* ingentem orbis molem æquali fœdere moderari, & *rationis agi motu* mundum, *cùm Spiritus unus*, ac muleiplex *per cunctas habitet partes, atque irriget orbem*: Et quæ plurima in eam ſententiam habet, ut ſanè mirum fuerit, negari poſſe à Theologo, quòd Philoſophis fermè omnibus, aut præſtantiſſimis indubitatum omninò fuit. Ergo ex Scriptura Sacra, &, ſitam longè diſſita jungere liceat, etiam ex nobiliſſimis Philoſophis, Deus quidem mediis cauſis ſuperioribus inferiores omnes movet; ſeu præterea etiam Deus intimè rebus omnibus præſens, ac veluti rebus omnibus infuſus, ipſis omnem agendi vim perpetuò ſubminiſtrat: nec ſubminiſtrat ſolùm, ſed etiam eas movet, & impellit, earumque agendi virtutem ad agendum applicat.

Sed cùm præcipuus totius hujus tractationis ſcopus ſit ad quem perpetuò collimamus, ut ſcilicet veram, & genuinam S. Thomæ ſententiam explicemus: Probanda eſt ex Doctore Angelico, hæc immediata in rebus omnibus Divina operatio, & præſertim in voluntate creata; qua probatione egregiè etiam confirmabuntur, quæ ſuprà contra ſententiam Recentiorum qui extra S. Thomæ Scholam verſantur, ſæpius diximus. Nec verò longè in D. Thoma quærenda eſt hujus immediatæ operationis Divinæ probatio; cùm ipſo art. 7. quæſt. 3. de potent. quem initio totius operis fusè explicuimus, & quem veluti primum, & immotum fundamentum, ad explicandam, & intelligendam certam Angelici Doctoris ſententiam conſtituimus, ita expreſsè habeat. *Quòd ſi conſideremus ſuppoſita agentia quodlibet agens particulare eſt immediatum ad ſuum effectũ: ſed ſi conſideremus virtutem qua fit actio, ſic virtus ſuperioris cauſæ erit immediatior effectui, quam virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris, ut dicitur in lib. de cauſis, quòd virtus cauſæ primæ priùs agit in cauſatum, & vehementiùs ingreditur in ipſum*: quæ verba ſuprà explicuimus, & quæ immediationem Divinæ virtutis in rebus omnibus ſatis ſignificant: & quibus hoc exemplum ſubjicit Sanctus Thomas. *Sic ergo oportet, Divinam virtutem adeſſe cuilibet rei agenti, ſicut virtutem corporis Cæleſtis oportet adeſſe cuilibet corpori elementari agenti*. Verùm cùm infinito intervallo diſtare eam immediationem virtutis Divinæ ab ea immediatione virtutis corporis Cæleſtis quæcumque illa eſſe poſſit, ſatis animadverteret; ſtatim ſubdit: *Sed in hoc differt*, virtus ſcilicet Divina, *quia ubicumque eſt virtus Divina, eſt eſſentia Divina, non autem eſſentia corporis Cæleſtis eſt ubicumque eſt ſua virtus. Et iterum Deus eſt ſua virtus, non autem corpus Cæleſte*. Unde tandem concludit: *Et ideò poteſt dici, quòd Deus in qualibet re operatur, in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum: non autem poteſt propriè dici, quòd Cælum ſemper agat in corpore elementari*, velut ipſi intimè præſens, *licèt ejus virtute corpus elementare agat*: cùm tamen Deus intimè rebus omnibus adſit, in iiſque intimè operetur. *Sic ergo* proſequitur S. Thomas, *Deus eſt cauſa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantùm conſervat eam, & in quantùm applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit: & cùm conjunxerimus his, quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe: ſequitur quòd ipſe in quolibet operante immediatè operetur, non excluſa operatione voluntatis, & naturæ*. Hactenus Sanctus Thomas.

Ex quibus manifeſtùm eſt ex Angelici Doctoris ſententia, Deum *in quolibet operante*, & in qualibet re quantumvis minima, & in quolibet receſſu, quantumvis recondito, *immediatè operari*: & quidem dupliciter. Primò, quia neceſſe eſt, quòd rebus omnibus ſua Divina virtus adſit, *& in virtute ejus omnis alia virtus agat*: quæ virtus cujuslibet alterius operantis virtutem activam *applicat actioni*. Unde vel ea ſolùm ratione dici poſſet, Deum immediatè in rebus operari, & quòd ejus virtus tanquam *Virtus ſuperioris cauſæ eſt immediatior effectui quàm virtus inferioris*, ut explicuimus ſuperiori Articulo. Verùm tùm etiam eadem ratione dici poſſet, virtutem corporis Cæleſtis, ut eſt per modum intentionis, immediatam eſſe effectui cujuslibet inferioris cauſæ; ſicut & primum in demonſtrationibus principium eſt immediatum concluſioni: altero, & ſecundo modo, ac longè perfectiori Deus in rebus omnibus immediatè operatur: ſcilicet quia *Ubicumque eſt virtus Divina, eſt eſſentia Divina; non autem eſſentia corporis Cæleſtis eſt ubicumque eſt ſua virtus: iterum Deus eſt ſua virtus, non autem corpus Celeſte*. Ex quo deducitur manifeſtè, ita Deum in rebus omni-

bus immediatè operari, ut ipse rebus omnibus præsens adsit, rebusque omnibus inexistat, *non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse*, eam perpetuò conservans, in eaque quidquid perfectionis est effundens: qua operatione propriissimè efficiat ut causa secunda, ipsaque voluntas operetur.

Unde ut facili exemplo ista explicentur; ita intelligendum est Deum in rebus omnibus adesse, ipsique homini multò intimiùs, multòque perfectiùs, quàm anima corpori inexistat; si tamen anima nedum ut pars, in genere causæ formalis, sed etiam in genere causæ efficientis; & ut motor mobili corpori inexisteret: ita enim fieret ut anima cui omnes operationes hominis tribuendæ sunt, in primis voluntatem moveret media operatione intellectus, & medio rationis imperio: Sed ipsa præterea immediatè voluntati inexistens eam immediatè moveret, eam immediatè applicaret, & propriissima causa esset ut faceret: Atqui ea omnia quæ animæ reipsa conveniunt, vel in ea desiderari possunt, multò perfectiori, & nobiliori modo Deo attribuenda sunt, scilicet intima præsentia, intimaque operatio: Ergo nedum Deus immediatè intellectum movet, & medio intellectu voluntatem; sed prætera ipse sine quantitate, sine mole, per totum hominem diffusus, omnium ipsius operationum quocumque pacto intelligi possint, quæ ad perfectionem pertineant, immediatissima causa est. Ipse intellectui inexistens, intellectum movet, & ipsius operationem quæcumque illa sit, & dictamen rationis efficit. Ipse voluntati inexistens, voluntatem ad suam operationem movet: ipse cæteris omnibus potentiis inexistens, potentias omnes movet, & applicat. Quod exemplum sæpius alias persecuti sumus.

Confirmari potest hæc ratio, ex eo quòd ut diximus, Fidei etiam elementa nos doceant, Deum rebus præsentem inexistere, eisque perpetuò ipsum esse, seu primam omnium perfectionem conferre, & ipsas quantumvis minimas perfectiones infundere, ut *ipse sic omnia in omnibus*; Atqui non potest non esse in eo physica, & prævia immediata motio reposita. Siquidem intellectum agere, non potest non esse aliqua, immò & maxima est, ultimaque ipsius perfectio. Voluntatem liberè velle, ultima est ejus perfectio; quod idem de cæteris potentiis, ac universim de causis omnibus est dicendum. Ergo necesse est, Deum in intellectu inexistentem, intellectui immediatè hanc perfectionem conferre ut agat, seu intellectum ad agendum moveat, & applicet; necesse etiam est, Deum voluntati inexistentem, ipsique intimiùs, quàm ipsa sibi sit præsentem, voluntati conferre ut agat, seu voluntatem immediatè movere, & applicare ad agendum: quia, quòd aliquid sit directè causa actus alterius causæ *non contingit nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum* 1. 2. quæst. 80. art. 1. Ergo in eo quòd Deus voluntati intimè præsens eam moveat, & immediatè applicet ad agendum, reposita est physica, prævia, & immediata Dei motio: nihil enim, aliud à S. Thomæ Discipulis unquam intellectum est: & puto nobis tutò credi posse, ubi de communi nostræ Scholæ sententia agitur.

Atque hæc duo, in quibus posita est vis argumenti, scilicet Divinam præsentiam Dei rebus inexistentis, & Divinam in rebus operationem, ex quibus immediatam esse colligimus eam operationem; ubique conjungit S. Thomas, ubi eandem quæstionem pertractat. Et reipsa utramque complectitur ratio Divinæ præsentiæ; quia est præsentia, & secundùm essentiam, & secundùm potentiam, id est operationem. Etenim præter ea quæ jam retulimus 1. par. quæst. 105. art. 5. *Utrùm Deus operetur in omni operante*: in fine Articuli ita habet. *Et quia forma rei est intra rem, & tantò magis, quantò consideratur ut prior, & universalior, & ipse Deus est propriè causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimũ rebus sequitur quòd Deus in omnibus intimè operetur.* Quo sensu intimè, nisi etiam immediatè operetur? Idem 3. contra Gent. postquam cap. 67. fusè ostendit, *quòd Deus est causa operandi omnibus operantibus*, statim colligit sequenti capite 68. *Quòd Deus est ubique*: *Ex hoc* enim, inquit, *apparet, quòd Deum necesse est esse ubique, & in omnibus rebus: movens enim & motum oportet simul esse, ut probat Philosophus in 7. physic. Deus autem omnia movet, ut ostensum est: est igitur in omnibus rebus.*

Nec minus apertè Opusculo 2. cap. 130. quòd Deus omnia gubernat, & quædam movet mediantibus causis secundis, ubi quæ supra diximus, omnia fermè expressè affirmat. *Quia verò*, inquit, *causæ secundæ non agunt nisi virtute causæ primæ, sicut instrumenta agunt per directionem artis; necesse est, quòd omnia alia agentia per quæ Deus ordinem suæ gubernationis adimplet, virtute ipsius Dei agant. Agere igitur cujuslibet ipsorum à Deo causatur: sicut & motus mobilis à motione movẽtis. Movens autem & motum oportet simul esse: Oportet igitur quòd Deus cuilibet agenti adsit interiùs, quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet.* Hæc S. Thomas.

Egregia sanè verba, & quæ nedum argumenti à nobis supra positi partes omnes confirment, sed etiam quæ omnium Scholæ S. Thomæ Adversariorum sententiam penè jugulent. Quo sensu enim intelligi potest, *Quod agere cujuslibet* agentis *à Deo causatur, sicut motus mobilis à motione moventis*; nisi ea motio moventis intelligatur, quæ motum mobilis prævièt antecedat? Ergo necesse est præviam esse Divinam motionem: quam sanè moralem solùm esse vetat ipsa conditio rerum, quæ merè naturales sunt, & solo naturæ ordine comprehenduntur, de quibus loquitur S. Thomas. Est igitur hæc motio, & prævia & physica.

Sed præterea quo sensu iterum intelligi possit, oportere etiã, *Quòd Deus cuilibet agenti adsit interiùs, quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet*;

movet; niſi intelligatur intima, & immediata operatio Dei, cum intima Dei in rebus præſentia conjuncta? Utrumque enim expreſſiſſimè conjungit Sanctus Thomas, dum inquit, quòd voluntatem v. g. Deus *movet ad agendum*; & dum movet ad agendum, *in ipſa* voluntate *agit*? & cùm in ipſa agit, & ipſam ad agendum movet, voluntati *agenti adeſt interiùs*. Niſi hæc verba, & intimam præſentiam, & immediatam operationem, ac motionem etiam prævium explicent, neſcio quibus unquam verbis explicari poſſent. Addi poſſent quæ habet in 1. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. Sed hæc videri poſſunt Tom. 1. Diſſert. 1. quæſt. 3. art. 6. Ex quibus omnibus compertiſſimum eſt à D. Thoma ſemper hæc duo conjuncta fuiſſe; ſcilicet intimam in rebus omnibus præſentiam Dei, ac immediatam ipſiuſmet Dei in illis operationem, à qua Divinam, & prævium motionem ſejungi non poſſe diximus, ut non magis hæc ultima, quàm altera negari poſſe videatur. Vide quæ loco citato diximus, ubi hanc rationem fusè proſecuti ſumus.

Dices forſitan, hæc non admodum neceſſaria eſſe, & incaſsùm referri, cùm à nemine qui in Schola S. Thomæ audierit, in dubium verti poſſint; nec unquam Joſepho in mentem venerit, ut iſta negaret: cùm immediata Dei in rebus omnibus præſentia, ac immediata Dei in illis operatio inter principia Fidei reponi debeant; quocunque tandem modo explicentur: Immò & Joſephus etiam in ea operatione poſitam eſſe prævium motionem, quam non negat, ultrò admiſerit.

Verùm quid in mentem Authoribus venerit non noſtrum eſt divinare. Sed inde clariſſimè liquet, æquiſſimam eſſe S. Thomæ Diſcipulis adversùs Joſephum conquerendi cauſam, quòd ſe ſe ab his ſejungere voluerit, eoſque impugnaverit; cùm tandem velit nolit ad eandem ſententiam revocari, & redire, ipſa rei evidentia compellatur. Si nihil aliud ſentit, cur tãdiu in ea motione mediata, qua Deus voluntatem movet medio dictamine intellectus immoratur, nec ullam mentionem injicit hujus motionis Divinæ, qua Deus immediatione virtutis voluntatem movet, & quæ nunquam negari poterit? Cur iterum latiſſimum diſcrimen inter virtutem Cæli moventis, v. g. plantam ad emittendum germen, & virtutem Dei moventis voluntatem creatam, quam D. Thomas clariſſimè explicat prætermittit? Cur demum Thomiſtas reprehendit, quòd per ſaltum à prima omnium cauſa ad ultimam omnium cauſarum præcipites delapſi fuerint? Si enim immediata operatio Dei eſt, motioque immediata: Ergo nullus hiatus eſt, quem ſaltu tranſilire oportuerit: cùm ex eo quòd Deus ſit primum movens, voluntatem à Deo moveri cæteri S. Thomæ Diſcipuli legitima conſecutione ſe inferre poſſe exiſtimarunt.

Sed demum hæc quæ abundè ſatis retulimus, minimè ſupervacanea videri debent; ſiquidem nedum cum Joſepho, ſed & cum aliis Recentioribus gravior nobis concertatio eſt; qui præmotionem phyſicam, & prævium negant: & quam invicto argumento, ex ea immediata Dei operatione cum exiſtentia Dei in rebus conjuncta, nos probari poſſe contendimus. Sed vide 2. 2. qu. 24. a. 11. & 1. ad Annib. d. 47. quæſt. unica ar. 2.

Probatur *Secundò*: altera ratione, nec minus evidenti, admiſſam fuiſſe à S. Thoma operationem Dei in ipſam voluntatem, nec ſolùm mediante intellectu, & rationis dictamine, ſed etiam omnino immediatam: ita ut licet una alteram comitetur, & ad ſervandam libertatem, & ſervandum ordinem conſtitutum in rebus, Deus ſimul intellectum moveat, dum movet voluntatem; attamen propria, Deoque eximia operatio in voluntate, non alia ſit, quàm operatio immediata intra ipſum voluntatis ſinum, ubi ſola voluntas Divinæ illius operationis, ut ita dixerim, conſcia ſit, & à ſeipſa ſola, & à ſolo Deo moveatur: ut veriſſimè illud Cantici Canticorum, *Dilectus meus mihi, & ego illi*, uſurpare ipſi liceat. Nec verò longo diſcurſu utendum eſt, ut ea Deo eximia immediata operatio in voluntatem ex Sancto Thoma probetur: apertiſſimè enim & veluti exerto digito demonſtrari poteſt, quam nec ſemel dumtaxat, ſed ſæpiſſimè multiſque in locis, ubi hunc omninò egregium ordinem ſtatuit: Cælos equidem in humanum corpus imprimere poſſe, Angelos verò poſſe immediatè movere intellectum: at verò in voluntatem immediatè agere ſoli Deo eximium eſſe. Etenim ut ex ampliſſima meſſe aliqua colligamus. D. Thomas Opuſc. 2. cap. 129. cùm illud quod titulo promiſerat, ſatis probaſſet; ſcilicet, *Quòd ſolus Deus movet voluntatem hominis, non res creata*: ita caput concludit, *Patet igitur ex prædictis quòd in corpus humanum, & virtutes ejus corporeas imprimere poſſunt corpora cæleſtia, ſicut in alia corpora, non autem in intellectum; ſed hoc poteſt creatura intellectualis: in voluntatem autem ſolus Deus imprimere poteſt.*

Ubi obiter obſervari velim, quid aliud ea impreſſione in voluntate facta ut agat, intelligi poſſit, niſi ea motio, & phyſica, & prævia intelligatur? Nec verò ſolùm affirmat Sanctus Thomas, ita conſtitutum à Deo hunc ordinem, ut aliis quidem perficiendum hominem quantùm ad intellectum, & corpus relinquerit, ſibi verò movendam ac perficiendam voluntatem ſervaverit: ſed pluribus etiam, & ſolidiſſimis rationibns id probat. Atque ipſo eodem capite jam laudato hujus rationem affert, ex diſcrimine, quod voluntatem inter, & intellectum intercedit. Etenim inquit. *Cùm omne mutabile, & multiforme in aliquod primum immobile, & unum reducatur ſicut in cauſam: hominis autem intellectus, & volũtas mutabiles, & multiformes appareant, neceſſe eſt, quòd in aliquam ſuperiorem cauſam immobilẽ, & uniformem reducantur.* Hæc communis ratio eſt qua probat, & voluntatem, & intellectum, & potentias etiam inferiores à ſuperioribus cauſis debere perfici; hac enim parte, & intellectus, & vo-

voluntas conveniunt, quòd triplici defectui, mutabilitati, multiplicitati, & defectibilitati subjiciantur. At verò aliter de intellectu, aliter de voluntate sentiendum esse inquit. Intellectus quidem ab Angelo, & superiori Intelligentia immediatè moveri ac perfici potest: At non potest voluntas, nisi à solo Deo. Atque hoc discrimen, & discriminis rationem ita prosequitur S. Thomas. *Aliter autem se habet circa intellectum, & voluntatem. Nam actus intellectus est secundùm quòd res intellectæ sunt in intellectu: actus autem voluntatis attenditur secundùm inclinationem voluntatis ad res volitas.* Atque inde colligit, ut jam diximus, intellectus ab Angelo moveri, & perfici posse, & ex nativa ipsius conditione id ita probat. *Intellectus igitur natus est perfici ab aliquo exteriori quodcomparatur ad ipsum sicut actus ad potentiã. Unde homo ad actum intellectus adjuvari potest à quolibet exteriori, quod est magis perfectum secundùm esse intelligibile, non solum à Deo, sed etiam ab Angelo, & etiam ab homine magis instructo, aliter tamen, & aliter*: ut deinde prosequitur S. Thomas. Sed de eo discrimine quæstio non versatur, ut in eo diutius, vel explicando, vel etiam solum referendo immorandum sit. Satis itaque est, quòd *Intellectus natus sit perfici ab aliquo exteriori, quod cõparatur ad ipsum sicut actus ad potentiam.* Siquidem posita est intellectio, non in eo quòd ad res tendat, sed in eo quòd res ad se se attrahat; *Nam actus intellectus est secundùm quòd res intellectæ sunt in intellectu*: Ergo nihil vetat intellectum perfici; & immutari etiam ab Angelo, cujus lumen superioris est ordinis: cùm ipsa intellectus natura aut conditio nedum patiatur, sed etiam postulet, perfici ab exteriori principio. At verò inverso planè modo voluntas agit, non enim ad se se res attrahit; sed ipsa ad res extra positas sponte fertur; est enim inclinatio naturæ, quæ ad aliud tendit: Ergo e contra non ab exteriori principio, sed ab interiori solùm, & intimo, Deo scilicet, qui eam voluntati inclinationem contulit, seu ab eo quod est voluntatis causa, voluntas moveri potest, atque ita explicat Sanctus Doctor. *Sed cùm actus voluntatis sit inclinatio quædam ab interiori ad exterius procedens, & comparetur inclinationibus naturalibus: sicut inclinationes naturales rebus naturalibus solùm insunt à causa suæ naturæ; ita actus voluntatis à solo Deo est, qui solus causa est naturæ rationalis voluntatem habentis.* Ergo cùm, ut diximus, non ea sit voluntatis conditio, ut ab exteriori principio perfici postulet, aut oriri, & advenire possit; sed debeat intra ipsã voluntatem ea perfectio veluti enasci, & inchoari; sequitur voluntatem, non ab Angelo, qui semper extra ipsam voluntatem censendus est; sed à solo Deo qui econtra nunquam extra voluntatem esse censendus est, cùm ipsi voluntati inexistat; sequitur inquam & posse voluntatem, ac etiam postulare ut à Deo, & à seipsa solùm moveri, & immutari possit. Unde tandem concludit Sanctus Thomas quòd jam retulimus. *Patet igitur*, inquit, *ex prædictis, quòd in corpus humanũ, & virtutes ejus corporeas, imprimere possunt corpora Cælestia, sicut & in alia corpora, non autem in intellectum, sed hoc potest creatura intellectualis, voluntatem autem solus Deus imprimere potest.*

Atque eandem rationem ex ipsa conditione volnntatis ubique repetit Sanctus Thomas 1. par. quæst. 110. artic. 2. *Utrùm Angeli possint immutare voluntatem hominis?* Respondeo, inquit: *Dicendum, quòd volũtas potest immutari dupliciter; uno modo ab interiori: & sic cùm motus voluntatis non sit aliud, quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, solius Dei est sic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis. Sicut enim inclinatio naturalis non est nisi ab eo, qui dat naturam; ita inclinatio voluntaria non est nisi à Deo qui causat voluntatem. Alio modo movetur voluntas ab exteriori*: Eo pacto autem moveri voluntatem ab Angelo non repugnat, sed tamen sola propositione objecti. At verò ex parte principii nulla omninò creatura voluntatem movere potest, sed ea intra voluntatem operatio eximia est soli Deo.

Idem habet 1. 2. quæst. 9. artic. 6. *Utrum voluntas moveatur à solo Deo sicut ab exteriori principio?* quæst. 22. de Verit. artic. 8. *Utrùm Deus voluntatem cogere possit, vel imprimere in ipsam?* Et sexcentis aliis locis quæ referri supervacaneum foret, cùm ea quæ jam retulimus, adeò aperta sint, ut nulla interpretatione in alienum sensum detorqueri unquã possint. Ergo ex S. Thoma, Deo dumtaxat eximium est voluntatem directè, intimè, & immediatè movere, nec alteri quantumvis superioris gradus, & ordinis naturæ convenire potest: quia quæcumque altera creatura est extra veluti septa voluntatis, nec alterum intra se voluntas nisi Authorem suum, scilicet Deum, admittit.

Confirmat insuper Divus Thomas hoc discrimen quod suprà retulimus inter intellectum, & voluntatem, eundemque ordinem constituit qu. 5. de Verit. quæ unica est *de Providentia* art. 10. ubi inquirit: *Num humani actus à Divina Providentia gubernentur mediis corporibus cælestibus?* Ac rejectis variis Veterum Philosophorum erroribus, sic ipse resolvit. *Secundùm autem sententiam Fidei ipse Deus immediatè est finis humanæ vitæ; ejus enim visione perfruentes beatificantur: & ideo solus imprimere potest in voluntatem nostram.* Postea verò voluntatis, & intellectus, & corporearum virium principia, à quibus moveri possint, assignat; ac ex ipsa potentiarum nobilitate inquirenda esse ita inquit. *Sed oportet ordinem mobilium respondere ordini moventium: in ordine autem ad finem quem Providentia respicit, primum in nobis invenitur voluntas, ad quam primò pertinet ratio boni; & finis, & omnibus quæ sunt in nobis, utitur sicut instrumentis ad consecutionẽ finis: quamvis in aliquo respectu intellectus voluntatem præcedat. Propinquiùs autem voluntati est intellectus, remotiora sunt corporales vires; & ideò ipse Deus qui est simpliciter primus Providens imprimit solus in volũ-*

tatem

tatem noſtram: Angelus autem qui eum ſequitur in ordine cauſarum, imprimit in intellectum noſtrum ſecundùm quòd per Angelos illuminamur, purgamur, & perficimur: ſed cælestia corpora, quæ ſunt inferiora agentia, imprimere poſſunt in vires ſenſibiles, & alias organis affixas.

Egregia ſanè, & ſublimi S. Thomæ ingenio digna obſervatio. Non agitur hìc de varia perfectione in gradu entis, & varia ratione formali objecti, quæ ſi attendatur, ſuperat intellectus voluntatem, ut ſæpiùs docet Sanctus Doctor; ſed agitur hìc de varia perfectione per ordinem ad conſecutionem finis, quem Providentia reſpicit: Atqui in eo ordine ſupremum gradum voluntas obtinet, quæ ſola reſpicit ultimum finem, ſummumque bonum ſub ratione finis & boni: Ergo cùm ordini mobilium reſpondere debeat ordo moventium, neceſſe eſt voluntatem à ſolo Deo omnium ſuprema cauſa, & primo movente, immediatè, & directè moveri.

Verùm placet egregiam hanc Angelici Doctoris obſervationem pluribus ex ipſomet deſumptis confirmare. Etſi enim non omnia quæ hìc ex S. Thoma referimus, pro explicatione ejus de qua hìc agitur, difficultatis, neceſſaria arbitremur; ea tamen adeò egregia, ac etiam ſublimia mihi viſa ſunt, ut non dubitem quin magnam in iis legendis eruditus Lector voluptatem percipiat. Ita igitur habet Sanctus Doctor 3.cont.Gent.c.91. *Quomodo res humanæ ad ſuperiores cauſas reducantur*. Quod integrum caput hìc referimus, nihilque fermè interſerimus, cùm nihil habeat, quod eruditum Lectorem morari poſſit. Statuit igitur, *Quòd humana omnia ad ſuperiores reducuntur cauſas, & non aguntur fortuitò.* Et primò ordinem quem ſupra retulimus ita conſtituit.

Nam, inquit, *electiones, & voluntates immediatè à Deo diſponuntur: cognitio verò humana ad intellectum pertinens à Deo mediantibus Angelis ordinatur: ea verò quæ ad corporalia pertinent, ſive ſint interiora, ſive exteriora, in uſum hominis venientia, à Deo mediantibus Angelis, & cælestibus corporibus diſpenſantur.*

Poſteà verò communem omnibus rationem aſſignat. *Hujus autem*, inquit, *ratio generalis una eſt. Nam oportet omne multiforme, & mutabile, & deficere potens reduci ſicut in principium in aliquod uniforme, & immutabile, & deficere non valens: omnia autem, quæ in nobis ſunt, inveniuntur eſſe multiplicia, variabilia, & defectibilia.*

Hac verò communi ratione conſtituta ad voluntatem mutabilem difformem, ac ſæpiùs, heu nimiùm deformem, vitiiſque deturpatam, progreditur. *Patet enim*, inquit, *quòd electiones noſtræ multiplicitatem habent, cùm in diverſis, & à diverſis, diverſa eligantur. Mutabiles etiam ſunt, tum propter animi levitatem, qui non eſt firmatus in fine ultimo: tum etiam propter mutationem rerum, quæ nos extra circumſtant. Quòd autem defectibiles ſint hominum peccata teſtantur. Divina autem voluntas uniformis eſt, quia unum volendo, omnia alia vult; & immutabilis, & indeficiens eſt, ut oſtenſum eſt in primo: oportet ergo omnium voluntatum, & electionum motus in Divinam voluntatem reduci, non autem in aliquam aliam cauſam: quia ſolus Deus noſtrarum voluntatum, & electionum cauſa eſt.*

Iterum eundem triplicem defectum in intellectu obſervat S. Thomas, triplicemque è regione oppoſitam in Angelis perfectionem, quibus fit ut humanæ cognitionis immediata regula Angeli cognitio eſſe debeat.

Similiter autem, inquit, *intelligentia noſtra multiplicationem habet: quia ex multis ſenſibilibus veritatē intelligibilem quaſi congregamus: eſt etiā mutabilis, quia ex uno in aliud diſcurrendo procedit, ex notis ad ignota proveniēs: eſt etiam defectibilis propter permixtionem phantaſiæ, & ſenſus, ut errores hominum oſtendunt. Angelorum autem cognitiones ſunt uniformes, quia ab ipſo uno veritatis fonte, ſcilicet Deo accipiunt veritatis cognitionem: eſt etiam immobilis, quia non diſcurrendo ab effectibus in cauſas, aut è converſo, ſed ſimplici intuitu puram veritatem de rebus intuentur: eſt etiā indefectibilis, cùm ipſas rerum naturas ſeu quidditates intueantur per ipſas, circa quas non poteſt intellectus errare, ſicut nec ſenſus circa propria ſenſibilia: nos autem quidditates rerum ex accidentibus, & effectibus cognoſcamus. Oportet ergo quòd noſtra intellectualis cognitio reguletur per Angelorum cognitionem.*

Tandem res omnes ſublunares, hominumque etiam corpora variis mutationibus, aliiſque defectibus obnoxia, corporum cæleſtium motibus ordinatiſſimis regulari regique debere, ita probat S. Doctor.

Rursùs de corporibus humanis, & exterioribus quibus homines utuntur, manifeſtum eſt, quòd eſt in eis multiplicitas cōmixtionis, & cōtrarietatis: & quòd non ſemper eodē modo moventur, quia motus eorum non poſſunt eſſe continui; & quia defectibilia ſunt per alterationem, & corruptionem. Corpora autem cæleſtia ſunt uniformia, utpotè ſimplicia abſque omni contrarietate exiſtentia: motus etiā eorum ſunt uniformes, continui, & ſemper eodem modo ſe habentes: nec in eis poteſt eſſe corruptio vel alteratio: unde neceſſarium eſt quòd corpora noſtra, & alia quæ in uſum noſtrum veniunt, per motum cæleſtium corporum regulentur.

Hæc omnia S. Thomas: quæ Providentiæ Divinæ ordinem admirabilem, & omnium partium conſenſionem, ac inferiorum à ſuperioribus dependentiam explicant; ſed quæ præcipuè nobilitatem voluntatis creatæ ſupra res omnes creatas ob oculos ponunt; cùm nulli creaturæ, quantumvis ſuperioris gradus, & ordinis, ſubjici poſſit, ſed ſoli Deo pareat; nec ab ullo etiam ſupremo omnium Angelo immediatè regi ac moveri poſſit, ſed à Deo dumtaxat cui omnia parent, & qui intrà ipſum voluntatis ſinum inexiſtit.

Atque hinc explicat S. Doctor ſequenti capite rem admodum difficilem, & cujus ratio cauſaque tam abſtruſa eſt, quàm effectus omnibus patet: explicat enim ibidem capite 92. *Quomodò*

modo dicitur aliquis benè fortunatus, & quomodò adjuvatur homo ex superioribus causis. Neminem enim latet, quosdam esse dicique fortunatos, quibus præter spem, nihilq; tale cogitantibus, quàm sæpissimè plurima bona obveniunt. Quæ verò causa sit unde fortunati evadant, res explicatu admodum difficilis est. Et quidem rectè S. Augustinus observat lib. 5. de Civit. cap. 9. nõ esse quidem nullam, sed eam admodùm esse latentem, & à sensibus hominum, ac etiam cogitatione remotissimam esse. Verùm ex superioribus eam egregiè ita explicat S. Thomas. *Cùm* enim, inquit, *homo sit ordinatus secundùm corpus sub corporibus cælestibus; secundùm intellectum verò sub Angelis: secundùm voluntatem autem sub Deo: potest contingere aliquid præter intentionem hominis, quod tamen est secundùm ordinem cælestium corporum, vel dispositionem Angelorum, vel etiam Dei. Quamvis autem Deus solus directè ad electionem hominis operetur: tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis per modum persuadentis, actio verò corporis cælestis per modum disponentis: in quantùm corporales cælestium corporum impressiones in corpora nostra disponunt ad aliquas electiones. Quando igitur aliquis ex impressione cælestium corporum, & superiorum causarum secundùm prædictũ modum inclinatur ad aliquas electiones sibi utiles, quarum tamẽ utilitatem propria ratione non cognoscit; & cùm hoc ex lumine intellectualium substãtiarum, illuminatur intellectus ejus ad eadem intelligenda; & ex Divina operatione inclinante, inclinatur ejus volũtas ad aliquid eligendum sibi utile, cujus rationem ignorat: dicitur esse benè fortunatus. Et è contrario malè fortunatus, quando ex superioribus causis ad contraria ejus electio inclinatur: sicut de quodam dicitur Jerem. 22. Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.*

Verùm subdit D. Thomas, aliud est hominem esse benè natum, aut, ut Sapiens loquitur, *bonam animam sortitum* esse; aliud esse fortunatum. Atque hujus rationem quàm pauci admodùm satis perciperent, subjungit S. Doctor.

Sed in hoc, inquit, *est attendenda differentia: nam impressiones corporum cælestium in corpora nostra, causant in nobis naturales corporum dispositiones; & ideò ex dispositione relicta ex corpore cælesti in corpore nostro, dicitur aliquis non solùm benè fortunatus aut malè, sed etiam benè natus aut malè: secundùm quem modum Philosophus dicit in magnis Moralibus, quòd benè fortunatum esse, est esse benè natum.*

Atque inde colligit posteà D. Thomas, quænam ea sint in quibus fortunatum hominem, aut benè natum esse contingat. In his enim quæ ad virtutem spectant, hominem benè natum seu rectè dispositum esse, dicique nihil vetat; sed immeritò fortunatus diceretur; quia fortuna circa fortuita, seu præter intentionem solùm versatur: at verò ea quæ virtutis sunt, fieri ex electione necesse est, nec unquam fortuita esse possunt. Verùm cùm longè aliud de electione, aliud de executione sentiendum sit; cùm electio in nostra sit potestate, secùs autem executio, quæ ex pluribus aliis causis dependet: fit inde quòd circa electionem virtutis nemo benè fortunatus, sed dumtaxat benè natus dici possit: circa verò executionem nihil repugnet quominùs fortuna locum habeat. Atque hæc omnia eodem loco egregiè explicat idem Doctor Angelicus: *Quia verò*, inquit, *fortuita sunt, quæ sunt præter intentionem, bona autem moralia præter intentionem esse non possunt, cùm in electione consistant: respectu eorum non potest dici aliquis benè, vel malè fortunatus: licèt respectu eorum possit aliquis dici benè vel malè natus: quando ex naturali dispositione corporis est aptus ad electiones virtutum vel vitiorum. Respectu autem exteriorum bonorum, quæ præter intentionem homini evenire possunt, potest dici homo, & benè natus, & benè fortunatus, & à Deo gubernatus, & ab Angelis custoditus. Consequitur autem ex superioribus causis, & aliud auxilium, quantùm ad exitus suarum actionum. Cùm enim homo & eligere habeat, & prosequi quod eligit, in utroque à causis superioribus adjuvatur interdum, & impeditur: secundùm electionem quidem, ut dictum est, in quantùm homo vel disponitur ad aliquid eligendum per cælestia corpora, vel illustratur per Angelorum custodiam, vel etiam inclinatur per operationem Divinam. Secundùm executionem verò, in quantùm homo consequitur ex aliqua superiori causa robur, & efficaciam ad implendum quod eligit: quæ quidem non solùm à Deo, & ab Angelis esse potest, sed etiam à corporibus cælestibus in quantùm talis efficacia in corpore sita est. Manifestum est enim, quòd etiam inanimata corpora quasdam vires, & efficacias à cælestibus corporibus consequuntur, quas etiam non est dubium cælestibus corporibus esse subjectas: sicut quòd magnes attrahit ferrum, habet ex virtute cælestis corporis; & lapides quidam, & herbæ alias occultas virtutes. Unde nihil prohibet, quòd etiam aliquis homo habeat ex impressione corporis cælestis aliquam efficaciam in aliquibus operibus faciendis, quas alius non habet: puta Medicus in sanando, & Agricola in plantando, & Miles in expugnando. Hanc autem efficaciam multò perfectiùs Deus hominibus largitur ad sua opera efficaciter exequenda.*

Hactenus D. Thomas de re admodùm difficili, quam pertractat, nedum ut Philosophum decet, sed ut Theologum, qui omnia ad Deum refert. Etsi enim cælestia corpora ac Planetæ suis influxibus efficere aliquid possint, unde ab Astronomis Planetę omnium maximè temperati Jupiter, & Venus, tanquam omnium maximè benefici, *Fortunæ* dicti sunt, quòd suo temperamento nativum calorem, & primigenium ac radicale humidum foveant, & conservant: Jupiter quidem *Fortuna major*, quòd calore magis, activaque agendi vi pollere existimetur; Venus verò *Fortuna minor*, quòd veluti Planeta fæmineus magis humida, & passiva vi patiendi abundet: necesse tamen est omnia in Deum, nedum ut primum

Autho-

Authorem referri, qui eas facultates contulit, ſed etiam ut primum movens, quod ſua actione omnium aliarum cauſarum actiones firmat, quæ ſi deeſſet planè cæteræ omnes cauſæ nihil omninò efficerent.

ARTICULUS X.

Probatio altera validior àDeo immediatè voluntatem moveri: comparatio motionis conſervatione.

COnfirmari præterea poteſt ex S. Thomæ ſententia, hæc Dei moventis immediata in voluntatem operatio, & directè impugnari adverſa ſententia, altera Doctoris Angelici ratione: nimirum, quia præter eam motionem quæ fit medio intellectus dictamine, alteram magis intimam voluntati, & intra ipſius veluti ſinum, motionem. & operationem admitti neceſſe ſit, & D. Thomas requirat? Atqui ea motio intima, & intrinſeca voluntati non poteſt non eſſe immediata operatio, & motio quæ voluntatem immutet: Ergo præter eam mediatam motionem, quæque fit medio judicio rationis, altera immediata, & intra ipſam voluntatem admittenda eſt.

De Minori propoſitione, & Conſequentia, nulla, ut puto, lis moveri poterit. Major verò apertiſſimè ex D. Thoma probatur. Atque ut expreſſiora ſeligamus: quæſt. 22. de veritate art. 9. inquirit, *num aliqua creatura poſſit immutare voluntatem, vel imprimere in ipſam*, ita quæſtionem reſolvit. *Reſpondeo dicendum quod voluntas poteſt intelligi immutari ab aliquo dupliciter, uno modo ſicut ab objecto, ſicut voluntas movetur ab appetibili.* En in primis ipſam immutationem quæ fit medio intellectus dictamine, medioque judicio rationis, ea enim ſemper eſt ex parte objecti appetibilis, neque alio pacto movet voluntatem intellectus, niſi quia proponit objectum, & cùm objectum magis conveniens diſpoſitioni voluntatis objicitur, ita trahitur voluntas ut ad aliud ferri non poſſit. Quia ut certa eſt regula à S. Auguſtino conſtituta, ſecundùm illud quòd magis delectat, voluntatem agere neceſſe eſt. *Nolunt enim homines agere quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat: tantò enim quippe vehementiùs volumus, quantò certiùs quàm bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentiùs.* lib. 2. de peccat. merit. & remiſs. cap. 17. quod utrumque munus intellectus præſtat, à quo convenientius bonum voluntati amandum eligendumque proponitur. Quod etiam fusè probat S. Thomas quæſt. 6. de malo.

Verùm proſequitur idem D. Thomas, *Sic non quærimus hic de* principio *immutante voluntatē. Hoc enim*, inquit, *ſuprà oſtenſum eſt: quod aliquod bonum de neceſſitate movet voluntatem per modum objecti*, ſcilicet ſummum bonum, & ultimus finis, quo totius voluntatis capacitas tanta quanta eſt, repleri poteſt, ac ejus appetitus omnis ſatiari.

At verò præterea proſequitur S. Thomas, *Alio modo poteſt intelligi voluntas immutari ab aliquo per modum cauſæ efficientis; & ſic dicimus, quòd non ſolùm nulla creatura poteſt cogere voluntatem agendo in ipſam, quia hoc nec Deus poterat: ſed nec etiam poteſt directè agere in voluntatem, ut eam immutet neceſſariò, vel qualitercumque inclinet, quod Deus poteſt.*

Unde poſtea ſubjicit S. Doctor, *ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non poteſt, niſi quod operatur intra voluntatem, & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundùm Fidē ſolus Deus eſt. Unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis quam ei dedit, transferre de uno in aliud, ſecundùm quod voluerit.*

En alteram motionem quam D. Thomas requirit, opponitque motioni quæ fit ab intellectu ſeu rationis dictamine, & quæ eſt ex parte objecti appetibilis. Et verò diverſam eſſe utriuſque conditionem ex S. Thomæ ſententia, negari non poteſt. Illa enim in primis eſt ſolùm ex parte objecti, ut dixi: hæc verò eſt ex parte voluntatis, & principii. Altera ſolùm agit per modum cauſæ finalis, quæ cauſalitas propria eſt intellectui: hæc verò agit per modum cauſæ efficientis. Demum altera eſt à principio quod eſt extra voluntatem, hæc verò à principio quod voluntati inexiſtit: Ergo ex apertiſſima S. Thomæ ſententia, præter eam motionem quæ fit medio dictamine, & imperio rationis, & quæ ſolùm eſt ex parte objecti, & quæ non poteſt non eſſe extra voluntatem; altera motio requiritur quæ ſit ex parte principii, & voluntatis, quæque ſit intra voluntatem, ſive à principio quod inexiſtat voluntati, & intra ipſam operetur: Atqui ut dictum eſt, ea non poteſt non eſſe immediata motio, & operatio, quam nos præter mediatam, admittendam eſſe contendimus: Ergo.

Confirmatur iterum apertiſſima ratione: quòd ſcilicet D. Thomas expreſsè, ac in terminis motionem Divinam, quæ eſt ex parte objecti, & quæ ut diximus mediata eſt, & fit ſolùm medio dictamine rationis, opponat motioni Divinæ quæ fit ex parte principii, & ipſius voluntatis, & quæ non poteſt non eſſe immediata: Ergo neceſſe eſt quòd iſta diverſa ſit ab altera: & cùm altera ex parte intellectus ſit dumtaxat mediata, neceſſe eſt, ut hæc ex parte voluntatis immediata ſit. Antecedens expreſsè ac in terminis, & quàm ſæpiſſimè in S. Thoma reperitur. Quæſt. 22. de veritate art. 9. citato ita inquit. *Dicendum quòd volūtas intelligi poteſt immutari ab aliquo dupliciter, uno modo ſicut ab objecto ..... alio modo per modum cauſæ efficientis.* Præterea 1. 2. quæſt. 9. art. 4. ait, quòd *Sicut intellectus movetur ab objecto, & ab eo qui dedit virtutem intelligendi; ita voluntas movetur ab objecto quod eſt bonum, &*

ab eo qui causat virtutem volendi . . . utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maximè secundo, interiùs eam inclinando. Iterum quæst. sequenti, art. 2., *Dicendum* inquit *quòd sicut suprà dictum est, volũtas immutatur dupliciter, uno modo ex parte objecti, alio modo ex parte ipsius potentiæ. Ex parte quidem objecti, movet voluntatem, & ipsum bonum, quod est volũtatis objectum, sicut appetibile movet appetitum; & ille qui demonstrat objectum, puta qui demonstrat aliquid esse bonum . . . . . Ex parte verò ipsius potentiæ voluntas nullo modo potest moveri nisi à Deo. Operatio enim voluntatis est inclinatio quædã voluntatis in volitum: hanc autem inclinationem solus immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit,* Deus scilicet. Atque idem repetit S. Doctor sexcentis in locis, ut de ejus sententia dubitandi nullus omninò locus esse possit. Ergo expressissimè ex S. Thoma præter eam motionem quæ fit medio dictamine rationis, altera requiritur ac necessariò est admittenda, qua Deus immediatè voluntatem creatam movet *per modum causæ efficientis*, quaque sit *intra voluntatem*, & qua voluntatem Deus moveat, *interiùs eam inclinando*.

Nec verò quidquam juvat, si quis dixerit, satis esse eam motionem esse intra ipsum volentem, etsi non sit intra ipsam voluntatem: licèt verò ea imperii practici motio non sit intra ipsam voluntatem, est tamen intra ipsum volentem. Nihil inquam illud effugium juvat, cùm, ut diximus, eam motionem, qua Deum operari intra voluntatem inquit S. Thomas, eam ipse S. Doctor opponat Divinæ motioni quæ fit medio judicio rationis. Ac præterea cùm Deus intimè nedum volenti homini, sed etiam voluntati inexistat; quid vetat quominùs etiam, & voluntatem immediatè moveat, & eam immediatè inclinet? Ergo standum D. Thomæ principiis, duplicem esse eam motionem, qua Deus voluntatem movet, mediatam alteram seu ex parte objecti, & medio intellectu; alteram immediatam à Deo voluntati inexistente. Licet enim etiam ex parte objecti, & ex parte intellectus, aliunde moveri voluntas possit; attamen *ex parte voluntatis, mutare actum voluntatis*, & voluntatem movere *non potest, nisi quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa voluntatis, quod secundùm Fidem Deus est.*

Confirmatur iterum eadem ratio, ex eo quòd S. Thomas eam motionem, qua Deus movet voluntatem dumtaxat conferat, cum ipsa motione qua voluntas seipsam movet, sub ipsa tamen Divina motione: Atqui hæc motio qua voluntas seipsam movet, non potest non esse omninò diversa ab ea motione qua intellectus voluntatem movet, nec potest non esse, & immediata, & immediatissima: Ergo &c. Utraque propositio ex D. Thoma desumpta est loco superiùs citato quæst. 22. de Verit. art. 9. *Ex parte*, inquit, *voluntatis mutare actum volũtatis non potest, nisi ab eo quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas; & id quod est causa esse voluntatis, quod secundùm Fidem solus Deus est. Unde solus Deus potest inclinationem volũtatis quam indidit, transferre de uno in aliud.* Et antea jam præcedenti Articulo dixerat: quòd *sicut voluntas potest immutare actum in aliud, ita & multo ampliùs Deus.* Quod iterum locis quàm plurimis repetit S. Thomas: Atqui, ut dictum est, hæc motio qua voluntas seipsam movet, non potest non esse immediatissima. Ergo: &c.

Confirmatur præterea quòd D. Thomas ubique, ac iis potissimùm in locis quæ supra memoravimus, tanquam rationem referat, quòd Deus operetur in voluntate, ex eo quòd ipse causa sit esse ipsius voluntatis; quòd ipse volendi virtutem contulerit; quòd ipse inclinationem voluntati indiderit; unde & eam immutare potest, & ex uno in aliud transferre. Atque alteram iterum hujus rationem affert S. Doctor, & quæ magis latè patet; quòd scilicet cujusque virtutis operatio ab eo esse debeat, qui eam dedit virtutem agendi, sicut motus gravium, & levium tribuitur generanti; quia quisquis dedit primum esse, ea addere debeat, quæ esse consequuntur: cùm nulla unquam causa si perfecta sit, ab effectu manum retrahat, quin ipsum ad ultimam perfectionem perduxerit, quantùm saltem eius vires ferunt: quæ omnia nobiliori in infinitum modo Deo convenire negari non potest: cùm sæpissimè dixerit S. Thomas, & quæst. 3. de potent. art. 16. ex Platone referat *Optimi esse ad optimum adducere*, juxta tamen fixas suæ sapientiæ leges: Atqui manifestissimum est, hæc omnia nulla ratione intellectui, si cum voluntate conferatur, ac judicii dictamini convenire posse: Ergo diversissima motio est, quæ à Deo fit medio imperio rationis, ab ea quæ à Deo fit intra ipsam voluntatem.

Major centies à S. Thoma dicta est, & jam ex ipso retulimus. *Ex parte voluntatis, mutare actum voluntatis non potest, nisi quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis.* quæst. 22. de verit. art. 9. & art. præcedenti 8. *Potest Deus voluntatem immutare ex hoc quod ipse in voluntate operatur, sicut in natura.* 1. P. quæst. 106. art. 2. *ex parte potentiæ, voluntas nullo modo pooest moveri nisi à Deo. Operatio enim voluntatis est inclinatio quædam volentis in volitum; hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volẽdi creaturæ contulit: sicut & naturalem inclinationẽ solus ille immutare potest, qui potest dare virtutem, quam consequitur inclinatio naturalis: solus autẽ Deus est qui potentiam volendi tribuit creaturæ,* & 1. 2. quæst. 9. art. 6. *naturalis motus non causatur nisi ab eo quod causat naturam. Unde dicitur* 8. *Physicor. generans movet secundùm locum gravia, & levia: sic ergo hominem voluntatem habentem contingit moveri ab aliquo, qui non est causa ejus; sed quòd motus volũtarius ejus sit ab aliquo principio quod non est causa voluntatis, est impossibile: voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quàm*

Deus,

Deus. Ergo ex S. Thoma, diverſiſſima eſt ea motio quâ Deus voluntati inexiſtens, eam movet, ac intrà ipſam operatur, ab ea motione quâ eam mediatè movet, medio ſcilicet rationis dictamine.

Probari prætereà poteſt hæc immediata Dei motio intrà ipſam voluntatem, ac diverſiſſima ab ea motione Dei mediata, quâ ſcilicet Deus medio imperio, & judicio rationis movet voluntatem: probari inquam poteſt graviſſimo hoc incommodo quod alioquin conſequeretur. Si enim non alio modo voluntas à Deo moveretur, quàm medio judicio ac dictamine rationis, eodem movendi genere ac modo moveri voluntas poſſet ab Angelo quo movetur à Deo: Atqui ex S. Thoma longè diverſus movendi modus eſt quo voluntas à Deo movetur ab eo quo movetur ab Angelo: Ergo neceſſe eſt alteram præter mediatam motionem admitti ex D. Thomæ ſententia, ſcilicet immediatam, & intrà ipſam voluntatem. Utraque argumenti propoſitio ex ſuperioribus compertiſſima eſſe videtur. Etenim certum eſt poſſe Angelum in intellectum imprimere, & ut inquit S. Thomas loco ſuperiùs laudato 3. cont. Gent. cap. 91. *Cognitio humana ad intellectum pertinens à Deo mediantibus Angelis ordinatur*. Quia ut 1. par. quæſt. 111. art. 1. ex S. Dionyſio refert in 4. de Cęleſt. Hierarch, *Revelationes Divinorum perveniunt ad homines mediantibus Angelis*. Nam ut deinde in corpore Articuli proſequitur: *Cùm Divinæ Providentiæ ordo habeat, ut actionibus ſuperiorum inferiora ſubdãtur, ſicut inferiores Angeli illuminãtur per ſuperiores, ita homines qui ſunt Angelis inferiores, per eos illuminantur*: Ergo ſi non alia ratione Deus voluntatem creatam, niſi medio dictamine, & judicio rationis moveret; eodem planè modo ab Angelo moveri poſſet voluntas quo movetur à Deo: quod tamen perpetuò negat D. Thomas, iis omnibus locis quæ ſatis ſupra retulimus. *Deus enim qui eſt ſimpliciter primus providens, imprimit ſolus in voluntatem noſtrã: Angelus imprimit in intellectũ noſtrũ: ſecundùm quòd per Angelos illuminamur, purgamur, & perficimur; ſed cæleſtia corpora quæ ſunt inferiora agentia, imprimere poſſunt in vires ſenſibiles, & aliis organis affixas*.

Atque eam triplicem motionem ita multis in locis diſtinguit, ut dicat, motionem quâ à corporibus cæleſtibus voluntas inclinari poteſt, eſſe dumtaxat *per modum diſponentis*: eam verò quâ ab Angelo, ipſaque propoſitione objecti moveri, & flecti poteſt, *eſſe per modum ſuadentis*: at verò eam motionem quâ voluntas à Deo immediatè movetur, & immutatur eſſe *per modum perficientis*. Nihil enim huic motioni ultra deeſt, cùm infallibilem conjunctum habeat conſenſum voluntatis. Vide quæ ſupra diximus, ubi pleniùs impugnata eſt quorundam Recentiorum ſententia, qui Divinam motionem cum inſpiratione Angeli, & quod non poteſt non eſſe duriſſimum, etiam cum tentatione Dæmonis contulerunt.

Probatur demùm hæc immediata Dei motio, quâ Deus voluntatem, cæteraſque omnes cauſas naturales movet, comparatione quæ inter conſervationem quâ conſervat res Deus, & motionem quâ eas movet, intercedit. Et quidem maximam eſſe inter utramque convenientiam ac connexionem dubitari non poteſt; cùm ex S. Thoma, utraque ad Divinam Providentiam, quâ univerſum Mundum adminiſtrat, & gubernationem Divinam pertineat. *Duo enim*, inquit, *ſunt effectus gubernationis, ſcilicet conſervatio in bono, & motio earum ad bonum*, 1. par. quæſt. 103. art. 4. quem duplicem effectum deinde duplici ſingulari quæſtione proſequitur. Igitur eadem eſt Divinæ motionis ac Divinæ conſervationis ratio: Atqui Deus nedum immediatè cauſas conſervat, ſed etiam immediata actione quâ perpetuò eſſe quod habent infundit: Ergo & Deus etiam nedum mediatè, ſed etiam immediatè, res omnes ipſamque voluntatem movet. De Majori nullum dubium eſſe poteſt; cùm utraque ſit effectus gubernationis Divinæ, utraque ex ipſa prima Dei operatione, quâ res omnes creat, rebuſque omnibus illabitur, dependeat, & oriatur. Ideò enim Deus res omnes conſervat, quia eas producit; & ut inquit S. Thomas 1. par. quæſt. 104. art. 1. ad 4. *Conſervatio rerum à Deo non eſt per aliquam novam actionem, ſed per continuationem actionis quæ dat eſſe*. Unde eadem actione quâ dat eſſe, & illabitur rebus, ipſiſque perfectionem omnem confert; neceſſe eſt etiam ut eam perfectionem quæ omnium maxima eſt, conferat, ſcilicet quòd agant, unde neceſſe etiam eſt, quòd eas ad ſuas operationes applicet, ſitque ipſis cauſa agendi: in quo propriiſſimè repoſita eſt Divinæ motionis veriſſima notio, ut aliàs explicuimus.

Minor verò, ut exactiùs probetur, per partes dividenda eſt; ac in primis res omnes inferiores mediantibus cauſis ſuperioribus, ac earum etiam perpetuo influxu à Deo conſervari, quod plurimi inter Recentiores, quibus nova Philoſophia placet, in dubium revocare videntur, aut omninò negant; probat D. Thomas 1. par. quæſt. 104. art. 1. *Utrùm Deus immediatè omnem creaturam conſervet?* ubi inquit, *quòd cùm multæ cauſæ ſunt ordinatæ, neceſſe eſt, quòd effectus dependeat primo quidem, & principaliter à cauſa prima: ſecundariò à cauſis mediis. Et ideò principaliter quidem prima cauſa eſt effectus conſervativa: ſecundariò verò omnes mediæ cauſæ; & tantò magis, quantò cauſa fuerit altior, & primæ cauſæ proximior. Unde ſuperioribus cauſis etiã in corporalibus omnibus attribuitur conſervatio, & permanentia rerũ: ſicut Philoſophus dicit in 12. Metaphyſ. quòd primus motus ſcilicet diurnus eſt cauſa cõtinuitatis generationis: ſecundus autem motus qui eſt per Zodiacum, eſt cauſa diverſitatis, quæ eſt ſecundùm generationem & corruptionem: & ſimiliter Aſtrologi attribuunt Saturno, qui eſt ſupremus Planetarum, res fixas, & permanentes*.

Nec dubium etiam quin cæteri Planetæ ſuos influxus peculiares habeant. Idque de ſingulis

etiam ſtellis docet S. Thomas 1. par. quæſt. 70. art. 1. & apertiùs in 2. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. ubi inquit, quòd *Virtutes quæ ſunt in inferioribus, moventes ad determinatas ſpecies, reducuntur in aliquas virtutes cæleſtes determinatas; & hujuſmodi virtutes determinatæ conſiſtunt præcipuè in ſtellis, quæ ſecundùm diverſos aſpectus, & conjunctiones imprimūt ad determinatas ſpecies, ut Commentator dicit in* 11. *Metaphyſ.* Unde etiam non deſunt inter Aſtronomos, qui exiſtiment, ſtellas præſtantiores eſſe planetis, coſque ſuperare virtute, & poteſtate, non minùs quàm multitudine, luce, ac magnitudine. Stellas enim majores eſſe cæteris planetis, excepto Sole, dubitari non poteſt. Immò & Canem majorem ſuperare magnitudine Solem ipſum quidam exiſtimant. Unde ſtella quælibet, Sol quidam exiſtimari poteſt, inſitaque ſibi luce fulget, ex qua plenitudine lucis effuſa ſcintillatio oritur: quamvis tamen propter diſtantiam, & rapiditatem primi mobilis cui infixæ ſunt, cùm non diu morentur ſupra terram, minùs eorum influxus valeant, & perſentiantur. Quibus ſimilia habet quamplurima D. Thomas, potiſſimùm opuſc. 28. de Fato. Quæ parùm forſitan probabuntur novis quibuſdam Philoſophis, quibus exoſæ ſunt occultæ ejuſmodi qualitates, quæ ex varia ſyderum virtute oriri exiſtimantur. Sed licèt vaniſſima ſit eorum ars, qui prædicere ſe poſſe arbitrantur ac divinare futura quæ ex voluntate dependent: veriſſimè enim dictum eſt, quòd tantùm Aſtrologi mentiuntur, quantùm Aſtronomi metiuntur; ideòque forſitan, & eadem hebraica vox בדים *Baddim*, & Aſtrologos, & mendaces ſignificat; attamen magnam eſſe etiam in corpora humana ſiderum poteſtatem dubitari non poteſt, ſi ad ſola corpora referantur; ut conſtat ex D. Auguſtino lib. 5. de Civit. Dei cap. 6. ex quo aliàs quædam diximus. Unde & in Pſal. 102. ad ea verba: *Quoniam ſecundùm altitudinem Cæli à Terra &c.* inquit: *Tolle auxilium Cæli à Terra, & ſtatim deficiet.* Cui ſimillimum eſt quòd ex Divo Thoma diximus ceſſante motu Cæli fore omnia deſitura.

Igitur res ſublunares varias, ac mutabiles à Deo mediis cauſis ſuperioribus creatis, eorumque influxibus, interdum manifeſtis, interdum occultis conſervari, dubitari non poteſt. Qua de re etiam plurima jam variis in locis ut ſe ſe occaſio ferebat veluti ſparſimus. Sed

Præterea res inferiores nedùm mediatè, ac mediis ſuperioribus cauſis conſervari, ſed etiam immediatè conſervari à Deo, tam indubitatum eſt, quàm certum ſit, Deum rebus omnibus intimè, & immediatè inexiſtere, perpetuaque actione ipſum eſſe infundere: Diximus enim ex S. Thoma, conſervationem non aliam eſſe, ab ipſa prima productione actionem diſtinctam, ſed ipſam eſſe productionem, & creationem rerum continuatam. Quatenùs cùm Deus res producit, nunquam manum, ut ita dixerim retrahit, neque influxum ſiſtit: ſi enim vel momento influxuum ſiſteret, producta jam res ſtatim ac momento deſineret, & interiret. Unde eadem ratione, & creationem, & conſervationem ad Deum pertinere demonſtrat S. Doctor: nimirum, quòd eſſe rerum immediatè à Deo dependeat, ut propriiſſimus ipſius effectus: Ideòque neceſſe ſit rem omnem immediatè à Deo, & fieri, & conſervari, ut videre eſt, 1. par. quæſt. 45. ubi agit de creatione: & quæſt. 104. ubi de conſervatione pertractat. Unde etiam ea actio, ut eſt ex parte Dei, ſemper eſt creatio: cùm perpetuò totum eſſe infundat, nihilque omninò ſupponat. Atque ea actione, & operatione neceſſe eſt Deum in rebus omnibus intimè inexiſtere, iiſque præſens conſtitui, ut ſæpiùs explicuimus. Unde hæc tria, ſcilicet creatio, conſervatio, & Divina immenſitas neceſſariam inter ſe ſe connexionem habent; & ex prima actione, ſcilicet creatione, aliæ duæ ſuo modo oriuntur, quia conſervatio eſt ipſa creationis continuatio, & ratione tum creationis, tum conſervationis, Deus rebus omnibus inexiſtit, ut probat S. Thomas 1. par. qu. 8. art. 1. aliiſque in locis. Ergo manifeſtiſſimum eſt, res omnes inferiores ac mutabiles nedum mediis cauſis ſuperioribus, ſed etiam immediatè à Deo conſervari. Sed

Demùm quoad voluntatem, omneſque etiam creaturas ſpirituales multò adhuc res apertior eſt. Cùm enim conſervatio, ut ab Angelico Doctore dictum eſt, ſit ipſius creationis continuatio, certumque ſit omnes ſubſtantias ſpirituales immediatè à Deo eſſe productas, ita apertius eſt à Deo immediatè, & ſine alterius cauſæ conſortio eas conſervari. Non minùs enim rationi ac veræ Philoſophiæ, quàm Fidei repugnat Avicennæ figmentum, quòd prima Intelligentia à Deo immediatè producta fuerit: ſecunda verò mediatè quidem à Deo, ſed immediatè à prima Intelligentia, ac ſic ordine quodam, ac ſucceſſiva ſerie, & veluti propagatione, Intelligentias omnes fuiſſe productas uſque ad ultimam, quæ formas omnes produceret, quas Plato à ſeparato neſcio quo principio datore formarum oriri exiſtimavit, ut refert S. Thomas quæſt. 3. de Potent. art. 8. ac deinde, & fusè art. 16. aliiſque in locis.

Atque ex his omnibus manifeſtiſſimum eſt, eaque comparatione omninò demonſtratur, creaturas omnes ipſamque voluntatem nedum mediatè, ſed etiam immediatè moveri à Deo: Divinamque motionem aliis Divinis operationibus eſſe adjungendam, Deique motionem æquè ac creationem, & conſervationem cum immenſitate Divina omninò eſſe connexam.

ARTICULUS XI.

Solvitur objectio, & explicatur quo sensu D. Thomas voluntatis motionem ad intellectum referat ex Aristotele cap. de Bona Fortuna.

DIces. Quid necesse est immediatam motionem advocare, cùm etiã ea seposita S. Thomas existimaverit explicari posse ac defendi, moveri volutatem à Deo, quatenus movet intellectum à quo deinde voluntas moveatur? Etenim 1. 2. qu. 9. art. 4. *Utrùm voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio?* ubi opportunissimus locus erat ad motionem Divinam explicandam. non aliam rationem affert S. Doctor præter hanc unicam, scilicet: *Omne quod quandoq; est agens in actu, & quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quòd voluntas incipit velle aliquid, cùm hoc priùs nõ vellet.... Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita; non autem est procedere in infinitum: Unde necesse est ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam capitulo Ethicæ Eudemicæ.* Hanc unicam rationem affert eo loci S. Thomas, neque alteram omninò subjungit: Ergo eam dumtaxat satis esse existimavit, etsi nulla ratio motionis immediatæ habeatur.

Confirmatur hæc ratio ex superioribus, ubi dictum est fieri non posse quin voluntas intellectui consentiat, & rationi imperanti obtemperet. Si quando enim contingat, jubenti rationi voluntatem reluctari; hoc inde oritur, quòd absolutè ratio non imperet ut ex D. Augustino, & D. Thoma probatum est: Ergo non altera immediata motio requirenda est præter illam rationis jussionem, & motionem. Consequentia manifesta est. Quæ enim ratio necessitatem Divinæ motionis probare potest, ea est maximè, quòd necesse sit voluntatem ad plura indifferentem, & sua ipsa conditione, & libertate suspensam, ad unam potiùs quàm alteram partem inclinari, & determinari: Atqui ea ratio non aliam præter judicii practici intellectus, seu imperii immediatam motionem exigit; cùm ea imperii motio ita voluntatem determinet, & ad unum flectat, ut planè impossibile sit, voluntatem rationi plenè, & absolutè imperanti, non obtemperare: Ergo non alia immediata motio Divina necessaria est.

Verùm non semel à nobis observatum est, videri in eo aliquos esse deceptos, quòd cùm in D. Thoma alicujus assertionis rationem unam repererint, eam esse unicam arbitrentur: ab eoque cæteras omnes negatas fuisse existiment, quòd quàm à ratione alienum sit, nemo non videt. Sed prætereà etiam quàm parùm legitimum Sancti Thomæ sensum assecuti sint qui ista objiciunt, vera hujus loci explicatione, & istius responsionis impugnatione demonstrandum est.

Impugnatur *Primò* ea responsio, & explicatur vera mens D. Thomæ. Igitur legitimam esse S. Thomæ rationem, optimamque ultrò admitrimus: negamus tamen omninò unicam esse rationem, quâ Divinæ motionis necessitas à Divo Thoma probetur. Et verò cum duplici modo voluntas moveri possit, & mediatè & immediatè; ultrò etiam fatemur ea ratione non explicari, utrùm ea motio Divina vel mediata vel immediata sit. Sæpiùs enim eandem quæstionem Sanctus Thomas pertractat; & pro varia opportunitate, modò mediatam, modò immediatam motionem explicat; ac interdum etiam, ut eo qui objicitur loco, probat solùm, voluntatem moveri à Deo; nec admodùm sollicitus est, utrum mediata, vel immediata motione moveatur; cùm ipsa quæstio pertractata id explicari non postulet. Igitur interdum voluntatem à Deo moveri probat Sanctus Doctor, quæcumque tandem sit illa motio; interdum probat immediatè moveri à Deo immediatione virtutis, interdum verò etiam immediatione præsentiæ: quæ omnia nos simul conjungimus, cùm minimè inter se se pugnent, sed mirum in modum consentiant: atque ex iis omnibus simul conjunctis certissimam S. Thomæ sententiam hanc esse colligimus. In primis, quòd necesse sit, voluntatem moveri à Deo, qua motionis simpliciissima notione, impossibile est non intelligi eam esse physicam, ac prævíam, & consensum omnem voluntatis antevertere: *Secundò*, voluntatem moveri à Deo mediatè, & medio intellectus practici dictamine, quo tanquam regula proxima, & homogenea, necesse est voluntatem regi. *Tertiò* voluntatem à Deo immediatè moveri immediatione virtutis, quæcùm sit primi agentis, non potest non ad ultimum effectum pertingere: Sed denique, & *Quartò*, etiam voluntatem à Deo immediatè moveri immediatione præsentiæ, & operationis, quâ Deus voluntati inexistens eam movet, inclinat, impellit, & immutat: quæ omnia expressissimis verbis ex Sancto Thoma probata, simulque conjuncta, verissimam ipsius sententiam repræsentant; si autem dividantur, ex parte solùm ejus sententiam exhibent. Sed

Secundò: Impugnatur ea responsio, & vera Divi Thomæ sententia explicatur. Certum est, voluntatem à Deo moveri debere; ex multis capitibus oriri posse. Convenit enim voluntas cum cæteris causis creatis: unde eadem ratione, quâ cæteræ causæ motione indigent, indiget & ipsa voluntas paris cum ipsis conditionis. Sed præter hanc communem rationem, altera speciali ratione postulat voluntas, quòd à Deo moveatur; quatenus scilicet rationalis potentia ac libera,

quæ-

quæque ratione regitur. Atque eam rationem ſpecialem affert D. Thomas eo qui objicitur loco. Et verò ideò eam rationem eo loco elegiſſe S. Doctor videtur, quòd cùm tota hac parte agat de actibus humanis, ac ſequentibus quæſtionibus agat de intentione, electione, conſilio, judicio, imperioque rationis, nulla huic loco opportunior ratio eſſe poterat, ea, quâ per illam ſeriem actuum voluntatis, ad primum aliquod ſuperius principium deveniendum eſſe demonſtrat, à quo moveatur. At verò præter eam rationem ſpecialem, alteram communem ſæpiſſimè aliàs refert S. Doctor; nimirùm quòd neceſſe ſit, motus omnes in Deum ut primum principium reduci, à quo cauſæ omnes ſecundæ applicentur, & moveantur immediatè, & quidem utroque modo, ſcilicet & immediatione virtutis, & immediatione præſentiæ, ut ſupra explicuimus.

Tertiò: Et verò eum eſſe germaniſſimum Sancti Thomæ ſenſum, non ab alio, quàm ab ipſomet Angelico Præceptore eſt demonſtrandum. Etenim in Epiſt. ad Roman. cap. 9. lect. 3. cùm illa Divi Pauli verba explicat, ſumpta ex cap. 33. Exod. verſ. 19. *Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor*: probat D. Thomas Divinæ gratiæ uſum non poſſe intelligi cauſam prædeſtinationis: idque probat tum ratione, quia ipſe gratiæ uſus, effectus eſt & prædeſtinationis & gratiæ; tum etiam comparatione cauſarum naturalium quibuſcum voluntas convenit. Etenim inquit, *Divinum beneficium non ſolùm extendit ſe ad infuſionem gratiæ, quâ homo juſtificatur, ſed etiam ad gratiæ uſum. Sicut etiam in rebus naturalibus non ſolùm Deus cauſat ipſas formas in rebus, ſed etiam ipſos motus, & operationes formarum; eò quòd Deus eſt principium omnis motus: cujus operatione ceſſante à movendo, ex formis nullus motus ſequitur. Sicut autem ſe habet habitus gratiæ, vel virtutis in anima ad uſum ipſius; ſic ſe habet forma naturalis ad ſuam operationem. Et ideò dicitur Iſai. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.*

En alteram rationem, eamque communem voluntati, ac cæteris cauſis ſecundis. Conveniunt enim cauſæ omnes ea ratione, quòd nedùm ut ſint, ſed etiam ut operentur, dependeant à Deo, ut primo movente, & primo agente; debeatque primum agens nedum cauſis virtutem agendi conferre, ſed etiam ipſius virtutis ac facultatis uſum; quòd alia ratione fieri non poteſt, niſi quatenus eam virtutem agendi, ſeu potentiam cum operatione conjungit, & ad agendum applicat.

Verùm cùm prætereà ſingularis ſit pro voluntate ratio, quòd ſcilicet voluntas conſilio regatur, eam rationem ſtatim ſubjungit S. Thomas his verbis. *Probat autem hoc ſpeciali ratione Ariſtoteles de operibus voluntatis humanæ. Cùm enim homo habeat potentiam ad oppoſita, puta ad ſedendum vel non ſedendum, oportet quòd reducatur in actum conſilii: & cùm hoc non ſit procedere in infinitum; oportet eſſe aliquod principium extrinſecum ſuperius homine, quòd ipſum moveat ad conſiliandum; & hoc non eſt aliud quàm Deus.* En igitur ſpecialem illam rationem, quæ ad voluntatem attinet, ut diverſam habet à cæteris omnibus cauſis creatis conditionem. Ergo manifeſtum eſt ex D. Thoma ſui ipſius Interprete, non unicam eam rationem eſſe, quâ probari debeat, voluntatem à Deo moveri; ſed præter illam ſpecialem rationem, alteram eſſe cum Divina præſentia in rebus omnibus conjunctam; quæ probat voluntatem nedum medio dictamine rationis, ſed etiam immediatè à Deo voluntati inexiſtente moveri. Sed

Quartò: Confirmari poteſt vera hujus loci interpretatio, quòd cùm ea ſit voluntatis conditio, quâ cæteras omnes cauſas ſecundas ſuperat, quòd libera ſit, & libertatem, etiam cùm movetur, illæſam ſervare debeat: ut D. Thomas ſpecialem hunc modum explicet, quo cauſa ſecunda libera movetur à Deo, & ita movetur à Deo, ut ea motio Divina nullam vim inferat voluntati, nullamque ſibi imponat neceſſitatem; hanc rationem affert, quâ cum Divina motione etiam motionem intellectus conjungit, unde ut à prima radice oritur libertas. Et ſanè ita ſenſiſſe D. Thomam, ipſe ſibi locupletiſſimus erit teſtis. Etenim qu. 6. de Malo art. unico: *Num homo habeat liberam electionem actuum, aut ex neceſſitate eligat?* Quo loco difficultatem omnem, quæ in concilianda cum Divina motione libertate verſatur, planè exhauſiſſe videtur: ita inquit: *Ad oſtendendum quòd voluntas non ex neceſſitate movetur, oportet conſiderare motum voluntatis, & quantùm ad exercitium actûs, & quantùm ad determinationem actûs qui eſt ex objecto. Quantùm ad exercitium actûs, primò quidem manifeſtum eſt quòd voluntas movetur à ſe ipſa: ſicut enim movet alias potentias, ita & ſe ipſam movet..... Ex hoc enim quòd vult ſanitatem, incipit conſiliari de his quæ conferunt ad ſanitatē, & tandem determinato conſilio vult accipere potionem: Sic ergo voluntatem accipiendi potionem præcedit conſilium, quod quidem procedit ex voluntate volentis conſiliari. Cùm ergo voluntas ſe conſilio moveat, conſilium autem ſit inquiſitio quædam non demōſtrativa, ſed ad oppoſita viam habens, non ex neceſſitate voluntas ſe ipſam movet. Sed cùm voluntas non ſemper voluerit conſiliari, neceſſe eſt, quòd ab aliquo moveatur, ad hoc quòd velit conſiliari. Et ſi quidem à ſe ipſa, neceſſè eſt iterum, quòd motum voluntatis præcedat conſiliū; & conſilium præcedat actus voluntatis: & cùm hoc in infinitū procedere non poſſit, neceſſe eſt ponere, quòd quantùm ad primum motū voluntatis, moveatur volūtas cujuſcumque, non ſemper actu volentis, ab aliquo exteriori, cujus inſtinctu voluntas velle incipiat.* Rejecto deinde quorundam Veterum errore, qui eum inſtinctum ad impreſſionem corporum Cœleſtium referebant, à quibus dicebatur, ut refert S. Doctor ex Ariſtotele in lib. de Anima, quòd *talis eſt voluntas in hominibus, qualem inducit pater virorū Deorumque, id eſt Cœlum vel Sol*: poſteà ita concludit,

cludit: *Relinquitur ergo ſicut concludit Ariſtoteles in cap. de bona Fortuna, quòd id quod primò movet voluntatem, & intellectum, ſit aliquid ſupra voluntatem, & intellectum, ſcilicet Deus; qui cùm omnia moveat ſecundùm rationem mobilium, ut levia ſurſum, & gravia deorſum; etiam voluntatem movet ſecundùm ejus conditionem: non ut ex neceſſitate, ſed ut indeterminatè ſe habentem ad multa. Patet ergo, quòd ſi conſideretur motus voluntatis ex parte exercitii actus, non movetur ex neceſſitate.* Hactenus Sanctus Thomas.

Ex quibus luce clarius eſt, afferri à S. Doctore eam rationem, eò quòd illa commodiſſimè explicetur concordia Divinæ motionis cum libertate. Etenim Deus movet quidem voluntatem: ſed ita movet, ut etiam ipſa moveat ſeipſam; movet verò ſeipſam, & judicio rationis à quo ipſa libertas, ut ab ipſa origine deducitur. Unde alibi ex D. Thoma obſervatum eſt, quòd ſi voluntas moveretur per modum cauſæ efficientis, & ſimul etiam non moveretur per modum finis, vis ipſi quædam inferretur. Quid verò hæc, ut exiſtimetur eam rationem eſſe unicam, qua probetur voluntatem à Deo moveri? Probatur quidem ea ratione, eaque ſimul explicatur, illæſam libertatem commodiſſimè cum Divina motione conjungi: ſed præterea altera etiam ratione probari neceſſe eſt, ſcilicet ex communi cujuſque cauſæ ſecundæ dependentia; quæ non poteſt non à cauſa prima moveri: qua etiam ratione nihilo minùs probatur, remanere voluntatis libertatem illæſam, ex communi illa lege Providentiæ Divinæ, *Quæ omnia movet ſecundùm rationem mobilium; levia ſurſum, gravia deorſum; & voluntatem non ex neceſſitate, ſed ut indeterminatè ſe habentem ad multa.* Sed

Quintò. Impugnatur ea ſolutio, quòd apertiſſima ſit Adverſariorum deceptio qui iſta objiciunt; cùm non aliam niſi ex parte intellectus, & objecti, determinationem voluntatis requirant; præter quam tamen negari nulla ratione poteſt, quin S. Thomas aliam admiſerit. Etenim certum & omninò indubitatum eſt ex Divi Thomæ ſententia, duplicem voluntatis determinationem requiri, ſicut duplex voluntatis indeterminatio eſt. Convenit enim, ut diximus, una ex parte voluntas cum cauſis ſecundis, ut & ipſa voluntas eſt cauſa ſecunda; atque ea parte indeterminationem habet ex parte principii & ſubjecti. Sed præterea à cæteris cauſis diſcrepat altera ex parte, & ut eſt rationalis potentia, quæque ratione regi debeat, neque ad unicam ſpeciem actus determinata ſit, ſed ex univerſalitate, & amplitudine qua pollet, circa omnium omninò ſpecierum actus verſari poſſit, ut etiam omnium rerum formas mente concipit: atque ea parte indeterminationem habet ex parte objecti, cùm circa diverſa ferri poſſit: Atqui licet hæc indeterminatio, & indifferentia ex parte objecti, ab intellectu auferri poſſit, quatenus voluntatem ad omnia objecta amplectenda æquè propenſam, ad unum potius quàm alterum eligendum intellectus ipſam determinat: attamen altera intimior eſt indeterminatio, non ex parte objecti, ſed ex parte principii, qua etiam etſi ad unum actum ſpecie voluntas determinata foret, attamen indifferens, & indeterminata remaneret. Atque ea indeterminatio ſolo rationis judicio, & imperio auferri non poteſt, ſed ſola motione Divina, quæ intra principium, ipſam ſcilicet voluntatem operatur.

Atque id nos expreſsè docuit Divus Thomas. Etenim 1. 2. quæſt. 9. ubi *de motivo voluntatis* agit, ſtatim Articulo primo *Utrùm voluntas moveatur ab intellectu?* ſic inquit. *Dicendum: quòd in tantũ aliquid indiget moveri ab aliquo, in quãtum eſt in potẽtia ad plura: oportet enim ut id quod eſt in potentia, reducatur in actum per aliquid, quod eſt actu, & hoc eſt movere. Dupliciter autem aliqua vis animæ invenitur eſſe in potentia ad diverſa; uno modo quantùm ad agere hoc vel illud: ſicut viſus quandoque videt actu, & quandoque non videt; & quandoque videt album, & quandoque videt nigrum. Indiget igitur movente quantùm ad duo; ſcilicet, quantùm ad exercitium vel uſum actus, & quantùm ad determinationem actus; quorum primum eſt ex parte ſubjecti, quod quandoque invenitur agens, quandoque non agens: aliud autem ex parte objecti, ſecundùm quod ſpecificatur actus.* Hactenus S. Thomas.

In quibus obiter obſervari velim, quid propriiſſimè ſit ex Sancti Doctoris ſententia, *movere*: id enim non aliud ſignificat, quàm potentiam in actum reducere. *Oportet* enim inquit, *ut id quod eſt in potentia, reducatur in actũ per aliquid quod eſt actu; & hoc eſt movere.* Inde enim didicerunt S. Thomæ Diſcipuli, Divina motione voluntatem ex potentia ad actum reduci; quia non aliud eſt movere, quàm potentiam ad actum reducere. Quo ſanè impoſſibile eſt non intelligere Divinam motionem antecedere actum voluntatis: cùm neceſſe ſit ab ipſa motione voluntatem, in potentia conſtitutam, in actum reduci.

Præterea hac etiam Angelici Doctoris diſtinctione docemur, duplicem eſſe voluntatis indeterminationem, & indifferentiam, quæ duplici determinatione ſolvi debeat. Altera eſt ex parte objecti, qualis eſt in potentia viſiva ea indeterminatio, qua poteſt verſari circa varia objecta; *& quandoque videt album, & quandoque nigrum.* Ita enim voluntas ad plura objecta ferri poteſt, *& poteſt agere hoc, vel illud.* Sed altera eſt indeterminatio ex parte principii & ſubjecti; quatenus *poteſt agere, vel non agere*; cujuſmodi etiam eſt in potentia viſiva indeterminatio, qua *quandoque videt actu, & quandoque non videt*: Atqui ea determinatio, & motio qua intellectus ſuo dictamine ſuoque imperio voluntatem movet, aufert ſolùm eam voluntatis indeterminationem, quæ eſt ex parte objecti: Ergo altera præterea remanet voluntatis indeterminatio ſolvenda ex parte ſubjecti, & principii, quam ſolvi neceſſe eſt Divina motione, & determinatione, quæ ſi

intrà

intra ipsam voluntatem. Vide plura tom. 1. disp. 1. quæst. 7. art. 4. Ubi à nobis multis probatum est, non satis esse motionem moralem, nisi etiam physica accedat: cùm enim ea motio quæ fit medio dictamine intellectus, non alia sit præter motionem moralem ex suo genere; quæ eo loco dicta sunt, necesse est etiam ut hic locum habeant.

Confirmatur *Sextò* hæc ratio, ex eo quòd etiamsi intelligeretur in voluntate ea solùm potentia, & agendi potestas, quacum causis omnibus secundis convenit, neque ulla ratio haberetur hujus indeterminationis, & indifferentiæ ex parte objecti, qua voluntas, ut est rationalis potentia, intellectu regitur, & determinatur rationis imperio; nihilominùs tamen & moveri & determinari voluntas deberet ex D. Thomæ sententia Divina motione, quæ voluntatis indeterminationem ex parte principii & subjecti solveret, & potentiam, quam vocant contradictionis, qua voluntas potest agere, & non agere, determinaret, & voluntati sui ipsius usum, & exercitium conferret: Ergo planè repugnat S. Thomæ principiis, ipsum non existimasse, necessariam esse aliam motionem, præter eam quæ fit medio dictamine rationis.

Antecedens probatur ex his, quæ jam retulimus ex S. Doctore in Commentario ad Rom. 9. lect. 3. ubi inquit, quòd *Sicut in rebus naturalibus non solùm Deus causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus, & operationes: eò quòd Deus est principium omnis motus, cujus operatione cessante à movendo, ex formis nullus motus sequitur*: ita planè in voluntate ea solùm ratione, quòd forma quædam est, nulla habita ratione hujus conditionis, qua libertate prædita, circa plura versari potest; necesse est, quòd Deus ipsius operationem, usumque, & exercitium conferat, eò quòd *Deus est principium omnis motus, cujus operatione cessante à movendo*, nullus ex voluntate, *sicut nec aliis formis motus sequitur*. Quantumvis enim forma, aut quælibet causa secunda completa sit, nihilominùs tamen Divina motione, ut agat, indiget. Quia *virtus* quidem *activa* ex parte agentis, & *passiva* ex parte subjecti & passi *rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo*: *requiritur tamen virtus Divina* qua moveantur quæst. 3. de potent. art. 7. ad 1. *Quia de ratione virtutis inferioris est, quòd sit aliquo modo operationis principium in suo ordine; id est, ut agat ut instrumentum superioris virtutis; unde exclusa superiori virtute inferior virtus operationē non habet*. Ibid. ad 5. *Deus enim non solùm dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat ad agendum*, tanquam primum agens, & ipsum omnis motus principium, 1. par. qu. 105. art. 5. ad 3. Ergò quamvis nulla habeatur ratio voluntatis, ut judicio rationis regitur, si sola attendatur conditio causæ secundæ, & ut cum aliis causis secundis convenit, necesse est voluntatem à Deo ipsi voluntati inexistente, immediatè moveri.

Confirmatur *Septimò* tandem: ac impugnatur ea Adversariorum Responsio, quòd planè falsum sit, D. Thomam omnem motionem voluntatis etiam iis locis, quæ objiciuntur, in solum rationis dictamen retulisse. Refert enim expressissimis verbis eam motionem in superiorem instinctum superioris, & exterioris moventis, scilicet Dei, qui non minùs immediatè voluntatem, quàm intellectum movet: qua de re eruditum Lectorem testem appello. Ita enim habet Sanctus Thomas loco superiùs laudato 1. 2. quæst. 9. artic. 4. *Quia* inquit, *non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quòd incæperit velle sanari ab aliquo movente, & si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oporteret quòd mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsuppositā; non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere quòd in primū motū voluntatis, voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis, ut etiam Aristoteles concludit in quodam Capitulo Ethicæ Eudemicæ*. Ergo conceptissimis terminis Sanctus Thomas voluntatis primum motum in alterum principium altius, & voluntate, & ratione refert, scilicet primum principium exterius movens, ideſt Deum à quo non minus immediatè moveatur voluntas, quàm intellectus.

Eadem habet Sanctus Thomas, ac fortè expressiùs quæst. 6. de Malo, ubi inquit; *Relinquitur ergo sicut concludit Aristoteles in capite de bona fortuna; quòd id quod primò movet voluntatem; & intellectum, sit aliquid supra voluntatem, & intellectum, scilicet Deus*. Hæc ibi: ubi nullo discrimine facto voluntatis, ac intellectus motionem immediatè in Deum refert. Et rectè quidem: progreditur enim, ut ita dixerim, eodem passu utraque potentia: unde necesse est cùm una movetur à Deo, etiam & alteram moveri. Servatur itaque hic inter eas potentias ordo. Incipit ex parte intellectus prima, & simplex objecti propositio, primaque cogitatio; est enim prima simpliciter rationalis naturæ operatio: ex altera autem parte scilicet voluntatis, sequitur prima, & simplex voluntatis volitio, instar simplicis complacentiæ, qua circa propositum objectum voluntas simpliciter versatur. Et intellectum quidem ad primum illum ac simplicissimum ipsiusmet intellectus actum à Deo moveri ex S. Thomæ sententia compertissimum est, & ratio etiam convincit. A quo enim primus ille actus ut à primo movente oriretur? Non equidem ab ipsomet intellectu, qui antequam agat, in nuda, & sola potentia intelligitur, nec se se in actum reducere potest, nisi in actu constitutus: nec à voluntate etiam primò moveri potest, cùm voluntas sit intellectu posterior, nec minùs in potentia, quàm ipse intellectus: *Relinquitur ergo sicut concludit Aristoteles, in capite de bona fortuna, quod id quod primò movet intellectum, sit supra intellectum, scilicet Deus*.

Et verò ita se rem habere in negotio salutis dubitari non potest, cum ab Apostolo dictum sit 2. ad Corint. 3. *Non sumus sufficientes cogitare ali-*

aliquid à nobis ; quaſi ex nobis ; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quem locum advocat quàm ſæpiſſimè Sanctus Auguſtinus, ut probet, à nobis fidem eſſe non poſſe ; minùs enim eſt cogitare, quàm credere, & tamen ſufficientes non ſumus aliquid cogitare à nobis. Atque in eo poſitum eſt vocationis initium, primaque illa gratia, cùm Deus interdum homini nihil cogitanti, aut etiam de rebus deliberanti, repente ſanctam cogitationem immittit, aut quid agendum ſit, interiùs ipſum monet : ut 1. Machab. 4. 45. dicitur, cùm de altari holocauſtorum ageretur, quod à Gentilibus prophanatum fuerat ; quòd *Incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud ; ne forte eſſet illis in opprobrium, quia contaminaverant illud gentes.* Immiſſum enim à Deo eſt, & *incidit* veluti ſubitò illud e cælo *conſilium*. In qua illuſtratione, & veluti admonitione interna, poſita eſt ex parte illa, de qua ex D. Thoma locuti ſumus bona hominis Fortuna.

At verò ſicut intellectus à Deo ad primum actum movetur, ea ratioue quæ dicta eſt, quòd ſcilicet intellectus ante omnem actum in potentia conſtitutus, ſeipſum in actum reducere non poſſit ; eadem ratione voluntatem à Deo ad primum actum moveri, & à potentia in actum reduci neceſſe eſt. Et quidem confeſſione aliqua, & veluti ſympathia voluntatem ab intellectu trahi poſſe, dubium non eſt : ſicut cùm duæ citharæ juxtà ſe poſitæ ſunt, & utriuſque chordæ eodem planè modo, & gradu etiam aptatæ ſunt & tenſæ : ſi unius citharæ chorda una pulſetur, alterius citharæ chorda eodem gradu tenſa, etiam reſonat ; quod naturæ miraculum Sanctus Gregorius obſervat.

Sed ut ut ſit, cùm voluntas, ut *à principio interiori, & per modum cauſæ efficientis*, ab alio quam à Deo moveri non poſſit ; nec poſſit ab intellectu niſi exteriùs, & per modum objecti moveri ; neceſſe eſt quòd ad Deum ut primum, & interius, ac immediatum movens, actus voluntatis reducatur. *Voluntas enim ad aliquid inclinari dicitur dupliciter, uno modo ab exteriori, alio modo ab interiori. Ab exteriori quidem, ſicut ab objecto apprehenſo*, ipſoque intellectu objectum proponente ; ſed *ab interiori movetur voluntas, ſicut ab eo quod producit actum voluntatis* : & quod propriiſſimè voluntati eſt cauſa agendi, quæſt. 3. de Malo art. 3. *Relinquitur ergo*, ut S. Thomæ verba iterum advocem, *Sicut concludit Ariſtoteles capite de bona fortuna, quod id quod primo movet voluntatem, ſit aliquid ſupra voluntatem*, ſcilicet Deus.

Ergo ex D. Thomæ expreſſa ſententia, non in rationis dictamen dumtaxat, ſed in ipſum Deum prima voluntatis motio referenda eſt. Non negamus equidem, quin etiam intellectus moveat voluntatem, & ipſius intellectus motio in ipſam voluntatem redundet. Sed longè alterius rationis eſt ea motio : movet enim intellectus, ſolùm ut principium exterius, ſed non ut principium quod intra voluntatem ipſam operari poſſit. Nam peculiaris eſt Deoque eximia ea intra voluntatem operatio, *Ex parte enim voluntatis mutare*, ac efficere *actum voluntatis non poteſt, niſi quod operatur intra voluntatem ; & hoc eſt ipſa volùtas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundùm fidem ſolus Deus eſt*, quæſt. 22. de Verit. art. 8. Sed demum in mentem revocandum eſt, & præ. oculis ſemper habendum, Divinam motionem eſſe conjunctam cum operatione Dei rebus inexiſtentis. Inexiſtit Deus ipſi intellectui, & dum objectum v. g. caſtitas colenda repræſentatur, ipſe intellectum movet, & cum ſua operatione conjungit. Inexiſtit Deus voluntati, & dum intellectus voluntati objectum ſuis omnibus illiciis ornatum oſtendit, ac ſimul voluntati ratio imperat ut illud amet ; Deus qui eos omnes motus temperat, efficitque, applicat ipſam voluntatem ad illius virtutis amorem, eamque cùm ſuo actu conjungit. Et ſane in eo videtur eſſe hujus ſententiæ Authorum deceptio, quòd Divinam motionem à Deo ſejunctam intelligant, ut radius in aëre effuſus à Sole ſejungitur : cùm potius intelligendum ſit Deum rebus omnibus inexiſtentem : eas ad ſuas operationes inclinare, & impellere, *Deus* enim ipſe eſt qui *in nobis operatur velle, & perficere*. Hæc ſi præoculis ſemper habeantur, omnino nulla difficultas ſupererit.

Dices iterum hæc minimè communi Scholæ S. Thomæ ſententiæ favere, aut Recentiorum extra Scholam ejuſdem Sancti Doctoris opinioni adverſari ; cùm ex his ſolùm colligi poſſit, doceatq ; Sanctus Thomas, quòd Deus ad primum actum voluntatis indeliberatum voluntatem moveat, quo deinde voluntas jam è potentia educta, & in actu conſtituta, ſeipſam ad alios actus moveat. Tum enim non altera motione opus eſſe videtur, ſed ea planè ſuperflua, & inutilis futura eſt, ſi jam voluntas determinata ſit, & in actu conſtituta. Quòd ſi ad alios actus Deus voluntatem movere dici debeat, non alia ratione movere dici poteſt, niſi quatenus voluntatem ad primum actum indeliberatum movet ; quo deinde voluntas ſe ſe ipſam ad alios movet. Quæ ſanè eſt Recentiorum ſententia, qui Divinam vocationem in eo potiſſimum voluntatis actu indeliberato reponunt, quo voluntas jam in actu conſtituta, deinde ſe ſe pro ſua libertate, in quam partem voluerit flectit.

Verùm hic etiam, quod ſæpius obſervatum eſt, iterum obſervandum occurrit, non unius dumtaxat loci rationem eſſe habendam, ut certa integraque Divi Thomæ ſententia habeatur. Non enim idem locus opportunus eſt, ut ſimul omnia referantur, & explicentur. *Ordinis* enim *hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor* : inquit magni judicii Author, cùm impoſitas ſcribentibus leges colligit, de arte poetica paulo poſt initium : ut *jam nunc dicat, jam nunc debentia dici, pleraque differat, & præſens in tempus omittat*. Evidenter equidem eo S. Thomæ loco convincitur, voluntatem à Deo debere moveri, quæ motio non poteſt non eſſe prævia, & phyſica. Cùm neceſſe ſit, operationum voluntatis ſeriem omnem à Divina motione inchoari, quæ motio ſubinde etiam primum

mum voluntatis actum debeat antecedere. Sed si cætera quæ aliis in locis habet Sanctus Doctor, adjungas, pleniſſimam habebis Angelici Doctoris ſententiam. Adde exempli gratia, quòd habet q. 3. de Potent. artic. 7. ad 7. nimirum illud *Quòd à Deo ſit in re naturali* [ipſaque etiam voluntate] *quo actualiter agat, & ut intentio ſola habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores sūt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* Inde enim non tam colliges, quàm ob oculos poſitum cernes primum actum voluntatis à Deo media Divina motione impreſſa voluntati fieri; non verò immediatè eo ſenſu, ut nihil voluntati imprimatur. Adde iterum ex eodem loco, quòd *Deus ſit ſua virtus, & quod ſit intrà rem quamlibet: & quòd ipſe in quolibet operante immediatè operatur.* Inde enim etiam colliges quòd voluntatem applicet non ſolùm ad actus indeliberatos, ſed etiam ad actus liberos. Unde

Impugnatur *Primò*, quia inde ſequeretur, ad actus ſtudioſos, ac liberos, voluntatem dumtaxat à Deo mediatè moveri, non verò immediatè, quòd ſuprà fusè ſatis impugnatum eſt. Etenim dubitari non poteſt, quin ad actus nedum indeliberatos, ſed etiam liberos, in quibus meritum poſitum eſt, voluntatem à Deo moveri dicendum ſit, quocumque tandem modo explicetur, cùm de his maximè intelligi debeat, Deum *Facere ut faciamus, & ut in ejus præceptis ambulemus: & operari in nobis velle, & perficere*, ideſt, inchoationem operis, ipſiuſque conſummationem: Atqui ſi Deus ſolùm moveret voluntatem ad actū indeliberatum, non autem ad cæteros actus liberos, quibus ſolùm obtineri poteſt æterna beatitudo, Deus moveret ſolùm mediatè voluntatem, ideſt, medio actu indeliberato, v. g. cùm interdum homo mediis in voluptatibus immerſus, ſubitò veluti immiſſo jaculo, æternæ damnationis timore percellitur, & ex eo timore concepto, actuque indeliberato, intellectum applicat, ut periculum in quo verſatur animadvertat; ac deinde eodem timore quo premitur, & urgetur, hæret enim lateri lethalis arundo; poſt multam deliberationem, actuque liberrimo voluptatibus vale dicit, & ad Deum convertitur: Si Deus ſolùm ad primum actum indeliberatum, timorem ſcilicet ſubitò inditum homini peccatori, & ab ipſo abſque libera actûs deliberatione conceptum, de quo hic loquimur, voluntatem hujus hominis moveret: ſequeretur cæteros actus liberos quibus jam voluptatibus ſpontè, ac liberè renunciat, & quibus ad Deum in quo majores animi delitiæ reperiuntur, convertitur; ſequeretur inquam, ejuſmodi actus liberos in quibus meritum omne repoſitum eſt, mediatè ſolùm in Deum Authorem referri, non verò immediatè; quòd multis, à S. Thomæ ſententia, ipſaque veritate, alienum eſſe oſtendimus; potiſſimùm ea ratione deſumpta ex Divina immenſitate, & ex Dei exiſtentia in rebus omnibus immediata, & cum immediata etiam operatione conjuncta. Sed præterea,

Impugnatur *Secundò*: quia ex S. Thomæ ſententia ea eſſe debet Divinæ motionis vis, & efficacia, ut cum ea infallibiliter operatio voluntatis conjuncta ſit. Neque id à Theologo negari poſſe videtur, cùm Divina motio ad ea auxilia, & beneficia non poſſit non pertinere, de quibus à Sancto Auguſtino dictum eſt, quòd iis certiſſimè liberantur, quicumque liberantur: quod etiam ex Evangelio ipſe Auguſtinus didicerat, Joan. 10. verſ. 29. ubi à Chriſto dictum eſt, cùm de ovibus loqueretur, quæ vocem ipſius audiunt, quòd *non rapiet eas quiſquam de manu mea*: cujus ex textu Græco ratio deſumi poteſt, quia ſcilicet *Pater meus qui dedit mihi*, eas ſcilicet, *major omnibus eſt*; cujus loco in vulgata habetur, *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt*. Quod diſcrimen inde oritur, quòd ubi vulgatus interpres olim legit *Pater meus* [ὁ] *quod dedit mihi*, græcus nunc habeat [ὃς] *qui dedit mihi*; ac deinde legit etiam, μεῖζον, *majus omnibus eſt*, ubi nunc textus græcus habet (μείζω) *major omnibus eſt*. Quæ duplex littera tam magnum diſcrimen affert, etſi utrobique ſenſus veriſſimus ſit.

Sed de S. Thomæ ſententia nulla ratione dubitari poſſe videtur: cùm ab ipſo toties dictum ſit, atque eodem ferè loco unde objectio quam verſamus, deſumpta eſt, ſcilicet 1. 2. quæſt. 10. art. 4. & ult. ad 3. *Quòd ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, incompoſſibile eſt huic poſitioni quòd voluntas ad illud non moveatur*. Et quidem incompoſſibile, non ex directione alicujus ſcientiæ, & futuri voluntatis conſenſus prævisione; ſed ex Divinæ virtutis, & motionis efficacia, quia *Deus immobiliter voluntatem movet propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt*. quæſt. 6. de Malo art. unic. ad 3.

Igitur dubitari non poteſt, quin ea eſſe debeat Divinæ motionis efficacia, ut cum ea operatio infallibiliter connecti debeat: Atqui ſi Deus moveret ſolùm voluntatem ad actus liberos medio ſolùm actu indeliberato, nulla eſſet infallibilis connexio cùm Divina motione, quod ultro Recentiores concedunt. Etſi enim inter ultimum judicium, & imperium rationis, & operationem voluntatis neceſſaria ſit connexio, ut ex Sancto Thoma jam diximus ſuprà: attamen ex omnium conſenſu certum eſt cum primo vel intellectus, vel voluntatis actu indeliberato non connecti neceſſariò deliberatum, & liberum voluntatis actum, vel laude, vel vituperio dignum. Ac præterea quamvis aliqua eſſe poſſit moralis connexio, eo major vel minor, quo magis animus v. g. timore percellitur, ac magis inclinatur, ut vitam mutet, ac voluptatibus terrenis valedicat: Nulla tamen eſſe poteſt neceſſaria phyſica connexio cum eo ſolum actu indeliberato, eoque timore, ut Recentiores etiam ultro admittunt: Ergo non in eo ſolo actu indeliberato repoſita eſſe poteſt motio Divina, quæ *Immobiliter voluntatem moveat*; qua poſita *incompoſſibile ſit huic poſitioni, quòd voluntas non moveatur*. Unde etiam

Im-

Impugnatur *Tertiò*, altero non minus indubitato D. Thomæ principio. Quoties voluntas indifferens eſt, & ad actum ſuſpenſa, & ſolùm in potentia; toties neceſſe eſt determinari Divina motione, quæ eam voluntatis ſuſpenſionem ſolvat, & potentiam ad actum reducat: Atqui poſita etiam primo actu indeliberato, voluntas, adhuc remanet indeterminata ad actum liberum, quem elicere poteſt, & non elicere: Ergo etiam ad actum liberum neceſſe eſt, quòd voluntas moveatur à Deo. Minor ſæpius ex S. Thoma probata eſt. Ita enim habet 1. par. quæſt. 19. art. 3. ubi ut omnino certum uſurpat in argumento quinto; quòd *Ab eo quòd eſt ad utrumlibet non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit commentator in 2. phyſicorum*. Quòd in Reſponſione confirmat, his verbis. *Dicendum quòd cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* A qua lege ſola voluntas Divina exempta eſt, cùm ipſa prima omnium lex ſit, ipſaque leges omnes conſtituat, ſubindeque nulli alteri legi ſubdita ſit, ut aliàs ex D. Thoma dictum eſt. Et 2. Phyſicor. lect. 8. ita habet; *Sicut potentia motiva quæ eſt ad utrumlibet non exit in actum niſi per aliquod determinetur ad unum; quia id quod eſt ad utrumlibet, eſt ſicut ens in potentia: potentia autem non eſt principium agẽdi, ſed ſolùm actus. Unde ex eo quod eſt ad utrumlibet, nihil ſequitur niſi per aliquid aliud, quod determinat ad unum*. Quibus quàm plurima ſimillima aliàs fusè retulimus: Ergo ex D. Thoma certa eſt prælaudata Major; quòd ſcilicet quoties voluntas ſuſpenſa eſt, & circa plura verſatur, ad unam potiùs quàm alteram partem ab altiori principio determinari debeat, quod ſemper in actu eſt. De Minori verò, ſcilicet voluntatem poſito actu indeliberato, & intellectu, & voluntatis in ordine ad actum liberum plenisſimè indifferentem eſſe; apertior eſt quàm ut negari poſſit. Et ſi quis contenderet, voluntatem per actum indeliberatum eſſe jam in actu conſtitutam, quo deinde poſſit ſe ſe in alios actus liberos promovere, ſecluſa quacumque alia ſuperiori motione, neque ampliùs debere dici eſſe in potentia. Contra eſt, &c.

Impugnatur *Quartò*: eaque ſolutio rejicitur, quia ea ratione convinci ſolùm poteſt, voluntatem eſſe in actu primo conſtitutam, ſed non eſſe in actu ſecundo effectivo conſtitutam ad actum liberum eliciendum: nec convinci unquam poterit, quin egeat voluntas motione Divina, ut ex actu primo, quantumvis completo, in actum ſecundum reducatur. Unde impugnatur ea ſolutio, quia voluntas per actum indeliberatum v. g. timoris concepti, aut volitionis finis in actu conſtituta, non magis in actu primo conſtituta eſſe cenſenda eſt, quàm cauſa quælibet naturalis per ſuam vim agendi nativam, & facultates activas, congenitas in actu primò ſit conſtituta: Atqui cauſa quælibet quantumvis facultatibus, & virtute agendi inſtructa, & in actu primo conſtituta, eget tamen Divina motione, quæ potentiam activam in actu primo completiſſimè conſtitutam, in actum reducat: Ergo etiam quantumvis voluntas per actum indeliberatum quemcumque, ſive ſui ipſius, ſive intellectus quo regitur, ſit in actu primo conſtituta; indiget tamen alia motione ſuperiori, ſcilicet, Dei primi agentis, primi liberi, primi volentis, & primi determinantis, & qui ſemper in actu eſt, quique voluntatem in actu primo jam conſtitutam, in actum ſecundum liberum reducat.

De Majori, & conſequentia, nemo, ut arbitror, movebit litem; abſolutiſſima enim eſt comparatio, quòd ad præſens argumentum ſpectat, inter voluntatem, & cauſam quamlibet etiam particularem, & naturalem, ſi utraque eodem modo in actu conſtituta conſideretur. Minor verò ex D. Thoma aperta eſt in illo celebri loco quo funditus Adverſariorum omnium ſententiam Sanctus Doctor evertit, ſcilicet quæſt. 3. de Potent. art. 7. ad 1. ubi cum ſibi objeciſſet; quòd *Natura neque deficit in neceſſariis, neque abundat in ſuperfluis: Sed ad actionem naturalem ſufficit virtus activa ex parte agentis, & paſſiva ex parte patientis: Ergo non requiritur virtus Divina in natura operans*, eamque ad agendum movens. Quod argumentũ præcipuum aut unicum eſt quo Recentiores Divinam motionem in cauſis naturalibus impetunt. Reſpondet Sanctus Doctor, *Dicendum, quòd virtus activa, & paſſiva rei naturalis ſufficiunt ad agendum in ordine ſuo. Requiritur tamen virtus Divina, ratione jam dicta*: quòd ſcilicet neceſſe ſit primum movens movere ſecundum, ſicut principale agens movet inſtrumentum. Unde ſtatim ad 5. iterum inquit; *Quòd de ratione virtutis eſt, quòd ſit aliquo modo operationis principium in ſuo ordine, id eſt, ut agat ut inſtrumentum ſuperioris virtutis. Unde excluſa ſuperiori virtute inferior virtus operationem non habet*: Ergo ex S. Thoma quantumvis cauſa in actu primo conſtituta, & completa ſit, eget tamen altiori, & Divina motione: quia licet in ſuo ordine, ſuoque genere, ſive in actu primo conſtituta; neceſſe tamen eſt, ex eo actu primo, in actum ſecundum reduci. Et quantumvis in eo primo actu completa intelligatur; adhuc tamen quòd ad actũ ſecundum ſpectat, incompleta remanet, ac debet in actu ſecundo effectivo conſtitui: quia actus ſecundus formalis nunquam niſi à principio activo in actu ſecundo effectivo conſtituto, oriri poteſt, ut jam aliàs ſæpiùs à nobis ex Sancto Thoma probatum eſt. Sed

Impugnari *Quintò* poteſt hac ratione, quam ſanè invictam eſſe arbitror, ex Divina operatione cum Divina immenſitate, & præſentia in rebus conjuncta. Etenim cùm voluntas per actum indeliberatum, ſeu timoris, ſeu volitionis finis, & æternæ beatitudinis, in actu primo conſtituta intelligitur, actum liberum productura, certum eſt voluntati in eo ſtatu conſtitutæ, actumque liberum ſecundum producturæ, Deum intimè, & immediatè præſentem adeſſe, & voluntati quamlibet perfectionem conferre, & cauſam eſſe cur

voluntas agat, eamque perfectionem quæ omnium maxima est, conferre, quòd scilicet actu, & liberè agat: Ergo & necesse etiam est, quòd Deus voluntatem ad actum secundum liberum, & determinatum moveat. Consequentia aperta est. Siquidem ut jam toties ex D. Thoma retulimus: *Non contingit*, quòd aliquis sit causa directa alicujus, *nisi per hoc quod proprium ipsius principium movet ad agendum* 1. 2. quæst. 80. art. 1. Antecedens verò ipsa sua luce se clarissimum efficit. Unde toties à Sancto Thoma dictum est, hoc ipsum, quòd causæ omnes secundæ agant, nec excepta quidem voluntate, de qua Deo major cura est, ipsis causis à Deo conferri: qua ratione omium actuum, omniumque motionum, magis causa sit, quàm cæteræ causæ, quæ sub ejus motione agunt. Unde Opusc. 15. cap. 14. inquit. *Primum movens immobile quod Deus est, omnium motionum principium est; sicut & primum ens est omnis esse principium. In causis autem per se ordinatis, tantò aliquid est magis causa, quantò in ordine causarum prior est, cùm ipsa aliis conferat quod causæ sint,* (& actu etiam agant.) *Deus igitur secundùm hoc; omnium motionum vehementiùs, causa est, quàm etiam singulares causæ moventes.* Quoties enim inferius agens, & causa secunda agit *utrumque agenti influit, & ut agat, & ut bene agat*: quia non alia ratione *bonarum actionum Deus est causa, nisi secundùm quòd Deus potentiæ agendi efficaciam confert*, in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. *Et proprium principium movet ad agendum* 1. 2. *qu.* 80. artic. 1. Ergo cùm Deus causa esse debeat, quòd voluntas post spiritum timoris conceptum, opus salutare veræ, liberæque conversionis in Deum pariat; & quidem non causa quomodocumque, sed immediata, & directa, cùm intimè voluntati jam actum liberum productura, & veluti parituræ inexistat; etiam necesse est, quòd voluntatem ad actum quemcumque liberum, & determinatum immediatè moveat.

QUÆSTIO VI.

De quarto modo explicandi Divinæ Gratiæ efficaciam.

CÆTEROS forsitan hic quartus explicandi modus superare non incongruè dici posset, cùm plura habeat commoda, quæ prosequemur, ac imprimis cùm ipsa cujusque experientia maximè comprobari videatur, & veram alioquin hominis lapsi, & jam sub tyrannide, & peccati, & Diaboli, adhuc ex parte constituti, virtutis gratiæ notionem explicet. Placida enim erat lætaque innocentis hominis gratia, dum summa pace frueretur, & ita cum gratia natura consentiret, ut gratiam ipsam æmulari natura videretur. Cùm primùm voluntati jam casto amore accensæ, & flagranti bonum monstrabatur, spontè ipsa amplectebatur, neque ad bonum prosequendum, ut stimulis urgeretur egebat, aut ut à malo retraheretur fræno coercenda erat. Spectabat jucundè gratia naturam ad omne bonum sua spontè propensam. Quamvis enim communis semper ea esset Divina motio, quæ intus in voluntate motum ipsius omnem efficeret, ea communi lege, qua Deus rebus omnibus, adeoque Adami voluntati, inexistens, omnia efficit: quin etiam, & eò validiùs Divina gratia Adamum innocentem moveret quò majori innocentia fruebatur; cùm in his quæ Deo propinquiùs adhærent, impressio semper fortior validiorque sit: attamen non erat singularis illa, & ut ita dixerim dominatrix, victrixque gratia, qua necesse foret rebellis hominis audaciam domari. Hæc enim infelicitas, est lapsi hominis, & in natura corrupta, ut perpetuò ipsi puguandum sit. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus concupiscit adversus carnem. *Videte* inquit Augustinus Serm. 43. de Verbis Domini, *videte quale bellum proposuit, qualem pugnam, qualem rixam intus intra teipsum*: Rebellat perpetuò caro, nec jam vires habet spiritus ut pugnantem carnem subjiciat: nondum sub gratia victrice constitutus homo pertrahitur, *Concupiscentia dominante, atque fallente dulcedine peccati prohibiti*, inquit idem August. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 1. Reclamat equidem infelix homo, cui hoc unum relictum est, ut se vinci persentiat, & ferè nolit etiam cùm vult. Sicut inquit egregiè idem D. Augustinus ad Simplicianum *Præcipitatus sine difficultate descendit, quamvis id nolit, atque oderit*. Sed dum reclamat conqueriturque, etiam se vinci fatetur. *Quod nolo* inquit *malum hoc ago*, quia *victus operatur; cupiditas quippe operatur cui superanti ceditur*. Majores enim vires sunt accensæ cupiditatis, quàm ut spiritus obsistere possit, nisi gratia Christi opem ferat, & rebellem cupiditatem comprimat. Duplici enim ex parte cupiditas vires acquirit, inquit Augustinus *Ex traduce moralitatis, & assiduitate voluptatis: illud est ex pœna originalis peccati: hoc est ex pœna frequentati peccati; cum illo in hanc vitã nascimur, hoc vivendo addimus: quæ duo scil. natura, & consuetudo conjuncta robustissimam faciũt, & invictissimam cupiditatem.* Perpetua igitur militia est hominis super terram: pugnat homo secum, nec vinceret nisi Divinus Spiritus infirmum hominem adjuvaret. *Spiritus* igitur *Dei est* inquit Augustinus *qui pugnat in te, adversus te, & adversus*

ſus illud, quod eſt in te, contra te. Serm. 47. ſuprà laudato: & ſanè ut in hoc certamine tot inſultibus robuſtæ cupiditatis *Voluntas non cedat, ſitque mens hominis adverſus cupiditatem robuſtior: ſola victrix gratia facit*, inquit iterum D. Auguſtin. Ibidem ad Simplicianum. Igitur non incongruè in eo Divinæ gratiæ efficacia repoſita dici poteſt: quòd reſiſtentiam, & obſtinationem voluntatis ſuperet. Unde ea ex parte hic quartus explicandi modus ſingularem commendationem habere poteſt, qua cæteris explicandi modis, nec inferior, nec minus probabilis, meritò exiſtimari poſſit. Sed id erit etiam apertius, ex his quæ in hujus explicationem, & probationem ſubjungimus.

ARTICULUS I.

Quartus explicandi modus elucidatur, & defenditur, efficaciam Divinæ gratiæ in quadam congruitate, & contemperatione repoſitam eſſe.

COmmunis quidem eſt Recentiorum extra Scholam S. Thomæ ſententia, efficaciam gratiæ Divinæ in quadam congruitate eſſe repoſitam, ita ut eadem veluti numero gratia, aut eodem intenſionis gradu, diverſis collata, ex variis circumſtantiis loci, & temporis, aut variè etiam contemperata genio temperamento, & indoli, in uno effectum habeat, nihil in altero effectura: quo ſenſu uſurpare ſolent quàm plurima quæ Sanctus Auguſtinus habet lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ubi Divinæ gratiæ efficaciam in ſola congruitate collocaſſe videtur: quamvis reipſa alieniſſimum Divi Auguſtini verba ſenſum habeant, ab eo quem ipſi Recentiores affingere ſolent, ut infra oſtendetur.

Verùm alius eſt longè diverſus congruitatis Divinæ ſenſus, quem hic intelligimus, & exhibet hic quartus explicandi modus. Nedum enim cum communi S. Thomæ Diſcipulorum ſententia conſentit, ſed planè omnino idem eſt: & ea ſolùm ratione diſtinguitur, quòd cùm alii de efficaci Dei gratia, ut præcisè efficax eſt ſermonem habeant, hic quartus explicandi modus omnem actualem gratiam adæquatè ſumptam, tum efficacem, tum ſufficientem comprehendat. Neque id quidem temerè, aut ſine gravi fundamento. Non enim cùm voluntas v. g. ex Divina motione vel contritionis vel charitatis actum elicit, exiſtimandum eſt duplex conferri actuale auxilium, quorum alterum ſufficiens ſit alterum verò efficax. Unum dumtaxat confertur, quod & voluntatem omnino complet, ac proportionem cum actu eliciendo efficit; quod munus proprium eſſe intelligitur ſufficientis auxilii; ac ſimul etiam voluntatem ad actum eliciendum applicat, quod eſt propriiſſimum efficacis auxilii munus. De actuali igitur auxilio adæquatè ſumpto intelligendus eſt hic quartus explicandi modus, ut Divinæ gratiæ efficacia ſit in quadam congruitate, qua Divinæ gratiæ motio ſuperet malitiam, & reſiſtentiam voluntatis. Unde pro varia diſpoſitione, & variis veluti gradibus malitiæ, cui ſuperandæ conſentanea gratia confertur, major in uno eſſe debet quàm in altero, ut ſervetur debita proportio, quam inter cauſam & effectum ſervari neceſſe eſt. Unde conſequitur, quòd in uno interdum effectum omnem habeat, quem habere poteſt, & ſuæ efficacitati proportionatum actum eliciat, unde propriè efficax ſit: in altero verò non omnem effectum habeat ex reſiſtentia voluntatis: & tunc efficax quidem ſit ſua ipſa virtute, effectum tamen ex reſiſtentia, ut dixi voluntatis, non habeat, ſed tunc inefficax evadat.

Hunc explicandi modum amplexus eſt Gonzalez; & licet ſpecie tenus communi ſententiæ Scholæ D. Thomæ de Divinæ gratiæ motionis efficacia, opponi videatur, mirè tamen cum ea convenit, ut jam demonſtrandum ſuſcipio: ipſumque eo ſenſu explicatum nedum probabilem, ſed & veriſſimum eſſe arbitror.

Probatur igitur hic explicandi modus, atque ut ſimul aliena omnis falſaque interpretatio, quæ occurrere menti poſſet, amoveatur; ita ſtatim conſtituendum eſt: varios ſcilicet eſſe poſſe, & reipſa eſſe obſtinationis, & reſiſtentiæ voluntatis gradus; varios item gradus Divinæ gratiæ, & motionis, quam ita Deus ex æquiſſimis ſuæ Providentiæ legibus temperat, ut voluntatem pro libito impellat, vel concutiat ſolùm, vel omnino convertat. Ut enim inquit S. Thomas quæſt. 1. de potent. art. 2. *à Deo moventur quædam efficaciùs, & quædam minus efficaciter.* Sunt enim chariſmata alia aliis meliora, & interdum lenis, interdum validus, & vehemens eſt Spiritus Divini impulſus: ſicut v. g. poteſt vel leviter vel validè columna aliqua impelli: Atqui ſi ſupponamus, voluntatem ex pravis habitibus longaque aſſuetudine, ad ſex v. g. vel octo, aut decem gradus obſtinationibus perveniſſe: (neque enim neceſſe eſt, ſicut in phyſicis, octavum gradum ultimum conſtituere in moralibus, cùm nullus ſit malitiæ hominis numerus, & nullus etiam ſit quem reipſa Divina gratia ſuperare non poſſit:) ſi itaque Deus infinita ſua miſericordia erga hominem uſus, majorem, & efficaciorem motionem illi tribuat, quæ ſuperet reſiſtentiam, & obſtinationem voluntatis ipſius; tunc ea gratia reipſa, ſuperat etiam obſtinationem voluntatis, eamque infringit, & omnino voluntatem ſibi ſubiicit, & eſt reipſa efficax: ſi verò ex juſtitia, ac ita exigentibus hominis demeritis, Deus ſuæ gratiæ motione minùs valida ejus voluntatem impellat; eam equidem veluti concurit, & commovet; non tamen eam penitus deiicit, neque

que eam convertit ; & tunc ea Divinæ gratiæ motio inefficax est , ac solùm sufficiens . Sufficit enim reipsà , & vi sua , ut voluntatem convertat, si minor sit voluntatis obstinatio , & resistentia : si verò major sit, voluntatem solùm ad perfectam conversionem disponit , eam tamen nondum efficit ; quod sufficientis gratiæ propriissimum munus est : Ergo reipsà in eo posita est efficacia gratiæ, quòd ita contemperata sit , ut obstinationem vincat: & ea ratione efficax & sufficiens gratia distinguntur , quòd efficax major sit , sufficiens verò minor , quæ resistentiam voluntatis omnino non vincat, sed eam paululùm concutiat , & ad perfectam conversionem disponat.

Confirmatur *Primò* , quòd ea efficacis , & sufficientis gratiæ notio communi Scholæ S. Thomæ sententiæ omnino consentiat , cum etiam Alvares inter nobiliores Thomistas non postremus eam expresè docuerit. Etenim Disp.80. cum sibi hoc argumentum objecisset , scilicet gratiam efficacem, & sufficientem, esse diversæ speciei , atque adeò efficacem nunquam posse esse sufficientem : Respodet quòd sicut gratia non diversificatur secundùm essentiam per hoc quòd est præveniens , & subsequens , sed solùm secundùm diversos effectus : Ita dicitur efficax respectu effectus imperfecti , quem efficit , inefficax verò aut sufficiens respectu actus ultimi ac perfectioris , ad quem disponit : cùm scilicet , ut explicavimus , minoris est efficaciæ , & virtutis , quàm ut perfectiorem actum efficiat .

Secundò Confirmatur : & ut hæc omnia quæ mox diximus de efficaci , & inefficaci , seu sufficiente gratia , veluti ob oculos ponantur , & gravissimæ difficultates quæ omnium Theologorum ingenia exercent ex D. Thomæ doctrina resolvantur : sumenda exempla sunt quæ perpetuò adhibet S. Doctor , cùm justificationis ordinem , actuumque omnium longam seriem recensет , quibus disponi solent qui justificantur : neque enim unquam meliùs , & apertiùs efficacis , & sufficientis gratiæ discrimen , quàm in hominis justificatione relucet. Igitur ut in forma argumentum proponatur . Nunquam reipsa justificatio fit nisi prius voluntas multis motibus disponatur , & successivè ipsius resistentia superetur : Ergo existimandum est in ea præcipuè positam esse efficaciam gratiæ quòd voluntatis resistentiam vincat. Consequentia satis aperta esse videtur : Antecedens verò probatur . Ubique enim Doctor Angelicus , quoties hominis peccatoris justificationem explicat , varioque motus animi , quibus paulatim ad integram conversionem , seu justificationem disponitur ; toties ea exempla desumpta usurpat ex rebus naturalibus , vel ordine morali , in quo virtutes acquiruntur . In utroque enim ordine , sive cùm usu , & exercitio virtutes comparantur , sive cùm præviis alterationis motibus forma generatur , necesse est , quòd prius subjectum disponatur . Ita enim ad Divinam Providentiam pertinere existimandum est , quòd variis veluti Divinæ suæ gratiæ motibus voluntatem disponat , eamque paulatim sibi subjiciat , ut tandem eam integrè convertat , & justificet. Cùm etiam modus quo Deus in ordine gratiæ , hominem ad æternam Beatitudinem promovet , minimè alienus , aut diversus , ab eo censendus sit , quo in ordine naturæ Deus hominem regit , & causas etiam naturales movet : & ex communi Theologorum sententia , Prædestinatio non sit altera , & diversa species subjectiva , ut vocant , Providentiæ , sed penes objecta solùm distinguatur , & una eademque Providentia ad utrumque ordinem , & naturæ , & gratiæ sese extendat , & in utroque eundem agendi , & providendi modum , & ordinem servet .

Duplex igitur in Sancto Thoma apertissimum exemplum reperio , quo hæc omnia facilè explicentur . Primum est justitiæ moralis, & acquisitæ, quæ nunquam momento comparatur ; sed longa exercitatione , & usu , opus est , ut virtus moralis acquiri possit , aut etiam ut ars aliqua addiscatur : Ita verò non momento , sed successivè, variis scilicet , & sæpius repetitis actibus , & aliis quidē & aliis perfectionibus, homo ad perfectam, seu integram , justificationem producitur . Ita verò habet Sanctus Doctor quæst. 28. de verit. quæ tota est de Justificatione art. 3. ubi explicat variis multisque motibus liberi arbitrii justificationem perfici , cujus rei post duplicem alteram rationem quam affert , hanc etiam tertiam addit . *Tertia* . inquit , *ratio sumitur ex similitudine Divinæ operationis in rebus corporalibus. Deus enim aliquem effectum producens, quem iterum potest producere natura,* aut cui simile producit, *secundùm eandem dispositionem producit sicut & natura . Sicut si Deus aliquem miraculosè sanet, sanitatem in eo causabit cum quadam adæquatione humorum, quam etiam natura operando interdum aliquem sanat, secundùm illud Philosophi in 2. Physic. quòd si natura faceret opus artis, eodem modo faceret sicut ars, & e converso. Ex naturalibus autem homo justitiam habere potest dupliciter: uno modo, ut naturalem vel innatam, secundū quòd quidam ex ipsa natura sunt proni ad opera justitiæ; alio modo ut acquisitam,* variis actibus, & per intervalla temporum . *Justitia igitur infusa* [paululum hic ordinem D. Thomæ immutato] hanc enim comparationem ultimo loco reponit. *Justitia igitur infusa per quam justificantur parvuli, similis est naturali aptitudini ad justitiam , quæ etiam in parvulis invenitur , & ad neutram usus liberi arbitrii requiritur. Justitiæ verò acquisitæ ex operibus, similis est justitia infusa, per quam justificatur adultus. Unde sicut in justitia politica acquisita requiritur actus voluntatis , quo quis amat justitiam: ita etiam in adultis justificatio nō completur sine usu liberi arbitrii .*

Opportunissima sanè S. Thomæ comparatio. Sicut enim nemo qui virtutem moralem acquirit, repente justus evadit, sed necesse est , quòd paulatim ad actus virtutis perfectiores enitatur , & quò deterioribus habitibus premitur , & gravatur, eò majori conatu indiget ut iis obsistat . Ita

plane

planè in ordine ſupernaturali, nemo (citra miraculum) momento juſtificatur, & perfectè convertitur; ſed ex communi Divinæ Providentiæ lege, Deus qui voluntatem infirmam, & pravis habitibus gravatam adjuvat, ut eos excutiat; primò voluntatem veluti ſopitam excitat, deinde enitentem erigit, poſtea erectam firmat. Quòd ſi Divinæ motioni major obſtinatio reſiſtat, eam veluti repetitis actibus pulſat, ac contundit, uſque quo victa ſubactaque perfectam juſtitiam aſſequatur. Atque inde oritur ſuavitas illa Providentiæ Divinæ; quòd ut diximus idem ſit in omni ordine providendi modus, ut connaturali modo voluntas agere videatur, etiam cùm agit in ordine ſupernaturali gratiæ. Paulatim enim voluntas diſponitur, ut paulatim juſtitiam diſcere, & comparare videatur; non ſecus ac artes omnes uſu, & ſtudio comparantur. Unde voluntas in acquirenda juſtitia toties, & difficultatem experitur, & tædio afficitur; quod quiſque etiam in ſtudio ſcientiarum interdum perſentit: quòd nimirum idem planè modus ſit, quo Deus in ordine gratiæ homines ad juſtitiam ac virtutem promovet, ut in ordine naturali ad habitus naturales comparandos providere ſolet.

Sed altero præterea, & frequentiùs etiam uti ſolet S. Thomas exemplo materiæ variis motibus alterationis ſubactæ. Etenim inquit eodem loco quæſt. 28. de verit. art. 3. *Ad receptionem formæ requiritur aliqua diſpoſitio in recipiente: non enim quælibet forma in quolibet recipitur. Sed actus liberi arbitrii ſe habet ut diſpoſitio ad gratiam: Ergo ad receptionem gratiæ juſtificantis uſus liberi arbitrii requiritur.* Atque ut poſtea addit: *Patet in corporalibus quòd actio nō perficitur ſine aliquo contactu, quo agens tangit patiens &c. ſicut ignis agit in aquam*, aut lignum cui ignis forma inducenda eſt. Ita enim *Deus qui juſtificat, in primis tangit animam, gratiam in ea cauſando. Unde & in pſalm. 143. tange montes, gloſſa gratia tua &c. & fumigabunt.* Hæc ibi. Quibus propriiſſimam Divinæ motionis notionem explicat S. Thomas, quam alibi diximus propriiſſimè eſſe contactum, quo Deus ſua operatione contingit, movet, & inclinat voluntatem, & ad operetionem eam applicat.

Sed multò apertiùs eam comparationem inſtituit 1. 2. quæſt. 113. art. 7. ubi etiam ſolitum juſtificationis modum explicat, quo paulatim anima ad infuſionem gratiæ diſponitur, qua perfecta animæ converſio, & juſtificatio completur. Sic igitur habet. *Reſpondeo, dicendum: quòd tota juſtificatio impii originaliter conſiſtit in gratiæ infuſione: per eam enim, & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur. Gratia autē infuſio fit in inſtanti abſq; ſucceſſione: cujus ratio eſt; quia, quòd forma non ſubitò imprimatur ſubjecto, contingit ex hoc, quòd ſubjectum non eſt diſpoſitum, & agens indiget tempore, ad hoc quòd ſubjectum diſponat. Et ideò videmus quod ſtatim cùm materia eſt diſpoſita per alterationem præcedentem, forma ſubſtantialis acquiritur materiæ: & eadem ratione, quia Diaphanum eſt ſecundùm ſe diſpoſitum ad lucem recipiendam, ſubitò illuminatur à corpore lucido in actu. Dictum eſt autem ſuprà quòd Deus ad hoc, quòd gratiam infundat animæ, non requirit aliquam diſpoſitionem, niſi quam ipſe facit. Facit autem hujuſmodi diſpoſitionem ſufficientem gratiæ, quandoque quidem ſubitò, quandoq; autem paulatim, & ſucceſſivè, ut dictum eſt ſuprà. Quòd enim agens naturale non ſubitò poſſit diſponere materiam, contingit ex hoc, quòd eſt aliqua proportio ejus quod in materia reſiſtit, ad virtutem agentis. Et propter hoc videmus, quòd quantò virtus agentis fuerit fortior, tantò materia citiùs diſponitur. Cùm igitur virtus Divina ſit infinita, poteſt quamcumque materiam creatam ſubitò diſponere ad formam; & multò magis liberum arbitrium hominis, cujus motus poteſt eſſe inſtantaneus ſecundùm naturam. Sic igitur juſtificatio impii fit à Deo in inſtanti.*

Hactenus D. Thomas. Ubi ea comparatione naturalis, motus juſtificationis ordinē naturamq; explicat. Convenit itaque gratiæ infuſio cum productione ſubſtantialis formæ, quòd utraque momento, & inſtanti vel infundatur, vel producatur, cùm primùm ſubjectum diſpoſitum eſt. Sed ut diſponatur, longum ut ita dixerim, iter agendum eſt; amovendi ſunt obices, & contrariæ diſpoſitiones depellendæ; in quo & tempore, & labore, opus eſſe, nemo eſt qui neſciat, & qui cùm ignis accenditur, etiam oculis non inſpiciat: ut nemo etiam eſt qui pravis habitibus aliquando infectus, cùm ſanctitatis ſemitas inire voluerit, in ſeſe non experiatur, ut expertum ſe fuiſſe Sanctus Auguſtinus confitetur lib. 8. confeſſionum. Inter miracula enim computanda eſt perfecta converſio, quæ momento fiat, qualis fuit D. Pauli converſio. Ut enim inquit idem Sanctus Thomas eadem quæſt. 113. art. 10. *Juſtificatio impii quandoque eſt miraculoſa, & quandoque non. Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus juſtificationis, ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum, primò quidem converſione imperfecta, & poſtmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut Sanctus Auguſtinus dicit. Quandoque verò tam vehementer Deus animam movet, ut ſtatim quādam juſtitiæ perfectionem aſſequatur, ſicut fuit in converſione Pauli, adhibita etiam exteriùs miraculoſa proſtratione: & ideò converſio tanquam miraculoſa in Eccleſia commemoratur celebriter.* Vide etiam ibidem quæſt. 112. art. ad 2.

Igitur ex hoc duplici exemplo apertum eſt, nunquam citra miraculum juſtificationem fieri, niſi paulatim reſiſtentia voluntatis vincatur: Atqui nunquam magis quàm in juſtificatione hominis Divinæ gratiæ efficacia relucet: Ergo & in eo non immeritò exiſtimari poteſt efficaciam Divinæ gratiæ poſitam eſſe, quòd ita attemperata ſit, eamque proportionem majoris inæqualitatis habeat, ut ſuperet reſiſtentiam voluntatis.

Sed præterea, ex ea comparatione nataralis motus, explicari quàm facillimè poſſunt graviſſimæ

diſſi-

difficultates circa sufficientem, & efficacem gratiam, quæ omnium Theologorum ingenia exercent, & interdum satis torquent, & eam de qua agimus sententiam maximè elucidabunt. Enim verò in naturali motu quo immisso calore, & sensim variis gradibus aucto, forma ignis inducitur, hæc quæ subjungo animadverti possunt. *Primò* quolibet ignis influxu aliquid activè effici, & reipsa produci: immittitur enim gradus aliquis caloris, & aliqua dispositio producitur, qua magis aptum suscipiendæ formæ ignis lignum evadit. Sed *Secundò*, necesse est ut majorem vel minorem calorem ignis efficiat, quò lignum magis aut minùs dispositum est, ut propiùs ad formam ignis accedat. Unde eadem actio ignis majorem calorem inducit, quò subjectum magis dispositum est: ideoque faciliùs stuppa quàm lignum accenditur. Unde *Tertiò* consequitur, quòd juxta subjecti variam dispositionem, eadem aut similis actio ignis in uno effectum producat, quem non producit in altero. Atque iterum inde *Quartò* fit, ut si quidem calorem lignum habeat, ipsum non à se, sed ab igne acceptum habeat: si verò cùm ignis applicatur, & in lignum agit, lignum tamen exiguum calorem excipiat, minusque immutetur, unica causa est, non ex parte ignis, qui agit, sed ex parte ligni, quod minùs agenti subjicitur, sed magis obsistit. Sed tandem *Quintò*. In eo ignis exemplo animadverti potest, ignem qui agit in lignum, semper ipsum magis ac magis accendere, adeò ut si hic influxus ignis non intercipiatur, v. g. injecta frigida, influxus hic tendat ad ultimam ignis formam, in ligno inducendam, ac etiam tandem lignum in ignem convertat.

Hæc omnia quæ oculis etiam in rebus naturalibus hauriuntur; etiam & oculis pene subjiciunt, quæ in moralibus aut ordine supernaturali fiunt; cùm Deus ignis consumens, animam tangit, & ita eam accendit, ut tandem *ardeat suaviter*, ut inquit S. Thomas opusc. 60. de gradibus Divini amoris.

Et primò quidem aliquid produci quolibet influxu, & motione ignis Divini, res aperta est, & sensibili etiam interdum argumento probatur. *Tangit enim montes, & fumigant*; & ut explicat S. Augustinus. *Fumus confitentium peccatorum extorquebit & lacrymas humiliatorum superborũ.* Ita enim superbus animus, aut voluptatibus immersus, veluti lignum viride, cùm Divina gratia tangitur, fumigat, solviturque interdum in fletus, quibus se tangi Divini spiritus igne satis significat, *Cum* enim *video flentem, non dubito flantem*, inquit S. Cyprianus: & ut docet S. Tridentinum Concilium, sess. 6. cap. 5. *Tangente Deo cor hominis, neque homo nihil omnino agit*; concipit enim utilem timorem, qui primus conversionis motus esse videtur: *Peccatores enim se esse intelligentes*, ut addit cap. sequenti 6. *à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur.*

Sed *Secundò* Divinus hic contactus, eadem hæc actio Divini ignis, seu Divina motio non semper eundem effectum producit: quò enim magis aut minùs voluntas disposita est, eò majorem vel minorem motio effectum imprimit. Ut enim inquit Sanctus Thomas, 1. 2. quæst. 112. art. 2. *Contingit quandoque, quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam: sed quandoque statim perfectè movet ipsum ad bonum, & subitò homo gratiam accipit, secundùm illud Joan. 6. 45. omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.*

Cur verò ea motio, quæ ut est ex Divina voluntate, & ordinatione Dei moventis semper ad bonum perfectum tendit, aliquando tamen non pertingat ad metam, & terminum, sed sistat in medio cursu; rationem explicat S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. ubi inquit: quòd *Vocatio quædam interior est, & hæc quandoque quidem nõ pertingit ad finem suum ex vocati defectu; & hæc vocatio nihil aliud est quàm aliquis instinctus vel motus ad bonum à Deo immissus. Et hæc etiam non est idem quod justificatio, sed via ad illam. Quandoque autem pertingit ad finem; quando scilicet aliquis vocantem audit, & venit ad Christum, ut dicitur Joan. 6. omnis qui audivit à Patre, & didicit venit ad me.*

Hinc igitur oritur Divinam motionem non pertingere ad terminum, ad quem tendit, scilicet *ex vocati defectu*, qui pravè affectus, ac dispositus, Divinæ motionis cursum sistit. Cùm igitur minùs disposita voluntas est; nihil mirum quòd minùs efficiat Divina motio: cùm verò voluntas magis subjicitur, ac perfectiùs disposita est, nihilque habet quod se se opponat, vim omnem exerit Divina motio, & voluntatem ad terminum perducit, ad quem ex Divina intentione tendit. Unde sicut, *cùm materia disposita est per alterationem præcedentem, forma substantialis statim acquiritur* 1. 2. quæst. 113. art. 7. nihil enim est quod obsistat, seque opponat actioni agentis, quin etiam ut observat Divus Thomas Opusc. 9. ad quæst. 38. *Novus effectus potest provenire in anima ex nova dispositione recipientis, sicut nova illuminatio in aëre ex nova dispositione aëris.* Et eadem ratione; *Quia Diaphanum est secundùm se dispositum ad lumen recipiendum, subitò illuminatur à corpore lucido in actu*: Ita planè Angelus in primo instanti, ac deinde confirmatus in gratia, & jam Beatus cum sit instar speculi perlucidissimi, quo nomine post D. Dionysium, Angelum nuncupat S. Thomas, gratiam omnem ejusque omnem effectum recipit, cùm nihil sit quod Divinæ motioni obsistat, aut eam retardet: quod de Adamo etiam in statu innocentiæ constituto facilè potest intelligi. At vero cùm in homine ob varias partes quibus componitur, quæque sibi invicem repugnant, major sit cum Divina gratia, qua ad bonum impellitur, oppositio, & inferior pars, & rationi, & gratiæ, qua movetur, repugnet; ideò in statu naturæ lapsæ homo minùs motionis Divinæ effectum, & impressio-

pressionem percipit, minusque movetur, ac majori gratia indiget, quæ majorem eam resistentiam vincat. Necesse enim est, ex ea communi lege causis omnibus universum constituta, actionem omnem esse ex proportione majoris inæqualitatis. *Quòd enim agens naturale*, ut inquit prælaudato loco D. Thomas, *non subitò possit disponere materiam, contingit ex hoc, quòd est aliqua proportio ejus, quod in natura resistit ad virtutem agentis* quodq; non ipsi omninò subjicitur. Unde *sicut non est ratio*, ut ibidem inquit in solutione ad 3. *quòd forma subito in materia non recipiatur* neque omnem effectum habet, *quia magis vel minùs potest inesse: sic enim lumen non reciperetur in aëre, quia potest magis vel minùs illuminari: sed ratio est accipienda ex parte dispositionis materiæ vel subjecti* pari modo, quòd Divina motio non omnem effectum habeat, quàm ex sua vi, suaque intensione habere potest, v. g. quòd gratia ut sex, actum intensum ut sex in voluntate non efficiat non est accipienda ex parte Divinæ motionis, aut ex eo quòd varios gradus habere possit; ea enim motio ut sex in Angelo vel homine innocente parem effectum reipsà haberet; *sed ratio accipienda est ex parte dispositionis subjecti*, scilicet voluntatis quæ magis obsistit, aut minùs subjicitur.

Atque inde tertium consequitur, scilicet motionem Divinæ gratiæ in uno efficacem, interdum in alio inefficacem esse, ipsumque non convertere. Quod eadem comparatione satis apertum esse videtur. Sicut enim ut dixit S. Thomas quæst.28. de Verit. art. 3. *Non quælibet forma in quolibet recipitur*, nec omnem effectum habet: ita vocatio interdum *non pertingit ad finem ex vocati defectu*, in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. Unde eadem gratiæ Divinæ motio ut sex, quæ in homine innocente omnem effectum habuit, illum tamen non habet in homine lapso, ejusque voluntate peccatis corrupta, ob scilicet resistentiam ipsius partis inferioris, cui Divina motio vim quandam inferre videri posset, cùm ipsa sit ab extrinseco, passo & recipiente nihil conferente, sed contra obsistente, cujus resistentia non potest non retardare vim Divinæ motionis; sicut econtra, cùm devictis passionibus appetitus subjicitur, facilèque rationi obtemperat, ipsamque sequitur veluti sphæra inferior sequitur superiorem; tunc motio Divinæ gratiæ omnem effectum habet, quem habere potest. Unde interdum in viris Sanctis minima veluti motio eos subitò commovet, & ad Divinum amorem vehementiùs accendit, quæ peccatoris cor durum, & lapideum vix ad aliquem dolorem concipiendum movere potest. Ut enim globus faciliùs impellitur quàm lapis, ita & sapientis animus de quo dictum est quòd *totus teres est atque rotundus*, faciliùs impellitur, & currit in via mandatorum Dei, quàm homo veluti saxeus; qui nisi veluti turbine moveri non possit. Ideò enim, & Sanctos nuncupatos esse Cælos observatum est à S. Thoma post D. Gregorium, quòd facilè mobiles sint. nihilque habeant quod Divinæ gratiæ veluti motricis Intelligentiæ motum retardet. Quin etiam ut inquit idem D. Thomas 1. 2. quæst. 30. art. 1. ad 1. interdum contingit *Propter intensionem appetitus inferioris partis, ex quo fit redundantia in inferiorem appetitum, ut simul etiam ipse inferior appetitus suo modo tendat in spirituale bonum* consequens appetitum superiorem: & etiam ipsum corpus spiritualibus deserviat: sicut dictum est: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*· quo sensu etiam dicitur esse quandam *concupiscientiã Sapientiæ*:cum tamen sensibus addicti omni spirituali sensu, & gustu qui Divina sapiat, penitùs careant, & instar stipitum, & lapidum esse videantur. Atque hujus discriminis causa petenda est non ex defectu gratiæ, & vocationis, sed *ex parte vocati*, ut dixit Sanctus Thomas. Posset enim Divina motio eundem quem habet in viris Sanctis in cæteris effectum habere, si eadem cæteris dispositio inesset, & eodem modo voluntas motioni gratiæ Divinæ subjiceretur. Est enim ea immobilis in omni omninò statu, & ordine, ut diximus, constituta Divinæ Providentiæ lex, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens sibi subjiciat passum; & major vis vincat minorem. Unde

Quartò illud consequitur, & cùm sit gravissimi momenti, maximè etiam animadverti debet: quòd si quid boni agat voluntas, si quem actum salutarem eliciat, si reipsà convertatur, Divinæ gratiæ motioni omninò adscribendum sit: si contra verò motioni Divinæ gratiæ obsistat, neque obdurata voluntas convertatur, ipsius malitiæ, & obstinationi aut resistentiæ imputari solùm debeat:quòd quidem aliunde ex Sacra Scriptura compertum est, *Perditio tua ex te Israel, tantummodò in me auxilium tuum*: idque ex superioribus etiam manifestè consequitur, & facillimè explicatur. Sed

Quintò demum eadem comparatione colligitur, quòd cùm Deus voluntatem movere incipit, nisi voluntas ipsa sua malitia motum illum, & influxum gratiæ Divinæ intercipiat, Deus tandem voluntatem aversam ad se convertat: tendit enim veluti recta via hæc Divina motio ad perfectam integramque voluntatis aversæ conversionem, ex ipsa Dei moventis ordinatione, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Quo etiam principio alibi à nobis explicatum est suprà, qua ratione homini qui efficaci gratia caret, meritò imputari possit, ac debeat, quòd bonum non agat, præceptaque non impleat: & quòd ex culpa illius sit cui sufficiens gratia confertur, quòd efficacem non recipiat. Quia nisi sufficienti gratiæ obsisterit, Deus efficacem ipsi conferret: qui enim cæpit opus bonum in nobis, nisi voluntas nostra impediret, ipse perficeret, confirmaret, solidaretque. Ipse enim Deus est qui operatur in nobis, non solùm velle, sed & perficere pro bona voluntate.

ARTICULUS II.

Confirmatur magis superior sententia, Efficaciam gratiæ Divinæ in ea congruitate, & proportione positam esse, quòd superet resistentiam voluntatis.

CONfirmari iterum potest eadem sententia: & licèt quæ dicta sunt satis probent eam cum communibus Theologiæ, & Scholæ D. Thomæ principiis consentire, specialiter tamen ac magis probanda est, ac potissimùm quòd nostri instituti est, Sancti Thomæ authoritate confirmanda.

Primò igitur probatur ea sententia, quòd maximè consentanea sit Sanctissimi Præceptoris modo loquendi, à quo efficax gratia pro sufficiente, & sufficiens pro efficaci gratia interdum nullo discrimine facto usurpata est. Etenim ad Rom. 1. lect. 6. ad hæc verba: *Revelatur ira Dei*: observat Angelicus Doctor, ab Apostolo, cùm virtutem Evangelicæ gratiæ commendat, duo probari. *Primò*, inquit, *ostendit quòd est necessaria ad salutem, secundò quòd est efficax, sive sufficiens*. Ubi indistinctè, & sufficientem gratiam pro efficaci, & vice versa efficacem pro sufficiente usurpat Sanctus Thomas, ut etiam aliàs advertimus; quòd nimirùm Sanctus Doctor existimaverit, cuique motioni gratiæ Divinæ suam inesse vim, & efficaciam agendi, & effectum habere posse suæ virtuti parem; etsi interdum non habeat, ex voluntatis defectu, quæ cupiditate pertrahitur. Ita enim Joan. 17. cùm ea verba explicat: *Ego pro eis rogo, non pro Mundo*; inquit, quòd *Christus, quantùm est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantùm est de se, efficax est pro omnibus, ut valeat Mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & electis Dei, & hoc propter impedimentum Mundanorum*. Ubi dubitari non potest, quin de efficacia orationis Christi in actu primo locutus fuerit D. Thomas, quæ quamvis vi sua sit efficax, ex impedimento tamen ac malitia voluntatis, & fascinatione nugacitatis rerum inutilium quæ *sensum obscurat, & vanitate vanitatum*, aut ut interdum loquitur Sanctus Augustinus, *vanitate vanitantium* rerum, quibus homines vani fiunt, effectum non habet quem habere posset, & haberet reipsà, nisi hæc impedimenta obsisterent: Atqui quod inquit Divus Thomas de oratione Christi etiam de Divina gratia non immeritò censeri potest: Ergo est etiam *efficax, sive sufficiens* Divina gratia: efficax scilicet vi sua, quâ efficacia si voluntatis resistentiam, aut reluctantis cupiditatis motum superet, erit habitura effectum.

Confirmatur *Primò* quòd eodem sensu gratiam interdum cum medicina conferat S. Thomas, quæ licèt vim expellendi morbum habeat, eum tamen interdum non expellit, magnitudine morbi artem superante. Ita enim Sanctus Doctor Angelicus iterum in Epist. ad Roman. cap. 5. Cùm explicat quod ab Apostolo dictum est, quòd *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia*: hujus, inquit, rationem assignat D. Paulus ex *effectu gratiæ: sicut enim magnitudinem morbi non sanat nisi fortis, & efficax medicina, ita requirebatur abundans gratia ad hoc ut sanaret abundantiam delictorum*. Est igitur gratia instar medicinæ, & proportionem quandam requirit, ut scilicet sua vi superet vim, & effrænis cupiditatis impetum. *Si medicamentum* sit *medicatum*, ut aliàs diximus ex D. Augustino in Psal. 57. integra sanitas confertur: si verò sit *medicamentum non medicatum*, disponit solùm ad sanitatem recuperandã etsi eam omninò non restituat. Ita igitur si fortior sit Divinæ gratiæ motio, & ea motione accensa charitas vincat superetque pravam cupiditatem, tunc motio Divinæ gratiæ efficax est: quòd si è contra vehementior sit ipsa cupiditas, cassa & inefficax redditur Divina motio, aut ejus vis ita retardatur, ut licèt effectum aliquem habeat, non habeat tamen perfectum, ad quem ex Divina ordinatione, ut supra dictum est, refertur. Unde & S. Augustinus lib. de Corrept. & Grat. utriusque hominis gratiam, innocentis scilicet, & lapsi ea ratione *distinguit*, quòd illa quidem esset lætior, cùm hominem in tanta felicitate constitutum nihil ab exercitio virtutum retardaret: hominis verò lapsi gratia efficacior esse debeat, ut inter tot errores, quibus seduci potest, cautus fiat, totque amores quibus pertrahi, & tot terrores quibus dejici potest, firmus sit.

Secundò probari potest altero D. Thomæ principio, immò omnium Philosophorum consensu, ac ipsâ experientiâ Philosophorum magistrâ: nihil mirum videri debere si gratia Divina, quamvis se ipsa efficax, non tamen omnem semper effectum habere dicatur. Etenim non major efficaci gratiæ vis agendi tribuenda esse videtur, quàm tribuatur v. g. calori, aut alteri qualitati activæ: cùm his causis efficientibus veluti per se, & quarto modo conveniat agere, & quidem physicè agere; neque alia ratione motionem physicam nuncupamus, nisi ut significetur eam verè, & propriè agere, ac in genere efficientis causæ, & vera agendi vi, & efficacia efficere actum voluntatis, & non solùm metaphorica efficientia, qualis motioni morali convenire potest: & sanè satis esse videtur, ut Divinæ gratiæ, & motioni physicæ, vis agendi, & efficacia tribuatur, qualis tribuitur naturalibus causis, quibus per se convenit agere physicè: Atqui certum est causas non agere nisi ex proportione majoris inæqualitatis, & non semper eundem effectum ab eadem efficiente causa, v. g. igne produci; faciliùs enim stuppam comburit quàm lignum: & ut Seneca advertit in quæstio-

nibus

nibus naturalibus lib. 4. Vaſa Soli expoſita pro diverſitate materiæ citiùs calorem concipiunt, aut diutiùs ſervant : & ut in ſpeculis uſtoriis etiam nos ſæpiùs experti ſumus, Soli diverſa metalla expoſita, alia aliis faciliùs ſolvuntur, atque alia etiam aliis magis obſiſtunt : Ergo etiam nihil mirum videri debet, ſi efficax gratia ſeu ipſa Divina motio, quæ comparatione qualitatum naturalium phyſica dicitur, interdum non habeat eundem effectum, ſed ſolùm juxta eam proportionem, quâ ſuperat reſiſtentiam voluntatis.

Confirmari poteſt hæc ratio ex diſcrimine, quod intercedit inter cauſam formalem, cujus generis eſt gratia ſanctificans, & cauſam efficientem, cujus efficaciæ ſimilis eſt efficacia gratiæ actualis. Nec verò neceſſe eſt hùc D. Thomæ authoritatem advocare, cùm res compertiſſima ſit. Etenim hoc ſingulare eſt cauſæ formali, quòd cùm agat per communicationem ſui ipſius, effectum omnem habeat quantùm habere poteſt : qua ratione habitualis gratia, & ſanctificans etiam minima omnia omninò peccata mortalia, quibuſcum incompoſſibilis eſt repellit, nec minùs agit in adulto multis peccatis actualibus gravato, quàm in parvulo actualis peccati experte, & quem originale dumtaxat inficit ; quamvis & hic etiam in cauſis formalibus aliquam diſpoſitionum rationem haberi neceſſe ſit ; cùm & ipſa rationalis anima, v. g. in homine, juxta varias partium diſpoſitiones, vel ut vegetativa ſolùm communicetur ſanguini, aliiſque partibus, quæ ſunt ſenſus expertes, & eâdem tamen animâ informantur : vel ut vegetativa ſimul, & ſenſitiva, cæteris partibus cordi, hepati, aliiſque ; vel demum ut rationalis, communicetur Pineali glandulæ in medio cerebri, ſi ea ſit ſedes rationalis animæ, & cognitionis organum, ut quidam inter Recentiores arbitrantur : quamvis malè aſſignatum locum alii cenſeant, quem ſemper fæcibus conſpurcatum eſſe putant. Ità verò etiam eadem gratia habitualis, & ſanctificans, hominem peccatorem, efficit Filium Dei adoptivum, & ex eadem gratia ut radice, pro varia hominis diſpoſitione, variæ virtutes dimanant : Innocentia ſcilicet in primo homine, & vigor quidam ac major efficacia agendi ; virginitas in virginibus ; caſtitas in conjugatis ; firmitas quædam & robur in confirmatis in gratia, quæ firmitas ſit quædam participatio gratiæ conſummatæ. Sed prætermiſſa gratia habituali, quamvis ex ea obſervatione ſatis conſtet quantùm ſemper in ſubjecto cipiente habenda ſit diſpoſitionum ratio : Attamen de efficiente cauſa apertius eſt, eam non agere niſi ea proportione majoris inæqualitatis, & exceſſu virtutis activæ, quæ poſſit ſibi paſſum ſubjicere : Ergo cùm actualis gratia non in genere cauſæ formalis, ſed in genere cauſæ efficientis repoſita ſit ; idem omninò de ejus agendi vi, & efficacia ſentiendum eſſe videtur, eam ſcilicet exigere eam congruitatem ſeu contemperationem, quâ voluntatis reſiſtentiam, & obſtinationem vincat, ita, ut major ſit eo cupiditatis motu, qui voluntatem hominis pertrahit, aut pertrahere nititur ad malum. Sed

Tertiò Probari poteſt ex eo quòd neceſſe ſit, gratiam eò majorem eſſe quò tentatio gravior eſt, & vehementiùs voluntatem hominis allicit ſubindeque poſſe eandem gratiam in eo eſſe efficacem, qui minori tentatione urgetur, inefficacem verò in eo, qui graviori tentatione premitur : Ergo neceſſe eſſe videtur, quòd gratiæ efficacia in eo poſita ſit, quòd diſpoſitioni voluntatis ita ſit conſentanea, & contemperata, ut ejus reſiſtentiam omnem, quæ ex tentatione oriri ſolet, omninò vincat. Conſequentia ſatis aperta eſt. Antecedens verò infinitis propemodum locis tum ex Scriptura Sacra, tum ex SS. Patribus probari poteſt. Sed apertior locus ille ex 1. ad Cor. cap. 10. eſſe videtur ; *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Quibus innuere videtur D. Paulus, majorem fore à Deo concedendam homini gratiam, & tribuendum fortius auxilium, quò vehementior tentatio ingruerit, & gravius certamen ipſi fuerit ſuſtinendum. Atque adeò non eandem gratiam, quæ par eſſe poteſt ſuſtinendæ leviori tentationi, parem eſſe vincendæ graviori. Et ſanè dubitari non poteſt : quin etiam cùm major ingruit tentatio, teneamur majorem gratiam à Deo poſtulare, ſicut & majorem cautelam adhibere. Unde & qui graviora certamina paſſi ſunt Viri Sancti, & vehementioribus tentationibus obſtiterunt, majori ſemper laude digni habiti ſunt, & majorem ſibi apud Deum juſtum Judicem, & fidelem remuneratorem, mercedem, & eminentiorem æternæ in Cælis gloriæ coronam meruerunt. De quo, ut dixi, infinita propemodum referri poſſunt exempla : Ergo apertiſſimum ſignum eſt, eâdem gratiâ tentationem omnem vinci non poſſe : atque adeò majorem, & ampliorem eſſe debere gratiam in eo qui majori tentatione urgetur, quàm in eo qui leviori pulſatur.

Quartò probari iterum poteſt ex diſcrimine, & inæqualitate actuum, quos Divina motio efficit : neceſſe enim eſt certam fixamq; proportionem eſſe inter cauſam, & effectum, inter potentiam, & actum : cùm potiſſimùm in ordine ſupernaturali virtus ſuperaddita ſit tota & integra, & adæquata ratio agendi : Atqui manifeſtum eſt, non omnes actus qui à voluntate eliciuntur, paris perfectionis eſſe, ſed alios eſſe aliis nobiliores, & difficiliores, tum ex objecto, tum ex circumſtantiis : Ergo etiam neceſſe eſt, variam eſſe & diverſæ activitatis motionem, eamque perfectiorem conferri, cùm actus perfectior eliciendus eſt : v. g. requiri ad elicendum actum intenſum, ut quatuor paris activitatis motionem ut quatuor, nec ſatis eſſe motionem ut duo. Atque eo potiſſimùm ſenſu dictum eſt à D. Thoma quæſt. 1. de potent. art. 2. in fine, quòd *à Deo moventur quædam efficaciùs, & quædam minùs efficaciter* : efficaciùs ſcilicet, cùm actus perfectior eliciendus eſt,

est, minùs verò efficaciter, dum eliciendus est actus minùs intensus: & si motio Divinæ gratiæ instar cujusdam impulsus intelligenda sit; quis dubitet, columnam v. g. majori impulsu concutiendam esse, quò firmior est, & majori pondere solo adhæret? Sed

Quintò: Probari etiam potest ea sèntentia, quòd ea commodissimè plura faciliùs explicari possint, quæ majus negotium facescere in aliis explicandi modis videntur; nimirum quantùm ad veram notionem sufficientis auxilii, & imputationem hominis ad culpam, cui Divina motio denegatur. Etenim si hic explicandi modus obtineat, palàm est eam sufficientem gratiam, quam Schola D. Thomæ admittit, verissimè, & propriissimè sufficientem esse: cùm reipsa nihil ipsi desit si vis ipsius agendi spectetur. Quòd enim gratiæ Divinæ motio, v. g. ut quatuor, interdum effectum non habeat, non oritur ex defectu ipsius motionis Divinæ, quæ vim agendi non habeat: est enim verissimè sufficiens, immò & natura sua efficax, nec minorem suo in ordine vim habet agendi, quàm habeat v. g. calor in ordine physico, quem nemo negaverit vim habere sufficientem comburendi, ita ut si admotum lignum ignis non comburat, id non oriatur, ex eo quòd ipsi igni desit sufficiens vis agendi, sed quòd lignum oppletum humiditate, & aqua, impressioni, seu vi, & efficaciæ ignis obsistat. Atqui idem de voluntate sentiendum est. Nam si prava voluntas minori, v. g. obstinatione obfirmata esset, minùsque intensus esset pravus ipsius habitus, quo veluti pondere à virtute colenda retrahitur, & ad vitium impellitur; ipsa eadem Divinæ gratiæ motio ut quatuor, voluntatem ad virtutem impelleret, atque hujus consensum obtineret: superaret enim vim pravi habitus, & malitiam voluntatis, eamque à sequendo vitio retraheret. Quòd si ea gratiæ Divinæ motio ut quatuor, voluntatis consensum non obtineat, id non oritur ex defectu ipsius motionis gratiæ Divinæ, sed ex parva dispositione voluntatis, quæ ob pravum habitum intensum, v. g. ut quinque ipsius actionis impressioni, & vi seu efficaciæ Divinæ motionis non subjicitur.

Atque inde alterum etiam consequitur, quod non levem difficultatem ingerere solet, qua ratione scilicet, & qua æquitate possit imputari homini ad culpam, quòd non agat, & Divina præcepta non impleat, cui Divina motio deest, quæ tamen ut ageret necessaria foret. Imputatur enim ad culpam homini æquissimè, cùm non oriatur defectu motionis, & gratiæ Divinæ, quòd non agat; sed ex obstinatione, & malitia creatæ voluntatis. Sufficeret enim reipsà ea motio qua impellitur v. g. ad erogandam pauperi eleemosinam, cùm præceptum charitatis proximi urgeret, nisi pravo avaritiæ, & cupiditatis laqueo compedita voluntas teneretur. Quòd si in eo statu pravæ cupiditatis, quæ voluntati dominatur eamque constringit, præter eam motionem altera ipsi necessaria sit, & majoris remedii ope egeat, imputet sibi & magnitudini morbi, non motioni Divinæ prava hominis voluntas, quæ seipsam sua se se malitia, & cupiditate constrinxit: nihil enim deest ex parte motionis, sed solùm deest ex parte voluntatis, quæ se se pravo habitu implicuit, & ut olim ex S. Bernardo retulimus, nihil habet quid respondeat prava voluntas, cùm ipsa fecerit. Tantùm enim abest quòd malitia voluntatis hominem minùs reum efficiat, ut econtra magis ipsum gravet. Quis enim unquam ex sua malitia excusationem in peccatis meritò prætendere possit, quem econtra ipsa malitia quò major est, magis rerum peragit.

Sed demum alterum ex ea præfata sententia commodum reportari facilè potest; quòd inde planissimè illud explicetur, quod toties à Sancto Augustino dictum est, in his qui convertuntur Dei misericordiam, in his qui non convertuntur, Divinam Justitiam agnoscendam esse. Quòd enim quis v. g. à Deo aversus majorem gratiam percipiat, quæ malitiæ voluntatis vim omnem, & magnitudinem superet, solius Divinæ misericordiæ est: nec enim homo à Deo aversus eam gratiam promereri potest, cùm econtra positivè ea indignus sit. Quòd verò minori interdum motione pulsetur, quæ ut diximus ipsum quidem commoveat, non convertat tamen, Divinæ Justitiæ est: cùm ea abundantiori gratia privari mereatur: quamvis, & ea Justitia, Divina etiam misericordia temperata sit, siquidem etiam omni omninò gratia privari meretur.

Deum probari potest ea sententia. & veluti huic explicandi modo colophon imponi, quòd nihil prohibeat, hunc explicandi modum à veris & germanis SS. Augustini, & Thomæ Discipulis ultro ac veluti obviis ulnis admitti. Cùm à sententia Recentiorum cui in speciem favere videri posset, reipsa tamen quàm longissimè abest. Quod ut apertius sit, solvendum est duplex argumentum, quo ea consensio cum Recentiorum sententia suaderi posse videtur.

Dices igitur, videri recidere hunc explicandi modum in Recentiorum sententiam, quæ efficaciam gratiæ in congruitate reponit. Neque enim efficacem esse gratiam negant: sed volunt, eam efficacem esse si voluntati congruat ipsique contemperata sit. Unde & Adversariis solemne est, eandem gratiam in uno efficacem, inefficacem in altero admittere, pro diversa utriusque dispositione, cui variè Divina motio congruit: Atqui & eadem omnia, & nihil præterea admittit hic explicandi modus, cùm admittat repositam esse efficaciam gratiæ in ea proportione, & contemperatione, quæ voluntatis dispositioni congruat: ac etiam admittat, eandem gratiam in uno efficacem, in altero inefficacem esse pro varia congruitate, & contemperatione Divinæ motionis, cum voluntate: Ergo nec quantum latus unguis est, videtur hic explicandi modus à sententia Recentiorum, qui extra Scholam S. Thomæ versantur, recedere.

Verùm Respondeo, nec solùm quantùm latus unguis

unguis eſt, ſed multis ut dicunt paraſangis, & quantùm cælum à terra diſtat, hunc explicandi modum à communi Recentiorum ſententia remotum eſſe: quod quidem obſervato triplici diſcrimine, & in medium adducto omninò demonſtrari poteſt.

Primò enim congruitatem in eo reponunt Recentiores quòd eadem gratia, ſi congrua ſit temperamento, genio, indoli, vel aliis certis circumſtantiis, perſonæ, temporis, loci, aliisque, effectum in uno habeat, quem in alio habitura non eſt, cui non congruit; ſed ita effectum habet, ut ſentiunt, in eo qui Divinæ motioni, & ſuo bono conſentit, ut major, & efficacior in ſe ſe gratia eſſe non debeat, quàm in eo qui diſſentit. Unde licet major ſit in ratione beneficii, cùm ita datur ex ſingulari benevolentia Dei, ut congruat; non tamen major eſt vi, & efficacia agendi, ſed in eo qui conſentit, planè eadem eſt ac in eo qui diſſentit. Unde illud ex Sancto Auguſtino referre ſolent, quòd ſi idem objectum quod ad voluptatem alliciat, duobus, & pariter, & animo, & corpore affectis occurrat; unus in voluptatem conſentit, alius autem in propoſito ſervandæ caſtitatis perſiſtit, quem locum poſteà nos explicabimus. Et verò fieri non potuit, quin in eam ſententiam etiam inviti pertraherentur Recentiores, tum ex notione gratiæ ſufficientis, quæ cuique ſatis proportionata eſſe debeat; nam alioquin verè ſufficiens dici non poſſet; tum ac maximè ex notione libertatis; cùm ſtatuant veluti certiſſimum principium, voluntatem poſitis ad agendum prærequiſitis poſſe quacumque potentia, etiam cum actu conjuncta, Divinæ gratiæ, & motioni, vel conſentire, vel diſſentire, ut libuerit. Unde neceſſe fuit, quòd etiam admitterent, eandem entitatem, & veluti gradum ac intenſionem gratiæ, in uno poſſe efficacem eſſe, in altero autem inefficacem; quia alioquin nec ſufficiētem verè gratiam haberet, niſi conſentire poſſet; nec verā libertatem, niſi poſſet diſſentire. Unde efficaciam gratiæ Divinæ non in ipſius gratiæ vi agendi propriè reponunt, ſed magis in ipſo conſenſu voluntatis, quæ ſe ſe ſubjicit. Sed præterea alterum &

Secundum diſcrimen eſt, quòd nullam veram cauſalitatem phyſicam, & in genere efficientis cauſæ Recentiores admittant, qnæ voluntatis conſenſum antecedat, & phyſicè efficiat. Hanc enim phyſicam anteceſſionem ſeu prioritatem, vel phyſicam præmotionem quam ſententia Divi Thomæ ejuſque Diſcipulorum adſtruit, maximè averſatur; veluti libertatis peremptricem. Atque inde

Tertium diſcrimen eſt, quòd negent, infallibilem unquam connexionem eſſe inter efficaciam gratiæ, & voluntatis conſenſum, ex vi & efficacia ipſius gratiæ: extingueretur enim, ut putant, ea anteceſſione, & prioriiate, ac phyſica cauſalitate, & infallibili vi agendi, libertas, quæ exigit, ut poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis etiam in ſenſu compoſito, potentia conſequente, ſeu conjuncta cum actu, poſſit agere, & non agere. Unde infallibilem omnem connexionem ac certitudinem, ad ſolam ſcientiam mediam referunt. qua Deus futurum voluntatis conſenſum explorat.

Atqui econtra hæc noſtra ſententia ab adverſa diſcrepat tribus dotibus oppoſitis. *Primò* quòd nedum in ratione beneficii, ſed etiam quantùm ad majorem vim, & efficaciam agendi, Divina gratia ejuſque motio major eſſe debeat in eo qui conſentit quàm in alio: *Secundò* quod vi ſua conſenſum voluntatis etiam phyſica cauſalitate efficiat, ipſumque antecedat: Ac *Tertiò* demum quòd ea gratiæ Divinæ motio infallibilem connexionem habeat cum voluntatis noſtræ conſenſu, non quidem ex directione ſcientiæ mediæ ſed ex efficacia ipſius gratiæ.

Primò etenim, ut jam ſatis explicuimus, ita contemperatam gratiam hæc quam explicuimus ſententia exigit, ut ſuperet vi, & efficacia agendi, pravam voluntatis diſpoſitionem, & habituum quibus gravatur vim, & efficaciam, aut etiam pravæ cupiditatis impetum: Unde nunquam continget, quòd ſi duobus æqualiter animo, & corpore diſpoſitis, id eſt, quos eodem gradu, & intenſione, aut pravi habitus gravant, aut effrænis cupiditatis motus impellunt, unus pro innata ſua libertate, Divinæ gratiæ motioni ſe ſubjiciat, alius autem ipſi reſiſtat. Sed in eo qui Divinæ motioni conſentit, neceſſe eſt major gratia ſit, non ſolùm in ratione beneficii, ſed etiam quantùm ad efficaciam agendi. Neceſſe enim eſt, ut diximus, quòd ſuperet voluntatis reſiſtentiam, vel habitus pravi activitatem, & efficaciam agentis, vel ipſius cupiditatis impulſum; ac ut ſæpius obſervat Sanctus Auguſtinus, neceſſe eſt quòd major ſit delectatio, quam Divinæ gratiæ motio voluntati immittit, delectatione, & voluptate quam cupiditas promittit. Unde & hic explicandi modus conſtitutum illud apud Adverſarios principium negat, ſcilicet eam eſſe libertatis notionem, quòd poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, voluntas poſſit quacumque potentia etiam conjuncta cum actu, agere, & non agere. Nec minùs alteram ſufficientis gratiæ notionem rejicit, quòd nulla ſuperaddita majori vi quemcumque actum efficiat. Nunquam enim ſufficiens ut præcisè ſufficiens, actum perfectum efficiet, niſi altera major, & efficax gratia accedat, quæ, ut toties diximus, voluntatis reſiſtentiam ſuperet,

Sed præterea, quod apertiſſimo diſcrimine utramq; ſententiam ſeu longiſſimo intervallo diſterminat, admittit hic exdlicandi modus, gratiam Divinam ſeipſa efficacem eſſe, ſive ipſa ſua vi per modum efficientis cauſæ ac phyſicæ, conſenſum voluntatis efficere, ipſumque prioritate naturæ, & cauſalitatis antecedere. Præmovet enim hæc Divinæ gratiæ motio, & phyſicè voluntatem præmovet? quàm anteceſſionem, & præmotionem phyſicam, ac efficientiam ex vi ipſius Divinæ motionis, ſi Recentiores concederent,

rent, fatemur ultro, facilem fore inter utramque Scholam concordiam. Enim verò etsi necesse sit proportionem quandam cum voluntatis dispositione requiri, ac etiam supponi, ea tamen proportio conditio quædam est, non formalis ratio agendi. Unde eâ semel suppositâ Divinæ gratiæ motio prævia, & efficax, sua ipsa vi, quæ major est appetitus cupiditate, ex qua in homine oriri solet voluntatis resistentia; ipsam voluntatem inflectit, immutat, applicat, & conjungit cum actu: cæteraque omnia efficit, quæ de physica præmotione aliàs diximus.

Atque inde tertium discrimen consequitur, scilicet non minùs infallibilem connexionem hoc explicandi modo admitti inter gratiæ Divinæ motionem, & voluntatis consensum, quàm aliis explicandi modis admitti possit. Adscribit enim eandem Divinæ gratiæ motioni prævium, physicam, infallibilem, immutabilem, & ut Sanctus Augustinus loquitur, insuperabilem vim agendi. Et universim quæcumque aliàs de efficacia Divinæ motionis ex SS. Augustino, & Thoma allata, & explicata sunt, hic explicandi modus omninò amplectitur, & tanquam certa immotaque principia supponit. Unde quàm longissimè à Recentiorum sententia recedit, qui prædestinationis Divinæ certitudinem, infallibilem gratiæ Divinæ, cùm nostræ voluntatis consensu connexionem, non in ipsius gratiæ efficaciam, sed in directionem, & explorationem scientiæ mediæ refundunt. Sed

Dices necesse est ut hic explicandi modus scientiam mediam admittat, eâque fulciatur: cùm enim Divina motio eam efficaciam, & vim non habeat, ut vel quemcumque actum, & quocumque perfectionis gradu intensum semper, & sola sua vi eliciat, aut voluntatem ex quacumque dispositione immutet, necesse est, ut voluntatis ipsius dispositionem Deus inspiciat, & exploret: alioquin enim falli posset, nisi priùs explorata voluntatis dispositione, proportionatam ac contemperatam ad eliciendum voluntati motionem Deus conferret. Si enim cùm Deus vult ad se se voluntatem hominis aversam convertere, & qua ad sextum veluti obstinationis, & malitiæ gradum pervenit, nisi priùs exploraret eam voluntatis dispositionem, posset gratiam solùm, ut quatuor conferre, quæ cùm non esset contemperata, voluntatem reipsa non converteret, atque adeò Deus falleretur: Ergo ne velut in incertum Divinæ gratiæ motio immittatur, necesse est, quòd prius Deus dispositionem voluntatis exploret, ipsaque Divinæ gratiæ collatio præscientiam, & explorationem Dei supponat: Atqui in ea præscientia eaque exploratione dispositionis voluntatis posita est scientia media: Ergo.

Respondeo, neminem esse cui comperta sit scientiæ mediæ notio, qui possit ista objicere. Non enim in eo posita est quòd Deus exploret voluntatis humanæ dispositionem, quam præsentem videt, sed quod exploret voluntatis consensum futurum. Et quidem non absolutè sed sub conditione solùm futurum, qui cùm, ut putant, nec scientia naturali, nec libera scientia cognosci possit, alteram inter utramque scientiam mediam adstruendam esse arbitrantur, ad quam hujus futuri sub conditione voluntatis consensus cognitio referatur. At hæc quid ad præsens negotium, ubi de præsente voluntatis dispositione agitur, quam Deus actu, & reipsa videt? Unde quamvis alioquin scientia media, multisque aliis ex capitibus non repugnaret, tamen nullus hic illius usus, nullusque locus ipsi relictus esse potest: Sed satis est quòd Deus, vel naturali, vel libera scientia cognoscat, ac videat ex una parte, varios suæ gratiæ motionis gradus, quos conferre potest; ex altera verò præsentem voluntatis dispositionem, cui contemperatum motionis gradum quo ipsa voluntas converti possit, seligit. Non secus ac in ordine naturæ, & physico, scientiâ necessariâ Deus cognoscit, posse immisso calore ut octo lignum accendi: ac in ordine etiam gratiæ, eadem scientia naturali, & necessaria agnovit, posse collato lumine gloriæ, & ea motione voluntatis quæ lumen consequitur, Paulum extra se rapere, & visione Divinæ essentiæ, & amore necessario beatum efficere. Qua cognitione suppositâ, voluit Deus, & lumen gloriæ, & consummatam, & veluti in summo, & ultimo gradu motionem gratiæ conferre: & de facto utrumque ipsi contulit, & lumen, & beatificum amorem: & collatione utriusque Deus effecit, & vidit, Divum Paulum esse beatum. In quibus omnibus nullum esse scientiæ mediæ usum nemo est qui non intelligat, cùm hic desit illius scientiæ mediæ objectum, quod est consensus sub conditione futurus: & econtra hic præsens sit dispositio voluntatis quæ scientiâ etiam liberâ cognosci potest: & alioquin scientia naturali, & necessaria compertum sit, convertendam esse hominis peccatoris voluntatem Divinæ gratiæ motione, quæ ipsius malitiam, & resistentiam vincat.

ARTICULUS III.

Ultima Probatio: eam sententiam à S. Augustino Lib. 1. ad Simplicianum doceri, & explicari: plurimaque resolvuntur quæ contra efficacem per se gratiam ex eo Lib. objici solent.

Ultimò Probari potest ea sententia ex Sancto Augustino, à quo efficaciam Divinæ gratiæ, & Divinæ vocationis, in quadam congruitate, & contemperatione cum voluntate, repositam fuisse negari non potest. Et seorsim reponenda est hæc probatio, quam fusiùs prosequi aliquod erit operæ pretium, cùm inde non immeritò sperare

rare liceat, omninò compertum fore, quædam S. Doctoris verba longè aliùm ab eo sensum habere: quamplurimi ipsi assignant. Existimatum enim est à multis, etiam in ipso S. Augustino non mediocriter versatis, difficile ea quæ ista quæstione 2. ad Simplicianum pertractat, cum aliis conjungi posse, ubi ex professo de Divina gratia adversus Pelagianos differit: adeò ut quidam existimaverint, plurima inseruisse D. Augustinum ex errore, in quo ante Episcopatum versatum fuisse nemo negat, & ipsemet fatetur in libris Retractationum, cùm plus nimio tribueret voluntatis creatæ arbitrio.

Alii verò existimant Sanctissimum Doctorem tota illa quæstione disputare potius, & versare in utramque partem quæstionem ipsi à Simplicia. no propositam, quàm certum aliquid definire: unde nec veram, & constantem ex eo loco S. Augustini sententiam exsculpi posse affirmant.

E contra verò Recentiores adeò eum explicandi modum, quem hìc usurpat S. Augustinus, & quo efficaciam vocationis in congruitate reponit, amplectendum esse volunt, ut non ex alio veriùs loco, certam hujus Sanctissimi Doctoris sententiam erui posse arbitrentur. Unde perpetuò quæ eo loco habet D. Augustinus, ad omne fermè argumentum solent usurpare, iisque & pro clypeo, pro gladio utuntur.

Verùm inter utramque extremam sententiam ipse mediam amplectendam solùm esse arbitror, quam certissimam habeo. Etsi enim hic explicandi modus, quem prælaudata quæstione usurpat S. Augustinus, paululùm diversus ab eo esse videatur, quo aliis in locis efficaciam Divinæ gratiæ ex ipsa Divina Omnipotentia derivari affirmat: etsi etiam reverà sæpiùs in hac quæstione ad Simplicianum in utramque partem disputet, & variis interrogationibus sæpiùs velut sub quadam dubitatione responsionem suspensam relinquere videatur; attamen omninò mihi persuasum est, ea quæ in citata quæstione pertractat, non tam trahi, & conjungi posse, quàm spontè concurrere, & cum aliis convenire quæ in libris contra Pelagianos expressit: & unicum discrimen intercedere, quòd scilicet prælaudata quæstione ad Simplicianum, nondum satis vim, & efficaciam Divinæ gratiæ ea perspicuitate explicuerit quâ aliis in libris post exortam, & Pelagianorum, & Massilienſium hæresim, eam stabilivit, explicuit, ac propugnavit.

Et verò cùm in libris, quos ante Episcopatum susceptum scripserat, in errore versaretur, quem deinde fuisse amplexos Massilienses ipse scribit loco statim referendo: ac deinde suscepto Episcopatu, majori meditatione Apostolum legens cæpisset ab eo errore emergere, & quæ esset Fides Ecclesiæ de initio salutis Fideique Deus ipsi *REVELASSET*, quod de vera revelatione intelligendum esse, ipsa D. Augustini sanctitas efficit, ut meritò existimari possit: nihil mirum si in his libris ad Simplicianum scriptis, quos omnium primos à se scriptos post susceptum Episcopatum ipsemet refert Retractat. lib. 2. c. 1. nondum veritatem, quæ micare solùm inceperat, satis inspexerit, aut saltem non dilucidè satis explicuerit. Et quidem satis ex ipsa ejus quæstionis lectione liquet, reipsà emergenti ex errore similem esse, quique, ut ita dixerim, veritatem alioquin in caligine positam palpando quærit. Ita enim variis interrogationibus suspensum Lectorem tenet, ac si dubius ipse videtur, ut interdum vix dignosci possit, quid ex propria, quidve ex opponentium sententia referat: seu quid eligendum, & certò tenendum esse, Lectori relinquat: etsi tamen quod ad præcipuum caput attinet, scilicet Fidem, Fideique ac salutis initium in Deum authorem, non in hominem esse referendum, se apertè in ea quæstione 2. ad Simplicianum, tadidisse expressè referat lib. de Bono Perseverantiæ cap. 20. & 21. & de Prædest. Sanctorum cap. 3. & 4.

Verùm cùm plurimùm causæ nostræ intersit genuinum ac legitimum sensum, à S. Augustino ea quæst. 2. lib. ad Simplicianum, expressum intelligere: præmittenda sunt quæ habet Sanctissimus Doctor libro de Prædest. Sanctorum cap. 3. unde plurimùm lucis ad verum ipsius sensum eruendum accedere poterit.

Igitur cùm illud Apostoli 1. ad Cor. 4. versaret, scilicet, *Quid habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* fatetur se eo Apostoli loco convictum, ut nedum bona opera, sed & fidem ipsam quam hactenus homini tribuerat, esse donum Dei primùm existimaret. Unde ita habet: *Quo præcipuè testimonio etiam convictus sum, cùm similiter errarem, putans Fidem, quâ in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc seculo. Neque enim Fidem putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poscereмus utiliter, nisi quia credere nō possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autē prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla Opuscula mea satis indicant ante Episcopatum meū scripta; in quibus est illud quod commemorastis in litteris vestris, ubi est expositio quarundā propositionum ex Epistola, quæ est ad Romanos. Denique cùm mea omnia Opuscula retractarem, eamque retractationem stylo prosequerer, cujus operis jam duos absolveram libros, antequàm scripta vestra prolixiora sumpsissem; cùm ad hunc librum retractandum in primo volumine perveniſſem, sic indè locutus sum. Item disputans, quid, inquam, elegerit Deus in nondum nato, cui dixit serviturum esse majorem, & quid in eodem majore similiter nōdum nato reprobaverit, de quibus propter hoc commemoratur, quamvis longè posteà probatū sit propheticum testimonium, Jacob dilexi, Esau autem odio habui: ad hoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem: non ergo elegit Deus opera cujusquā in præscientia quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, &*

ut

ut quem sibi creditūrum esse præscivit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando, etiam æternam vitam consequereur. Nondum diligentiùs quæsiveram, nec adhuc inveneram qualis sit electio gratiæ, quâ idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt: quæ utique non est gratia, si eā ulla merita præcedant: nè jam quod datur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitū, reddatur potiùs meritis, quàm donetur &c.

Hæc omnia S. Augustinus. Quibus deinde plura subjungit ex his libris, quos antequàm Episcopus fieret, scripserat; cùm nondum obscurissimum mysterium satis agnosceret: unde etiā statim c. 4. inquit: *Videtis certè quid tunc de Fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem; in qua sententia illos Fratres nostros scilicet Massilienses esse nunc video: quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum.*

At verò inquit tandem affulsisse sibi lucis Divinæ radium, cùm libros ad Simplicianum scripsit, quo caliginem omnem depelleret, ac pristinum errorem deponeret. Unde statim ita prosequitur. *Nam*, inquit, *si curassent* (Fratres nostri) *invenissent istam quæstionem secundùm veritatem Divinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ S. Ambrosii successorem in ipso exordio Episcopatus mei; nisi fortè non eos noverint. Quod si ita est, faciteut noverint. De hoc primo duorum illorum libro, in secundo Retractationum primùm loquutus sum, qui sermo meus ita se habet: Librorum inquam, quos elaboravi Episcopus, primi duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis Antistitem, de diversis quæstionibus, quarum duas ex Epistola Pauli ad Rom. in primū librum contuli.* Et quidē de prima quæstione, quæ est in illud Pauli ad Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum &c.* Quid ipse S. Augustinus senserit, aut quid retractaverit statim refert. Ac deinde de secunda quæstione quæ est in cap. 9. Beati Pauli ad Romanos, ita subjungit: *Posterior*, inquit, *in hoc libro* (scilicet lib. 1. ad Simplician. qu. 2.) *quæstio est ab eo loco, ubi ait* (Apostolus) *non solùm autem, sed & Rebecca ex uno concubitu habens Isaac Patris nostri; usque ad illud ubi ait: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorra similes fuissemus. In cujus quæstionis solutione elaboratum est pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia; nec nisi ad illud potuit perveniri, ut liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quod volens etiam Martyr Cyprianus ostendere, hoc totum ipso titulo definivit, dicens: In nullo gloriandum, quando nihil nostrum est. Ecce quare dixi superiùs, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam meipsum fuisse convictum, cùm de hac re aliter saperem, quàm mihi Deus in hac quæstione solvenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, REVELAVIT.* Hoc igitur Apostoli testimonium ubi ad reprimendam hominis inflationem dixit: *Quid enim habes quod non accepisti? Non sinit quemquam Fidelium dicere, habeo Fidem quam non accepi: reprimiturque omninò his Apostolicis verbis tota hujus responsionis elatio. Sed nè hoc quidem potest dici: Quamvis non habeam perfectam Fidem, habeo tamen ejus initium, quo in Christum primitùs credidi; quia & hìc respondetur: Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hactenus ibi D. Augustinus.

Eadem fermè licèt paucioribus verbis repetit altero libro de Bono Perseverantiæ cap. 20. ubi inquit, quòd etiam ante exortam Pelagianam hæresim, illud quod hujus hæresis caput est, jam contriverat; Fidem scilicet esse in nobis, & ex nobis: cùm è contra Fidem Divinæ adscribendam esse misericordiæ scripsisset. *Quod*, inquit, *plenius sapere cœpi in ea disputatione quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei Episcopatus exordio, quando, & initium Fidei donum esse cognovi, & asserui.*

Hæc ex Divo Augustino licèt paulò longiora referre placuit: nec existimo me rem feciſſe Lectori injucundam, aut nostræ causæ inutilem: cùm ex his vera D. Augustini mens facilè explicari possit, iisque nostra causa juvari: in quibus tamen, & quæ mox subjungam, non aliam vim inesse velim intelligi, præter eam quæ argumentis inesse solet, quibus Theologis licentia concessa est argumenta sua hinc inde urgere: & quid ipse Divus Augustinus de se existimasse videatur, aut quid ex ipsius verbis colligi possit dumtaxat hic referam.

In primis ex superioribus colligi posse videtur agnovisse Augustinum errorem in quo olim versatus fuerat in eo positum fuisse, quòd existimasset Fidem esse ex nobis, non verò *Fidem Dei gratiâ præveniri*: *nisi* dumtaxat ea ratione, *quia credere non possumus, nisi præcederet præconiū veritatis*: ita ut totum salutis humanæ negotium, ac Fidem, Fideique initium, externæ internæq; vocationi Divinæ dumtaxat adscripsisset: quâ Deus ex sola sua misericordia hominem immerentem, & à se aversum vocat, exteriùs scilicet & interiùs: quâ utraque vocatione à Deo misericorditer nobis concessa, quòd deinde *prædicato* nobis *Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium*, & ex nobis esse: non autem eam internam vocationem efficere ipsam Fidem, ac credendi voluntatem in nobis.

Non enim existimandum esse videtur, S. Augustinum *præconii veritatis*, Divinæque vocationis nomine, non aliud intellexisse quàm vocationem externam, quæ solùm forinsecùs sonaret, interna omni vocatione ablegata: probari enim posse videtur, quòd vocationis nomine, quam requiri ad Fidem existimabat Augustinus, etiam dum in errore versaretur, intellexerit etiam internam vocationem, quâ Deus hominem interiùs ubi nullus hominem videt, vocaret, & impelleret. Ut

enim

enim habet lib. 83. quæſt. quæſt. 68. quem librum antequam Epiſcopus fieret ediderat, dum in eodem errore verſaretur, à quo ſe poſt acceptum Epiſcopatum reſipuiſſe ſcripſit in laudato inquam lib. ita loquitur Auguſtinus. *Quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus, & vocatus, ſive intrinſecus, ubi nullus hominum videt, ſive extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia, efficitur, ut etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* Quibus verbis internam vocationem, *ubi nullus hominum videt*, expreſsè admittit: ad eamque vocationem, & fidem & initium ſalutis ita refert, ut non alia ratione fidem Deo tribuendam eſſe eo loco exiſtimet, niſi quia hominem ea interna vocatione movet. *Quoniam*, inquit, *nec velle quiſquam poteſt niſi admonitus, & vocatus: efficitur ut ipſum velle Deus operetur in nobis.*

Eadem fermè habet idem S. Auguſtinus qu. 2. lib. 1. ad Simplicianum, ubi inquit. *Nemo poteſt credere niſi velit; nemo velle niſi vocetur: nemo autem ſibi poteſt præſtare ut vocetur. Vocando Deus præſtat fidem, quia ſine vocatione non poteſt quiſquam credere, quamvis nullus credat invitus.* Ac poſtea ſubdit: *Quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem: propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quòd benè volumus: nobis autem tribui non poteſt, quòd vocamur.*

Sed his ultimo loco, ex qu. 2. ad Simplicianum relatis verbis, gravis eſt difficultas, quo ſenſu ea intellexerit S. Auguſtinus. Ea enim opponunt repetuntque frequentiſſimè Recentiores, atque his probari arbitrantur, à Divo Auguſtino fidem, fideique initium, & bonam voluntatem ad ſolam vocationem referri: ut ſcilicet quia *Non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod bene velimus.*

Verùm ex dictis jam ſupra, compertiſſimum eſſe videtur: quòd illius vocationis notionem longè aliam intellexerit ea quæſtione 2. ad Simplicianum quàm olim eam intellexiſſet, dum ſcilicet antea nondum factus Epiſcopus ſcriberet. Liquet enim, ut diximus, in eo veterem poſitum eſſe errorem: agnoviſſe ſcilicet S. Auguſtinum, quòd non alia ratione fides tribuenda eſſet Deo, niſi quia Deus hominem ad fidem vocat. Tum enim dicebat; *Quoniam nec velle quiſquam poteſt niſi admonitus, & vocatus, efficitur ut ipſum velle Deus operetur in nobis*, lib. 83. q. q. quæſt. 68. Atqui eo loco ad Simplicianum, vocationem eodem ſenſu intelligere non potuit, quo olim intellexerat eo lib. 83. q. q. quæſt. 68. ſiquidem ſi eodem ſenſu intellexiſſet idemque ſenſiſſet; illud ſecundo loco non retractaſſet, quod tamen ſe retractaſſe expreſsè inquit loco prælaudato de Prædeſtinatione: Ergo neceſſe eſt, quòd Divinæ vocationis notionem aliam, & longè diverſam eſſe intellexerit ea quæſt. 2. lib. 1. ad Simplicianum ab ea quam ſtatuerat lib. 83. q. q. quæſt. 68. Ac præterea compertum eſſe videtur, quòd olim eam vocationem dumtaxat admiſerat, quæ ad voluntatis conſenſum moveret ſolùm alliciendo, vel ſuadendo, ſed quæ tamen intra ipſam voluntatem conſenſum, ſeu credendi voluntatem non efficeret: *Ut* enim *prædicato Evangelio* dicebat olim Auguſtinus, *conſentiamus; noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe* inquit *arbitrabar*, lib. de prædeſt. 11. cap. 3. Atqui longè diverſa eſt vocationis ratio quam admittit ea quæſt. 2. ad Simplicianum cùm ſtatim poſt ea verba quæ nobis toties objiciuntur; *Quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quòd benè volumus; nobis verò tribui non poteſt quod vocamur*; ſtatim inquam, quæ ſit ea vocationis vis, & efficacia, ut explicet, ita ſubjungit: *Non igitur ideò dictum, eſt putandum, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia niſi ejus adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus; ſed ideò potius, quia niſi ejus vocatione non volumus.* En igitur apertiſſimè duplicis vocationis diverſam omnino rationem: altera vocatio eſt, ſine qua equidem velle non poſſumus, ſed quæ non efficit ut velimus; atque ea eſt, quam ſe admiſiſſe olim ipſemet fatetur Auguſtinus, & refert in lib. de prædeſt. SS. cap. 3. *Non enim* inquit *fidem putabam Dei gratia præveniri, ut per illam nobis daretur quod poſceremus utiliter, niſi quia credere non poſſemus, niſi præcederet præconium veritatis*; ſeu vocatio tum interior, *ubi nullus hominum videt*: tum externa, *ſermonem ſonantem*, ut ſuprà ibidem retulimus.

At verò longè diverſæ rationis vocationem admittit Sanctus Auguſtinus in poſteriori loco, ſcilicet qu. 2. ad Simplicianum eam ſcilicet non ſolùm vocationem, ſine qua non poſſumus adipiſci quod volumus; ſed qua etiam reipſa adipiſci volumus: nam inquit, *Non ideò dictum, eſt putandum: non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia niſi ejus adjutorio non poſſumus adipiſci quod volumus; ſed ideò potius, quia niſi ejus vocatione non volumus.*

Unde ſtatim ad aliam difficultatem explicandam progreſſus S. Doctor, quam etiam Recentiores opponere ſolent, ſubjungit. *Sed ſi vocatio iſta*, inquit, *ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus ſequatur, quomodo verum erit, multi vocati, pauci verò electi?* En apertiſſimè vocationem *bonæ voluntatis effectricem*, & quam omnis *vocatus ſequitur*. Ergo nulla omnino ratione in dubium revocari ultrà poteſt, longè diverſam eſſe rationem vocationis quam admittit S. Auguſtinus lib. 1. qu. 2. ad Simplicianum cùm jam poſt Epiſcopatum ſuſceptum, ex veteri errore reſipuiſſet, ab ea quam olim admiſerat, cùm adhuc modum Epiſcopus eum errorem confutaſſet.

Adde tamen quod etſi à nobis admitteretur, ea quæ nobis Recentiores objiciunt, ex ea quæſt. 2. ad Simplicianum à Divo Auguſtino dicta eſſe, ex veteri errore, & opponentium ſententia; ut quidam arbitrantur, nemini tamen, mirum videri deberet: cùm reipſa nemo diffiteatur ex his qui majori diligentia eum librum ad Simplicianum

perlegerunt, admodum esse difficile veram S. Augustini sententiam distinguere: ut, qui ultimâ Sanctissimi Doct. editionem adornarunt viri eruditissimi, & in ipso D. Augustino versatissimi, ex Ordine scilicet S. Benedicti, expresse observarunt.

Et sanè cùm fermè perpetuò dubiis à se propositis, non aliter quàm interrogationibus, & sub quadam etiam dubitatione propositis, respondere ibi soleat; ita Lectorem perpetuò suspensum tenet; iisque interrogationibus, quas penè conglomerat, ita suam mentem, sententiamque involvit, ut vix dignosci, perspicique possit, quid ex propria mente atque sententia, quæ animo sedeat, referat; aut quid ex veteri errore, quem hujus libri quæstione 2. refellendum suscepit, sibi opponat.

Sed tamen ea quæ nos jam diximus satis manifestant, longè alio sensu, posteriori hoc loco ad Simplic. vocationis nomine usum fuisse Augustinum quam olim usus fuit, eo lib. 83. quæst.

Sed præterea aliud circa eam quæstionem 2. libri 1. ad Simplicianum observandum esse arbitror; quòd scilicet cùm, ut ex lib. de prædest. SS. suprà retulimus, tunc primùm ex veteri errore resipiscere D. Augustinus cæpisset, dum primùm librum ad Simplicianum scriberet; & cùm in ea perdifficili de Divina gratia, quæstione, quid sentiendum esset, primùm Deus ipsi *revelasset*: nihil mirùm si nondum, ea perspicuitate quæstionem omnem resolvit, vimque, & efficaciam Divinæ gratiæ ea energia, & evidentia nondum statuit, qua deinde post exortam aut manifestatam Pelagianorum, & Massilienſium hæresim, majori studio, ac otio, & profundiori meditatione, in eo difficillimo prædestinationis, & gratiæ mysterio perscrutando versatus, fidem, initiumque fidei, ac bonam voluntatem, non in Divinam quomodocunque vocationem, sed in Divinam gratiam refert, qua indeclinabiliter, & insuperabiliter voluntas moveatur. Ut enim lib. de bono perseverantiæ cap. 21. inquit, *Proficiente me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione incæpisse*. Ut & aliàs lib. 2. de Trinit. initio fatetur, *multa quæ nesciebat scribendo se didicisse*. Atque id satis animadvertet quisquis prælaudatum librum ad Simplicianum cum his libris quos adversus Pelagianos de natura, & gratia: de gratia, & libro arbitrio: de correptione, & gratia, aliisque quos postea idem Sanctus Augustinus scripsit, contulerit. Perpetuus enim est in eo ad Simplicianum libro in commendanda Divina vocatione, neque alio fermè nomine quam vocationis, gratiam Divinam significat, cùm tamen aliis in locis Divinam perpetuò gratiam celebret, ac parciùs vocationem nominet, quòd scilicet eo vocationis nomine satis intelligeret, suoque experimento comprobasset, faciliùs errorem subrepere posse, & falsam gratiæ significationem menti ingeri.

Atque inde etiam alterum observandum venit; cur scilicet eo libro ad Simplicianum omnia perpetuò ad vocationem Divinam retulerit, & pauca dumtaxat de gratia Divina locutus fuerit. Id enim duplici de causa factum esse ab Augustino non immeritò dici posse arbitror. Primò quidem eò quòd cùm, ut diximus, vetus ille error positus fuerit, quod *quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus, efficitur ut ipsum velle Deus operetur in nobis*, lib. 83. q. q. quæst. 68. Liquet enim, quòd cùm eum librum 83. quæst. D. Augustinus scripsit, in eo errore erat, quem deinde retractavit. Unde & eo loco, prædestinationem præscientiæ innixam admittit: cùm ex Apostolo dixisset, *Voluntati enim Dei quis resistit?* statim subjungit: *prorsus cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Sed hæc* (inquit) *voluntas Dei injusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis*. Quem locum cùm Magister Sententiarum dist. 41. advertisset, ita inquit: *sed quid intelligere voluerit* his verbis Divus Augustinus, *ignoratur, nisi fortè hoc dicatur intellexisse, quod suprà diximus, eum retractasse*, scilicet prædestinationem præscientiæ innixam esse, lib. 1. retractat. cap. 23. ac etiam D. Thomas qu. 6. de verit. qua difficultatem omnem de prædestinatione versat, artic. 3. ubi negat *præscientiam meritorum causam esse prædestinationis*: cùm sibi illud objecisset ex S. Augustino, scilicet voluntatem Dei qua Jacob dilexit, & Esau odio habuit, non posse injustam esse, *Venit enim de occultissimis meritis*, idem Respondet ex Magistro sententiarum. *Dicendum*, inquit, *quod 41. dist. 1. libri dicit Magister, illam authoritatem esse retractatam ab Augustino in suo simili*. Quamvis Divus Thomas statim pro sua erga S. Augustinum observantia, ut eum benignè explicet, subjungat; *Vel si debeat sustineri, referendum est ad effectum reprobationis vel prædestinationis, quod habet aliquam causam vel meritoriam vel dispositivam*.

Verùm nihil periculi est, nec injuria fit D. Augustino, si retractata omnino hæc fuisse ab ipso Augustino asseramus; cùm certissimum sit, eum librum à Sancto Augustino scriptum fuisse, antequam pleniùs agnovisset, fidem ac bonam voluntatem non esse in nobis, & ex nobis, quamvis ut diximus, vocatio Divina antecederet: & cùm existimaret hujus bonæ voluntatis præscientiæ innixam esse prædestinationem.

Igitur cum jam ex veteri errore initium salutis in solam vocationem Divinam revocandam esse arbitraretur, quæ tamen Divina vocatio ipsam bonam voluntatem non efficeret sed solùm Deus eam in homine præsciret: postea cùm cæpit ab eo errore resipiscere, nihilominùs tamen in ea de vocationis Divinæ sententia quantùm quidem ferri, & sustineri poterat perstitit: sed tamen eam maximè inflexit, ipsique longè majorem efficaciam adscripsit, quæ scilicet fidem ipsam efficeret: ita ut ea *vocatio effectrix esset bonæ voluntatis*, & voluntatem ipsam applicaret, & cum effectu conjungeret.

Sed altera præterea ratione factum esse arbitror, quòd Sanctus Augustinus eo libro ad Simplicianum omnia ad Divinam vocationem refe-

ren-

renda eſſe exiſtimaverit. Nimirum quòd cùm explicationem capitis 9. Epiſtolæ ad Romanos SS. Doctor ſuſcepiſſet, in quo Divinæ Prædeſtinationis, & gratiæ myſterium fusè Apoſtolus proſequitur,& meritò animadvertiſſet Doctor acutiſſimus, & ſagaciſſimus, à Beato Apoſtolo vocationem operibus opponi: nam inquit D. Paulus, *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori; ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Verborum Sancti Pauli occaſione veluti pertractus Divus Auguſtinus, omnia quæ ad Divinam prædeſtinationem, & hominum juſtificationem pertinent, ad Divinam vocationem referendam eſſe exiſtimavit.

Quare ut advertimus ſupra, duplicem à Sancto Auguſtino vocationem admiſſam fuiſſe, intelligi neceſſe eſt: alteram ſcilicet quæ ipſam hominis bonam voluntatem non efficeret, alteram verò quæ eam efficeret. Unde cùm in his libris quos dum adhuc eo in errore eſſet, antequam Epiſcopus fieret, conſcripſit, fidem, & bonam voluntatem in Divinam vocationem refunderet, ac expreſſe aſſereret: de ea vocatione tunc intelligit, quæ antecedit quidem bonam voluntatem, ſed eam non efficit. Cùm verò poſtea lib. ad Simplicianum, & aliis quos deinde factus jam Epiſcopus ſcripſit, omnia iterum ad vocationem refert, eam vocationem tunc intelligit quæ eſt *effectrix bonæ voluntatis*. Neque enim poſt ſuſceptum Epiſcopatum, errorem quo antea tenebatur, depoſuiſſet, niſi majorem vim, & efficaciam vocationi Divinæ tribuiſſet, quam olim ipſemet Auguſtinus nondum Epiſcopus admiſiſſet. Ut ſatis conſtare videtur. ex his quæ ſuprà diximus.

Atque his omnibus obſervationibus ita præmiſſis, totius illius quæſtionis ſumma paucis comprehendenda eſt.Ex eaque demonſtrandum, non aliud docuiſſe S. Auguſtinum, cùm ad vocationem contemperatam totius ſalutis negotium refert, nec aliud intellexiſſe, quàm quod nos ſupra diximus; ſcilicet gratiam Divinam eſſe efficacem, cùm ita ſuperior eſt, & major omni renitentia voluntatis, ut eam omnino vincat: cùm verò è contra major eſt voluntatis obſtinatio, & reſiſtentia, aut impetus, vel pravæ cupiditatis vel conſuetudinis, adeò ut hujuſmodi cupiditas vel conſuetudo voluntatem in ſuas partes pertrahat, eamque veluti è manibus Divinæ gratiæ eripiat, quæ cùm ea conſuetudine prava vel cupiditate aut voluptate luctatur, ut voluntatem hominis ad ſe ſe attrahat; tunc gratiam eſſe quidem ſufficientem, non eſſe tamen reipſa efficacem.

Et verò præter ſuperiora, obſervandum eſt, à Simpliciano Epiſcopo, qui S. Ambroſio in Eccleſia Mediolanenſi ſucceſſerat, poſtulatam fuiſſe celebris illius, ac difficilis loci Beati Apoſtoli Pauli ad Roman. 6.11. & ſeq.interpretationem. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Ita enim ipſe refert ſtatim initio.

Sed jam arbitror tempus eſt ad aliam tranſire quæſtionem quam hic propoſuiſti: ut ab eo quod ſcriptum eſt;,, Non ſolùm autem illa, ſed & Rebecca ex uno concubitu habens, Eſau, Patris noſtri: Cùm enim nondum nati eſſent, neque aliquid egiſſent bonum aut malum:,, uſque ad id quod ſcriptum eſt, niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, &c.

At verò ut eam quæſtionem Doctor maximus reſolvat. *Primò*, inquit *intentionem Apoſtoli, quę per totam Epiſtolam viget, tenebo, quam conſulam: hæc eſt autem ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Iſraëlitæ gloriari, quòd datæ ſibi legi ſerviiſſent; & ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis ſuis percepiſſent, quia legi ſerviebant*. Et quidem illud eſſe argumentum Epiſtolæ ad Romanos, obſervat etiam S.Thomas, aliique Interpretes. Commendat enim ibi Sanctus Paulus Divinam gratiam, eamque inquit eſſe non hominis volentis aut merentis præmium, ſed ſolius Dei miſerentis donum.

Explicato verò Apoſtoli conſilio, & fine, omnium deinde quæ habet eo loci D. Paulus, interpretationem ad hoc unum caput revocat Sanctus Auguſtinus, ſcilicet ut probet, nemini cauſam ullam eſſe ex operibus, vel fide gloriandi; eò quòd neceſſe ſit, fidem, operaque omnia, Divina gratia, Divinaque vocatione anteverti, ab eaque effici. Cùm enim à D.Paulo dictum fuiſſe animadvertiſſet Sanctus Auguſtinus, quòd *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Ea occaſione verborum Divi Pauli, quibus Apoſtolus vocationem operibus fideique opponit, omnia quæ ad Divinam prædeſtinationem, & hominum juſtificationem pertinent, ad Divinam vocationem referenda eſſe exiſtimavit: cùm alioquin etiam apertius ſit, Divina vocatione omnia noſtra opera fidemque anteverti, & vocationem in ſolius Dei vocantis voluntate poſitam eſſe: quia *nemo incipit credere, niſi vel interna vel externa admonitione motus ad fidem, nemo poteſt credere niſi velit, nemo vellet niſi vocetur: nemo autem ſibi præſtare poteſt ut vocetur*.

Verùm cum ea interna admonitio occulta ſit, externa verò omnibus pateat: & vellet Divus Auguſtinus exemplis demonſtrare, ad Divinam vocationem omnia eſſe referenda; plurima exempla colligit, quibus manifeſtum eſt externa admonitione, & vocatione, plurimos primùm ad fidem fuiſſe adductos: adeò ut ipſam admirabilem, & Divinæ potentiæ, & gratiæ ſingulariſſimum, & eximium opus, Pauli converſionem ad hoc referat, quòd *Una deſuper voce proſtratus, occurrente utique tali viſo, quo mens illa, & voluntas refracta ſævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem*.

Nec verò exiſtimandum eſt intellexiſſe Divum Auguſtinum, ſola vocatione externa conſenſum eſſe Paulum; cæteroſque quos longo ordine re-

censet, miraculis dumtaxat externis, secluſa interna, & vera gratia, fuiſſe converſos: graviſſimam enim Doctori maximo injuriam faceret quiſquis ipſum in eo craſſo errore verſatum fuiſſe exiſtimaret. Sed eo conſilio ut diximus, ea exempla Sanctiſſimus Doctor uſurpat, quòd iis apertius fiat, illa vocatione fidem operaque anteverti. Itaque vocationis nomine intelligit Sanctus Auguſtinus totum, ut ita dixerim, Divinæ gratiæ opus complexum *ex ſignorum teſtificatione*, ut loquitur, ſive ſignis externis, *& ex admonitione interna*, ipſaque Divina motione *quæ mentem applicat voluntatemque conjungit*: atque ea omnia *vocationis effectricis bonæ voluntatis* nomine comprehendit: & eo ſenſu vocatione accepta & intellecta, præveniri hominum merita fidemque, tota illa quæſtione, ac potiſſimùm quæſtionis prima parte oſtendit: ut quòd à Divo Paulo dictum eſt, penè ob oculos ponat, ſcilicet neminem gloriandi cauſam habere poſſe, ſed *qui gloriatur, in Domino* dumtaxat *glorietur*: cùm Divina vocatio hominum bona opera præveniat, & efficiat; non autem bona hominum opera Divinam vocationem antecedant.

Verùm cùm aliud præterea explicandum eſſet, quod in hoc profundiſſimo prædeſtinationis, ſive electionis & gratiæ myſterio ſtatim ſe ſe menti objicit: *Cur* ſcilicet *hæc miſericordia ſubtracta eſt ab Eſau, ut non ſic vocaretur, ut & vocato inſpiraretur fides, & credens miſericors fieret ut bene operaretur*? Cur etiam, aut qua ratione dici potuit, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*? & cur non omnes vocationi conſentiunt? ut remotiſſimam à ſenſibus, & altitudine ac profunditate inſuperabilem, ut alibi inquit, quæſtionem quantùm quidem fieri poteſt, apertè & dilucidè manifeſtet, hujus ſubtractionis & denegationis gratiæ cauſam, & primam obſtinationis voluntatis veluti originem, quæ ſe ſe Divinæ vocationi opponit, eamque abjicit, in ſola voluntate, & voluntatis pravè affectæ diſpoſitione quæri oportere, in eaque reperiri oſtendit: cùm ſcilicet ea eſt *Obſtinatio voluntatis, ut contra vocationis omnes modos obdureſcat mentis averſio. Quamvis enim*, inquit, *multi uno modo vocati ſint: tamen quia non omnes eodem modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*. Ergo vel ea ſola, & nuda explicatione argumēti quod pertractat Divus Auguſtinus, & ex verbis ultimò relatis, conſtat: non aliud docuiſſe Auguſtinum, niſi hoc unum, quod diximus.

Unde eo pacto hæc duo, quæ in ſpecie ſibi adverſari videri poſſent, non difficilè poſſe conjungi oſtendit: ſcilicet quòd non eſt volentis hominis, ſed miſerentis Dei velle; & tamen quòd multi licet vocati ſint, non ſunt tamen electi; quæ duo ſanè parùm invicem conſentire ut dixi, videri poſſunt; quia alterum, ſcilicet quòd homo velit vocationem conſequi, non in hominem volentem, ſed in Deum miſerentem refert: alterum verò quòd homo non velit vocationem ſequi, non Deo vocanti, ſed voluntati renuenti tribuit, quia non omnes qui vocantur ſequuntur.

Hæc verò omnia habita ſolùm Divinæ vocationis ratione conjungi poſſe ita manifeſtat. In primis quidem non eſſe volentis hominis, ſed ſolius Dei miſerentis quòd homo velit, quia ſolius eſt Divinæ miſericordiæ, quòd hominem vocet, *Quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat, vocatione* ſcilicet *effectrice* ipſius *bonæ voluntatis*, & vocatione quæ ſimul *mentem applicat, voluntatemque conjungit*. Sed præterea voluntatis eſſe dumtaxat oſtendit, quòd non velit, & vocantem non ſequatur, & quòd licet multi ſint à Deo vocati, pauci tamen ſunt electi: quia *non omnes congruebant, & contemperabantur vocationi*. Ibidem. Nimirum ex ſua obſtinatione, & averſione voluntatis, cujus non alia cauſa extra voluntatem ipſam quærenda eſt, inquit Sanctus Doctor.

Hæc ſanè totius illius quæſtionis ſumma, quam fusè eo loco in omnem partem verſat, & mirè explicat Sanctus Auguſtinus: in qua breviſynopſi à nobis conſtituta, ſatis ut arbitror liquet: In primis quadam veluti occaſione ex his D. Pauli verbis, *Non ex operibus, ſed ex vocante* (quæ verba explicare ipſi potiſſimùm incumbebat, cùm eorum interpretatio à Simpliciano poſtulata fuiſſet:) ex ea inquam Divi Pauli verborum occaſione pertractum fuiſſe Sanctum Auguſtinum, ut omnia eaque graviſſima quæ his verbis myſteria comprehenduntur, in Divinam vocationem transferret: quam occaſionem eo libentiùs fuiſſe complexum non immeritò exiſtimari poteſt; quòd eo pacto clarius, & ad omnium captum faciliùs profundiſſima hæc quæſtio explicari poſſe videretur.

Sed præterea etiam liquet, Divum Auguſtinum exiſtimaſſe ac explicuiſſe, bonorum operum, fideique primam cauſam eſſe Divinam vocationem, & gratiam, quæ & ipſam fidem, & omnia bona opera antecedit, eaque efficit; eſt enim *effectrix vocatio*; ideoque nemini ullam eſſe gloriandi cauſam. Ac præterea primam cauſam, cur homo non velit, & vocantem non ſequatur, ipſam eſſe voluntatis malitiam; & obſtinationem; unde nulla eſt homini juſta cauſa conquerendi, quòd ipſi gratia deſit, quam ipſe rejicit ſua ipſa obinatione, quæ contra modos omnes vocationis obdureſcit.

Ex quibus ſanè ut arbitror manifeſtiſſimum eſt, ſi hæc quæ mox ex S. Auguſtino retulimus, cùm his quæ explicatione quartæ ſententiæ fusè ſupra diſſervimus, conferantur; non aliam fuiſſe Sanctiſſimi Viri mentem, & doctrinam præter eam quam ſuprà tradidimus; ſcilicet efficaciam gratiæ in ea contemperatione eſſe repoſitam, quæ vocatio effectrix bonæ voluntatis, ſuperat ipſiuſmet voluntatis reſiſtentiam, ejuſque obſtinationem contundit. Quòd ſi ex adverſo contra eam vocationem obdureſcat mentis averſio; & major ſit reſiſtentia, & obſtinatio voluntatis, ipſa magnitudine, & efficacia vocationis: eſt quidem ea vocatio, qua *multi ſunt vocati*; non tamen vocatio,

catio, qua *pauci ſunt electi*: Ideſt vocatio, & gratia ſufficiens eſt quæ nulli deeſt, & qua omnes etiam averſi vocantur: non tamen efficax eſt vocatio, & gratia, qua ſcilicet electi à vocatis ſolùm, & non electis diſcernuntur.

Confirmatur quòd nihil Divus Auguſtinus in ea quæſtione tradiderit, quod cum ſuperiori ſententia non conveniat. Atque id erit apertiſſimum, ſi ea referamus, quæ ut magis adverſa nobis objici ſolent. Etenim cùm inquireret: *Si vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, ut omnis vocatus eam ſequatur, quomodo verum erit; multi vocati, pauci verò electi?* Poſt plura verò quæ in omnem partem variis interrogationibus verſat: reſpondet, *Verum eſt ergo multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſequuti, quamvis vocati. Iterum verum eſt. Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: quia etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat quomodo eis vocari aptũ eſt ut ſequantur. Falſum eſt autẽ ſi quis dicit. Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis: quia nullius Deus fruſtra miſeretur. Cujus autem miſeretur ſic eũ vocat, quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat.* Hæc ibi quæ ſanè clariſſima ſunt, neq; ſolùm ad eam ſententiam pertrahuntur, ſed etiam ſponte concurrunt. Quid enim aliud eſt, Deũ vocare & quidem *vocatione effectrice*, ut qui vocatur non reſpuat? niſi eam eſſe vocationem effectricem id eſt ipſam gratiam quæ voluntatis reſiſtentiam omnem vincat, impediatque ne voluntas renuat.

Sed deinde alteram ſibi difficultatem, quæ inde naſci poteſt etiam objicit. *Cur ergo* inquit, *Eſau non ſic eſt vocatus ut vellet obedire. Videmus enim alios aliter iiſdem rebus demonſtratis, vel ſignificatis, ad credendum moveri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum adhuc infantem parvulum credidit, Spiritu ei revelante cognoſcens. Natanael ad unam ſententiam quam ab illo audivit ... reſpondit tu es Filius Dei. Miraculo facto in Cana in Galileæ ..... crediderunt in eum Diſcipuli ejus. Multos loquendo invitavit ad fidem: multi nec ſuſcitatis mortuis crediderunt. De cruce atque morte ejus conterriti etiam Diſcipuli titubarunt, & tamen latro tunc credidit.* Et alia ejuſmodi quæ proſequitur: deinde inquit, *Cùm ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademq; res ſæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt? Quòd ſi tanta quoque poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, ut cõtra omnes modos vocationis obdureſcat mentis averſio: Quæritur etiam utrum de Divina pœna ſit ipſa duritia?* Hæc iterum ibi: in quibus nullum etiam verbum eſt, quod cum ſuperiori ſententia quàm facillimè conjungi non poſſit. Et quidem nos etiam ea exempla aliàs ex eodem D. Auguſtino uſurpavimus, cùm probatum eſt, ad Divinam providentiam ſpectare, ita cauſas omnes ordinare, & diſponere, ut ſibi invicem omnia conſentiant: ſed non in iis tamen efficacia Divinæ motionis, aut vocationis poſita eſt. Sed in eo quòd rebus ita diſpoſitis, deinde ea vocatio effectrix, ſeu Divina motio adhibeatur, quæ ita contemperata voluntati ſit, ut omnem ejus reſiſtentiam vincat. Atque eum ſenſum pleniſſimè exhibent Divi Auguſtini verba ultimo loco relata: *Quòd ſi tanta quoque eſſet obſtinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis averſio.* Iis enim apertiſſimè ſignificatur quòd ſi minor ſit ea voluntatis obſtinatio, & mentis averſio, effectrix vocatio effectum ſuum habet, & vocatus ſequitur vocantem; quem ſequi renuit ſi ea mentis averſio vires ſuperet effectricis vocationis.

Confirmatur iterum, hunc eſſe veriſſimum D. Auguſtini ſenſum: quòd non alio pacto intelligi, & explicari D. Auguſtinus eo loco poſſe videatur. Etenim neceſſe eſt ut quæ habet Auguſtinus eo libro invicem ſibi conſentiant: neque enim exiſtimandus eſt arenam ſine calce coacervaſſe: Atqui niſi eo ſenſu quem exhibuimus ex ſuperiori ſententia hæc intelligerentur, omnia ſimul conjungi non poſſent. Etenim ut hæc ſolùm colligam. *Primò* ut obſervatum eſt ſuprà, retractat D. Auguſtinus quòd exiſtimaverat olim in ſolam vocationem, ut jam ſatis explicuimus, voluntatem credendi ac fidem eſſe referendam; Atqui niſi alterius generis, & majoris efficaciæ eſſe vocationem eam contemperatam exiſtimaret, quàm antea exiſtimaſſet, quod olim admiſerat, non retractaret. *Secundò*: ſed præterea expreſsè vocat eam *vocationem contemperatam effectricem*: qualis ea eſt, qua Deus vocat, & ſuſcitat mortuos ut inquit Apoſtolus, & qua Chriſtus olim Lazarum ſuſcitavit: Ergo ultra communem illam quæ moralis ſolùm eſt virtutem vocationis, alteram majorem admittit, quæ etiam efficiat. *Ac Tertiò*: admittit præterea eam vocationem contemperatam, qua Deus poterat *Eſau mentem ad fidem applicare, & voluntatem conjungere in qua Jacob juſtificatus eſt*: Atqui ea verba nedum vocationem, ſed & ipſam motionem ſignificant. Neque majori unquam rigore à Theologis, aut etiam Divo Thoma motio ſignificata eſt, quamvis ſelectiſſima ſemper verba uſurpaverit, quàm cùm dixit Deum voluntatem applicare, & cùm actu conjungere: Ergo ea omnia ex Divi Auguſtini ſententia veriſſimam & effectricem vocationem ſignificant, & quæ multo majores vires habeat quàm habeat ſolùm vocatio moralis. Igitur hæc tria eo loco admittit D. Auguſtinus, & cum aliis jungi neceſſe eſt, quæ de ea motione, & congrua & contemperata dixit: Atqui ea omnia jungi non poſſent, niſi eo ſenſu intelligerentur, quem exhibet ſuperior ſententia: ſcilicet, eam vocationem efficacem eſſe, quæ voluntatis reſiſtentiam ſuperat, cùm veriſſimè effectrix ſit, & per modum efficientis cauſæ voluntatem applicet, & cum effectu conjungat.

Con-

Confirmatur demum ex eo quòd certa videatur esse Divi Augustini sententia, efficaciam gratiæ in delectatione victrice, eo modo quo aliàs explicuimus, esse repositam; & tum delectationem à Deo immissam efficacem esse, cùm superat voluptatem terrenam. Ita enim centies Augustinus, potissimum de Verbis Apostoli sermone 3. ac deinde usque ad 17. Vix enim ullus est, in quo de ea pugna, qua inter carnem, & spiritum confligitur, plura non habeat, ipsoque sermone 12. etiam Titulus agi de ea pugna inter carnem, & spiritum significat: Atqui ea sententia non alia est præter eam quam hic admittimus, efficacem scilicet esse gratiam cùm superat resistentiam voluntatis: Ergo. Minor probatur; quia certum est voluntatis resistentiam non aliunde oriri quàm ex ipsa cupiditate, quæ voluptate pertrahit, seu ex cupiditate accensa, quæ repugnat charitati. Nam alioquin adeo blanda virtus est, adeoque naturæ consentanea, quòd omnes suo splendore pertraheret, eamque nemo non amplecteretur. Unde apud Veteres hæc quatuor conjuncta esse existimatum est: scilicet *consentaneè ad naturam vivere, rationi obtemperare, virtutem colere; & Deum sequi*: atque hæc Philo apud Lipsium l. 2. manuduc. ad Stoic. Philos. diss. 18. observat. *Hoc illud* inquit *apud eos qui rectè philosophati sunt decantatum. Ultimum bonorum consentienter naturæ vivere, quod fit cùm animus semitam virtutis ingrediens, per vestigia ductumque rectæ rationis ambulat, ideòque sequitur Deum*. Adeò enim virtus naturæ rectè institutæ consentanea est, suasque delicias habet, ut nemo iis se non allici sineret, nisi alioquin pravæ cupiditatis adversa voluptate detineretur. Atque inde illa inter cupiditatem, & virtutem perpetua pugna: nec vinceretur ea cupiditatis voluptas, nisi Deus majorem delectationem immitteret, quæ alterius vires minueret, & cupiditatis resistentiam omnem superaret. Ergo & in ea videtur esse posita gratiæ efficacia quòd sit delectatio victrix, alterius scilicet delectationis, quam sibi subjicit, & cujus resistentiam superat.

Atque id etiam habet D. Augustinus eadem quæst. ad Simplicianum. Advocat enim hic etiam, quod toties aliàs docuit: quòd nihil homo animo complectatur, quod ipsum non delectet. At verò ut omnia consentanea sint, Deus efficit ut occurrat objectum, quod mentem delectet, & ad Deum accendat, & tum ipse intus in ipsa voluntate delectationem immittit, & afficit. *Quis enim* inquit *potest credere nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cùm occurrerit? Cũ ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & perhibetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit ille largitur.*

Ex quibus omnibus, quæ fusè jam satis prosecuti sumus, liquidò constat; In primis nihil esse ea quæstione ad Simplicianum, quod cum aliis, quæ de Divinæ gratiæ efficacia & potestate, posterioribus libris contra Pelagianos Divus Augustinus scripsit, non consentiat: nihil etiam esse quod nobis objici meritò possit. Quod si in hujus quæstionis fine de Divo Paulo loquens dixerit: *Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca, qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, mens illa, & voluntas refracta sævitia retorqueretur, & corrigeretur ad fidem*: hoc ideò à D. Augustino dictum est, quòd cùm initium fidei non esse ex nobis probare aggressus fuisset; faciliùs id explicari, & convinci posse existimaverit, iis exemplis, quibus apertissimum est vocationem antecedere omnia merita, neque ullam aut voluntatem aut industriam antecedere vocationem. Quamvis etiam non de quacunque vocatione, sed de effectrice intellexerit, ut jam observatum est. Sed deinde ex iis etiam compertum est, eam sententiam, quæ incontemperatione & congruitate, eo modo quo explicuimus, efficaciam gratiæ reponit, maximè conformem esse, & consentaneam iis, quæ Divus Augustinus in ea quæstione ad Simplicianum docuit.

ARTICULUS VI.

Convenire cum sententia communi hũc explicandi modum; non esse omnino necessarium; utilem tamen esse, & posse admitti demonstratur.

VLtimum hunc Divinæ gratiæ efficaciam explicandi modum jam satis prosecuti sumus. Necesse jam est, quòd tria hæc quæ titulo proponimus demonstremus. Et.

Primò quidem illum convenire cum sententia communi, quàm supra in primo explicandi modo exhibuimus, satis ea, quam initio superioris Articuli præmisimus, observatio convincit. Hoc enim uno dumtaxat discrimine communis Scholæ S. Thomæ sententia, & hic particularis explicandi modus invicem discrepare videntur, quòd communis sententia metaphysica magis, & exacta distinguendi arte utatur, qua utriusque, scilicet gratiæ sufficientis, & efficacis propriam notionem separat, & distinguit, ut Theologum decet; qui accuratam methodum secutus, res ad vivum secat. Etsi enim sufficiens & efficax gratia interdum minimè entitate distinguantur, & separentur; dubitari tamen non potest, quin utriusque munera omnino diversa sint: cùm enim

v. g.

v.g. vel infideli habitu fidei deſtituto, vel peccatori poſt amiſſos gratiæ,& charitatis,cætero que infuſos habitus gratiæ ſanctificantis comites, auxilium actuale ſeu actualis gratia confertur, qua ſimul poſſit, & reipſa etiam actum vel fidei vel dilectionis Dei ſuper omnia eliciat : nemo dubitat, quin neceſſe ſit ipſi priùs à Deo gratiam ſufficientem conferri, qua poſſit agere ; & efficacem qua agat ; cùm neceſſe ſit priùs poſſe quàm agere.

Verùm non ideò tamen exiſtimandum eſt, duplex auxilium actuale diſtinctum homini à Deo conferri, quorum alterum dumtaxat ſufficiens ſit, alterum verò efficax : unicum enim ſatis eſt, quod ſimul potentiam ſeu voluntatem evehit, perficitque, & agendi vim ipſi confert, & ſimul etiam potentiam applicat, & efficit ut faciat, ſcilicet, vel credat vel amet. Non igitur duplex entitate diſtinctum auxilium homini à Deo confertur : fruſtra enim eſſet hæc entitatum multiplicatio, cùm unica ſatis ſuperque ſit. Attamen dubitari non poteſt, quin ejuſmodi munera maximè diverſa ſint : alterum enim ſolùm eſt ex parte potentiæ, quam evehit, perficit, & complet ; ut cum actu eliciendo vel fidei vel charitatis proportionem habeat, eamque in actu primo conſtituat : alterum verò eſt ex parte actus qui reipſa elicitur, & quod applicat potentiam, eamque cum actu conjungit, ac propriiſſimè facit ut faciat ; ſeu ut voluntas agat. Supponit enim potentiam auxilio ſufficienti completam, ac viribus inſtructam, cùm neceſſe ſit actum ex potentia completa perfectaque prodire : & potentiam auxilio ſufficienti completam, ejuſmodi efficax auxilium conjungit cum actu : quæ duo munera, ut diximus minimè neceſſe eſt entitate diſtingui.

Atque hinc, ſtatim eluceſcit, quo pacto hic ultimus explicandi modus à primo explicandi modo, ſeu à communi Divi Thomæ Scholæ ſententia diſtinguatur. Etenim primus explicandi modus, ac communis Scholæ Sancti Thomæ ſententia exactum, & accuratum loquendi modum amplexa,non totius entitatis gratiæ, & auxilii Divini rationem habet, qua ratione utrumque munus complectitur, ſed utrumque munus accuratè diſtinguit, & de utraque gratia veluti ſpecie diſtincta loquitur ; ita ut ſufficiens qua ſufficiens, nunquam ita augeatur, ut efficax evadat, nec viceverſa efficax ut efficax ita minuatur,ut ſolùm ſufficiens fiat. Sufficientis enim gratiæ dumtaxat munus eſt, potentiam & actum primum complere, ſive proportionem inter potentiam, & actum eliciendum efficere : in quo dubium non eſt, quin magna ſit latitudo : cùm non omnes homines ad eliciendos virtutis actus, aut ſuperandas tentationes æquè viribus polleant. Alii enim eas equidem vincunt, ſed alii etiam ſupervincunt, ut loquitur Apoſtolus : quamvis nulli unquam deſit ſufficiens auxilium, quantum neceſſe eſt, cùm vincenda tentatio occurrit. At verò efficacis munus eſt potentiam ad actum applicare, ſeu cum actu conjungere : in quo nulla latitudo fingi poteſt ; cùm repugnet voluntatem applicari ad actum, & cum actu conjungi, niſi actus ipſe eliciatur, ut ſatis compertum eſt.

At verò ſingularis alius explicandi modus, quem ultimo loco exhibuimus, craſſiori veluti minerva rem omnem exequitur, & totam Divinæ gratiæ, & auxilii entitatem pariter complectitur, quæ ſimul vires auget potentiæ, & potentiam applicat; atq; totam eam entitatem cum voluntate comparat. Et ſi quidem tota illa entitas Divinæ gratiæ, & Divinæ motionis, infelices noſtræ voluntatis ad malum vires, ſeu malitiam, & obſtinationem ſuperet, eam efficacem gratiam vocat nulla diſtinctione facta cujuſcumque muneris : ſi verò e contra gratia ſua vi agendi voluntatis reſiſtentiam non vincat, ſed e contra voluntas ſua malitia gratiæ Divinæ obſiſtat, & ipſius gratiæ motionem ſeu operationem impediat, aut retardet,eam gratiam inefficacem, ac ſolùm ſufficientem vocat, nulla iterum diſtinctione facta cujuſcumque muneris.

Ex quibus liquet, quòd ſi uterque explicandi modus invicem conferatur, primus multò accuratior ſit cùm propriis cauſis effectus aſſignet, & munera Divinæ gratiæ in eadem entitate conjuncta diſtinguat : alius verò, & ſingularis explicandi modus in congruitate poſitus, ad omnium captum, ſenſumque, & experientiam accomodatior eſſe videatur, & gratiam adæquatè ſumptam non per partes inſpiciat, reſectis formalitatibus quibus explicandis Theologi immorantur : quem etiam explicandi modum præter cæteros amplexus videtur fuiſſe ipſemet Sanctus Auguſtinus, ut difficiliorem alioquin quæſtionem, ex his quæ fermè in ſe quiſque perſentit explicaret ; potiſſimum quæſtione 2. lib. 1. ad Simplicianum, ut ea quæ ſupra diximus ſatis ſuperque manifeſtant : quamquam, & alium modum veluti nobiliorem, & accuratiorem, quem communis Sancti Thomæ Scholæ ſententia amplexa eſt, non prætermiſerit.

Sed prætereà ex ea explicatione alterum conſequitur : ſcilicet non eſſe omnino neceſſarium ſingularem hunc efficacis gratiæ explicandi modum, ac ex communis Thomiſticæ Scholæ principiis argumenta propoſita, quibus ea gratiæ congruitas ſuaderi poſſet, quàm facillimè poſſe dilui, ut omnium ſolutione ita paucis demonſtro. Hoc enim unum dumtaxat probare poſſunt, quod nos ultrò fatemur, & ut certum principium ſupponimus, magnam eſſe in ſufficiente gratia latitudinem, quæ proportionem efficiat inter potentiam, ſeu voluntatem, & tentationem vincendam, vel actum virtutis eliciendum ; eamque ſufficientem gratiam in diverſis diverſam eſſe, ac inæqualis perfectionis, interdum majorem, interdum minorem: ſicut in formis augmenti capacibus, v.g. varii ſunt interdum gradus pro diverſitate ſubjecti ; & in habitibus acquiſitis, major eſt in uno quam altero peritia pingendi, vel canendi ; perfectior etiam eſt habitus, vel geome-

metriæ;aut etiam prudentiæ,vel temperantiæ: qui habitus cùm potentiam perficiant, & compleant, ac proportionem illius cum actu eliciendo efficiant, correſpondent ſufficienti auxilio, quod in ſupernaturali ordine diſponit potentiam,eamque perficit, ut poſſit actum producere. Unde

Ad *Primum* Argumentum fatemur à Divo Thoma aliquando eum explicandi modum uſurpatum fuiſſe, ut etiam ipſam efficacem gratiam pro ſufficiente, & ſufficientem pro efficaci, nullo inter utramque facto diſcrimine uſurpaverit:tunc enim gratiam Divinam adæquatè ſumptam contemplatur, ut ſcilicet complectitur totã eam entitatem gratiæ,quæ voluntati confertur,& quæ duplicem illam formalitatem ſufficientis, & efficacis comprehendit. Verùm & multò ſæpiùs de efficaci gratia pertractat, ut præcisè efficacis munus exercet, quam fermè perpetuò Divinæ motionis nomine ſignificat: maximè quæſt. 3. de potent.art. 7. ubi ex profeſſo de Divinæ motionis natura ac dotibus abundè, & accuratiſſimè diſſerit: ubi inquit, quòd *Deus movet ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis, ſed applicatio virtutis ad actionem*. Ex quo conſequitur, infallibilem eſſe Divinæ motionis cum actu ad quem movet connexionem; quia *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt, quòd voluntas ad illud non moveatur* 1.2. qu. 10. artic. 4. ad 4. cujus infallibilis connexionis non alia ratio eſt, niſi ipſa Divinæ motionis ac virtutis efficacia: quia *Deus movet immutabiliter voluntatem, propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt*.quæſt.6.de Malo ad 3. Quibus omnibus propriiſſimum efficacis gratiæ, ut à ſufficienti diſtinguitur, munus explicat. Qui modus multò frequentior eſt in Sancto Thoma: cùm etiam magis Theologum doceat,qui propriis cauſis proprios effectus aſſignat, & complexa ad majorem elucidationem diſtinguit, *affert* enim *diſtinctio lucem*.

Ad *Secundùm* Argumentum, hujuſque confirmationem ſcilicet explicari poſſe comparatione cauſarum naturalium, gratiam Divinam eſſe efficacem, nec tamen interdum habere effectum.

Reſpondeo *Primò*: iis equidem probari poſſe, non repugnare omnino hunc explicandi modum, ſed videri ſatis conſentire communibus Philoſophiæ principiis, eaque ratione non abſurdè poſſe admitti; ſed tamen non ea ſemper quæ ſuperficie placent, meliora, & veriora ſunt, cum ab Ariſtotele dictum ſit, interdum falſa eſſe probabiliora veris. Sed inſuper

Reſpondeo *Secundò*, negandam eſſe paritatem, aut quod ea comparatione ſupponitur; latiſſimum enim diſcrimen eſt inter naturales cauſas, & Divinæ gratiæ motionem; quòd Divina motio ſeu efficax gratia non correſpondeat propriè virtuti activæ cauſarum naturalium. Hæc enim non efficaci gratiæ, ſed ſufficienti ſolùm correſpondet, ut aliàs dictum eſt, cùm naturam ſufficientis auxilii explicuimus. Virtus enim activa cujuslibet cauſæ eſt *ipſa* ejus facultas agendi, potentia, proprietas, & actus primus, quem ſatis liquet ſufficienti auxilio, non efficaci correſpondere. At verò efficax gratia, & Divina motio ſi propria munera diſtinguantur, correſpondet ſolùm applicationi ipſius virtutis activæ, quæ applicatio ſemper cum actu ſecundo conjungitur, neque in ea applicatione latitudo ulla aut eſſe poteſt, vel etiam intelligi; ſed ſola virtutis activæ cùm actu conjunctio: ita ut major, vel minor operationis perfectio, & intenſio, in ipſam virtutis activæ perfectionem, ſeu ſufficientem gratiam, non verò in ipſam applicationem refundi debeat, in qua nihil aliud intelligitur quàm ipſa potentiæ ad actum reductio. Unde cùm objicitur nihil mirum eſſe, ſi gratia etiam efficax interdum effectum non habere dicatur, cùm etiam qualitates activæ, quibus in ſuo ordine efficacia, & quidem phyſica non deeſt, interdum nihil efficiant, eò quòd proportionem cum effectu producendo non habeant, aut quòd ſubjectum nondum ſatis diſpoſitionibus ſubactum agentis vi obſiſtat: id omnino negandum eſt de efficaci gratia, ut à ſufficienti diſtinguitur, & prout efficacis munus exercet. Mirum enim id eſſet, & maximè mirum, ſi efficax gratia, ut à ſufficienti diſtinguitur, effectum non haberet, cum quo ex propria ſua ratione conjungitur. Neque enim Divina motio, ut dictum eſt, correſpondet ſolùm ſufficienti auxilio, præter quod requiritur aliud ad efficiendam operationem. Cujus evidentiſſimum ſignum eſt, quòd ex D. Thomæ principiis, quantumvis virtus activa alicujus cauſæ completa ſit, ſuperetque reſiſtentiam paſſi, ſitque in ſuo ordine ad agendum ſufficiens; attamen ut agat, neceſſaria ſit Divina motio, quæ virtutem activam cum actu conjungat. Quia ut expreſsè inquit Sanctus Doctor, *Virtus activa rei naturalis ſufficit* quidem *ad agendum in ſuo ordine; requiritur tamè virtus Divina, ratione jam dicta,* (in corpore articuli) ut ſcilicet conjungatur cum ſuo effectu: quia *De ratione virtutis* (activæ) *inferioris eſt, quòd ſit aliquo modo operationis principium in ſuo ordine; ideſt, ut agat ut inſtrumentum ſuperioris virtutis: unde excluſa ſuperiori virtute, inferior virtus operationem non habet*,q.3.de potent.ar.7.ad.1. & 5.

Igitur quantumvis completa, & perfecta ſit virtus activa cauſæ creatę, requiritur tamen Divina motio, quæ eam virtutem activam excitet, applicet, & ab actu primo ad ſecundum reducat. Sicut quantumvis aptiſſimum, ac paratiſſimum ſit inſtrumentum ad opus moliendum, requiritur tamen motio artificis, quæ ſi deſit, otioſum remanet, quamvis alioquin egregiè diſpoſitum inſtrumentum ſit. Sicut quælibet optimè facta frameaquamvis ſplendida, quamvis uncta, ſi non habet bellatorem, jacet, ut inquit D. Auguſt. in Pſal.34.Quia ea omnis aptitudo,eaque proportio, quæ Divinam motionem, ſeu artificis, ſeu ſuperioris agentis, antecedit, ipſique ſupponitur; pertinet ad actum primum, quem neceſſe eſt alteriùs ſuperioris cauſæ motione applicari: Ergo manifeſtiſſimum ſignum eſt, eam virtutem activam

nam naturalis cujuſque cauſæ, non efficaci gratiæ, quæ eſt ipſa Divina motio, ſed ſufficienti ſolùm gratiæ correſpondere, præter quam alia requiritur. Sed præterea

Reſpondeo *Tertiò* negandum eſſe iterum paritatem; quòd nimirum efficax gratia, Divinaque motio altioris, ſuperioris ſit ordinis, ſuperetque ordinem naturæ, non minùs cauſalitate, & vi agendi, quàm gradu, & ordine, quo ad altiorem finem ultimum, ſcilicet ſupernaturalem ac in ſe ſe infinitum refertur. Eſt enim participatio quædam operationis Divinæ, & infinitæ, ac ipſius Divinæ Omnipotentiæ emanatio quædam, unde toties à Sancto Auguſtino dictum eſt, immutationem humanæ voluntatis, opus eſſe Divinæ Omnipotentiæ, cui nullum reſiſtit arbitrium. *Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiã motum voluntatis eorum.* Lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 21. & ut inquit, lib. de Corrept. & Gratia cap. 14. *Deo volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.* Quia ſcilicet Divina, & efficaci gratia *Subventum eſt infirmitati volũtatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.* Ibidem cap. 12. Unde *hæc gratia quæ occultè humanis cordibus Divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Lib. de Prædeſtinat. SS. cap. 8. Quibus ſimillima habet ejuſdem Sancti Auguſtini Diſcipulus, interpres ac defenſor S. Proper, lib. de Ingratis cap. 15.

At verò Omnipotens hominẽ cùm gratiâ ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit: non moribus ullis
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Hæc vera Divinæ gratiæ efficacia eſt, cui *nec moribus ullis ſit mora.* Fruſtra igitur hæc voluntatis diſpoſitio, & contemperatio quæ Divinæ gratiæ motionem antecedat requiritur. Hanc enim Deus ipſe cùm libuerit, ſuæ efficacis gratiæ vi efficit: *Ipſa* enim *ſuum conſummat opus* Deoque volenti, *tempus agendi ſemper adeſt*: quod ſanè infinita ipſius potentia efficit, ejuſque motio, cùm infinitæ ipſius potentiæ participatio ſit: *Omnipotens* enim eſt *hominem* quæ *gratia ſalvat*, quæque in ipſo diſpoſitiones quas vult efficit, non ſupponit.

Ex quibus aliiſque ſimilibus, quæ aliàs fusè proſecuti ſumus, ſatis liquet, intercedere ingens diſcrimen inter motionem Divinam, & naturalium cauſarum vim omnem activam; quòd hæc quidem proportionem quandam cum ſubjecto requirat, cùm limitatæ, & coarctatæ virtutis ſit, nec omnem ſubjecti, in quod agit, reſiſtentiam vincere poſſit: cùm econtrà Divinæ gratiæ motio Omnipotentis virtutis emanatio quædam, & artis Divinæ, ac Divinæ potentiæ participatio, duritiam omnem, ac malitiam voluntatis creatæ auferat, nec ulla cordis contumacia, nec moribus ullis retardari poſſit, ſed eam omninò contundat, & vincat.

Ad *Tertium* Reſpondeo, majorem quidem ſufficientem gratiam requiri, quò gravior tentatio voluntatem premit, non tamen magis efficacem; ſola enim ſufficiens gratia proportionem efficit ad tentationem vincendam, augetque vires voluntatis, quæ ad actum primum pertinent. Sed hoc majus augmentum ad efficacem gratiam ſupponitur, non ad ipſius efficaciam pertinet. Et neceſſariò quidem ſupponi, & requiri, hoc augmentum virium ex ſufficienti gratia, quò gravior tentatio eſt, ultrò fatemur, ea communi ratione ſatis perſuaſi, quia omnis actio eſt à proportione majoris inæqualitatis: ac præterea quia neceſſe eſt priùs potentiam in ſe ſe eſſe completam, antequam actum producat. Quin etiam, quod obſervari velim, quoties ut plurimum majores ſunt ex Divina gratia, vel ex intenſiore habitu, voluntatis vires, quàm ſit tentationis gravitas, vel impetus cupiditatis, vincitur ut plurimùm tentatio; non quia alia præterea gratia neceſſaria non ſit, ſed quia ex Divinæ Providentiæ legibus, concurſus etiam in ordine ſupernaturali, nec ſolùm in ordine naturæ, juxta prædominantem formam à Deo confertur; unde à juſto dicitur, ut notat Sanctus Auguſtinus, *Juſtum Adjutorium meum à Domino.* Quodam enim modo exigitur, ut fortiori victoria concedatur; & ſi fortior ſit, validiorque habitus virtutis temperantiæ v. g. quàm intemperantiæ motus, qui voluntatem aggreditur, ut eam à propoſito bono dimoveat, concurſus à Deo tribuitur, quo voluntas jam habitu temperantiæ inſtructa, & roborata, exortum intemperantiæ motum reprimat. Quamvis tamen cùm voluntas à ſuo ultimo fine ſcilicet Deo ſejuncta, quo ſolo firmari poteſt, ſemper in omnem partem ſua libertate vertibilis ſit; fit inde ut nunquam ejuſmodi concurſus, & adjutorium ita debeatur, quin etiam denegari poſſit. Unde etiam conſequitur quòd quantumcumque proportio ſit ex ſufficienti auxilio virium voluntatis, cùm actu virtutis eliciendo, vel tentatione vincenda, atque ejuſmodi vires ſuperent reſiſtentiam voluntatis, quam ex tentationis gravitate, qua premitur, in ſe ſe perſentit; nihilominus tamen altera, & efficax ſuperaddita gratia requiratur, ut voluntas tentationem vincat, cùm toties, & heu nimis ipſa voluntas, quæ ſi habitus, & ſufficientis auxilii vires ſpectentur, aut tentationem poſſet vincere, aut intenſum perfectumque actum elicere, remiſſum tamen actum eliciat, ſuaque ignavia ſinat ſe tentatione dejici. Unde conſequitur efficaciam gratiæ non in ea contemperatione, aut ſola proportione majoris inæqualitatis virium voluntatis poſitam eſſe; ſed eam proportionem ſolùm ad gratiam ſufficientem, non verò ad efficacem pertinere.

Ad *Quartum* eadem eſt diſtinctio adhibenda: fatemur quidem perfectiorem eſſe debere collatam voluntati gratiam Divinam, quo actus, & perfectior, & intenſior eliciendus eſt. Sed negamus illud eſſe munus efficacis gratiæ: id enim pertinet ad ſufficientem gratiam, quæ potentiam ita complet, & perficit, ut nihil aliud præter applicationem deſit; quæ tamen applicatio, ſeu Di-

vina motio, & efficax gratia adeò neceſſariò ſufficientem ſupponit, ut nunquam citra miraculum applicatio conferatur, niſi antecedat ſufficiens gratia, & ex ſufficienti gratia, & diſpoſitionibus antecedentibus priùs ſuperadditæ vires fuerint, quibus ea proportio cum actu eliciendo conſtituatur. Quin etiam ſi ea proportio, & diſpoſitiones quæ longo etiam tempore antecedere ſolent, priùs non ſupponerentur, momento ſimul omnes inducerentur cum eadem ipſa efficaci gratia qua actus elicitur, ut à D. Thoma obſervatum eſt in converſione Divi Pauli. *Et ita contigit D. Paulo, qui ſubito cùm eſſet in progreſſu peccati, perfectè motum eſt cor ejus à Deo, audiendo, & addiſcendo, & veniendo* 1. 2. quæſt. 112. art. 2. quæ diſpoſitiones in aliis ſenſim ac longo labore, & ſtudio comparantur.

Ad *Quintum* Reſpondeo: Nullam eſſe in communi ſententia difficultatem, quæ compellat hunc explicandi modum uſurpare; cùm ſatis ſuprà demonſtratum ſit, ſufficientem gratiam eam intelligi, quæ in ſuo ordine ita ſatis eſt efficiendæ operationi, ut nullam aliam ejuſdem rationis, & ordinis requirat. Quis enim neget Paſſionem Chriſti eſſe ſufficientiſſimam, & effuſo Sanguine Chriſti elui poſſe omnium maculas, & gehennæ etiam ignes poſſe extingui? Et tamen definitum eſt, non eſſe vanas, & inutiles fidelium ſatisfactiones; quo ſenſu dictum eſt à Divo Paulo ad Coloſs. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*: Sicut nec ſuperflua eſt cauſa ſecunda inferior, cùm cauſa ſecunda ſuperior, & univerſalis agit; quin immò ab inferiori, & particulari ſuperior, & univerſalis applicatur. Unde ut reſpondet Divus Thomas 3. part. quæſt. 61. artic. 1. ad 3. etſi paſſio Chriſti ſuo in ordine, & ut univerſalis cauſa, ſufficientiſſima ſit ad omnium ſalutem, non ideò tamen ſuperflua ſunt novæ legis Sacramenta: ſicut neque hominum merita, quibus ipſa virtus, & efficacia paſſionis Chriſti applicatur. Unde incautè juvare videntur hæreticorum partes hi, quibus ſufficientis gratiæ notio, præter quam requiritur alia, non probatur: quique eam impugnant; cùm eodem planè argumento abuti ſoleant Calviniſtæ, ut probent, inutiles, ac vanas eſſe fidelium ſatisfactiones: nimirum quia redemptio Chriſti infinita, ſatis eſt ad emundanda omnium delicta. Et verò ſi germana eſſet ſufficientis notio quam Adverſarii probant, & ſolam obtinere vellent, hæc Divi Pauli verba ad Coloſs. 1. ut etiam advertit Sanctus Thomas ibid. lect. 6. *Falſum ſenſum habere poſſent*, ſcilicet *quod Chriſti Paſſio non eſſet ſufficiens ad redemptionem, ſed additæ ſunt ad complendum paſſiones Sanctorum*, quòd à fide & pietate longiſſimè abhorret. Veriſſima igitur ſufficientis gratiæ notio ea cenſenda eſt, quòd ea quidem ſatis ſit in ſuo ordine, ex parte potentiæ, & actus primi; quamvis præter eam altera efficax requiratur, quæ voluntatem jam ſufficienti gratia completam applicet, & cùm actu conjungat. Unde nihil ſufficientiæ primæ, ſeu ſufficienti gratiæ deperit, licet ſecunda ſcilicet efficax requiratur; neque ſubinde neceſſe eſt, ad explicandam ſufficientis gratiæ notionem, alterum modum præter communem advocari.

Ad *Sextum* apertior erit ſolutio, ex his quæ alibi fusè dicta ſunt, ubi hæc difficultas ſoluta eſt, ac multis ex S. Thoma probatum, in culpa hominis eſſe, quòd non agat, Divinaque gratia privetur; quia nunquam homini à Deo denegatur gratia niſi in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis, ut alicubi ex Sancto Auguſtino inquit D. Thomas; vel quia voluntas præſens impedimentum opponit, quo gratia Divina excludatur; ut inquit idem Sanctus Thomas in primo diſt. 40. quæſt. art. 2. *Ut dicunt Sancti communiter Dionyſius Auguſtinus, & Auſelmus, cauſa quare iſte non habet gratiam, eſt quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus noluit dare.* Quod fuſiùs deinde explicat in corpore, & quæ minimè ab eo ſingulari explicandi modo dependent: ut propterea neceſſe ſit relicta communi ſententia, eum ſingularem modum explicandi uſurpare.

Ex his verò omnibus liquet, non eſſe omninò neceſſarium hunc explicandi modum: facilique negotio expediri omnia poſſe, quæ in hujus confirmationem afferri unquam poſſent, vel quæ inde uſurpantur ad impugnandum primum explicandi modum, quem ut omnium fundamentum initio, cui cæteri inniterentur, ſubſtravimus. Et hoc primum eſt quod explicandum titulo polliciti ſumus.

Alterum verò quod etiam explicandum eſt, ita paucis reſolvimus: ſcilicet utilem eſſe, neque aſpernandum eum modum, cùm plura commoda habere poſſit. Præcipuum verò quòd inde reportari commodum poſſe arbitramur, illud eſt; quòd quàm facillimè argumentum diluat quod ex D. Matth. cap. 11. *Væ tibi Corozaim* &c. deſumitur cum ſuis appendicibus. Inde enim liquidò conſtat, potuiſſe Corozaitas præ Tyriis reprehendi: quia cum iiſdem auxiliis converſi fuiſſent Tyrii, quibus non erant converſi Corozaitæ. Cùm enim minor eſſet Tyriorum obſtinatio, & reſiſtentia, major verò Corozaitarum; eadem auxilia quæ majorem Corozaitarum obſtinationem non ſuperabant, ſuperaſſent obſtinationem Tyriorum, eoſque convertiſſent, in iiſque vim omnem ſuam exeruiſſent, fuiſſentque efficacia, cùm tamen in Corozaitis, obſiſtente obdurata voluntate, dumtaxat ſufficientia eſſent.

Secundò Alterum commodum inde reportari poteſt: quòd utriuſque ſtatus naturæ innocentis, & infirmæ diſcrimen paulò faciliùs explicari poſſit. Cùm enim ex ea proportione majoris inæqualitatis efficacia gratiæ metienda, & deſumenda ſit: cumque minor aut veriùs nulla eſſet in Adamo innocente voluntatis reſiſtentia, in ea felici omnium partium mutua, & amica conſenſione, minima motio Adami voluntatem ad agendum impuliſſet: Atque omnis ea gratia quæ hoc in ſtatu infirmæ, corruptæ, & labentis ſuo pondere, & declivis naturæ, ſolum ſufficiens eſt, *& adjutorium*

torium ſine quo; efficaciſſima in eo ſtatu fuiſſet: neque altera eſſe debuiſſet gratia, præter eam quæ hoc in ſtatu ob majorem voluntatis renitentiam ſolùm eſt *adjutorium ſine quo*. Sed de his alibi plura. *Tertium* demum commodum reportari poteſt: quòd inde facilè explicari etiam poſſint, quæ de contemperatione Divinæ gratiæ à Divo Auguſtino dicta ſunt lib. 1. contra Simplician. qu. 2. ut fusè ſatis explicuimus. Quamvis enim ea contemperatio intelligi poſſit, quam ipſa gratia efficit, & D. Paulus in Hebræis fieri exoptabat ad Heb. 13. *Aptet vos in omni bono ut faciatis ejus voluntatem*, ut Divus Thomas ibidem explicat, multiſque aliis in locis: cùm maximè neceſſe ſit diſpoſitionem omnem ad gratiam, ejuſdem eſſe ordinis; neque aliunde quàm ex ipſa gratia oriri poſſe, quod etiam toties Divus Auguſtinus obſervat, probatque ex illo Proverbio 8. juxta verſionem Septuaginta Interpretum *Præparatur voluntas à Domino*, quod ubique uſurpat: nihil tamen vetat, quin etiam intelligatur de ea contemperatione quæ ſupponitur, cùm voluntas minus obſiſtit; de quo jam multa diximus.

Tertium ultimo loco reſolvendum ex ſuperiori deſumitur. Cùm enim hic explicandi modus ſua, pluraque commoda habeat, quorum aliquam partem recenſuimus; nihilque habeat, quod communibus D. Thomæ ejuſque Scholæ principiis adverſum ſit: quid vetat eum uſurpari? Ipſe quàm frequentiſſimè eo utor, ad ſolvenda argumenta, aut ſolutionibus majorem lucem afferendam; quamvis tamen ſolutiones ex primo explicandi modo deſumptas nunquam prętermittam: ut reipsà ab iis qui non ſpeciem tàntùm, ſed rem ipſam ſolidamque doctrinam ſectantur, nunquam prætermittendæ ſunt. Sed ſi quis eum explicandi modum uſurpare velit, monitus ſit neceſſe eſt; alioſque ipſe moneat: eo explicandi modo ſumi adæquatè Divinum auxilium ut comprehendit ſufficiens, & efficax: quam obſervationem ſuprà ſatis explicuimus. Ea verò cautione adhibitam ſecurè quiſquis voluerit hunc etiam explicandi modum, ac ſine periculo poterit uſurpare.

QUÆSTIO VII.

De ea ſententia quæ ablegata ſcientia media, & ſepoſitis motionibus prævviis, Divinæ gratiæ efficaciam in multitudine motionum moralium reponit.

ULtimo loco hanc ſententiam reponimus, quam etiam omninò prætermittere animus erat, cùm ex his quæ ſæpiùs perſecuti ſumus, ſatis impugnata ſit. Non erit tamen abſre ſi aliqua etiam de ipſa in ſingulari obſerventur, quibus minus probandam eſſe apertius demonſtretur. Ac in primis non immeritò adverti poteſt, ea ſolùm ratione à quibuſdam Theologis mitiorem hanc ſententiam excitatam, & uſurpatam fuiſſe, ut ſe ſe ab omni partium ſtudio alienos probarent; reperta media aliqua, & veluti tertia ſententia, qua ſine beneficio ſcientiæ mediæ, & ſepoſitis etiam motionibus prævviis, modos omnes hujus gravis controverſiæ tentarent ſolvere, & utriuſque partis difficultates amovere, & tamen commoda uſurpare. Verùm dixerim eos *Retia veritatis*, ut loquitur Divus Auguſtinus pertimuiſſe, qui motionis prævviæ & effectricis, ob neſcio quæ incommoda ex præpoſtera falſaque notione Divinæ motionis, animo concepta, ſententiam reformidant: immeritoque nolle ſuæ ſalutis negotium efficaciſſimæ Divinæ gratiæ committere. *In clariſſima luce Divinæ ſapientiæ*, inquit D. Auguſtinus in Enchirid. cap. 95. *videbitur quod nunc piorum Fides habet antequā manifeſta cognitione videatur, quàm certa, & immutabilis, & efficaciſſima ſit volūtas Dei; quàm multa poſſit, & non velit, nihil autem velit, quòd non poſſit*. Mirum videbatur olim eidem D. Auguſt. homines infirmitati ſuæ malle ſe committere, quàm firmitati promiſſionis Dei, ipſiuſque efficaciſſimæ gratię: & cùm ea motio, quę ex Divina Omnipotentia vim agendi obtinet, efficacior firmiorque ſit, morali altera, invalida, & defectibili: *Cur non homo*, inquit Divus Auguſtiuus lib. de Prędeſtin. SS. cap. 11. *firmiori, quàm infirmiori fidem ſuam, ſpem, charitatemque committit?* Sed neceſſe eſt, ut noſtra Metho. do D. Thomæ certis ac indubitatis principiis eam ſententiam, ſi non aliud pręter motiones morales, & defectibiles addat, capitaliter repugnare demonſtremus: quem tamen ſe patronum habere adverſę ſententię Authores arbitrantur.

* ** *

ARTICULUS I.

Impugnatur ea ſententia quæ in coacervatione auxiliorũ efficaciam Divinę gratiæ reponit. Repugnat D. Thomæ principiis: veram controverſiæ difficultatem intactam relinquit.

PLurima jam diximus de ea ſingulari ſententia, quam Clariſſimus, & de Republica litteraria optimè meritus Thomaſinus defendit, & quæ efficaciam Divinæ gratiæ in multitudine, congruitate, collectione, & veluti conſpiratione, motionum reponit, quæ quamvis moralem dumtaxat efficaciam habeant; eam tamen peræquè infallibilem, & inſuperabilem eſſe, ac efficaciam quæ ex prævia motione repetitur, eſſe exiſtimat. Diverſam eſſe eam ſententiam à Joſephi ſententia, jam ſuprà obſervavimus: atque ea parte multò minùs utilem,& probabilem eſſe cenſemus. Et quamvis ex his quæ hactenus à nobis dicta ſunt in confirmationem communis Scholæ noſtræ ſententiæ, quid ſit de ea ſingulari ſententia ſtatuendum, ſatis ſuperque perſpicuum ſit; non erit tamen abſre, ſi quædam huc revocentur, ad ea potiſſimùm impugnanda, quibus à communi Divo Thomæ ſententia longiùs recedit.

Primum verò quod refellendum ocurrit, illud eſt, quòd inquit Clariſſimus Theologus, ſe non alteram in D. Thoma ſententiam reperiſſe, quamvis S. Doctoris opera omnia, perluſtraverit: quin etiam, & à temporibus Anſelmi, cùm jam Theologiæ Scholaſticæ fnndamenta jacerentur, uſque ad tempora Tridentini, non alia uſos ſuiſſe ſententia, quotquot de ea controverſia ſcripſerant, arbitratur, niſi ea ſententia, quæ ex multitudine, & opportunitate, aut importunitate, auxiliorum, efficaciam repetit. Ac permirum ſibi accidiſſe inquit, quòd ita conſentientes omnes repererit: omnes enim excuſſit. Et attonitum rei inſperatæ novitas habebat; donec ipſius Thomæ Aquinatis opera omnia perluſtrare aggreſſus, ac ipſas potiſſimùm Quęſtiones diſputatas,quo opere nullum Angelici Doctoris ſolidius ac diffuſius eſt, in Quæſt. 6. incidit, ubi Prædeſtinationis certitudinem ex ea multitudine auxiliorum tum intùs, tum foris, repetit; quorum ſi aliqua interdum inutilia cadant, alia in priorum locum ſuccedunt, ut ſuppetias ferant. Atque huic ſententiæ, quam Divus Thomas ea quæſtione expreſſit, cæterea omnia D. Thomæ opera concinere inquit; in quam etiam hujus Diſcipuli omnes conſenſerant, donec occaſione Molinæ, ut ſe ſe hujus ſententiæ opponerent,alteram de prævia motione ſententiam, duce ut ajunt, Banneſio amplexi ſunt. Hactenus ferè Oratorii Theologus quibus ſuum de D. Thomæ ſententia judicium profert.

Verùm ut ipſe etiam quid de eo judicio Divi Thomæ Diſcipuli ſentiant referam; quos certè magis in D. Thomæ volvendis operibus verſatos ſi dixerim, non puto me facturum cuiquam injuriam: permirum etiam nobis videtur, non aliam repertam in D. Thomæ operibus ſententiam, præter eam, quæ ex ea auxiliorum congruitate, efficaciam gratiæ repetit: permirum etiam, dici potuiſſe prædeterminationis phyſicæ dogma primùm à Banneſio in Scholam D. Thomæ invectum: ac demum permirum etiam nobis videri, exiſtimatum eſſe, huic de congruitate auxiliorum ſententiæ omnia Divi Thomæ opera ita concinere; ut non aliunde unquam gratiæ efficaciam Divus Thomas derivare potuerit. Nam quòd attinet ad eam auxiliorum multitudinem, congruentiam, & conſpirationem; eam etiam requiri nemini dubium eſt, ac ſæpiùs ſuprà inculcavimus; neque in eo difficultas ulla repoſita eſſe poteſt, de quo tamen aliqua infrà dicenda ſunt. Verùm non aliud repertum fuiſſe in D. Thoma, poſtquam hujus opera omnia perluſtrata ſunt, id nobis ſanè non poteſt non mirum videri. Etenim ut pauca ex his, quæ jam fuſiùs, tum primo Tomo, tum hoc ſecundo proſecuti ſumus, huc advocem: Ac *in primis* ut ipſas Quæſtiones Diſputatas adeam, quod opus impensè laudatur, ut quo nullum aliud, aut diffuſius aut ſolidius, ab Angelico Doctore ſcriptum ſit: quid docuit D. Thomas Quæſtione tertia de Potentia, quæ ſextam de Veritate antecedit, Articulo ſeptimo, ſi Prædeterminationis, & præmotionis phyſicæ dogma non docuit? Nam ſi bona fide res agatur, ut inter Theologos agi convenit, magna etiam fiducia quotquot in orbe litterario, colendæ Theologiæ operam navant provocabo, ut aliam quàm Divinæ motionis prævię, & phyſicæ ſententiam reperiant, & qualem antiquiores Banneſio, & Recentiores D. Thomæ Diſcipuli defendunt, & quæ in hujus Schola perpetuò viguit: quàm in Cathechiſmo Romano ab his quibus ipſum edendi cura demandata fuit, ex ſuæ Scholæ doctrina, quam jam dudum hauſerant expreſſam fuiſſe, antequam in lucem quidquam à Molina ederetur, quidam conqueſti ſunt. Unde & Suares ipſe cùm ingenii nervos omnes intendiſſet, ut Divum Thomam in Societatis ſententiam pertraheret, quæ prævіis motionibus adverſatur, evidentia rei compulſus, ingenuè tandem ſe fateri ſcripſit, D. Thomam eo loco qu. 3. de Potentia laudato, de Divina motione prævia, & phyſica ſententiam tenuiſſe: ac Molina etiam non à D. Thomæ Diſcipulis, ſed ab ipſo D. Thoma, in ea quæſtione ubi de Divino concurſu agitur, ſe diſſentire apertè dixit.

Sed prætereà quid intelligi à D. Thoma potuit, quæſtione ſexta de Malo, quæ laudatam de Veritate quæſt. etiam antecedit, cùm inquit, quòd *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis,quæ deficere non poteſt?* Nihil enim adverſum magis dici unquam potuit ſententiæ, quæ vim omnem, & efficaciam in

ſola

ſola multitudine auxiliorum reponit, quorum ſi aliqua deficiant, alia eorum locum occupatura ſuccurrunt : cùm expreſsè à D. Thoma dictum ſit, *Deum immutabiliter voluntatem movere* ; & eam voluntatis *immutabilitatem oriri*, non ex concurſu, conſonantia, & conſpiratione ſolùm auxiliorum, ſed *ex efficacia ipſius virtutis moventis*, aut ipſius auxilii, quo Deus voluntatem movet : quæ quidem virtus movens *deficere non poteſt*. Jungat hæc quiſquis potuerit, efficaciam gratiæ, vel auxilii, aut virtutis quâ Deus voluntatem movet, repoſitam eſſe in multitudine auxiliorum, quorum quodlibet deficere poteſt, ut arbitratur ea ſententia : & repoſitam eſſe in virtute quæ ſeipſa immutabiliter voluntatem movet, & quæ *deficere non poteſt*, ut D. Thomas loquitur. Adde, ut paucis plura perſtringam, quod habet D.Tho.1.2.quæſt.10.art.4.ad 3. *Quòd ſi Deus moveat voluntatem ad aliquid, incompoſſibile eſt huic poſitioni, quòd voluntas ad illud non moveatur*. Ubi nam longus hic auxiliorum, & circumſtantiarum circuitus ? Si Deus voluntatem & quidem ad actum ſingularem movet, & ut aliquid in ſingulari *velit*, ut inquit in argumento cui reſpondet ; incompoſſibile eſt huic poſitioni, quòd Deus voluntatem ad actum ſingularem moveat, & voluntas non moveatur, & illum ipſum actum non eliciat. Adde & illud 2. 2. qu.24. art.11. *Quod per charitatem Spiritus Sanctus in nobis habitat : ideòque poteſt conſiderari charitas ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum : & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumq; voluerit. Unde impoſſibile eſt, hæc duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipſe charitatem amittat peccando. Nam donum perſeverantiæ computatur inter illa beneficia, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur* : Hæc ibi. Ubinam verò etiam vel unicum verbum, quod innuat infallibilitatem, & efficaciam repetendam eſſe ex ea auxiliorum multitudine, quibus Spiritus Sanctus animam adoriatur, ut dilectionis actum ab ea tandem obtineat. Spiritum Sanctum animæ inexiſtere D. Thomas pro principio conſtituit : ut & alibi operationem, quâ Deus rebus præſens inexiſtit, cum Divina motione conjunctam eſſe, aliàs ex D.Thoma demonſtravimus : At cùm Spiritus Sanctus animam *ad actum charitatis* movet, *infallibiliter operatur quodcumque voluerit*. Sed unde hæc infallibilitas ac certitudo oritur ? An forſitan ex ea auxiliorum varietate, quorum quodlibet aut animam pertentet, & experiatur, num vinci poſſit, aut vim omnem ſuam exerat, quæ ſi ſubigendæ voluntati nondum par fuerit, alteri referendam victoriam relinquat ? An forſitan etiam ex ea multitudine auxiliorum, quæ agmine facto in voluntatem inſiliant, omnique ex parte aggrediantur, ut aliqua ſaltem ex parte excipiendo felici vulneri aditus pateat ? Quàm parùm ea digna ſunt poteſtate, & virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit? Ex ſola *virtute Spiritus Sancti moventis animam* hæc infallibilitas, & certitudo oritur. Solus ipſe inexiſtens animæ cùm libuerit, primo nec vano ictu animam vulnerat, & electa ſagitta perruptis obicibus transfigit.

Unde neſcio cui probari poterit interpretatio, quam adhibet Clariſſimus, & ſæpiùs laudatus Author Tractatu 4. Theologicorum Dogmatum, ubi cùm de conſenſu Scholæ de gratia agit, dum plura ad explicandam D. Thomæ mentem colligeret : hæc etiam verba refert, quibus ſtatim ſuum ita judicium ſubjicit. *Et hic*, inquit, *perſpicis infallibilem efficaciæ vim tribui voluntati, potiùs quàm motioni Spiritus Sancti. Voluntas enim per plura beneficia conſequitur quod intendit.* Verùm pace tanti Viri dixerim, extorta omninò eſt ea interpretatio, & nova interpretandi ars, quâ quod. libet ex quolibet, quantumlibet adverſum ſit, colligere liceat. Expreſsè inquit D. Thomas quòd anima quam ad Dei dilectionem Spiritus Sanctus movet, & impellit; *Impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit.* Id verò ex ea interpretatione ſignificat : *Infallibilem efficaciæ vim tribui voluntati potiùs quàm motioni Spiritus Sancti*. Et verò quibus verbis ſignificare D. Thomas potuiſſet, tribuendam eſſe eam infallibilem efficaciæ vim motioni potiùs Spiritus Sancti, quàm voluntati ? Ab omnibus enim quotquot in Orbe Theologi ſunt, aut qui etiam aliquid theologicè ſciunt, poſtulare ipſe velim : quibus verbis ſignificari, & explicari apertè, & dilucidè poteſt, infallibilem efficaciæ vim Spiritus Sancti motioni, potiùs quàm voluntati eſſe tribuendam ; niſi his ſimpliciſſimis, & apertiſſimis D. Thomæ verbis ſignificetur : *Impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit* ? Habet igitur & impeccabilitatem veluti tranſitoriam, ſeu impeccantiam, & infallibilitatem operationis voluntas, ex parte *Spiritus Sancti* quo movetur, & *ex virtute Spiritus Sancti*, qui infallibiliter in ipſa anima operatur. Anima quidem eſt, quæ ea impeccabilitate donatur, cui etiam ea infallibilitas operandi tribuitur. Sed quæ hujus cauſa, & origo eſt ? Unde, qua parte oritur ? Oritur, inquit D. Thomas : *Ex parte Spiritus Sancti moventis : oritur ex virtute Spiritus S. qui infallibiliter operatur quodcũq; voluerit.*

Nec verò adverſam ſententiam juvat quod à D.Tho. dictum fuerit, donum perſeverantiæ computari inter illa beneficia, quibus certiſſimè liberantur quicũq; liberantur. Quis enim de his dubitet ? An verò id ſignificet, infallibilitatẽ efficaciæ gratiæ tribui voluntati potiùs quàm motioni Spiritus Sancti ? Quinimò beneficiis, quæ Divina prædeſtinatio præparat, certiſſimè prædeſtinati liberantur. Quæ verò ea beneficia ſunt ? Equidem plurima eſſe poſſunt, ac diverſi generis ; ſed quæ prædeſtinatio ut ſibi propria vendicat, non ea fallibilia, & defectibilia ſunt, ſed iis certiſſimè liberantur quicumque liberantur. Jungenda

da enim omnia sunt, quæ maximè eodem loco habet D. Thomas, nè scopæ dissolutæ existimentur: & si vera mens D. Thomæ quæritur; illud, ut apud ipsum certissimum in primis statuendum est, infallibilitatem efficaciæ Divinæ grâtiæ oriri, *Ex parte virtutis Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum: & ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit.*

Et verò tantùm abest, quòd infallibilis efficaciæ vim D. Thomas tribuerit voluntati; ut è contra expressè dixerit, quòd *Potest considerari charitas ex parte subjecti, quod est vertibile secundùm arbitrii libertatem..... & idcircò charitas viæ in cujus statu non videtur Dei essentia, quæ est essentia bonitatis, potest amitti.* Ergo non voluntati tribuit D. Thomas infallibilem Divinæ motionis vim, & efficaciam: & sanè falsissima esset hæc propositio, quòd ex parte voluntatis, *Impossibile est quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad charitatis actum, & quòd ipse charitatem amittat peccando.* Impossibile equidem est hæc duo simul jungi, quòd Spiritus Sanctus ad charitatem voluntatem moveat, & quòd charitatem voluntas amittat: sed ea impossibilitas, inquit expressè D. Thomas, non oritur *ex parte voluntatis: ea enim parte charitas potest amitti: sed oritur ex parte Spiritus Sancti qui infallibiliter operatur.*

Et hæc simillima sunt iis, quæ toties aliàs ex D. Thoma diximus, ex eo universalissimo principio, quod retulimus quæst. 5. art. 6. pag. 174. ex 2. Sentent. dist. 15. quæst. 1. art. 2. quòd *Cùm omnis motus sit actus motoris, & moti, oportet quòd in motu relinquatur virtus motoris, & virtus mobilis.* Atque inde toties dictum est, hæc duo semper debere conjungi infallibilitatem *ex virtute motoris, & propter virtutem moventis, quæ deficere non potest*, ut alibi inquit: & libertatem *ex virtute mobilis, seu propter naturam voluntatis.* Atque eidem principio innititur quod inquit idem D. Thomas 6. Metaph. lib. 3. *Quod invenitur uniuscujusque effectus secundùm quòd est sub ordine Divinæ Providentiæ necessitatem habere; secundùm verò quòd effectus aliquis consideratur sub ordine causæ proximæ, sic non omnis effectus est necessarius, sed quidam necessarius, & quidã contingens, secundùm analogiam suæ causæ.* Ac demùm ex eodem principio desumptum est quod hìc inquit D. Thomas, quòd *ex virtute Spiritus Sancti qui infallibiliter operatur*, voluntas impeccabilitatem quandam habet, *& ex parte subjecti, quod vertibile est, secundùm arbitrii libertatem* charitas à voluntate potest amitti.

Ex quibus luce clarius est, quàm aliena sit à D. Thomæ sententia, & mente, ea interpretatio, quâ dictum est, *infallibilem efficaciæ vim tribui voluntati potiùs quàm motioni Spiritus Sancti.* Sanè quamvis ista D. Thomæ verba, sua se luce satis manifestent, satisque significent, non aliam esse omninò D. Thomæ sententiam, præter eam quam hactenus exhibuimus: & integram esse, illibitamque apud suos Discipulos Sancti Doctoris sententiam reperiri: nihil tamen est quod suadere magìs possit, eam minimè quærendam esse, apud eos, qui Sanctissimi Viri doctrinam tam parùm opportunis interpretationibus in alienum sensum detorquent.

Sed demùm quid reponi possit ubi de mente D. Thomæ agitur; cùm expressè D. Thomas infallibilitatem effectûs ex duplici capite repetierit, scilicet ex efficacia Divinæ voluntatis, & ex dispositione Divinæ sapientiæ, ut adversùs Josephi à Vita Systema explicuimus? Etenim Opusculo 3. c. 4. expressè inquit, quòd *Tria sunt quæ certitudinem Divinæ Providentiæ præstare videntur: infallibilitas Divinæ præscientiæ, efficacia Divinæ voluntatis, & sapientia Divinæ dispositionis.* Locum integrum supra retulimus. Ubi in primis adverti non satis adhuc à Clarissimo Theologo perlustrata fuisse aut expensa omnia D. Thomæ loca, cùm scripsit in Præfatione, quòd *Neque Patres, neque D. Thomas præscientiæ Divinæ decretum absolutum, & prædeterminans substravere, sed solam rerum ipsarum in æternitate præsentiam.* Etenim Divus Thomas expressè tria distinguit, ex quibus Divinæ Providentiæ certitudo repetenda sit. Primum est, inquit: *Infallibilitas Divinæ præscientiæ*: nam ut posteà explicat, *Scientia Dei infallibilis est, etiam contingentium futurorum, in quantùm Deus intuetur in suo æterno futura prout sunt actu in suo esse.* Hoc primum Divinæ præscientiæ, ac infallibilis Divinæ Providentiæ certitudinis fundamentum, quòd Deus in æternitatis præsentia omnia intuea. tur: Atqui præterea duplex alterum infallibilis certitudinis fundamentum substernit D. Thomas, scilicet *efficaciam Divinæ voluntatis, & sapientiam Divinæ dispositionis.* Prætermitto quæ de aliis Patribus in primis D. Augustino referri possunt, quibus liquidò constare posset, quàm à vero alienum sit, nunquam Patres decretum prædeterminans Divinæ præscientiæ, sed solam rerum præsentiam in æternitate substraviſſe. Quid enim illud D. Augustini significat lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 10. *Prædestinatione sua Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Præscientiæ igitur eorum quæ Deus facturus est substernitur ipsa Prædestinatio. An verò Prædestinatio intelligi possit sine decreto Divinæ vooluntatis, ac dilectione illius, quem Deus prior eligit, ut sit vas præparatum in gloria? Atque id etiam D. Augustinus ex ipsa Scriptura Sacra probat: *Prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est, fecit quæ futura sunt*: scilicet Isa. cap. 55. vers. 11. ubi Septuaginta ita legunt: *Sic dicit Dominus Deus Sanctus Israël: Ὁ ποιήσας τὰ ἐπερχόμενα, Qui fecit quæ ventura sunt, Interrogate me de filiis meis*, ubi Vulgata legit: *Hæc dicit Dominus S. Israël plastes ejus: ventura interrogate me super filios meos*: quę Vulgata versio omninò Hebraico textui correspondet. Igitur ex Sacra Scriptura juxta lectionem Septuaginta Interpretum quæ à D. Augustino usurpata est, Deus *fecit quæ futura, & eventura sunt.* An verò

fecit

fecit nisi voluntate, aut aliquid futurum est nisi decreto, & prædefinitione? atque ex eo decreto scivit quæ futura sunt: quia ut futura essent, suo decreto fecit. Neque aliud ubi de salute agitur, sensit Augustinus: *prædestinatione sua Deus*, inquit *ea præscivit quæ fuerat ipse facturus*. Quibus clarissimè exprimit infallibilitatem Divinæ præscientiæ, non uni solùm rerum præsentiæ in æternitate inniti, sed & Divinæ prædestinationi, ac Divinæ electioni, & decreto, quo electis beneficia præparantur, quibus certissimè liberentur. Ergo necesse est sententiam, quæ tanquam fundamentum statuit, Divinæ præscientiæ certitudinem decreto Divino non inniti, è diametro sententiæ D. Augustini adversari, & quæ à Sanctissimo viro de Divina Prædestinatione scripta sunt à fundamentis convellere. Vide quæ primo tomo dicta sunt Dissertat. 1. quæst. 4. art. 8.

Secundò Impugnatur ea sententia, quòd minimè veram difficultatem, & de qua potissima controversia est attingat. Quis enim dubitet in negotio salutis promovendo, Deum infinita propemodùm auxilia præparare, ac disponere, quæ longa sibi serie succedant, quæque hominem circumvallare videantur. Quin etiam, quod sanè maximum est Dei sollicitudinis erga hominem argumentum, quodque in admirationem rapere animum potest, & Divino amore accendere: dubitari non potest res omnes totius Universi ita certo numero, pondere, ac mensura, dispositas esse, ut ad salutem electorum promovendam conducant. Cùm ab Apostolo dictum est, *Omnia vestra sunt*, intelligi voluit, omnia quæcunque ad ordinem naturæ pertinent; prædestinato homini & super opera Dei manuum constituto, obsequi, ac in hujus utilitatem commodumque cedere, & pro comparanda ipsi gloria pro suo modulo laborare. Hæres est Mundi, quisquis electus est; eoque insigni titulo decorari nec immeritò potest, quo Abrahamum Divus Paulus ad Roman. 4. insignivit: & ut inquit Gerson Tractatu de Evangelico Dominio *unusquisque fidelium instar Christi Monarcha est omnium*. Evangelico tamen, & spirituali dumtaxat dominio, cùm omnia propter electos condita sint, quæcunque sors illos excipiat, dum hæc vita peragitur: neque alius reproborum hominum, quacunque tandem interdum dignitate fulgeant, usus est, nisi ut prædestinatorum saluti deserviant, dum ordinem sæculi servant, dum artes colunt, fœderaque, & commercia ineunt, ut D. Prosper inquit; si cætera desint, dum eos persequuntur. Ita enim inquit D. Augustinus serm. 78. interdum *Mali serviunt bonis, quomodo persecutores Martyribus, quomodo lima vel mallei auro..... quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, & aurum probatur*. Unde & Divus Thomas observat, quo sanè nihil majus ut arbitror, intelligi unquam potest, ac commendandam Dei erga suos electos summam benevolentiam, quòd: *Finis motus Cæli est numerus electorum... & ideò motus Cæli*, Munduque hic aspectabilis *completo numero electorum finietur*. quæst. 5. de potent. art. 5. Ut enim addit responsione ad 6. *completio numeri electorum secundùm doctrinam Fidei non ponitur secundarius finis: motus Cæli, sed principalis, licet non ultimus: quia finis ultimus uniuscujusque rei est bonitas Divina, in quantum creaturæ quoquomodo ad eam pertingunt, vel per similitudinem, vel per debitum famulatum*. At verò subdit prætereà D. Thomas: *Ad ultimam perfectionem, quæ erit ex consummatione ordinis Beatorum, Deus ordinavit diversos motus, & operationes creaturarum: quosdam quidam naturales, sicut motus Cæli, & operationes elementorū, per quas materia præparatur ad susceptionem animæ rationalis: quosdam verò voluntarios, sicut Angelorum ministeria, qui mittuntur propter dos qui hæreditatem capiunt salutis. Unde hac consummatione habita, & immutabiliter permanente, quæ ad eam ordinabuntur, in perpetuum cessabunt*. Mira sanè res, & inæstimabilis prædestinatorum felicitas, Hæc omnia quæ nobis ob oculos versantur, & interdum suo splendore, quamvis fragili, mentes fascinant: quòd Reges imperent, quòd Principes exercitus ducant, quòd respublicæ floreant, quòd populi fœdera ineant, quòd artes exerceantur; quin etiam quod Cælum sideraque volvantur, temporaque suas vicissitudines servent: *Horum omnium* ut cum Tertulliano loquar *Titulus* finisque est *salus hominis*. Hæc omnia prædestinatis serviunt: & cùm vitæ cursum ultimus electorum peregerit, quem forsitan vile stabulum, aut fœda hara nascentem excipiet, & cui forsitan vitam tormenta eripient; tunc vicissitudines temporum, Imperia omnia, Regnaque cessabunt, & Mundus ipse cum ultimo prædestinatorum cadet, finemque accipiet. Hæc unica Dei cura, aut solicitudo, æterna electorum salus, ad quam cætera omnia refert. Unde & à Divo Chrysostomo, aut quicunque ille sit Author operis imperfecti in Matth. Hom. 1. dictum est quòd *Medulla hujus Mundi sunt homines Sancti. Sicut enim medulla quandiu in arbore fuerit sana, semper arbor floret; cùm autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur; sic quandiu sunt fideles, stat iste mundus. Nam sicut egredientibus Israëlitis de Ægypto, exterminata est Ægyptus; sic & Sancti cùm de Mundo isto defecerint, casurus est Mundus*.

Hæc sanè quisquis seriò secum perpenderit, non dubitabit, totius universi causas omnes, circunstantias temporum, rerum eventus, collata beneficia, illatas calamitates, ac uno verbo omnia quantumvis minima ad promovendam electorum salutem, eamque omni ex parte muniendam, à Deo ordinata, dispositaque esse, *Qui profert numerosè sæculum*, ut observat, refertque D. Augustinus Epist. 18. ad D. Hieronymum, ex Isai. 40. v. 26. & ex 70. ubi vulgata legit ex fonte Hebraico: *Qui educit in numero militiam eorum*, Omnia sunt in hoc ambitu rerum, ut ita dixerim mensurata, & numerata, & ponderata, ab eo qui *laborem, & dolorem considerat*, ut gravitatem

pon-

Ponderet, multitudine numeret, longitudinem mensuret, prout cujusque electi salus postulat, aut hujus vires ferre possunt: atque ut à Commentatore Aristotelis in libros Physicorum dictũ est: *Naturam agere propter finem magnum argumentum est solicitudinis, quam Deus erga hominem gerit*: quòd nimirum omnia quantumvis minima ita à Deo disposita sint, ut in commodum hominum cedant.

Atque ad hoc argumentum eleganter ac fusè prosequendum opportunissima est ea sententia, quæ in ea auxiliorum congerie efficaciam gratiæ reponit. Quis enim dubitet, aut quis ex Patribus, eam qua valebat, eloquentiam non exercuerit, in commendanda Divina Providentia, quæ nunc lætis, nunc tristibus, nunc adversis, nunc prosperis, homines pertrahit, quorum varius genius est; aut quibus ipsa Divina Providentia variam indolem contulit, ut variè afficerentur. Sed hæc quid ad controversiam, de qua hic agitur, de efficacia scilicet Divinæ gratiæ, conferunt, aut efficiunt? His equidem commendari Divinam Providentiam, ac Divinam sapientiam ultrò concedimus: sed efficaciam Divinæ gratiæ, & Divinæ potentiæ explicari negamus. Unde concessis omnibus quæ in hujus sententiæ commendationem congeri plurima, & magna copia possunt; Deum interdum effusis beneficiis homines allicere, ut D. Theresiam, ac D. Carolum Borromæum calestibus delitiis adeò inundasse legitur, ut ipsi modum imponi postulare cogerentur, discerentque terrenas voluptates aversari: interdum flagellis perditos homines, & Divinæ providentiæ profugos, ut loquitur Sapiens, coërcere, & revocare, ut filium prodigum calamitatibus, & infortuniis in domum paternam revocavit: interdum etiam miraculis adhibitis animorum contumaciam domare, aut duritiem emollire, ut D. Paulum, in aliorum cædem, suamque ipsius ruinam ruentem, & præcipitem coërcuit: *Occurrente utique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sævitia retorqueretur, & corrigeretur ad Fidem*, ut inquit D. Aug. lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. Concessis inquam iis omnibus cæterisque à capite ad calcem productis, aut unquam producendis, neganda est Consequentia: scilicet: non esse efficacem per se se gratiam, neque Divina motione, & occultissima, & efficacissima potestate, Deum agere in cordibus, nec egisse in corde Pauli, ut & olim in corde Assueri, ut ipsum transferret ab indignatione ad lenitatem: hoc est de voluntate lædendi ad voluntatem favendi.

Quod enim objicitur ubi de conversione Divi Pauli agitur: quòd si vis omnis posita est in sola motione prædeterminante; esset quod de Scriptura deque ipso D. Augustino conquereremur, quòd nescio quem strepitum foris circumsonantem, ac supervacaneum consectarentur, & magnificarent & rei tamen ipsius medullam, illam scilicet vim tacitam præterirent.

Impugnari quàm facillimè & multis potest, quæ cùm jam aliàs satis explicata fuerint, hìc paucis perstringo. *Primò*; id enim est, ac si quis diceret, quòd cùm solo vomere scindatur humus, cæteræ aratri partes inutiles sint: Quòd cùm sola venatoris sagittâ fera prosternatur, vanus sit omnis alius labor; strepitusque, & clamor, quo perterreatur, & ad capiendam fugam impellatur: Quòd cùm sola esca piscis alliciatur, cætera quæ ad piscatoriam lineam pertinent, ipseque hamus in primis, quo capitur, incassum adhibeantur: de quibus omnibus vide superiùs dicta. Et ut aliud exemplum usurpemus: Quis dixerit, quòd cùm sola inspiratione luminosissimæ, & ardentissimæ charitatis, aut sola interna submINistratione spiritus, gratia homini conferri possit, supervacaneè instituta sint Sacramenta, & sensibilia signa, & adminicula, quæ sint Divinæ reconciliationis cum Deo instrumenta? Dicendum inquit D. Thomas 3. par. quæst. 60. art. 4. quòd *Sapientia Divina unicuique providet secundùm suum modum: & propter hoc dicitur Sap. 8. quod suaviter omnia disponit: unde & Matth. 25. dicitur, quòd dedit unicuique secundùm propriam virtutẽ. Est autè connaturale homini ut per sensibilia perveniat in cognitionem intelligibilium.* Et ut addit quæstione seq. art. 1. *Ideò convenienter Divina Sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus signis, quæ Sacramenta dicuntur.* Eadem Divinæ providentiæ lex hìc etiam locum habet; atque hæc omnia adminicula parat, quæ neque supervacanea esse, neque incassum usurpari, & provideri divinitùs existimanda sunt, cùm necesse sit hominem ad hujus naturam, conditionem, aut indolem consentaneis auxiliis ad Deum converti: neque illa dumtaxat ad pompam, & veluti apparatum pertinent, sed omninò necessaria sunt, & congruentissimè assumuntur; cùm necesse sit excitari moverique hominem moraliter, ex qua motione morali, ut mox diximus, libertas oritur. Unde.

Secundò: aliud est ea externa adminicula à Deo usurpari, aliud in iis vim omnem positam esse. Quòd usurpentur pertinet ad ordinem, & *dispositionem Divinæ Sapientiæ*, ut rectè à Divo Thoma observatum est; sed alterum præterea etiam admittendum est, quòd ad *efficaciam Divinæ voluntatis pertineat*. Utrumque jungendum est: sed in hoc ultimo, efficacia scilicet Divinæ voluntatis, & Divinæ motionis, posita est vis omnis, quæ hominem aliis adminiculis circummunitum aggreditur, ipsiusque animum pervadit, & convertit. Unde iterum &

Tertiò: D. Thomas hæc duo semper jungit, quorum alterum externum est, & circumcingit, alterum verò intùs afficit. Unde & Quodlibeto 1. art. 7. utrùm absque gratia possit homo se se ad gratiam præparare, expressè inquit: quòd homo quidem non eget novo, & superaddito habitu, sed *Indiget Divino auxilio, non solùm quantùm ad exteriora moventia, prout scilicet ex Divina providentia procurantur homini occasiones salutis: puta prædi-*

prædicationes, exempla, & interdum ægritudines, & flagella; ſed etiam quantùm ad interiorem motum, prout cor hominis Deus movet ad bonum, ſecundùm illud Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud. Hæc ibi: quibus ſi addantur beneficia, aut cæleſtes deliciæ, quibus Deus aut omnes homines in communi, aut interdum ſanctas animas allicit, & attrahit; his paucis Divi Thomæ verbis, quæcunque pro ea ſententia de auxiliorum cumulo colligi poſſunt, comprehenduntur. Omnia enim Divina auxilia ad hæc dumtaxat externa objecta, quibus homo moraliter moveri poſſit ea ſententia fere revocat; ſcilicet ad exempla, admonitiones, Divina beneficia, cæleſtes delicias, ac ipſa flagella, calamitates, & infortunia, quibus Deus ſolet animorum contumaciam perdomare, qui ſe ſe beneficiis allici, & demulceri non ſinunt. Vix enim interioris gratiæ, & effectricis unquam meminit, Ut & juxta conſtituta principia meminiſſe vix debuit: cùm ea ſententia de qua hic agimus, ita exiſtimet, quòd v. g. collata à Chriſto beneficia, & exempla exhibita, aut viſa externa Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Mortis, cæteraque omnia, *Ut objecta*, tangendis, & commovendis voluntatibus efficaciſſima auxilia ſint, At verò Divus Thomas exactiſſimum loquendi motum ſecutus, hæc dumtaxat *Occaſiones ſalutis* vocat, aut adminicula; minimè verò cauſas: ſed veram ſalutis, & præparationis ad gratiam, ut & converſionis cauſam effectricem, ſolam interiorem ac Divinam motionem eſſe exiſtimat, qua Deus pro libito cor inclinat, communi ſemper certoque principio: quòd *Sicut omnis motus inferiorum corporum, quæ non ſemper moventur, principium eſt motus Cœli: ita omnium motuum interiorum mentium eſt à Deo movente.* Ibid. Movente inquam, non ſolùm per *exempla, ægritudines, & flagella*; hæc enim *occaſiones* ſunt dumtaxat *ſalutis*: ſed movente interna, & effectrice motione, prout Deus cor hominis interiùs movet ad bonum.

Quartò: atque iterum idem habet D. Thomas, & utrumque auxilii genus conjungit quæſt. 24. de verit. art. 14. ubi de poteſtate liberi arbitrii ſine gratia ita inquit: *Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod habituale donum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad ſalutem, ſic nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia.* Hæc Divus Thomas: ubi hæc duo iterum conjungit; ſed his longè diverſum agendi modum adſcribit, de exterioribus inquit, ea ex Divina miſericordia ordinari ad hominis ſalutem, tanquam ſcilicet *Occaſiones ſalutis*: ſed alterum exigit præterea, quod per modum efficientis cauſæ *interiùs motum mentis operetur*.

Quintò: atque id etiam antea explicuerat, quo pacto ſcilicet Deus exteriora ad ſalutem ordinet, & cur neceſſe ſit externis objectis voluntatem moveri. Hujus enim rationem jam eodem loco addiderat. Cùm enim naturales cauſas ex ſua forma, ad unam dumtaxat operationem, eundemque ſemper in ſpecie motum determinatas, eſſe dixiſſet; addit poſtea: *Sed voluntas hominis non eſt determinata ad aliquam unam operationē, ſed ſe habet indifferēter ad multas; & ſic quodammodo eſt in potentia, niſi mota per aliquod activum, vel quod ei exteriùs repreſentatur, ſicut eſt bonum apprehenſum, vel quod in ea interiùs operatur ſicut eſt ipſe Deus, ut Auguſtinus dicit in lib. de gratia, & libero arbitrio, oſtendens Deum multipliciter operari in cordibus hominum. Omnes autem exteriores motus à Divina providentia moderantur, ſecundùm quòd ipſe judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum, his vel illis actionibus.* Hęc ibi: quibus clariſſimè rationem reddit Divus Thomas, cur neceſſe ſit voluntatem his objectis externis, & apprehenſis moveri, præter rationem alteram ex ordine Divinæ ſapientiæ, & Divinæ providentiæ, quæ cum hac tamen etiam connexa eſt: nimirum, quòd *Cùm voluntas non ſit determinata ad unam aliquam operationem, ſed ſe habeat indifferenter ad multas*, neceſſe ſit, ad unam, & unius potiùs ſpeciei quàm alterius, actionem determinari. Ea verò determinatio quoad ſpeciem, non aliunde, quàm ex objecto oriri poteſt, ut aliàs ſæpiùs explicuimus, & expreſsè docet Divus Thomas 1. 2. qu. 9. Undè neceſſe eſt voluntatem his objectis moveri, ex quibus actionis ſpecies deſumatur: & ut addit Divus Thomas, *Omnes exteriores motus à Divina providentia moderantur, ſecundùm quòd ipſe judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his vel illis actionibus.* Triſtibus enim homo ad pœnitentiam movetur: calamitatibus, & infortuniis, ut in Deo fiduciam omnem ſpemque collocet, admonetur; latis ac potiſſimùm immiſſis cæleſtibus delitiis ad devotionem, & internum jubilum, & amorem accenditur. Et ſecundùm quòd Deo lubet, *& judicat aliquem eſſe excitandum ad bonum his vel illis actionibus*, vel pœnitentiæ, vel fiduciæ, & charitatis; *exteriores motus à Divina providentia moderantur*: & ut addit ibidem ſequenti articulo 15. *vel exteriori admonitione, aut corporali ægritudine*, aut aliquo hujuſmodi excitatur: ipſique procurantur *variæ occaſiones ſalutis, puta prædicationes, exempla, & interdum ægritudines, & flagella*, quibus admoneatur, retrahatur, accendaturque moraliter, & ex parte objecti; dum interim Deus ex parte principii voluntatem movet, in eaque eos motus præveniente effectrice vocatione, & gratia excitat, & operatur: quæ Divina operatio ſi deeſſet nihil ea objecta efficerent. Aliud igitur eſt ea objecta requiri, aliud ea ſufficere. Non equidem inutilia ſunt, neque ad ſolam pompam uſurpantur, ſed ſuas partes habent, & plurimùm ad movendum conducunt. Sed ea motio dumtaxat moralis eſt, præter quam altera fortior, validiorque neceſſaria eſt, quaque intus in voluntate ubi nullus hominum videt, imo nec quidquam Angeli poſſunt, Deus motum ipſum voluntatis operetur.

Sextò: altera etiam hujus ratio eſt, cur neceſſe

sit ea objectorum adminicula à Deo adhiberi: non solùm quòd Divinæ Sapientiæ dispositio ita postulet, non solùm quòd varietas speciesque actionum ex varietate objectorum desumenda sit; sed etiam quòd nullus esset libertatis usus, si voluntas ex parte principii dumtaxat, & à Deo moveretur, nullo demonstrato objecto, ad quod ferri posset, ut alias ex Divo Thoma ostendimus. Expressè enim observat Divus Thomas 3. contra Gentes cap. 88. *Quod violentum ut dicitur in 3. Ethicorum est cujus principium est extra, nihil conferente vim passo. Si igitur voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio, erit violentus motus. Dico autem moveri ab extrinseco principio, quod moveat per modum agentis, & non per modum finis*. Etenim ut satis compertum est, si nullum voluntati objectum monstraretur, nullum etiam appetere posset. Quid enim vellet, si nullum objectum esset, quod velle posset? Si quis igitur actus à voluntate elici tunc posset, necesse foret quòd principium à quo moveretur, actum ab ipsa nihil conferente nec se se movente extorqueret. Dixi si quem actum elicere posset: nullum enim reipsa elicere posset. Cujus enim rei volitio esset? Sicut & cujus rei visio esset, si nullum omnino objectum potentiæ visivæ monstraretur? Igitur evidens est nullum fore libertatis usum, nisi dum à principio per modum efficientis causæ voluntas moveretur, monstraretur simul objectum, ad quod prosequendum se se ipsa ferret: id est, nisi per modum causæ finalis moveretur simul, cum ex parte principii, & activè moveretur. Vide quæ alias multis in locis de motione morali diximus.

Atque ex his clarissimè constat, nullius momenti esse, quod sæpius objicitur, nimirum quòd si præter ea objecta, quæ magno etiam numero voluntati exhibentur, ut alicujus aut timore affici, aut amore capi possit; etiam Divina motio requireretur, quæ in ea vel timoris vel amoris motum excitaret, & efficeret, ea dumtaxat objecta, vel exempla, vel calamitates, & infortunia, vel delitiæ, frustra adhiberentur, & ad pompam tantùm sterilemque apparatum usurpari viderentur. Liquet enim iis etiam suam vim inesse voluntatem movendi; sed eam vim esse moralem, & ex parte objecti; præter quam alia requiratur major ac validior, quæ ex parte principii voluntatem moveat, & ad actum applicet: de quo multa ex Divo Thoma diximus, ut saltem quòd ad ejus mentem attinet, nullo planè modo revocari in dubium possit; quin præter eam motionem moralem, alteram quæ per modum efficientis causæ voluntatem præveniat, & ex parte principii, & non solùm ex parte objecti moveat, requiri existimaverit. Unde ut diximus concessis his, quæcunque in hujus sententiæ cumuli auxiliorum moralium commendationem afferri unquam poterunt: Neganda est Consequentia, non requiri scilicet efficacem alteram sua ipsa vi, & *effectricem* ut vocat Divus Augustinus, *vocationem* prævenientem; seu gratiam ut Divus Thomas loquitur, & prævenientem, & moventem *per modum causæ efficientis*: atque hoc uno verbo, Negata scilicet Consequentia, veluti inducta spongia, quæcunque libris integris continentur, facilè deleri possunt.

Atque iisdem principiis dilui nullo negotio potest alterum, quòd objicitur: nimirum, dictum sæpius à D. Augustino *miris ac innumerabilibus modis* homines ad Deum pertrahi, quòd minimè cum prævia motionis sententia conciliari possit, cùm ea dumtaxat unius modi sit, eademque nullo delectu, nulloque facto discrimine, ad omnes cujuscunque generis actus efficiendos advocetur.

Respondemus enim, aliud sentiendum esse de motione morali, aliud de motione effectrice. Variam esse debere motionem moralem non minùs quàm objecta, unde ea motio oritur, dubium non est: sed quod ad motionem effectricem attinet, cùm ea sit ex parte principii, quid mali habet si ea *unius modi* esse dicatur? cùm ea principii natura, & conditio sit ut in se se unicum plura efficere possit. Sed præterea cur non eodem penicillo variæ diversæ venustatis imagines effingantur? & Divina motio, aut instar instrumenti, aut verius artis infinitæ virtus instrumentaria est. Sed iterum cur non possit ipsa Divina motio esse eadem, unica multiplex, ut & Divinæ Sapientiæ Spiritus, qui veluti *unius generis* aut modi, & tamen *multarum* veluti *partium* dictus? Ut Tomo primo differt. 1. quæst. 3. art. 10. explicuimus, Cur non possit eadem unica motio Divinæ Omnipotentiæ quædam participatio plura efficere, cùm etiam in rebus, quarum multò minor virtus est, eadem v. g. aqua ut varius terræ genius est, varios flores producat? *Et cum sit unius speciei vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola*? ut ex Divo Chrisost. explicuimus differt. 2. quæst. 3. art. 3. Notum enim & illud est *Terra salutiferas herbas, eademque nocentes nutrit, & urticæ proxima sæpe rosa est*. Ovid. lib. 1. de rem. & quis non aliquando eandem in igne virtutem expertus est? *Limus ut hic durescit, & hæc cera liquescit uno eodemque igne*. Eclog. 8. Sed demum quis reprehendet quod à D. Paulo dictum est, ad Cor. 12. *Divisiones gratiarũ sunt, idẽ autem spiritus*? Cur non igitur eadem motione diversa gratiarum dona animis imprimantur? Advertimus sæpius, atque ultimo Articulo expressiùs observabimus: Omnium opinionum, quæ in neganda Divina effectrice motione conveniunt, primam esse originem, quòd ea auxilia aut Divinam motionem ab ipsa Divina operatione, aut Deo, rebus, & voluntati inexistente sejungant. Si enim intelligeretur, ut res est, nosque Apostolus docet, Deum ipsum non immissa, sejunctaque motione, aut divisis à se auxiliis, sed Deum ipsum in ipsa voluntate, & velle operari efficere; nulla planè aut in asserenda præveniente effectrice motione, aut in actuum varietate efficienda, difficultas super, esset; sed de his infrà. Vide tamen sup. q. 2. art. 10.

ARTI-

ARTICULUS II.

Multis iterum eadem ſententia impugnatur. Verum difficultatis nodum non ſolvit: Infallibilis certitudinis auxiliorum nullam rationem reddit: minùs probabilis eſt, quàm ſententia Joſephi à Vita.

IMpugnari *Tertiò* poteſt ea de coacervatis auxiliis ſententia, quòd iterum minimè difficultatis punctum attingat, plurimumque veluti extra chorum, lineaſque conſtitutas excurrat, & neceſſe ſit, velit nolit in aliquam ex duplici parte, quam fugit, ſe recipiat. Enimverò in eo poſita eſt difficultas, utrùm quando voluntas pulſatur, & movetur, quocumque tandem nomine illa motio nuncupetur; utrùm inquam illa motio vi ſua voluntatem flectat, eamque determinet; in eo agendi genere, in quo ipſa agit; an verò voluntas ſe ſe ipſam, ſub ea tamen gratia determinet, ita ut ea determinatio ex vi ipſius gratiæ non oriatur, ſed potiùs voluntas gratiam ipſam determinet: neque enim, ut jam ſæpiùs expendimus, ullum medium eſſe poteſt. Aut præſente ipſa gratia in voluntate, & cùm jam intelligitur voluntas Divina gratia permota; aut voluntas à gratia primò determinatur, aut primò determinatur à ſe ipſa; inter hæc duo, determinari à ſe, & determinari ab alio, nullum poteſt intelligi medium: Atqui ſi voluntas determinatur vi ipſius gratiæ, jam prima ſententia eſt, quæ prævîis motionibus ſalutis negotium peragi exiſtimat: ad quam ſententiam ea etiam revocatur, quæ eandem efficaciam, aut jus in voluntatem delectationi victrici tribuit: Si verò è contra voluntas à ſe primò ſuam determinationem habeat; jam altera accerſitur ſententia, quæ negat hanc vim ineſſe Divinæ gratiæ, & voluntati primatum reipsà, quod ad determinationem in genere efficientis cauſæ ſpectat, tribuit; quẽ ut defendat, coacta eſt mediam ſcientiam adinvenire: Ergo reipsà nulla hìc media aliqua ſententia reperiri poteſt, ſed neceſſe eſt aut ſententiam D. Thomæ, & hujus Scholę de pręviis motionibus uſurpari, à qua alteram de victrici gratia alienam non eſſe aliàs demonſtravimus, aut uſurpari alteram quâ ex directione ſcientiæ mediæ efficaciam gratiæ metitur, & infallibilitatem repetit: nec deinde vera difficultas attingitur, quæ in eo poſita eſt, unde ſcilicet prima determinatio voluntatis oriatur.

Confirmatur *Primò*: quòd nihil hìc juvet cumulus gratiarum, eaque congruitas, opportunitas, aut importunitas auxiliorum, quibus tandem voluntas veluti fatigata ſuccumbat. Redit enim eadem difficultas, ac redibit perpetuò: neque, ut arbitror, ullum hinc effugium patere poteſt. Quæcumque illa gratia ſit, cui tandem propter importunitatem, aut opportunitatem cedat voluntas: aut voluntas cedit, quòd ea gratia vi ſua in eo ordine, in quo agit voluntas, voluntatem ſibi ſubjiciat, eamque primò determinet: aut voluntas ſe ſe primò determinat, ſeque ipſam flectit. Hic ſanè medium nullum reperiri poteſt, & neceſſe eſt hanc ſententiam ad alterutram ex duplici altera revocari, quæ jamdiu in Scholis obtinuit: & in quamcumque partem ſe ſe Authores vertant, quantumcumque ſe ſe ingenia torqueant, ad hoc unicum punctum redeant neceſſe eſt, in quo ſemper totius difficultatis cardo volvetur: cùm inter hæc duo contradictoria determinari primò à ſe; non determinari primò à ſe, ſed ab alio, nihil medium intelligi poſſit.

Confirmatur *Secundò*: quòd neque ea ſententia, quæ directione ſcientiæ mediæ negotium ſalutis peragi arbitratur, hanc gratiarum, & auxiliorum multitudinem, & congruitatem neget, ſed eam ultrò admittat. Neque enim eſt, cur eam neget, ſi nullum in ſingulari auxilium voluntatem vi ſua flectat: neque enim aliud efficit ſcientiæ mediæ directio, niſi ut certus Deo ſit hujus veluti pugnæ auxilii cum voluntate creata eventus: cùm ea ſcientia futurorum exploratrice Deus agnoſcat, quibus auxiliis voluntas conſenſura ſit; ut deinde ut libuerit auxilia adhibeat, & voluntas aut citiùs aut tardiùs, aut minùs aut magìs conſentiat: prævidet enim cui auxilio voluntas conſenſura ſit. Sed alioquin non negat eam auxiliorum varietatem, opportunitatem, congruitatem, & quidquid aliud addi poſſit: Cùm hoc unum neget, quo lædi ſemper libertatem arbitratur, ſcilicet prævenientem gratiam eſſe vi ſua effectricem conſenſus voluntatis: hoc unum cùm neget in cæteris admittendis liberaliſſima eſt: Ergo ea parte ne hilum quidem ea de congeſtis auxiliis ſententia à communi Recentiorum ſententia & modo explicandi recedit. Unde neceſſe eſt ea voret incommoda, quæ nos quidem graviſſima eſſe exiſtimamus, & ex eo principio, quòd præveniens gratia per modum efficientis cauſæ voluntatem non flectat, conſequi ſupra demonſtravimus; & reipsà conſequi ultrò admiſit Molina; utrumque ſcilicet Dei, & voluntatis concurſum in actum voluntatis à ſe ſe invicem dependere: voluntatis conſenſum ſub ea ratione, quâ à voluntate oritur, & emanat, non eſſe effectum prævenientis gratiæ, & prædeſtinationis: & alia ejuſmodi quæ nos quidem arbitramur difficilè poſſe cum D. Auguſtini principiis conciliari. Unde iterum comparatione alterius ſententiæ

Impugnatur *Quartò*: quòd ea ſententia, quæ in acervum gratias, & auxilia congregat, ut aliquod efficax reperiri poſſit, nullam certamque infallibilitatis ipſius auxilii, ac Divinæ ſcientiæ rationem, vel leviſſimam, & probabilem afferre poſſe videatur. Certiſſimum enim eſt

nec Fides in dubium revocari sinit, infallibilem esse Divinam scientiam, & in quocumque rerum occursu voluntas reponatur, quocumque auxilio singulari pulsetur, Deum certò scire, quid eventurum sit; an consensura an dissensura voluntas: neque probanda admittendaque ulla sententia est, quæ eam Divinæ scientiæ, ac præcognitionis certitudinem infallibilem stabilire, ac defendere, & explicare non possit: Atqui ea sententia quæ gratiarum cumulos advehit; negata prævia motione, & effectrice, & repudiata scientia media, Divinæ scientiæ & auxiliorum certitudinem infallibilem, nec explicare, nec defendere, ulla vel levissima ratione posse videtur. Etenim duplici dumtaxat ratione stabiliri ac defendi hęc infallibilitas Divinæ scientiæ, certaque præcognitio potest: nimirum quòd ea ex Divino decreto efficaci, ac immutabili, seu ex Divina prædefinitione oriatur, vel oriatur ex prævisione certi eventus, & futuri sub conditione voluntatis consensus, ex lege propositionum contradictoriarum, vel ex voluntatis supercomprehensione, aut plenitudine luminis infiniti; non enim certò constat apud suos Authores & Patronos, quo principio satis firmo, scientia media stabiliri possit.

Compertum enim est, ideò repertam esse scientiam mediam, quòd, cùm omninò certum sit, nec minùs ratio, quàm Fides suadeat, admittendam esse in Deo certissimam, omnibusque numeris infallibilem rerum omnium, ac omnium, quomodocumque intelligi possint, eventuum præcognitionem; neque eam præcognitionem in efficaci decreto, & immutabili prædefinitione, respectu actuum voluntatis, quidam Theologi fundari vellent; quòd ex prædefinitionibus inconsulta voluntate editis; ipsius libertatis jura lædenda fore censerent: ideò coacti sunt alteram viam inire, aliamque hujus infallibilis præcognitionis Divinæ rationem reperire: neque altera post longum studium, ratio reperta est, nisi ea unica in prævisione consensus futuri, & conditionati voluntatis repositа, quæ scientia media vocata est. Neque enim ea per se se scientia necessaria esse videtur: sed sicut in Astronomia ut observat D. Thomas 1. p. quæst. 32. art. 1. varii circuli, & concentrici, & excentrici, & epicycli admissi sunt, non quòd eos Cælis insertos certa ratione constaret, sed quòd phœnomena certo modo explicandi necessitas, eos admittere aut supponere cogeret: ita œconomiam hominum salutis certo modo explicandi necessitas, scilicet seclusis prædefinitionibus, admissaque solùm indifferente gratia, & ex voluntatis arbitrio suspensa, unica videtur fuisse causa, cur scientia media inventa, admissaque fuerit: cùm alioquin nullus usus, & ut arbitramur nullum illius vestigium, apud Patres reperire sit, qui Divinis solùm prædefinitionibus, & efficacia Divinæ voluntatis, salutis humanæ negotium peragi arbitrabantur: & qui certitudinis Divinæ & præscientiæ ipsius, Divinæ voluntatis bene placitum, & decretum, fundamentum substernebant. Sed ut ut sit, nulla hactenus alia ratio defendendi, & explicandi Divinæ præscientiæ, & prænotionis certitudinem infallibilem reperta est, præter hanc duplicem quam diximus: & necesse est eam certitudinem repeti, vel ex ipsis decretis, & prædefinitionibus, vel ex præscientia futuri conditionatè consensus voluntatis, & scientia media: Ergo negatis prædefinitionibus, & ablegata scientia media, nulla omninò ratio superesse videtur, quâ infallibilitas, & certitudo Divinæ scientiæ, quæ negotium salutis dirigat, explicari & defendi possit.

Atqui ea sententia quæ hujusmodi auxiliorum cumulum advehit; neque decreta prædeterminantia admittit, neque scientiæ mediæ usum advocat: Ergo nulla omninò ratione Divinæ scientiæ certitudinem infallibilem stabilire, ac defendere potest. Unde necesse est, ut ea sententia existimet, Deum perpetuò manere suspensum, ac incertum, quem eventum hæc pugna habitura sit, quandiu Divina gratia cum voluntate congreditur: sicut cùm arcem Dux aggreditur, eamque undique circumcingit, & admotis instrumentis machinisque bellicis undique eam quatit; incertus perpetuò est, qua parte dejectis mœnibus aditus fiet: ac necesse est attentè prospiciat, ut si obsessus hostis, irruptione facta, militem à muro depellat: alteram militum manum fortiorem advocet, qui majori impetu hostem adoriantur. Ita etiam necesse est, ea sententia Deum perpetuò incertum fore existimet, dum immissa ab ipso gratia cum voluntate dimicat: cùm unicum solum auxilium vincendi voluntatem vim non habeat, nisi stipatum aliis ipsam aggrediatur, quorum si unum inane cadat, aut vincendæ voluntati impar sit, alterum ipsi suppetias ferat, & majori vi superata voluntas cedat, aut saltem omnium importunitate fatigata tandem succumbat. In ea enim sententia, & nisi aliud addatur: unde certitudo oriri possit? Incertus erit hujus certaminis exitus; incertum quodnam auxilium voluntatem victurum sit; incertum cuinam voluntas subjicienda sit; incertum quandonam voluntas fatigata succumbet: erunt demùm omnia incerta.

Unde reipsà, nisi aliud addatur, inter omnes sententias, quæ in Scholis circumferuntur; & variè Divinæ gratiæ efficaciam explicant, nulla esse videtur, quæ minùs Divinæ scientiæ, sicut & Divinæ Omnipotentiæ jura defendat. Equidem in Divi Thomæ sententia, quam nos esse Divi Augustini arbitramur, nihil nisi Divinum est, nihil quod summam, & Numinis majestatem summè non deceat: cùm efficaciam Divinæ gratiæ ex summo Dei in ipsam voluntatem, non minùs quàm in res cæteras dominio, & Omnipotentia, ac Divinæ prænotionis certitudinem infallibilem ex ipso voluntatis Divinæ decreto, & efficaci proposito, ipsaque prædefinitione repetat. Altera verò sententia, etsi pro dignitate, & meritis, gratiæ efficaciam, & Divinæ scien-

tiæ

tiæ certitudinem explicari non poſſe arbitremur: aliquam tamen rationem habet, qua ſe ſe tueri exiſtimat, admiſsâ ſcientiâ mediâ, unde certitudo Divinæ prænotionis repetatur, & cujus directione gratia efficax fiat. At verò ea ſententia quæ in ſolo gratiarum cumulo efficaciam reponit; nulla aſſignata cauſa, unde alicui in ſingulari auxilio efficacia accedere poſſit; aut unde oriri certitudo poſſit, quænam gratia effectum habitura ſit: ea inquam ſententia niſi aliud addatur, cæteris omnibus multò inferior, multòque minùs probabilis eſſe videtur.

Dices eſſe infallibilitates etiam morales, quæ nihil minùs habeant certitudinis, quàm quæ à prædeterminatione proficiſcuntur: ut juſtum venialiter peccare, & eum qui telis undique impetitur, aliquando ſauciatum iri. Sed contra: longè enim ab ea de qua agimus quæſtione, hæc exempla abſunt, ac minùs etiam probabilem eam ſententiam efficiunt. Quis enim dixerit, Deo non majori diſtinctione, ac certitudine, compertum eſſe, quæ in ſingulari, gratia effectum habitura ſit, quàm nobis certum ſit juſtum aliquando venialiter peccaturum. Inde enim ſequeretur à Deo ſolùm in communi cognoſci convertendam v. g. fore aliquando voluntatem, exhibito vel amoris, vel timoris, objecto: non verò in ſingulari, in eo temporis articulo, ab eo objecto ſingulari commovendam certò fore: quod ſanè neſcio quis probare poſſet: nec probavit Divus Thomas à quo dictum eſt 1. par. quæſt. 14. quòd *Quidam erraverunt dicentes, quòd Deus alia à ſe non cognoſcit niſi in communi.* Unde ſicut dubitari nulla ratione poteſt, Deo in ſingulari compertiſſimum eſſe, in quod ſingulare peccatum juſtus caſurus ſit, quo telo transfigendus qui telis impetitur: ita extra dubium omne eſſe debet, ſummam illam & infinitam Divinæ ſcientiæ certitudinem exigere, ut etiam compertiſſimum illi ſit, quo objecto ſit commovenda voluntas, quo telo vulneranda. Ex quo etiam ſatis colligi poteſt, quàm inutile ſit, ad explicandum Divinæ gratiæ vim, hunc acervum auxiliorum comportare, cùm Deo compertiſſimum ſit, qua veluti ſagitta transfigenda ſit voluntas: atque ea ſola ſagitta electa, prætermiſſis aliis, poſſit cùm libuerit voluntatem transfigere, ejuſque duritiem omnem, aut contumaciam perdomare.

Quintò impugnari etiam poteſt, quòd ea ſententia, Joſephi à Vita ſententiæ multò inferior eſſe videatur, eâque minùs probabilis. Etenim quòd ad infallibilitatem Divinæ ſcientiæ attinet, eam ex certiſſimo principio Joſephus repetit, quo deinde cætera regi poſſint. Hoc enim certiſſimum ex D. Thoma principium ſtatuit, contra Gent. cap. 67. quòd, *Sicut ex cauſa neceſſaria ſequitur effectus certitudinaliter, ita etiam ex cauſa contingenti completa, ſi non ſit impedita.* Eo vero principio ſemel cõſtituto, facilè cætera deinde diſponi poſſunt. Si Deus velit timore aliquo ad pœnitentiam volontatẽ permoveri, vel amore pertrahi, opportunum objectum ingerit, ad judicium practicum intellectum movet, & quod ad amorem vel timorem voluntatem impellat, amovet objecta cætera, quæ avertere intellectum ab ea cogitatione, & judicio poſſent; atque rebus ita diſpoſitis, eaque duplici cauſa completa, ſcilicet intellectu, & voluntate, & ſubmotis omnibus impedimentis; infallibiliter voluntas aut timore ſalutis percelletur, aut pertrahetur amore, nullo comportato auxiliorum acervo. Quamvis tamen, ut diximus ſuprà, diminuta ſit Joſephi ſententia, & ſine Divina motione immediatè à Deo voluntati impreſſa, eam completam eſſe falsò ſupponat; cùm à D. Thoma dictum ſit *Complementum virtutis agentis ſecundi eſſe ex virtute agentis primi* 3. contra Gent. cap. 66. nec ſatis ſit voluntatem *Ex parte objecti* moveri, niſi moveatur *Ex parte principii*. Sed ut ut ſit, principium ſaltem ſtabilit, quo certò diſponi regique cætera poſſint. At verò in ea ſententia, quæ in ſola auxiliorum congerie, efficaciam ita reponit, ut nullum ſingulare, vim habeat obſtinatione, & reſiſtentia voluntatis ſuperiorem, omniaq; ſemper defectibilia ſint: quid eſt unde certitudo effectus repeti, aut unde dirigi Divina ſcientia poſſit, & Divina voluntas; ſi quando voluntatem creatam certò, & infallibiliter ex malo in bonum convertere voluerit? Experiatur plurima neceſſe eſt, ut agnoſcat quo fatiganda ſit voluntas, quo ſe vinci ſinat: quòd ſanè parùm Divinæ Scientiæ dignitatem decet, probatque eam ſententiam, & diverſam à Joſephi à Vita ſententia eſſe ipſique inferiorem.

ARTICULUS III.

Altera impugnatio ejuſdem ſententiæ: ex D. Auguſtino adjutorium quo efficax non eſſe repoſitum in ea multitudine auxiliorum: Efficaciam Divinæ motionis oriri ex Divina Omnipotentia: Comparatio cum Divina motione qua Chriſtus movebatur.

IMpugnari præterea ea ſententia poteſt ex eo celebri D. Auguſtini loco de Corrept. & Grat. cap. 12. ubi duplicis generis adjutoria diſtinguit, quorum alterum ſit *Adjutorium ſine quo aliquid non fit*, alterum verò *Adjutorium quo aliquid fit*: quod duplex adjutorium communi omnium Scholarum conſenſu Theologi *ſufficiens*, & *efficax* nuncuparunt. Igitur receptiſſima eſt apud Theologos omnes ſententia, certaque apud D. Auguſtinum, efficax auxilium quod huic ſtatui corruptæ ac infirmæ naturæ proprium eſt, eſſe efficax, & quo *Subventum infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter*

biliter ageretur : & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Atqui ejusmodi auxilium, quo insuperabiliter, & indeclinabiliter voluntas & movetur, & firmatur, non potest repositum esse in ea coacervatione auxiliorum, quorum quodlibet defectibile sit. Ergo. Verùm

Respondet adversa sententia eam fuisse D. Augustini mentem, ut *adjutorium quo* dumtaxat quantùm ad perseverantiam finalem, secus verò quantùm ad actus singulos locum haberet : ac præterà *adjutorium quo* non in uno singulari auxilio, sed in ea multitudine, & coacervatione beneficiorum positum esse, quæ simul junctis viribus efficiant, quod divisa non efficerent. Verùm prætermissa hac secunda solutione, de qua jam multa diximus : Impugnari multis prima responsio potest. Ac in primis, quod ad mentem D. Augustini attinet, nova dubio procul est ea interpretatio, & optandum foret, ut antiquior hujus Author referri posset. Hactenus enim semper existimatum est, ad quemlibet actum singularem virtutis hominem indigere efficaci auxilio : qua in re etiam hi qui in cæteris maximè dissentiunt Theologi, nemine discrepante, unanimi consensu omninò conveniunt. Ergo nedum ad perseverantiam finalem, sed ad singulos etiam actus admittendum esse, *adjutorium quo* D. Augustinus existimavit. Et ea sit prima ratio ; qua eam responsionem parùm probabilem esse demonstretur, ex unanimi omnium Theologorum consensu.

Secundò : Sed prætereà, si ad perseverantiam solùm finalem, non verò ad singulos actus *adjutorium quo* D. Augustinus necessarium esse censuit : Ergo econtrà necesse est, censuerit, in eo in quo versamus statu, ad singulos actus satis esse *adjutorium sine quo*. Neque enim aliter potest intelligi. Duplicis solùm generis adjutoria Divus Augustinus distinguit : *adjutorium quo*, & *adjutorium sine quo*, ut certum est : primum ad perseverantiam finalem dumtaxat adversa sententia restringit, scilicet, *Adjutorium quo* : Ergo necesse est, alterum ad singulos actus eliciendos satis esse concedat scilicet, *Adjutorium sine quo*. Atqui ea auxiliorum distributio,& adaptatio universam D. Augustini doctrinam de duplici statu naturæ innocentis & peccato infectæ omninò invertere, & confundere videtur. Etsi enim, quòd ad mentem D. Augustini attinet, varia sit Authorum interpretatio : convenit tamen inter omnes existimasse D. Augustinum, *Adjutorium sine quo* proprium fuisse innocentis naturæ, si nimirum ratio integritatis habeatur : neque satis illud esse cùm infirmitatis pondere natura peccato gravata ad peccatum pertrahitur. Et quamvis ea Scholæ nostræ sententia sit, Adamum innocentem ad singulos actus, quos dum in eo statu permansit, elicuit, effectrice motione permotum fuisse, neque fuisse satis auxilium sufficiens, sive *Adjutorium sine quo* : attamen quòd ad statum naturæ corruptæ spectat, satis esse sufficiens auxilium sive *Adjutorium sine quo*, neminem scio, à quo id concessum sit, & qui eo modo eoque sensu D. Augustinum unquàm interpretatus fuerit.

Tertiò : Atque id etiam probari potest ex aliis adversæ sententiæ principiis. Etenim Clarissimus Author lib. 7. cap. 4. num. 2. præclarè ex D. Augustino observat, *Plura à Deo præsciri, quàm prædestinari: Etsi enim omnia quæ prædestinat præsciantur: Prædestinatione quippe sua ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus. Præscit ... autem quæ ipse non facit, ut sunt quæcunque peccata.* Verùm præter ea, quæ Deus præscit, non prædestinavit, alia esse arbitratur præter ipsa peccata ; scilicet quæ ad statum Angelorum, & Adami spectant, quæ Deus dumtaxat inquit præscivit, non prædestinavit. Quamvis tamen quod ad eam controversiam spectat, longè aliam fuisse Augustini mentem arbitremur : & plenissimam doctrinam esse Divi Augustini existimemus, cùm à Deo præ. visa dumtaxat peccata scripsit : neque sanè memoriæ lapsus, aut doctrinæ diminutio fuit, cùm cætera omnia nulla distinctione facta à Deo prædestinata aut prædefinita esse affirmavit. Neque enim aliter sentire potuit : cùm altiori principio, in libris de Trinit. quos diutissimè inter manus habuit, ut majori otio, & meditatione omnia enucleret, statuerit ; quòd non ideò Deus res novit, quia futuræ sunt, sed ideò futuræ sunt, quia Deus eas novit. Sed ut ut sit, postquam ea quæ memoravimus Clarissimus Scriptor retulit ; addit postea : *Alia sunt enim quæ Deus insuperabili adjutorio perficit in tempore, eaque prædestinavit ante tempora, & prædestinando præscivit. Id genus est, ut alia fileam, perseverantia justorum: alia sunt, ad quæ Deus inclinat, non invictissimè prædeterminat voluntates creatas: Atque ita illas Deus non prædestinavit, etsi præscivit. Ejusmodi fuit perseverantia Angelorum ex eodem Augustino. Sunt & alia ejusdem generis, quæ longum esset pernumerare.* Hactenus ibi.

Ex quibus constitutam regulam libenter amplector : *Alia sunt, quæ Deus insuperabili adjutorio perficit in tempore, atque prædestinavit ante tempora, & prædestinando præscivit* : Atqui dubitari nulla ratione potest, nedum finalem prædestinationem, aut primam conversionem, aut actus deinde quosdam heroicos, sed etiam omnium virtutum actus, ac merita, quæ cum beatitudinis consecutione connectuntur, & remunerantur, esse effectus Divinæ prædestinationis, & Divino proposito comprehendi, quo præparantur beneficia quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur : nisi duplicis ordinis prædestinatio admitteretur, eximia, eorum qui magis Deo cordi essent, & quorum majorem curam gereret ; inferior altera, quorum sortem ipsorum arbitrio relinqueret : quæ sententia dudum exulavit è Scholis, & vix nata, extincta est : Ergo admittendum est etiam, merita omnia, ac virtutum actus nedum heroicos, sed & communes, fieri *insuperabili adjutorio*, quod est etiam consentiente adversa sententia *Adjutorium quo*.

Quar-

Quartò Confirmari id iterum poteſt, quod ut egregiè obſervat iterum laudatus Author lib. 8. cap. 11. num. 9. cum negarent Maſſilienſes initium ſalutis, fideique, ac perſeverantiam eſſe à Deo, ea ratione quòd alioqui fruſtra adhortationes adhiberentur, ſuperfluus eſſet omnis labor, & alia ejuſmodi plura, quæ D. Proſperi, ac D. Hilarii Epiſtolis referuntur; reponit D. Auguſtinus, non adhiberi fruſtra admonitiones ad virtutum opera, quamvis ea prædeſtinari, & donari à Deo ultro agnoſceret, adeoque immeritò admonitionum utilitatem denegari ad initium ſalutis, & fidei, etſi eſſe Dei dona agnoſcantur. *Cum confiterentur*, inquit citatus Author *Maſſilienſes cætera à Deo donari*, charitatem, pietatem, & omnem obedientiam, qua obeditur Deo, *fidem & perſeverantiam à libero arbitrio eſſe urget Auguſtinus, ut ipſi ſuos excitant ad eas virtutes*, caſtitatem, charitatem, pietatem, *quas fatentur à Deo dari, ideoque prædeſtinari; ita confiteri debere nec torporem creari aut deſidiam, nec correptiones, & hortationes inutiles reddi, ex doctrina prædeſtinationis, & æque excitari poſſe homines ad fidem, & ad perſeverantiam, tametſi hæc à Deo dari, & danda prædeſtinari credantur*. Hæc iterum ut rectè obſervata amplector. Atque inde idem argumentum ita conficio: ex eo conſtituto principio virtutes omnes, charitas fortitudo, patientia, ac cæteræ, quibus Chriſtiana vita inſtituitur, & exercetur, à Deo prædeſtinantur, & donantur, ut contendit Auguſtinus, & non ſolum initium fidei, ac perſeverantia finalis: quin etiam nihil repugnare contendit Auguſtinus quominus fides ac perſeverantia prædeſtinentur, & donentur, ea ratione, quia & cæteræ perfectæ virtutes prædeſtinantur: Atqui ex D. Auguſtini ſententia, & jam admiſſis principiis, quæ *ante tempora à Deo prædefiniuntur, & prædeſtinantur, ea Deus inſuperabili adjutorio perficit in tempore*: Ergo etiam neceſſe eſt virtutum omnium opera, & nedum fidem ac perſeverantiam finalem inſuperabili auxilio, id eſt, *Adjutorio quo* à Deo in homine fieri.

Et verò obſervari hic non immeritò poteſt quod ſanè mirum videri poſſit: quòd cum Maſſilienſes cætera virtutis perfectæ opera à Deo prædeſtinari, & donari, faterentur, adeoque & fieri inſuperabili auxilio; ſolam verò fidem ac perſeverantiam exciperent, iis rationibus quas ex D. Proſpero commemoravimus, ne lapſis cura reſurgendi adimeretur, aut adferretur ſanctis occaſio torporis &c. Contrà verò adverſa ſententia ad converſionem dumtaxat, & perſeverantiam inſuperabile auxilium pertinere exiſtimat, minimè verò ad perfectæ virtutis actus ſcilicet charitatis, patientiæ, ac fortitudinis, inſuperabile adjutorium extendit: quod apertiſſimè principiis D. Auguſtini repugnat, ipſiuſque argumentationis vim enervat, & inutilem omnino efficit.

Quintò confirmari iterum poteſt: inſuperabile *Adjutorium quo* non ad ſolam fidem, & perſeverantiam finalem pertinere, ſed ad cætera etiam virtutum opera extendi, ex certiſſimis D. Auguſtini principiis, & advocatis iis rationibus quas D. Auguſtinus uſurpat. Etenim ut agnoſcit ac docet præfatus Author, Prædedinatio poſt lapſum antevertit ipſorum merita: lib. 8. cap. 4. atque ita etiam morbi natura ac gravitas poſtulabat. *Quia enim ex ſuperbia ruimus, tota medicinæ noſtræ ratio excubavit ad conciliandam humilitatem, propulſandam ſuperbiam &c. unde totum ſibi vindicat nunc gratia, & converſionis noſtræ ad bonum, & permanſionis noſtræ in bono decus, pediſſequa etiam, & famulante, non ut antea prævia, & dominante voluntate*, Atqui niſi omnia merita quę nunc prædeſtinationis effectus ſunt, fierent inſuperabili *Adjutorio quo, non totum ſibi gratia vendicaret, voluntate ſolum pediſſequa, & famulāte*. Ergo. Minor probatur quia *antea*, in ſtatu ſcilicet innocentiæ, ut exiſtimat idem Auctor *prævia erat, non famulans voluntas*, cùm nondum conceſſum fuiſſet *Adjutorium quo*, meritique laus libero arbitrio relinquebatur, nec ſibi totum gratia vendicabat: Ergo cùm jam diverſa ſit hominum ſors diverſaque gratia, quæ ſibi nunc totum vendicat, ne quæ ſit hominis cauſa gloriandi: neceſſe eſt eam gratiam eſſe *Adjutorium quo* inſuperabile, & nedum ad initium fidei ac perſeverantiam finalem, ſed ad cætera etiam virtutum opera extendi: cum alioquin ſuperbo homini aliqua gloriandi occaſio ſupereſſet.

Dices inſuperabile adjutorium *quo* cum hominis libertate conjungi non poſſe. Ita enim objicit Clariſſimus Author lib. 10. cap. 76. ad ablegandum à ſingulis actibus adjutorium *quo*. *Si velis*, inquit, *illud adjutorium æque ad ſingulos, actus bonos atque ad perſeverantiam repeti: Ergo in actibus bonis exingues lucem omnem meriti, expunges laudem liberi arbitrii*. Verum Reſpondeo ex eodem Authore lib. 8. cap. 2. ubi inquit Angelorum merita, quæ ſolo *Adjutorio ſine quo* inſtructa voluntas ſibi comparabat, Angelica potuiſſe dici merita, quia eorum integram laudem gratia libero arbitrio relinquebat. At verò inquit *Altioris nunc ordinis ſunt, & Divina magis merita, quæ ab illa manant voluntate, quam Divina inſuperabiliter agit gratia*. Ergo in primis à vero alienum eſt, laudem omnem meriti fore extinguendam *adjutorio quo*: cùm in hoc ſtatu merita prædeſtinatis non deſint, ſed ea *Alioris nunc ordinis ſint, & Divina magis merita, quæ ab illa manant voluntate, quam Divina inſuperabiliter agit gratia*. Ac deinde hæc duo qua arte fœderari, & conciliari poſſint haud video: nunc in eo quo verſamur ſtatu *inſuperabilis gratia efficit* donatque merita: &, ſi ea inſuperabilis ad ſingulos actus gratia voluntatem agat: *extingues laudem omnem meriti*.

Sextò Confirmantur ſuperiora: quia ut animadverſum eſt ſuprà ex libro 7. cap. 4. hæc regula communis, & quidem ex Divi Auguſtini, & Divi Thomæ doctrina certiſſima, conſtituta eſt: quæ Deus ante tempora prædeſtinat *inſuperabili adjutorio perficit in tempore*: Atqui dubitari non poteſt,

potest, & fusè l. 8. laudatus Author probat, hominum merita esse à Deo prædestinata c. 2. *suis meritis*, inquit, *Angeli, etsi non sine gratia ad gloriam provecti sunt*. Ita enim sentit ex præviſis meritis Angelos ad gloriam prædestinatos: ac deinde solo adjutorio sine quo ad eam fuisse provectos. At inquit num. 4. in fine *In hominum post lapsum prædestinatione, & præscientia, non prædestinat non præscit, nisi quæ ipse facturus est* (omnia scilicet eorum merita:) *Unde decreta ibi absolutissima sunt, & adminicula gratiæ insuperabilia*. Et cap. 6. in ipso titulo num. 1. Inquit quòd *Vocationem secundùm propositum invictissimis gratiæ auxiliis implet, perficitque Deus*: Quibus simillima plena manu colligi possent, cùm totus incumbat, ut probet prædestinationem hominum antevertere eorum merita, eaque in tempore insuperabili adjutorio à Deo donari: quia non alia Deus prædestinat, sicut nec promittit, nisi quæ est ipse facturus, ut toties à Divo Augustino dictum est: quo telo se Divinæ gratiæ aut hostes publicos, aut inimicos subdolos se prosternere arbitrabatur. Ergo ne in longum eamus, negari non potest quin ad singulos actus insperabile adjutorium quo protendatur: nec dici potest eo adjutorio extinguendum fore decus omne meriti, & expungendam laudem liberi arbitrii: quandoquidem etiam omnium Sanctorum merita ante tempora prædestinata sunt, eaque in tempore adminicula gratiæ insuperabilia donant, & efficiunt: Ergo iterum non ad solam conversionem ac perseverantiam finalem insuperabile *Adjutorium quo* referendum ac restringendum est, sed ad totius Christianæ, vitæ decursum ac virtutum omnium opera, quibus merita comparantur, extendendum.

Dices ista nos expresse D. Augustinum docuisse, *Adjutorium quo* seu infirmitati naturæ accommodatam, & consentaneam gratiam, ac nostro statui eximiam, ad solam conversionem, & perseverantiam finalem pertinere. Etenim cap. 7. lib. de dono perseverantiæ inquit, quòd *Dominica oratio, ut non discedamus à Deo ostendit non dandum esse nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo*. Ita objicit Clarissimus Author lib. 10. cap. 68. num. 12. quibus addi possunt quæ ibidem subjicit D. Augustinus: *Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere ut homo accedat ad Deum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo*. Ergo ex D. Augustini sententia prima conversio qua *homo accedit ad Deum*, & perseverantia finalis, qua *homo non recedit ab eo*, Divinæ gratiæ quæ huic statui prospicit subjiciuntur, cætera verò hominis opera ab hujus gratiæ potestate eximuntur. Verum longè aliud sensisse D. Augustinum facile demonstrari potest. Etenim capite 2. argumentum pertractandum ita D. Augustinus proponit: *Videamus utrum hæc perseverantia . . . . . donum sit Dei*. Esse verò Dei donum ea ratione probat, quod nihil à Deo postuletur, quod non etiam donetur à Deo. *Cur autem*, inquit, *perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ita irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate: sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit?* An verò pergit *ab illo perseverantia ista non poscitur? Jam hoc qui dicit non meis disputationibus refellendus, sed Sanctorum orationibus revocandus est. An verò quisquam eorum est qui non sibi poscat à Deo, ut perseveret in eo, cùm ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur; quando oratur à Sanctis nihil penè aliud quàm perseverantia poſci intelligatur. Legite aliquàto intentiùs ejus expositionem in Beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit*. Hæc ibi D. Augustinus: ac deinde totius orationis Dominicæ partes decurrit, adhibitaque D. Cypriani expositione, probat non aliud penè quàm in bono perseverantiam à Deo postulari. Atque explicatis aliis partibus, sistit cap. 5. in ultimæ partis explicatione, quæ pro suscepto argumẽto opportunior visa. *Jam verò*, inquit, *cùm dicunt Sancti, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo quid aliud quam ut in sanctitate perseverent precantur*. Istud verò argumentum fusè prosequitur Augustinus, ac in omnem partem versat: Illud à Deo donatur, quod à Deo poscitur: poscitur verò perseverantia. Iterum potens est Deus dare quod à se postulari imperat: imperat verò perseverantiam postulari. *Dicat mihi quisquis audet, utrum Deus dare non possit, quod à se postulari imperavit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei Sancti ejus dicant orantes ne inferas nos in tentationem . . . . . Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere*. Deinde verò in fine capitis alteram, ex eodem Sanctissimo martyre, rationem ex infirmitate, & imbecillitate naturæ desumptam, urget; qua penè oppressis, necesse sit totum nobis à Deo donari, ut nihil nobis relictum sit, de quo liceat gloriari. *Quando autem rogamus ne intentationem veniamus: admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ . . . . . ut dum præcedit humilis, & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suspicitur, cum timore Dei precatur, ipsius pietate præstetur*. Hãc deinde rationem Divus Augustinus seq. capite 7. prosequitur, & ita habet, unde quæ objiciuntur, desumpta sunt. *Si ergo* inquit *alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit; in quo tanquam in nostro gloriemur. Siquidem & ut non discedamus à Deo non ostendit dandum, nisi à Deo, cùm poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo*. Hactenus D. Augustinus ubi quæ prætermissa fuerant reposuimus: quòd scilicet hæc Dominica oratio *Nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tãquam in nostro gloriemur: siquidem & ut non discedamus &c.* alia quæ objecta sunt. Atque ex his.

In

In primis conficitur: nihil ea Divi Auguſtini verba juvare, ut exiſtimetur ſolam converſionem, quâ homo accedit ad Deum, & perſeverantiam finalem, quâ homo non recedit à Deo, poteſtati, ac inſuperabili vi *Adjutorii quo* eſſe tribuendam. Quinimò ſi omnium quæ D. Auguſtinus retulerat, & argumentorum quibus uſus fuerat, ratio aliqua habeatur, ut dubio procul habenda eſt maxima; planè convincitur nullum omninò opus, nullum virtutis exercitium, quo vel minimum meritum comparetur, eſſe; quod ab hujus *Adjutorii quo* poteſtate ſubducendum ſit: atq; adeò non ſolùm ad primam vitæ partem, & initium, ſcilicet converſionem; non ſolùm ad ultimam, ſcilicet perſeverantiam finalem, ſed etiam ad totius vitæ Chriſtianæ decurſum hujus adjutorii vim, & poteſtatem extendi. Etenim ut ſuperiora D. Auguſtini argumenta reſumamus: *Irriſoria petitio eſt cùm id à Deo petitur, quod ſcitur ipſum non dare*: & ad Deum fuſa oratio ipſius eſt Divinæ gratiæ teſtificatio: Atqui nec ſola converſio, nec ſola perſeverantia finalis, ſed etiam & cæteræ virtutes, & continentia, & fortitudo, & charitas à Deo poſtulantur: Ergo non minùs cæteræ virtutes, quàm perſeverantia inſuperabili gratia, & *adjutorio quo* nobis donantur: *Secundò*: *Dicat mihi quiſquis audet utrùm Deus dare non poſſit quod à ſe poſci imperavit*: Atqui etiam cæteras virtutes poſtulari imperavit: Ergo etiam eas donare, & quidem non extincta luce arbitrii, & poteſtate *adjutorii quo* potuit. *Tertiò*: *Potens eſt Deus à malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas convertere*: & quidem ſemper eadem poteſtate hujus adjutorii, neque extincta luce meriti, qualis in converſione effulget: Ergo & potens eſt ad cæterarum virtutum exercitia voluntatem flectere, eadem poteſtate adjutorii, neque ea meriti luce extincta. *Quartò*: Ea ratione ex Divi Auguſtini ſententia poteſtati arbitrii non eſt relicta perſeverantia, nè quæ eſſet homini cauſa gloriandi, ſi ſua poteſtate, neque hujus adjutorii quo vi inſuperabili homo tentatione vexatus à Deo non diſcederet: Atqui ex eodem D. Auguſtino *nihil nobis* Divina gratia *reliquit in quo tanquam in noſtro gloriemur*, ſed omnia ſibi vendicat: Ergo neque primam converſionem ſolùm, neque perſeverantiam finalem, ſed neque etiam ullius virtutis exercitium Divina gratia viribus liberi arbitrii reliquit, ſed omnia vi ſua inſuperabili efficit: alioquin homini unde gloriari poſſet aliqua fuiſſet relicta occaſio, neque omni ex parte *Medicinæ ratio excubaret ad conciliandam humilitatem, & propulſandam ſuperbiam*.

Quare quod à D. Auguſtino dictum eſt: *Poſt caſum hominis non niſi ad gratiam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad Deum; neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere ut homo non recedat ab eo*: nullam difficultatem habet. His enim duobus Chriſtianæ vitæ partibus, ipſe totius vitæ decurſus comprehenditur. Ac prætereà quod à D. Auguſtino dictum eſt ſingularis eſſe gratiæ *ut homo non recedat à Deo*: non rectè ad ſolam perſevarantiam finalem, & ultimam vitæ periodum ut cum ſtatu gloriæ conjungit, coarctatur. Latiùs ipſa perſeverantia extenditur. Eſt enim, inquit D. Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. ult. *Perſeverantia, continuatio vitæ quædam boni uſque ad finem vitæ*. Unde ad ipſam perſeverantiam pertinet non peccare. Ut enim inquit idem Divus Thomas 2. 2. qu. 1ſt8. art. 1. *Laus perſeverantiæ in hoc conſiſtit, quòd aliquis non recedit à bono propter diuturnam tolerantiam difficilium*. Et quis dubitet plures in virtutum exercitio aliquâdiu perſeverare, quibus tamen perſeverantia finalis conceſſa non eſt, de quibus D. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. c. 19. de Dono Perſeverant. cap. 8. Igitur cùm in ea continuatione homo variis caſibus ac tentationibus expoſitus ſit, quoties occurrunt ea varia diſcrimina, variiſque tentationibus vexatur; neceſſe eſt Divina gratia voluntatem firmet, nè vincatur. Unde diuturna illa in bono continuatio longam exigit auxiliorum ſeriem, quibus roborata voluntas, dum tentationibus premitur, iis reſiſtat, nè à Deo diſcedat. Et verò an non etiam recedit à Deo voluntas cùm peccat, etſi interdum peccatum non ſit ad mortem, ſed victa voluntas reſurgat, & ad Deum redeat? Ergo aliud eſt perſeverantia finalis, & aliud à Deo non recedere. Atque adeò nihil eſt quod ſuadere vel leviſſimè poſſit *Adjutorium quo* tantoperè ab Auguſtino commendatum ad ſolam perſeverantiam finalem, & non ad ſingulos actus pertinere. Et cùm duplicis ſolùm Chriſtianæ vitæ termini Auguſtinus meminit, *accedere ad Deum, & à Deo non recedere*, totius vitæ curriculum dubio procul intellexit: ut cùm à Davide dictum eſt: *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum*; totius etiam vitæ decurſum ſpirituali ſenſu, intelligi voluit, in quam, & nativitate ingredimur, unde morte excedimus: quam utramque veluti januam ſingulari protectione, & providentia confortari, ut electi ſalutem conſequantur, neceſſe eſt. Ita olim Veteres his duobus extremis *à carceribus ad metas* totum interjectum ſtadium decurrendum intelligebant. At verò cùm in totius vitæ decurſu non poſſint non occurrere homini graviſſima pericula, dum hoſtibus undique impetitur, perpetuò inter ſcorpiones habitat, & ut inquit D. Bernardus, veluti tenerrimus flos undique ſpinis cingitur, neceſſe eſt ut inſuperabili adjutorio firmetur, & roboretur, nè vel lædatur aliquando, vel omninò vincatur, & occumbat.

Impugnari prætereà ea Sententia poteſt his omnibus quæ multis in locis ſparſimus. *Primò*: Etenim cùm non aliam efficaciam gratiæ, quàm moralem ea Sententia admittat, graviſſimis ut arbitramur momentis, tum primo Tomo, tum iſto etiam quæſt. 2. art. 15. evicimus, præter eam moralem efficaciam, quam nemo negat, admittendam eſſe alteram *per modum cauſæ efficientis*, & vocationem verè effectricem: Atque ea eſt adeò à Divo Thoma expreſſa ſententia

ut nulla unquam ratione in dubium revocari posse videatur.

Secundò: Et parum pro dignitate Divinam gratiam defendi censemus, quòd non alio motionis genere voluntas à Deo moveri existimetur, quàm ab Angelo, homine, aut etiam dæmone moveatur. Et ut de D. Thoma taceam, certissimè affirmare non dubito, nullum omninò fuisse ex Patribus qui Divi Bernardi sententiæ non subscripsisset, cùm inquit: *Diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas: Deo nos subjicit gratia, non nostra voluntas.* Lib. de Gratia, & Libero Arbitrio. Et cui probari posset, si diceretur quòd sicut Deo nos subjicit gratia, non nostra voluntas: ita Diabolo nos subjicit, non nostra voluntas, sed ipsius potestas? Et tamen si non alio genere motionis quàm morali, gratia voluntatem subjiceret; si cum tentatione Dæmonis vis Divinæ gratiæ conferri posset; etiam potestate Diaboli, sicut & potestate Divinæ gratiæ voluntatem subjici dici opporteret. Vide loco citato, ubi plurima ex D. Thoma retulimus, quæ satis probant præter cumulum auxiliorum quæ moraliter solùm agunt aliam præterea motionem fuisse à D. Thoma admissam.

Tertiò: Sed alterum præterea efficacissimum argumentum huc advocari potest ex Divina Omnipotentia desumptum, quod supra etiam prosecuti sumus. Ea est D. Augustini certissima sententia ex Divina Omnipotentia, cui nullum resistit arbitrium, voluntates ad bonum flecti. *Quis enim tam impiè desipiat*, inquit August. c. 97. Enchir. *ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere. Neque* enim, ut jam antea dixerat, *vocatur ob aliud Omnipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate, cujuspiā creaturæ voluntas Omnipotentis impeditur*: Atqui ea efficacia, quæ ex eo auxiliorum solùm moralium cumulo repetitur, non potest ex Divina Omnipotentia derivari. Et verò quæ potentia ea est, quam necesse est, explorare indolem, & dispositionem voluntatis; quam necesse est undique voluntatem adoriri, ut aliqua ex parte captu facilior sit; & quam necesse est multis ac toties repetitis ictibus voluntatem pulsare, ut tandem fatigata, non tam auxiliorum vi, quàm importunitate, ipsa se vinci sinat? Nihil sanè in ea sententia est, quod Divinam Omnipotentiam resipiat, & supremum illud quod Deus in voluntates habet, non minùs quàm in res cæteras dominium. Commendet equidem ea sententia Divinam sapientiam, quæ ipsas etiam, ut à Sapiente dictum est, astutias adhibeat. Et sanè Divinæ gratiæ efficaciam, quam ex Divina Omnipotentia Divus Augustinus derivat; ex coacervatione, congruentia, opportunitate, vel importunitate auxiliorum, repetere velle; perindè est, ac si quis militis fortitudinem commendaturus, qui saxum ingens in hostem intorquere posset quod vix lecti bis sex cervice subirent, qualia nunc hominum corpora producit tellus; aut qui tanta vi telum vibrare posset, ut murali concita nunquam tormento sic saxa fremant, nec fulmine tanti dissultent crepitus: laudaret tantùm artem, vel dolum Retiarii Militis, qui reti hostem implicaret, & vinceret. Quid enim in ea coacervatione auxiliorum est, quòd Divinam potentiam referat: Divina ad humana transferimus, & Divinæ gratiæ vim ex nostra imbecillitate æstimamus. Mirum non unico telo etiam à Deo, totâ quâ valet Omnipotentiâ, transfigi, & vulnerari cor posse, nec minùs ad subjiciendam voluntatem à Deo auxilia parari, & adhiberi debere, quàm ad capiendam arcem obsessam homines machinas omnis generis, armaque adhibeant. Et adhiberi quidem ex Divina providentia nos etiam satis explicuimus, ut homo moraliter etiam, & humano modo moveatur: sed aliud occultum esse, in quo vis posita sit, contendimus.

Quartò: Sed quid si Deus vellet sine his adminiculis, & primo veluti ictu voluntatem ferire, in suæ infinitæ potentiæ ostentationem? Subitò conversum fuisse D. Paulum, inquit D. Thomas, quem retulimus aliàs: unde & celebres illæ Censuræ Lovanienses, & Duacenses referunt, plures ultrò olim admisisse, efficacissima gratia, & qualem D. Augustini, & D. Thomæ Discipuli existimarunt, illum fuisse conversum. Sed si ad Divinā Omnipotentiam hæc referantur; cur Deus non possit si velit? Omnia enim quęcumque voluit fecit. Ita enim institutam fuisse libertatem ex Divo Thoma observatum est; ut posset hunc Divinæ Omnipotentiæ contactum sustinere: Ergo nihil in ea sententia est quòd, vel Divinam Omnipotentiam referat, vel D. Augustini, & D. Thomæ principiis omninò adversum non sit.

Quintò: Sed altero demùm argumento impugnari validè ea sententia potest, & si D. Thomæ principiorum ratio habeatur non existimo posse defendi. Expressè dictum est à D. Thoma, quòd *Forma, & exemplar operationis Divinæ in nobis est operatio Divina in Christo.* Ad Eph. 1. lect. 7. init. Atque id colligit D. Thomas ex ipsis Apostoli verbis; ut enim Ephesios sibi Apostolus magis devinciat, inquit, se continuò pro iis orare, ut habeant cordis illuminatos oculos, & sciant quàm *supereminens sit magnitudo virtutis ejus* (scilicet Dei) *in nos qui credimus, secūdùm operationem potentię virtutis ejus, quam operatus est in Christo*: ubi D. Paulus ipsam magnitudinem Divinæ operationis in his qui credunt, ex ipsa operatione potentiæ virtutis Dei, quam operatus est in Christo, metitur. Unde verissimè à D. August. dictum est lib. de Prædest. SS. c. 15. *Est præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ ipse Salvator. Appareat itaque nobis*, subjicit posteà, *in nostro capite ipse fons gratiæ, unde secundùm uniuscujusque mensuram, se per cuncta ejus membra diffundit. Ea fit gratia ab initio Fidei suæ homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso spiritu, & hic renatus, de quo est ille natus: eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est,*

ut

ut nullum haberet ille peccatum. Hactenus ibi: quibus liquet eandem esse, & Divinæ gratiæ, & Sancti Spiritus in nobis operationem, quæ fuit in Christo; cùm dubium non sit, etiam & Divino Spiritu Christum, Divinaque motione ad virtutum omnium opera fuisse impulsum. Atque id apertiùs explicat D. Thomas 3. part. quæst. 18. art. 1. ubi cùm sibi primo loco objecisset, non esse duplicem in Christo voluntatem; quia voluntas est primum movens, & primum imperans: at verò non aliud fuit in Christo primum movens præter Divinam voluntatem: non alia igitur fuit in Christo voluntas præter Divinam: Respondet: *Quòd quidquid fuit in natura humana Christi, movebatur nutu voluntatis Divinæ: non tamen sequitur quòd in Christo non fuerit motus proprius naturæ humanæ: quia etiam aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur secundùm voluntatem Dei, qui operatur in eis velle, & perficere*: *Philip. 2. Licèt enim voluntas non possit interiùs moveri ab aliqua creatura, interiùs tamen movetur à Deo.* Hæc ibi.

Igitur dubitari non potest si D. Thomas audiatur, quin ejusdem generis, & ejusdem modi, ac efficaciæ, sit Divina motio, & gratia in nobis, cùm ad virtutis, & pietatis opera impellimur, cujusmodi & efficaciæ fuit in Christo, non solùm in impletione paterni præcepti de morte subeunda, sed etiam in cæteris omnium virtutum actibus, quorum in se exempla exhibebat: Atqui nulla ratione defendi potest, efficaciam Divinæ gratiæ, qua humana Christi voluntas movebatur, in ea auxiliorum coacervatione repositam fuisse, quorum si aliqua inutilia caderent, validiora immitterentur. Id enim de humana voluntate Christi etiam cogitare indignum foret: cùm ut observat D. Tho. ibidem eodemque articulo ad 4. *Voluntas humana Christi quemdam determinatum modum habuerit, ex eo quòd fuit in hypostasi Divina, ut scilicet moveretur secundùm nutum Divinæ voluntatis*: Ergo etiam, & ea communis efficacis gratiæ vis, qua *piæ Sanctorum voluntates*, ac cæterorum hominum *moventur*, & impelluntur, in ea coarcervatione reposita non est.

Sed si variis insultibus ac multiplicis generis Divina auxilia voluntatem adoriantur, hujus causa est: quia, ut inquit D. Tho. 1. 2. quæst. 114. art. ultimo, utrùm justificatio impii sit miraculosa: *Communis, & consuetus cursus est justificationis, ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum, primò quidem conversione imperfecta, & postmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut Augustinus dicit.* Et tum necesse est varia esse, & inæqualis etiam virtutis auxilia; quorum aliqua inutilia cadunt, alia effectum aliquem imprimunt, alia verò opus conversionis perficiunt. Sed tamen subdit D. Thomas *Quandoque Deus tam vehementer animam movet, ut statim quandam justitiæ perfectionem assequatur, sicut fuit in Conversione Pauli, adhibita etiam exteriùs miraculosa prostratione.* Longè ab ea cogitatione D. Thomas abfuit, ut occurrenti viso, externoque apparatui, ut causæ principali, tribuendam esse D. Pauli conversionem existimaret: præcipua solaque operatrix causa fuit Divina, interior, & occulta motio, qua Deus *tam vehementer animam Pauli movit, ut statim justitiæ perfectionem assequeretur.* Quamvis tamen adhibita fuerit exteriùs prostratio non ut conversio fieret, sed ut esset miraculosa. Ad miraculum enim editum pertinet, quæ exteriùs exhibita sunt, majestas Christi fulgurantis, vox qua perterritus est &c. sed vis omnis convertens animas, in ea occulta motione posita est qua Deus vehementer animam Pauli, & commovit, & convertit.

Et quis dubitet plures interdum à Deo converti, cùm etiam ea varia adminicula desunt: immò cùm omnia adversari, & ad dejiciendum animum concurrere, & simul jungi videntur. Hoc nobis ut cum D. August. loquar de Corrept. & Grat. cap. 12. *Sanctorum Martyria docuerunt*: à quibus *cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis* victus est mundus: qui *cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarunt.* Et tunc ut cum eodem Augustino loquar lib. 3. de Trinit. capite 5. *Collocuta est quodammodo cum humanitate dubitante Divinitas*, ut non in ea varia adminicula, sed in Divinam operationem, & Divinæ Omnipotentiæ vim, eam firmitatem animi, quam cætera omnia labefactare poterant, referamus. Et ut ipsum D. Thomæ exemplum usurpemus in ipsis naturę operibus: licèt contra sterilitatem vitis agricola, ut interdum repugnantem naturam vincat, plurima adminicula admoveat; attamen non in hæc adminicula, sed in ipsam Divinam operationem, ut primam, & effectricem causam vitis ubertas referenda est. *Non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: 1. ad Corinth. 13. Qui rigant enim, inquit ibidem D. Thomas, *exteriùs operantur, sed Deus operatur interiùs per operationem naturæ.* Atque ut id Deus demonstraret, ideò quædam singularia insolitaque miracula edere voluit, quibus omnia in Divinam operationem effectricem referre doceremur. Egregia est ea Divi Augustini observatio loco de Trinit. superiùs laudato: quam ita explicat. *Quis attrahit*, inquit, *humorem per radicem vitis ad botrum, & vinum facit, nisi Deus, qui & homine plantante, & rigante incrementum dat? Sed cùm ad nutum Domini aqua in vinum insuetata celeritate conversa est; etiã stultis fatentibus, vis Divina declarata est. Quis arbusta fronde, ac flore, vestit solemniter nisi Deus? Verùm cùm floruit virga sacerdotalis Aaron collocuta est quodammodo cum dubitante humanitate Divinitas.* Hæc Aug. quæ deinde prosequitur, ut probet quod explicandum assumpserat: *Vi Divina totam spiritalẽ corporalemque administrari creaturam.* Idem docuit lib. de Cor. & Grat. cap. 6. quòd cum *strepitu correptionis forinsecus insonante, Deus occulta inspiratione operatur.*

Igitur etsi adminicula Deus exhibeat, attamen non in his animum aut mutandi, aut fir-

firmaudi vis posita est, sed in Divina operatione, quæ intra ipsam voluntatem agit: quæ Divina operatio si deesset, adminicula cætera frustra circumstreperent: atque inter ea validissimum omnium ut loquebantur Veteres *Adjutorium ficulnum*, id est, planè inutile dicendum foret: & ne in agnoscenda vera conversionis, & mutationis animi causa erraremus, interdum ut diximus, insolitæ à Deo conversiones factæ sunt, de quibus singulariter dicendum sit, *Hoc mutatio dexteræ excelsi*; cùm repugnantibus omnibus, & ad præcipitium, declivem jam sua corruptione naturam, pertrahentibus, nullis adhibitis externis adminiculis, sola interna Divina motio animum convertit, aut firmavit. Et si de Divina potentia agatur, ita fieri posse dubitari non potest. Siquidem ut inquit D. Tho. 1. 2. quæst. 113. art. 7. *Cùm virtus Divina sit infinita potest quamcunque materiam creatam subitò disponere ad formam, & multò magis liberum arbitrium hominis, cujus motus potest esse instantaneus secundùm naturam.* Quæ D. Thomæ verba, etiam si momenta cætera deessent, quæ hactenus collegimus, rem omninò conficiunt, ac planè demonstrant, non in ea congerie, & opportunitate, aut importunitate auxiliorum quæ tum foris, tum intus voluntatem adoriuntur, & pulsant, positam esse Divinæ gratiæ efficaciam; sed in sola Divina motione quæ latens tacitaque voluntati illabitur: cum sepositа ea auxiliorum multitudine *Divina virtus cum sit infinita* subitò, & tam vehementer ut de D. Paulo dixit, voluntatem movere possit, ut eam è malo in bonum convertat.

ARTICULUS ULTIMUS.

Totius Dissertationis Conclusio omniũ opinionum extra Scholam D. Thomæ idem principium, quòd Divinam motionem ab operatione Dei rebus inexistentis sejungant: Non esse semper temperamenta quærenda.

DUplicem pro totius Dissertationis coronide observationem adjungimus: quarum prima impugnari præterea potest, tum ea sententia, quæ auxilia, ut vim aliquam habeant, coacervat; tum altera quę plurium cansarum concursum advocat, tùm cæteræ omnes, quæcunque esse possint, & quæ singularem eam vim agendi, ut vocat D. Augustinus, insuperabilem denegant: quòd earum omnium opinionum eadem origo esse videatur; scilicet parùm exacta Divinæ motionis, & gratiæ notio, quæ ab ipsa Dei inexistentis operatione sejungitur. Existimare enim videntur earum opinionum Authores, Divinam gratiam ac motionem esse instar alicujus motus emortui, aut dumtaxat habitus impressi, qui quamvis voluntatem unam in partem inclinet, expectet tamen voluntatis determinationem, ut agat. Et de Molina quidem, ex his quæ alibi ex ipso retulimus, res satis aperta est: cùm nec semel dixerit, quod *Præveniens gratia ad unum determinata est, & ex necessitate naturæ movet, ac solicitat: ipsum autem arbitrium est, quod sua innata libertate per eum influxum sibi proprium liberè agit*: De quo dictum est supra. Eandem fuisse Josephi cogitationem dubitari non potest, cùm indifferentem motum admiserit, instar cujusdam flatus, qui pro varia conditione tuborum varios sonos edit; qua certè cogitatione, nulla humilior, & ab ipsius gratiæ dignitate, ac nobilitate remotior esse potuit. Nec demum ab eodem explicandi modo longè abesse potest ea opinio, quæ acervos auxiliorum advocat, ex quibus Deus unum post alterum, aut majori copia, ut ipsi libuerit, immittat: quorum omnium in singulari, cùm vis admodum exigua sit, nihil mirum si acervi integri colligendi sint, & in unius etiam hominis conversione impendendi.

Atqui longè alia, & sublimior, & solidior D. Thomæ mens fuit: nunquam Divinam motionem ab ipso Deo movente sejunxit, ipsaque operatione, qua Deus rebus omnibus, ac ipsi voluntati inexistens, eas omnes applicat, movet, & impellit, ut libuerit, & juxta suæ sapientiæ leges. Unde necesse est, eam Divinam operationem efficacem esse pro Dei arbitrio, ut alios efficaciùs, alios minùs efficaciter juxta suæ providentiæ leges, & beneplacitum voluntatis suæ moveat. Etenim præter ea quæ retulimus, & expendimus alias ex quæst. 3. de potentia: 22. quæst. 24. art. 11. Utrum charitas possit amitti: statim tanquam certissimum principium constituit. *Dicendum quòd per charitatem Spiritus Sanctus in nobis habitat. Possumus ergo charitatem considerare uno modo ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum: & ex hac parte impeccabilitatem habet, ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcunque voluerit. Unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando.*

Hæc si quis attente animadverterit, Divinæ gratiæ verissimam notionem assequetur, remque omnem quàm facillimè intelliget. Animadvertet enim nunquam Divinam motionem à Deo ipso movente esse sejungendam, sed Deum ipsum animæ, intellectui, ac voluntati, inexistentem sua ipsa operatione intellectum movere, & applicare, *voluntatem in bonum flectere*, ut loquitur Divus Augustinus lib. de dono persev. capit. 5. & ut loquitur lib. ad Simplic. quæst. 2. voluntatem, *& mentem* suis cum actibus *conjungere*. Et quidem ita clarissimè Divus Thomas expressit, ut nihil apertiùs optari possit. *Per charitatem Spiritus Sanctus, in nobis inhabitat. Possumus ergo considerare charitatem ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum.* Hæc

Divi-

Divinæ motionis verſſima notio. Per charitatis, & gratiæ donum præſens Spiritus Sanctus in anima reſidet: inexiſtens animæ intellectum illuſtrat, voluntatem movet, & accendit, ut ipſi libuerit: neque eo auxiliorum acervo aut congerie eget, quam voluntati immittat, ut ipſam in eo ſervandæ charitatis propoſito firmet. Ipſe ſua ipſa operatione ſtabilem quandam impeccabilitatis participationem efficit: ipſe eam immediatè movet, & ita infallibiliter movet, ut impoſſibile ſit hæc conjungi, & voluntatem à Spiritu Sancto ad diligendum Deum impelli, & charitatem à voluntate ammitti.

Quòd ſi in infelice anima poſt amiſſam charitatem, Spiritus Sanctus non reſideat, adeſt tamen ſua immenſitate Deus, & dum externa ſigna exhibentur, ut humano modo voluntas pertrahatur, Deus occulta intus in ipſa voluntate operatione, eam pro arbitrio movet: nec neceſſe eſt, cura officioque miniſtri ut quòd ſolus ipſe poteſt, exequatur: ut inquit D. Proſper: nec ea congeries auxiliorum advocanda, etiam eſt, quorum ipſe vim experiatur; ut ſi eorum unum inutile cadat, validiora immittat. Unico telo, ſi loqui ita liceat, quod ipſe manu geſtat, certo ictu, & qua parte voluerit, voluntatem nedum pertineat, ſed & ferit, vulneratque; cùm ipſi libuerit: neque ſinit, ut aliter exiſtimemus, ea quæ de Divina Omnipotentia, & de Divina immenſitate, & Dei rebus omnibus inexiſtentis operatione, exiſtimatio habenda eſt.

Atque ita etiam reſpondet D. Thomas in 1. ad Annibal. diſt.47.quæſt. unica art.2.Utrùm voluntas Dei ſemper impleatur. Cùm enim ſibi commune argumentum objeciſſet, quòd quoties cauſa prima producit effectum media cauſa ſecunda, quæ deficere poteſt, effectus ſequitur conditionem cauſæ ſecundæ, & deficere etiam poteſt, ſicut floritio plantæ deficere poteſt, quantumvis Solis virtus valida ſit, & neceſſariò moveat: Ac ſubinde cùm voluntas Divina nihil efficiat, niſi mediis cauſis ſecundis defectibilibus, nihil certum, nihilque indefectibile in rebus eſſe poteſt: atque adeò, neque ſemper certò impletur, quòd Divina voluntas ſtatuerit.

Reſpondet in primis ſolutione, quam ſæpè explicuimus, aliud ſentiendum de cauſa creata, etſi in ſuo ordine prima, cujuſmodi eſt Sol, qui inferiores ſibique ſubditas cauſas firmare, ab iiſque defectus removere non poteſt: aliud verò de cauſa ſimpliciter prima, quæ nedum cauſis productis veluti inſtrumentis utitur, ſed quæ etiam cauſas omnes tanquam inſtrumenta ſuis operibus efficiēdis idonea inſtituit, eaſque ita firmare poteſt, ut nunquam à ſuæ ſapientiæ, & Divinæ artis regulis deflectant: unde dum agit, ea duo conjungit: ex ſua virtute movente certam, & immutabilem in effectu firmitatem; & ex conditione cauſæ ſecundæ nedum relictam, ſed etiam ſua ipſa virtute impreſſam contingentiam. Sed

Reſpondet *Secundò* pauciſſimis verbis: *Vel dicendum, quòd Deus non tantùm eſt cauſa mediata, eò quod coagit cuilibet cauſæ; ſed etiam immediata, eò quòd agit per eſſentiam ſuam.* Hæc ſanè abſolutiſſima ſolutio, qua facilè conjungi omnia, explicari, & intelligi poſſunt. Aliud de Sole, aut Cælo, aliud de Deo ſentiendum eſt. *Oportet* equidem *virtutem Divinam ad eſſe cuilibet rei agenti*, inquit idem D. Thomas quæſt. 3. de potent. ar.7. *ſicut virtutem corporis cæleſtis oportet adeſſe cuilibet corpori elementari agenti: ſed in hoc differt, quia ubicunque eſt virtus Divina, eſt eſſentia Divina; non autem eſſentia corporis cæleſtis, eſt ubicunque eſt ſua virtus. Et iterū Deus eſt ſua virtus non autē corpus cæleſte... Unde cùm conjunxerimus hæc omnia, quòd Deus ſit ſua virtus, & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut rem tenens, in eſſe, ſequitur quòd ipſe in quolibet operante immediatè operetur non excluſa operatione naturæ, & voluntatis.* Hæc veriſſima Divi Thomæ ſententia, & motionis Divinæ germana notio: Et fateor ex quo attentiùs hanc Divinæ motionis cum Divinæ immenſitatis operatione neceſſariam unionem, ac inſolubilem copulationē ex Divo Thoma intellexi, nullum mihi, quòd ad eam motionem, & Divinæ gratiæ vim, & efficaciam infallibilem, & temperatam attinet; ulla difficultas negotium faceſſit: & aperta omnia ipſis pene oculis haurire mihi videor; ſi potiſſimùm altera animæ comparatio, quæ in potentias influeret, advocetur. Et ſi quis his omnibus, ut res ipſa meretur, intendat animum, intelliget inutiliſſimum eſſe, ad Divinæ motionis efficaciam explicandam, hunc auxiliorum cumulum, & acervum: quin etiam parùm decere Divinæ gratiæ dignitatem, aut Omnipotentiam: ac in primis alieniſſimam eſſe ab Angelici Doctoris mente eam de congeſtis cumulatiſque auxiliis ſententiam.

Verùm ut his tandem quæſtionibus de variis explicandi modis Divinæ gratiæ efficaciam, & toti Diſſertationi de Divinis auxiliiis finem imponam; alterum obſervari velim, quod ſincerè veritatis ſtudioſis placiturum fore ſpero, & hic oportunè refertur, nimirum quòd quamvis eorum omnium ſtudium probandum ſit, qui in graviſſima controverſia temperamenta quærunt, quibus de Divina gratia fides Religioque defendi poſſit, aut uberiùs, & enucleatiùs explicari: attamen extra dubium eſſe, non ſemper in myſteriis fidei, quærenda eſſe ea temperamenta, nec interdum carere periculoſi adhibeantur; cùm nec rarò veritatem, ac puritatem, fidei magìs obſcurent, quàm defendant, & tueantur. Et ſanè ſi quis in omnes fermè hæreſes quæ in Eccleſia ortæ ſunt, oculos conjiciat; animadvertet; indè fermè ortum habuiſſe, quòd ea temperamenta quæſita fuerint, ut myſteria fidei, quæ in ſpeciem corruptæ rationi duriora videbantur, paululùm inflecterentur, & tamen à Pontificibus, Conciliiſque rejecta fuiſſe, ea quæſita temperamenta, quòd irreformabilis fides ſit, neque molliri debeant, quæ in ſpeciem duriora videntur, ſed iis ſubjici intellectum neceſſe ſit, quamvis ſenſibus

& delusæ vanæ Philosophiæ sophismatis, rationi adversentur. Sic enim olim eæ formulæ quæ prætextu servandæ, ac fovendæ pacis à Synodis Sirmiensi, & Ariminensi conceptæ fuerant, constantissimè rejectæ sunt, quibus Arianorum voces, alterius, vel dissimilis substantiæ, sicut & Catholicorum consubstantialis voces suppressæ fuerant, ut ad concordiam omnes advocarentur. Nedum enim periculosa, sed & fœda concordia existimata est, veram tacuisse fidem, ut eodem simul omnes ore loquerentur, dum quilibet privatum errorem sub voce communi tegeret, perpetuòque servaret. Sic à Felice III. in Monothelitarum causa damnata est ea formula à Zenone Imperatore promulgata, quam *Henoticon* vocabant, id est *reconciliatorium*, quaque specie ineundę concordiæ, unius, vel duarum voluntatum, & operationum voces interdicebantur, quibus in Orbem invectas fuisse gravissimas simultates ac dissensiones, Imperator ac hæretici Monothelitæ conquerebantur. Hæreticorum enim semper genius fuit, ut turbari Ecclesiam conclamarent, cùm non alii tamen, quàm ipsi, omnium perturbationum Authores essent; Atque eadem etiam deinde ratione à Martino I. in Synodo Lateranensi reprobata est altera formula fidei; quæ Typus vocabatur, ab Imperatore Constante publicata, qua similis concordiæ specie, vera Fides de Divino Incarnationis mysterio ac duarum voluntatum, & operationum Fides tacebatur. Absit à me, ut velim Theologos quorum sincerum esse studium servandæ pacis, non est cur dubitem, in eodem unquam loco reponere: Sed concessa Theologis licentia, qua varia argumenta objciuntur, hæc ipse exempla propono, quòd cùm jam tot alia quæsita repertaque temperamenta sint, non est cur semper nova quærantur.

At certè quòd ad præsentem controversiam attinet, nulla esse potest vera concordia, nisi utriusque partis, & gratiæ, & libertatis, illæsa jura serventur: nec supremum illud gratiæ jus servari integrum posse arbitramur, nisi ex ipsa Divina Omnipotentia, & ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur, & ex operatione Dei moventis, quæ deficere non potest, repetatur.

DISSERTATIO QUARTA.

DE DIVINA MOTIONE IN STATU INNOCENTIÆ.

IMPERIUM *Divinæ gratiæ, quæ ſibi innocentem Adamum ad omnem virtutem pro libito efformabat, explicaturus, tum ipſius Divinæ gratiæ, tum Innocentis Adami patrocinium ſuſcipio. Fieret enim Divinæ gratiæ injuria, ſi tam nolile, ac primum omnium in terris elaboratum opus, ab hujus arte, imperioque ſubduceretur: Fieret & innocenti Adamo, ſi alteri quàm Divinæ gratiæ tot ornamenta accepta retuliſſe crederetur. Vivebat in eo voluptatis Paradiſo inter delitias majores tam animi quàm corporis, quibus affluebat. Locus ipſe coaptandis delitiis opportuniſſimus erat, quem ſui Alcinoi laudibus Veteres adumbraſſe videntur, ſed cujus amœnitas omnium Poetarum licentiam ſuperabat. Hæc inquit Tertullianus de Judicio cap.* 10. Omnia fert fœcunda ſolo prædivite tellus --- Flores in pratis fragrant, & purpura campis. *Nulla par unquam fuit, aut erit aliquando tellus:* & Talia florigeris nunquam naſcuntur in hortis lilia: nec noſtris efflorent talia campis. *Quæ cæteris anni tempeſtatibus diviſa commodum aliquod conferunt, & quæ quamlibet jucundum efficiunt; omnia inquit D. Baſil. Homil. de Parad. ſimul conjuncta aderant: Amœnitas Veris, Æſtatis ubertas, hilaritas Autumni, Hyemis otium, & quies. Hæc grata Naturæ miracula, quaquaversùm oculos converteret innocens Adamus conſpiciebat: ac tum elata mente reſonantem audiebat undique Naturam, quæ conciunis motibus Divinas laudes concinebat:* Sonat *enim* arbore cuncta ---- Hymnum Sylva Deo, *inquit Marius Victor: ac tum maximè experiebatur innocens Adamus, quod de cæteris, qui ab eo Paradiſo longè poſiti, Divino tamen amore flagrant, obſervat Richardus à S. Victore de Grad. Charit. cap.* 3. Integer Amator Dei quocumque ſe verterit familiarem habet admonitionem amoris. Rebus pro ſpeculis utitur, & in omni quod cernit Amatoris ſui reſultat memoria. *Sed hæc felicitatis Adami ultima pars, experti majoris animi delitias.* Quid *enim inquit Auguſt. in Pſal.* 70. *Adamo* deerat in Paradiſo conſtituto, in media opulentia, mediiſque delitiis? cui magnæ delitiæ erant ipſa viſio Dei. *Quanta delitiarum animi affluentia, cùm ut inquit D. Gregorius in Pſalm. Pœnit. ſolitus* Panis fuit viſionis Divinæ delectatio, Verbi Dei ſatietas, internæ quietis

gau-

gaudium, inacceſſibilis ſplendor, ſapientiæ refectio, Angelorum ſocietas jubilum ſpiritûs, contemplationis ſuavitas, collocutionis deſiderium, ſecuritas mentis, præſentia Creatoris: *immò* familiaritas, *inquit D. Thomas* 1. *ad Annibal. diſt.* 29. *art.* 1. *cùm opus quod ſuis ipſe manibus effinxerat, cui & Divinæ particulam auræ ſuo ipſo flatu immiſerat, frequenti colloquio dignaretur*. Quanta, *inquit Tertullian. ibid. cap.* 3. Deus homini permiſit munera Mundi! Et prædulce ſui ſignavit pignus amoris. *Hæc omnia Divinæ ſolicitudinis in exornando, immò & excolendo Adamo argumenta. Poſitus enim erat in voluptatis Paradiſo Adamus*, ut operaretur, & cuſtodiret illum. *Hæc enim etiam Adamo innocentiſſima voluptas acceſſiſſet, ut Paradiſum excoleret*. Quid enim, *inquit Auguſtinus* 8. *in Geneſ. cap.* 9. hoc opere innocentius, vacantibus: & quid plenius magna conſideratione prudentibus. *Quod in natura mirabilius ſpectaculum (Cap.* 3.) *aut ubi magis cum rerum natura, humana ratio quodammodò loqui poteſt, quàm cum poſitis ex ordine ſeminibus plantatis ſurculis, translatis arbuſculis, inſitiſque malleolis, quæque vis radicis germiniſque interrogatur, quid poſſit, quidve non poſſit, aut unde poſſit: quid valeat humorum inviſibilis interiorque potentia, quid exteriùs adhibita diligentia efficiat: intereàque animo perſpiciebat Adamus quòd* neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. *Ita deliciari Adamus poterat, inquit D. Thomas p.* 1. *quæſt.* 102. *art.* 3. *ad experiendam naturam: ſed altiùs attollens mentis oculos*, Mundum ipſum veluti quandam magnam eſſe arborem *rerum meditabatur, inquit Auguſtinus ibid. c.* 9. *in qua excolenda Angelorum hominumque induſtria excubaret: ſed quæ magno labore nihil efficeret, niſi mirabilis, occulta, tacitaque Divina operatio robur, vim, & incrementum conferret. Sed iterum in ſe ſe mentis deflectens oculos, ſibi equidem gratulatus, ſed non ingratus Divinæ gratiæ, ſeſe inter Divinas manus quibus excoleretur, agnoſcebat. Poſitus enim erat in voluptatis Paradiſo, ut etiam Adamum Deus ipſe, inquit Auguſtinus ibid. cap.* 10. *operaretur, & cuſtodiret illum*. Qua *enim* locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata atque fœcunda ſit: elocutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius ſapienſque ſit: *Quid verò in excolendo Adamo Divinus amor, Divinaque ſolicitudo non impendit? Felix Adamus inter ipſas Divinas manus, cui quidquid ulli mortalium, in conſtituto ſanctitatis ordine conferendum erat; totum collatum fuit: ut ſicut corpus ex totius naturæ* defloratione, *ut Tertulliani verbo utar, formatum eſt, futurum venuſtatis, & pulchritudinis miraculum: ita ex totius ordinis gratiæ defloratione, hujus ſanctitas efformaretur, ut eſſet ſui opificis dignum opus, ad oſtentationem artis poſitum, ut quid in materia fragili, ac luto poſſet, Divina potentia, & induſtria exhiberet. Felix Adamus qui in Paradiſo inquit ex D. Gregorio D. Thomas* 1. *p.* Aſſueverat Verbis Dei perfrui, bonorum Angelorum Spiritibus cordis munditiâ, ac celſitudine viſionis intereſſe: *dum in altiſſimam contemplationem evectus, & extaſim raptus, inquit idem D. Thomas ex D. Auguſtino, irradiatione primæ veritatis,*

ipſaque

ipſaque incommutabili veritate illuſtratus, particeps fieret curiæ Angelicæ. *Felix Adamus qui primus mortalium non moriturus, dum ea felicitas perdurabat, ſummum illud fœderis Eccleſiæ cum Chriſto, tam longa tempora ſupergreſſus, prophetiæ dono plenus eructavit. An verò inter tot beneficia, ac dona, quæ cum Divina & ſingulari motione non poſſunt non eſſe conjuncta, ſolus ipſe quod cæteri perſentire, & experiri debuerant, non perſenſiſſet, ſolus ipſe ex ea communi lege exceptus? Aut nullus mortalium unquam inter tot beneficia, & dona, quæ ſingulari, & extra communem ordinem, ſortemque evectæ ſanctitati conceduntur; Divinam motionem præſenſit, aut perſenſit Adamus, cui altior contemplatio, profundior extaſis, abundantius prophetiæ lumen, cæteraque omnia dona, majori copia conceſſa ſunt. Nunquam majus quàm in Adamum innocentem, gratia dominium exercuit: nunquam majori imperio regnavit. & quis ambigat majorem ex eo dominio in ipſam, gloriam redundaſſe, quàm cùm vilibus mancipiis imperat, hominibus morti deſtinatis, & jam* morte defluente, *ut loquitur ſapiens correptis, qui aut victricem gratiam gementes ſequuntur, aut quorum altera pars hujus ſemper imperium detrectat. Hæc ſcil. conceſſa Divinæ gratiæ gloria, ut non niſi miſeris, ac perpetuò rebellibus imperet? Hæc exiſtimata gratiæ erga cariſſimum ſibi alumnum ſolicitudo, ut ipſum ſuo arbitrio relinqueret? Et relictus quidem aliquando, ut experiretur quid poſſet: atq; utinam nunquam expertus fuiſſet. Utinam inquit quidam ex Patribus tenebroſus turbo fatale pomum ex oculis Evæ ſubduxiſſet. Didicit ſibi relictus infelix Adamus, precariò ſibi fuiſſe conceſſa ornamenta, quæ amittere potuit, & quibus ſpoliatus, miſeræ commutationis, nudus, ac totius naturæ injuriis expoſitus, pœnas tulit. Sed didicit etiam Divinæ gratiæ fuiſſe aliquando, quòd ſtetit, nec fuiſſe relictũ libertatis arbitrio, quòd ſublimi contemplatione Divina percepturus, in extaſim raperetur: ſed Divinę gratię, & ſolius gratię, fuiſſe quod prophetico lumine illuſtratus, futurũ Incarnationis myſteriũ, & maximũ quod commendat Apoſtolus Sacramentum fœderis Chriſti, cum Eccleſia pervideret. Et gravis Adamo injuria fieret, ſi florente ea ætate, eam felicitatem defuiſſe exiſtimaretur, ut in eo efformando, & excolendo, vim omnem, & induſtriam, operatrix gratia non impendiſſet. Patrocinium igitur, & Divinæ gratiæ, & innocentis Adami, tota hac Diſſertatione ſuſcipio: cum in eo integritatis, & felicitatis ſtatu, effectricem gratiam non defuiſſe oſtenſurus ſum. Hic ſi quando neceſſe fuit, ubi de D. Auguſtini mente agitur, interpres, & hujus controverſiæ alter judex, advocandus eſt D. Thomas. neq; eum judicem ſubmovendum rejiciendumque poſtulabit Janſenius, cùm eam Angelico Doctori gloriam, laudemque contulerit, ut preſſis veſtigiis Magiſtrum ſecutus, nunquam ipſum ab oculis ſibi abeſſe permiſerit, adeoque ſenſum omnem ſpiritumque ebiberit, ut non aliud, quàm contracta in ordinemq; digeſta, ad uſum Scholæ, D. Auguſtini doctrina, Summa D. Thomæ exiſtimanda ſit. Ampliſſima ſanè commendatio: & qua Janſenius etiam injuriam nec ſemel D. Thomæ illatam reparaſſe videri poſſit. Et quidem ea fuit Angelico Præceptori à Deo conceſſa merces, ut rectè obſervat hujus commentator Cajetanus 22. q. 148. a. 4. ut* quia ſumme veneratus eſt Sacros Doctores. ideò intellectum omnium quodammodo ſortitus ſit. *Et ſi quid potuit Auguſtinus, ut plurimum potuiſſe quis ambigat, ut ſuis clientibus, ac Diſcipulis Divinam opem, & cæleſte lumen obtineret, quo profundiſſimam quã Eccleſiæ fruen-*

dam doctrinam reliquit assequerentur, cui potiori jure, D. Augustinus obtinuisset, quàm D. Thomæ, qui summè Magistrum veneratus, quod sanè singulare est, nec invidere quisquam potest, & quo longo intervallo etiam Scholarum veluti antistites antecedit, majori veneration i, virtutum imitationem, & etiam sanctitatem adjunxit. Et quidem, ut singulare hujus observantiæ exemplum referam, adeò D. Thomæ animum studium sequendi D. Augustinum incesserat, ut cùm in sententiis de columba, quæ in baptismo Christi visa est, ageret, rationem quæ potior videbatur, & plurimi etiam potiorem arbitrantur, sequutus; speciem dumtaxat columbæ non verùm esse animal censuisset: Tertia deinde parte q. 39. art. 7. sola D. Augustini authoritate rationi antepositа, verum fuisse animal, non speciem evanidam existimavit. Advertе *inquit Cajetanus*: quòd tantam habuit Author reverentiam ad Augustinum, ut absque trepidatione aliqua, affirmaverit columbam illam verum fuisse animal, propter Augustini authoritatem, potiùs quàm rationem qua Author utitur in 1. Sententiarum. *Ea Magistrum* excellentissimæ authoritatis, *ut Augustinum D. Prosper nuncupat, veneratione prosecutus est D. Thomas, ut immeritò Angelicum Præceptorem, ubi de mente Divi Augustini agitur, quisquam Judicem repelleret: cùm alioquin non tam similem quàm eandem utrique laudem, commendationemque Alexander septimus concesserit:* Quorum *inquit* Sanctissimorum Virorum penes Catholicos universos ingentia, & communem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent, *& quorum* inconcussa tutissimaque dogmata esse pronuntiavit. *Cumque etiam quæ de statu innocentiæ hìc dicturi sumus, magnum robur, pondusq; additura sint rationibus, quas hactenus prosecuti sumus, ubi de necessitate Divinæ motionis, & gratiæ sua ipsa vi efficacis in statu naturæ infirmæ, & peccatis gravatæ egimus; non est cur D. Thomam post D. Augustinum Magistrum cæteri audire nolint: cum etiam à Suare dictum sit quod* D. Thomas sicut in explicandis cæteris fidei mysteriis Scolasticis Theologis antefertur, & primis Ecclesiæ Patribus comparatur, ita in illustrandis difficillimis de gratia, & libero arbitrio controversiis ipsi Augustino supparem reputamus. *Proleg. 6. de grat. cap. 6. Facile ut puto cæteri post D. Augustinum D. Thomam, & Magistrum, & judicem audient, cum nemo sit qui Angelicum Præceptorem, tum ob doctrinæ, tum ob sanctitatis præstantiam, summa veneratione non prosequatur: & nemo dubitet in laudis, & commendationis Augustini partem, Thomam venire, ut quod à Prospero de uno Augustino dictum est, in utrumque Magistrum, & Interpretem referri à me non immeritò possit.*

quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum verò de lumine: *cujus &* industria major,
Majus opus totum præstantius imbuit orbem.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Divina motione, & efficaci gratia in Adamo, & Angelis adversùs Jansenium.

SI infelici unquàm exemplo comprobatum sit; quantò periculo quisquam suæ nimium innixus prudentiæ, aut ingenii acumini, non alium quam seipsum in Scripturis Patribusque intelligendis, & explicandis Magistrum audire velit, probavit sanè Jansenius Iprensis Episcopus Vir alioquin magni ingenii, & in Divo Augustino apprimè versatus, si novandarum rerum non adeò cupidus, neque adeò Scholis infensus, suo minùs ingenio indulsisset. Neminem nisi se unum inter tot omnis ævi Theologos D. Augustini mentem assecutum arbitratus, cùm nec vellet ipsum D.Thomam fidissimum interpretem audire, quem etiam, ut nimiùm Aristoteli addictum tantùm non contempsit; in eos errores incidit quos Ecclesia gravi censura perstrinxit: & posteriore etiam hoc sæculo non deesse hanc infelicitatem ostendit, quam jam antea deflendam Sanctus Augustinus dixerat Epistol. 52. Macedonio *De vera felicitate* scripta. *Quædam acutissima, & excellentissima ingenia tanto in majores errores jerunt quantò præfidentius tanquam suis viribus cucurrerunt.*

Et verò ea potiori ratione reprehendi Jansenius potest, quòd à Divo Augustino D. Thomam sejunxerit, cùm jam nec semel in Augustino versatissimum Thomam animadvertisset. Verissimè enim Tom. 2. initio lib. 1. ubi de ratione, & authoritate differit, cap.22. in sumam D. Augustini laudem, & S. Thomæ in S. Augustinum observantiam, ita inquit: *Quidquid veræ Theologiæ in Scolastica S. Thomæ continetur, usque ad ipsorum articulorum fundamenta ex Divo Augustino ita mutuatum est, ut quemadmodum novum testamentum nihil est aliud, nisi vetus revelatum; & Augustini Doctrina de gratia Dei, nihil præter fidei principia in suas deducta conclusiones; ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte nihil sit aliud, nisi Augustinus contractus, certaq; proportione naturalibus principiis alligatus secundum quòd congruit, ut ipse Thomas loquitur ad eruditionem incipientium.* Hæc Jansenius. Et rectè quidem: ubi & S. Thomæ modestiam mirari poterat, quòd præclarissimùm opus in quo doctissimi quiq; desudant, pro incipiētibus se parasse dixerit, Divino forsitan consilio quòd posteriores Theologi Sancto Thomæ longè inferiores futuri essent.

Et sanè notum illud quòd Urbanus V. olim inquit, cùm Academiæ Tholosanæ Apostolica authoritate juberet, ut S. Thomæ doctrinam, & defenderet, & viribus omnibus promoveret, *Sanctum Thomam Beati Augustini vestigia insecutum scientiis quam plurimis universalem Ecclesiam illustrasse.* Unde & quod à Sixto Senensi in Bibliotheca dictum est, cæteri suo calculo comprobarunt, *Quòd ita sapientissimo Augustino proximus D.Thomas incessit, omnes reconditos sensus introspexit, exhausitque, ut juxta Pytagoræ Metempsychosim communi doctissimorum adagio jactatum sit, Augustini animam migrasse in Thomam.* Neq; verò aliud visum est Alexandro VII. qui non tam similem quàm eandem utrique laudem, & observantiam excellentissimo Magistro, & amantissimo Discipulo fidissimoque interpreti, deberi significavit, & exhiberi voluit: cùm *Præclarissimorum Ecclesiæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis, inconcussa tutissimaque dogmata* esse pronunciavit. *Quorum profecto Sanctorum Virorum penes Catholicos universos ingētia, & omnem laudē supergressa nomina novi præconii commendatione non egent.*

Potuerat igitur Jansenius D. Thomam quem nedùm Theologorum cætus, sed & SS. Pontifices ut Divo Augustino proximum commendant, sine injuria sequi. Sed ea erat in Jansenio sui præfidentia, ut neminem sibi in intelligendo Sancto Augustino parem arbitraretur, à quo cum nitidiorem scribendi modum didicisset, alteram Scholam eloquentia florentem erudiendo orbi se aperturum existimavit, occlusis cæteris in quibus tandiu locutum fuisse Aristotelem, & siluisse Christum, & Paulum, & Patres, immeritò conquerebatur.

Et verò quàm parùm S. Thomæ authoritatem ejusque Scholæ in rebus Theologicis explanandis sedulitatem Jansenius curaverit, apertè satis ipsemet eodem libro Proemiali significavit, ubi totus est in ex agitanda Philosophia, quæ naturæ principiis utitur, & quam ad explicanda fidei mysteria D. Thomas advocavit, in qua inquit Jansenius, cap.6. *Magis Aristotelis commentatio quam Sancti Spiritus revelatio præsidet.* Unde explicandis Scripturis, aut positivæ Theologiæ arcanis detegendis parùm idonea esse, inquit, ingenia quæ in quæstionibus Metaphysicis pertractandis detrita sunt, suasque vires consumpserunt: quod, inquit, in *Sancto Thoma, & Cajetano demonstratum est: cap.* 9. Utinam & æquè sanam ipse Jansenius (ut de solo Cajetano loquar, nam cum Sancto Thoma Jansenium conferre sine gravissima ipsius D. Thomæ, & Sanctitati, & famæ illata injuria non licet:) utinam inquam æquè sanam ipse Jansenius ac Cajetanus quem despicit, Doctrinam habuisset, & parem in rebus Theologicis, aut etiam Scripturis exponendis diligentiam attulisset. Sed acutissimus Cajetanus Tiresia,

cæcior, Janſenio viſus eſt, neque cimmerias unquam tenebras è Theologorum Scholis depelli exiſtimavit.

Sed ſi veræ, ut inquit cap. 8. Theologiæ principia non in cerebri ſubtilitate, ſed in cordis puritate defixa eſſe oporteat, ſi Divina myſteria non ratio ſed unctio edoceat, ſi demùm vera Theologia germanus, & ſuavis fœtus ſit, ut iterum Janſenius inquit, luminoſiſſimæ, & ardentiſſimæ charitatis, *Quæ exceſſus extaſes, liquefactiones, & hæroicos impetus parit*; quis unquam veræ Theologiæ comparandæ Sancto Thoma magis idoneus fuit, qui inviſum forſitan ad ſua uſque tempora miraculum orbi oſtendit, cùm quoties vellet, etiam & interdum cùm nollet, *In Exceſſus, & extaxes raperetur*: & quod ſuaviſſimo ſtatui conjunctum eſt, hæroicos impetus Divinæque gratiæ impulſus perſentiret? An ſe ea parte Janſenius cum Sancto Thoma conferre, & ſe Divinæ veritati percipiendæ æque idoneum jactare vellet? Mirum ſanè eam regulam Divinæ Theologiæ addiſcendæ conſtituiſſe, & ad penetranda Divina arcana unicam apertam viam eſſe dixiſſe, à qua remotiſſimus ipſe fuit.

Sciebat ipſe Sanctus Thomas, noſque ex eo dicimus, quod Philoſophorum eſt *ſapere*, ſed Theologiam *ſapore* comparari in Cant. cap. 1. Sciebat Philoſophos, aut Theologorum etiam vulgus ſcientias *inquiſitione rationis* aſſequi poſſe, ſed ſapientiam ſola *connaturalitate*, quam Divina charitas efficit, & Divinarum rerum experientia acquiri. Hæc didicerat *Divina paſſus*, ut de Jerotheo Sanctus Dionyſius loquitur, & experiendo probandoque edoctus fuerat; ac modo neceſſe eſt Recentiores Theologi, etiam quorum toties in Scholis nomina celebrantur, hæc à Divo Thoma addiſcant, ſeque longo intervallo inferiores agnoſcant. Solus ipſe *Diviniſſimam Dei cognitionem* aſſecutus, *quæ eſt per ignorantiam tradita*, ardentiſſimum ſcilicet amorem, Divinis ſe ſplendoribus immerſit, *ſecundùm unionem ſuper mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, poſteà & ſeipſam dimittens, unita eſt ſuperſplendentibus radiis*, ut loquitur Sanctus Dionyſius, de Divinis Nominibus cap. 7. Solus ipſe cum Moyſe *ad Divinorum graduum cacumen conſcendit*, ut idem Dionyſius de Myſtica Theologia inquit. Et fulgentiſſimam Caliginem ingreſſus, audita Divina voce, quæ in cor hominis non aſcendunt, toties didicit, dum aliis cum turba procul à monte tantam felicitatem mirari dumtaxat, non experiri licet: eaque ſi ſcire velint, neceſſe eſt ab experto Thoma, & referente addiſcant. Nec verò quibus ea quæ perſenſerat, ut explicaret ſcientiæ deerant: utraque dote, ſcilicet *delitiis* toties perceptis, & *ſcientiis* comparatis, cæteris longè ſuperior, ut quòd *delitiis* didicerat, *ſcientiis* explicaret. Quæ felicitas nondùm his, quibuſcum hìc agimus, contigit, quibus ea *ſcientiis* explicare non licet, cùm ea nunquam *delitiis* experti fuerint.

In his ut paululum immoraremur depellenda S. Thomæ illata à Janſenio injuria nos coegit, quam etiam conſtituta ab ipſo Janſenio regula ſatis depellit: qua ſanè regula ſi ipſum Janſenium metiamur, & addiſcendæ veræ Theologiæ longè minus idoneus videri poterit, ut non immeritò reprehendi debeat, quòd Sanctum Thomam eiuſque doctrinam in qua egregiæ ejuſmodi dotes quas ipſe commendat, eminent, adeò contempſerit. Nec verò erat cur ipſe Philoſophiam aut Dialecticæ uſum ſperneret, quem Sanctus Auguſtinus ipſe adeò commendavit; aut eam methodum carperet, quæ reſciſſis verborum phaleris non per ambages longoſque circuitus, ſed recta ad veritatem tendit, & difficultates ad vivum ſecat. Cùm hæc maximè Theologum debeat quem oportet *operarium* eſſe *rectè tractantem*, ut Paulus inquit ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *rectè ſecantem verbum veritatis*: & plurimum Divi Thomæ deberi nemo niſi invidus negaverit, quòd vanam aut ſuperbam olim Philoſophiam in obſequium fidei coegerit, & ut Nazianzenus carmine de vita ſua inquit, Philoſophiam in qua excolenda plurimum operæ laboriſque poſuerat, *Hanc quoque Chriſti ante pedes humilem pronamque jacere coegi*. Sed hanc Janſenius oderit, quòd ipſius errores detexerit: cùm nihil aptius, & ad diſcernendum à falſo verum ea methodo quam Theologi amplexi ſunt, oportunius eſſe poſſit.

Verùm longè aliud ſenſerat æquior in S. Thomam Eſtius Duacenſis Academiæ clariſſimum ornamentum, ac in Divum Auguſtinum verſatiſſimus, qui celebrem eam quæſtionem pertractans, de diſcrimine quod inter innocentem Adamum, & poſteros reos conſtituendum eſt; [quæ ſanè quæſtio lapis fuit offenſionis Janſenio:] non aliundè quam ex S. Thoma mutuandum eſſe Divi Auguſtini ſenſum exiſtimavit in 1. diſt. 41. §. 14. *Niſi enim*, inquit, *hanc à S. Thoma inſinuatam intelligentiam verborum S. Auguſtini recipiamus, difficillimum erit, ac ne poſſibile quidem S. Auguſtinum ſibi ipſi conciliare*. Neque enim verborum dumtaxat ratio habenda eſt, ſed maximè ipſa principia attendenda ſunt, quæ omnia conjungi neceſſe eſt, ne invicem collidantur. Neque enim exiſtimandum eſt Patres, ac inter ipſos omnium eruditiſſimum S. Auguſtinum loco ſolidi ædificii quod omnibus Patribus invicem conſentientibus conſtet, arenam ſine calce coacervaſſe, aut de arena, ut ajunt reſticulas texuiſſe. Hæc omnia principia S. Thomas conjunxit, quæ ſi conjunxiſſet Janſenius D. Thomam ſecutus, ubique una veluti facies, eaque venuſtiſſima D. Auguſtini eloquiorum conſpicua eſſet, eademque ordinatiſſima Divinæ in omni ſtatu gratiæ œconomia. Sed non alium quam ſeipſum Magiſtrum habere voluit, atque hæc una ruinæ, lapſuſque cauſa fuit quòd nimirum *Audaci cepit gaudere volatu deſervitque ducem*, Meta. 8. & in explicando S. Auguſt. interpretem S. Thomam audire recuſavit.

ARTI-

ARTICULUS I.

Summa Doctrinæ Janſenii: nulli à Janſenii erroribus remotiores, quàm D. Thomæ Diſcipuli.

PRimum fundamentum cui totius Doctrinæ Janſenii veluti tota moles incumbit, diſcrimen illud eſt, quod inter naturam ſanam, integram, & innocentem, ex una parte; & ægram, lapſam, corruptamque ex altera parte conſtituit. Putat enim, in ſtatu naturæ innocentis, nullam niſi gratiam ſufficientem, homini conceſſam à Deo fuiſſe, commodam, facilem, ad omnem uſum vertibilem, ex libero arbitrio, ſuſpenſam ipſique ſubjectam, cuique voluntas ita dominaretur, ut eam in omnem partem, qua vellet, pro arbitrio ſuo flecteret. Contrà verò in natura lapsà corruptaque, cui planè aut inutilis, aut exitialis eſſet, ut exiſtimat, ea gratia voluntati ſubjecta, qua non niſi caderet, & præceps infirmitatis graviſſimo pondere depreſſa rueret; unicam neceſſariam eſſe gratiam medicinalem, reparantem, ac ſanantem, quæque voluntati ſummo imperio dominaretur. Inde celeberrima illa, ſed pravo ſenſu à Janſenio intellecta, adjutorii diſtinctio, primùm à Sancto Auguſtino rectè uſurpata, *in adjutorium quo, & adjutorium ſine quo*. Quæ duo ita Janſenius diſtribuit, ut alterum in ſolo ſtatu naturæ lapſæ, alterum in ſolo ſtatu naturæ innocentis locum habere exiſtimet. Hinc etiam pravo ſenſu explicata à Janſenio illa diſtinctio Divinæ voluntatis in Antecedentem, & Conſequentem, ſeu Divinæ miſericordiæ, & Juſtitiæ: quarum alteram (quomodo alteram dici in Deo apud Theologos licet:) uni ſtatui naturæ innocentis, alteram uni ſtatui naturæ corruptæ proſpicere arbitratur.

Hoc potiſſimum totius Doctrinæ Janſenii caput, primumque fundamentum ut videre eſt Tom. 2. de gratia Adami, & Angelorum, ubi capite 14. duplex adjutorium *ſine quo & quo*, ſeu poſſibilitatis, & actionis, ita diſtinguit; ut alterum, ſcilicet *ſine quo*, dumtaxat homini ſano, & innocenti à Deo conceſſum fuiſſe exiſtimet, quod à Sancto Auguſtino Magiſtro ſe accepiſſe inquit, lib. corrept. & gratia cap. 12. ubi ſic habet Divus Auguſtinus. *Primo itaque homini qui in eo bono quo factus fuerat, acceperat poſſe non peccare, & poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* Alterum verò efficacius & fortius adjutorium ſolùm Adami poſteris, ſui parentis peccato lapſis, & ægris, dumtaxat concedit Janſenius: quod iterùm Sancto Auguſtino authore ſe ſe didiciſſe inquit, eodem capite laudato ex lib. de corrept. & gratia. Ex quo hæc verba refert: *Qui eis* (ſcilicet Adami Poſteris Deus) *non ſolùm dat adjutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint, ſed in his etiam operatur, & velle.*

Et ſanè dubium non eſt quin ibi apertè Divus Auguſtinus duplicis generis auxilia diſtinxerit: ſed quis hujus diſtinctionis uſus eſſe debeat, quis profundiſſimi Patris Germanus ſenſus ſit, majori attentione ſtudioque opus eſt, ut percipiatur: & percipiſſet etiam ipſe Janſenius, ſi legitimum ac fidiſſimum Divi Auguſtini interpretem S. Thomam conſulviſſet. Neque enim illius dumtaxat loci ratio habenda eſt, ſed aliorum etiam principiorum quæ alibi fusè interdùm proſecutus eſt idem S. Auguſtinus; & quæ cum aliis jungi neceſſe eſt, *ne velut ægri ſomnia vanæ fingantur ſpecies*: quod de præclariſſimo Divi Auguſtini ingenio ſine graviſſima ipſi illata injuria, ne cogitari quidem poteſt.

Eadem Janſenius repetit Tom. 3. de gratia Chriſti Salvatoris, potiſſimùm lib. 2. cap. 1. 2. 3. & 4. quibus iterùm idem adjutorium *ſine quo, & quo* diſtinguit, & explicat, ac fatetur à Theologis nuncupatum ſufficientem gratiam, & efficacem; aut ut mallet ipſe nuncupari, *gratiam ſanitatis, & medicinalem*, ne nihil novi videatur Theologorum ſententiæ addidiſſe, quo ſe ſe diſtingueret. Verum

Primò: Inde conſtituto ſemel hoc diſcrimine, negat Janſenius neceſſitatem gratiæ, ſeu Adjutorii, & Divini concurſus ex alio, & remotiori capite repetendam eſſe, quàm ex infirmitate naturæ: & Tom. 2. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 20. & ultimo, declarandum ſuſcipit, *Adjutorium ſtatus innocentiæ non fuiſſe prædeterminationem phyſicam, nec merita per eam Adamo, & Angelis eſſe donata*, quod toto capite proſequitur. Et in primis inquit, quòd ſi principia Divi Auguſtini conſulantur, *Ex omnibus manifeſtè conficitur, gratiam illam actualis adjutorii nullo modo in prædeterminatione illa phyſica ſitam fuiſſe, ſed potiùs hujuſmodi prædeterminationem principia ejus univerſa ſubvertere*. Idque ex ſeptē capitibus probari arbitratur. *Primò*: quia prædeterminatio illud inter Adami, & Chriſti gratiam diſcrimen deſtruit. *Secundò*: quia efficit, quòd liberum arbitrium ſemper actu velit, & operetur. *Tertiò*: quia prædeterminatio phyſica non relinquit in libertate voluntatis poteſtatem, eam amplectendi vel non amplectendi; ſed ſemper invictè faciat quòd voluntas eam amplectendo conſentiat: (ubi manifeſtè D. Thomæ Diſcipulis imponit, id quod nunquam illis venit in mentem, ſcilicet Divina motione auferri homini poteſtatem diſſentiendi.) *Quartò*: quia nunquam deſeritur, ſed ipſa facit ne deſeratur. *Quintò*: quia etſi aliquando deſit, non ideò homo excuſatur à culpa ſi non agat. *Sextò*: quia deſtruit prorſus magnam illam libertatem, & bene vivendi poteſtatem quam in Adamo nos amiſiſſe Auguſtinus, Pontifices, & Concilia teſtantur. *Septimò*: tandem quia prædeterminatio phyſica libero arbitrio merita, & eorum mercedem

dem Adamo, & Angelis conferebat. Quæ omnia à S. Augustini sententia esse aliena Jansenius arbitratur. *Ex quibus*, inquit, *omnibus, aliisque argumentis, quæ adduci possent, perspicuè ostenditur, nihil capitaliùs principiis Augustini, nihil quod ejus Doctrinæ magis, e diametro repugnet, effingi posse, quàm quòd Adami adjutorium in physica illa prædeterminatione situm fuerit; ut sanè non temerè dici posse videatur, quòd Authores qui prædeterminationem illam physicam ad statum etiam integrum Adami, & Angelorum extendunt, toto ostio ab Augustini principiis ab erraverint.*

Addit tandem Jansenius in fine ejusdem capitis concursum, motionem, & prædeterminationē, quam post Divum Thomam, ejus Discipuli Magistrum secuti admittunt, *Tricas esse Aristotelicæ Philosophiæ, aut ineptias, e classibus Dialecticis in Theologiam, immissas, quibus cælestis medicinæ sinceritas adulterata est.* Docuit nos sanè Jansenius, quàm parùm ea quæ ad ipsum spectant, nobis curæ esse debeant; à quo primi nihilque tale commeriti, lacessiti sumus, adeoque durè habiti.

Indè iterùm Tom. 3. lib. 8. cap. 2. cui hunc titulum præfigit. *Varia discrimina proferuntur inter adjutorium Dei medicinale, & prædeterminationem physicam, prout à defensoribus ejus traditur.* Septem discrimina refert. *Primùm*: quòd prædeterminatio physica sit motio nescio quæ virtuosa, quæ habet quoddam esse incompletum, & sit in voluntate per modum quo colores sunt in aëre, & impetus in re quæ impellitur, cujus profectò speculationis, inquit, in Augustino nullum vestigium esse video. Hujus tamen nedùm vestigium, sed & formam integram in Divo Thoma reperire potuerat in ipsoque etiam Divo Augustino, quem aliàs retulimus. *Secundùm*: quia ea motio non est motus vitalis animi, secùs verò Christi adjutorium. *Tertium*: quia ea motio est ejusmodi, ut in quibuscumque circumstantiis voluntas creata collocetur, semper faciat facere, & operetur effectum suum; Christi autem adjutorium nullo modo, nam delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est: tunc enim est victrix, quando alteram superat. *Quantum*: quia ea motio est instar generalis concursus in ordine supernaturali; adjutorium autem Christi nullo pacto. *Quintum*: quia ea prædeterminatio necessaria statuitur omnibus agentibus ex vi causæ secundæ, quæ essentialiter tam in operari, quàm in esse suo, subordinatur primæ, à qua ad agendum præmoveri debet: Christi verò adjutorium nequaquam, sed læsæ voluntati dumtaxat propter solum vulnus ipsius necessarium est. *Sextum*: Prædeterminatio physica in agentibus liberis insuper exigitur propter naturalem indifferentiam voluntatis, quam ut aliquid agere possit, prædeterminare debet; Christi verò adjutorium neutiquàm. *Septimum* tandem: Prædeterminatio physica expressè dicitur statui Innocentiæ tam Angelorum quam hominum fuisse necessaria: Christi autem adjutorium ei capitaliter repugnat.

Hæc verò discrimina postquàm recensuit, ita deindè, concludit. *Quapropter, qui medicinalem Christi Salvatoris gratiam sic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis perfectò Aristotelici, quā Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solùm nullo testimonio ejus probari potest, sed potiùs universam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat. Tollit enim differentiam integræ læsæque voluntatis: tollit necessitatem duplicis adjutorii quo, & sine quo non; cum quorum altero Adamus velle stareque potuit, & Angeli reipsà voluerunt, steterūtque, lapsi homines velle aut stare non possunt: Tollit obscuratq; veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturā ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam: Deniq; cogitur inferre non exiguam vim Scripturis Sacris, quæ singularē Dei gratiam actus nostros bonos operantem prædicant. Eadem quippe Scripturarum phrases ad actus quos ipsi statuerunt naturales, adeoque malos quātùm ad materiale, aptari queunt. Si enim idcircò dixit Christus*: sine me nihil potestis facere; *quia nihil sine ista generali Dei prædeterminatione facere possumus, cur non idipsum quoque pro isto adjutorio ad actus naturales, & malos, necessariò proferamus? cur non dicamus, nemo potest vineam plantare, aut pecuniam pauperi moraliter dare, nisi Pater meus prædeterminando traxerit eum? cur nō de istis omnibus, & similibus Dei concursum generalem probantes producamus?* Faciam ut faciatis; Deus enim operatur in nobis velle, & perficere, *& similia. Quod si ista enim rectè ad talis prædeterminationis physicæ necessitatem astruendam proferuntur; quomodo ergo rectè gratiæ Christianæ, & ex Christi passione nobis collatæ, necessitatem probant; quēadmodùm ad hoc probandum ab Augustino proferuntur? nonne perspicuè sequitur, nihil omninò peculiare pro operibus gratiæ, ex hujusmodi Scripturis posse colligi? nam solùm sequitur, nihil nos posse velle, aut operari, sine præmotione generali omnibus causis necessaria, propter subordinationem causæ secundæ sub prima, & propter indifferentiam liberæ voluntatis, quę ad nihil omninò sine Dei præmotione determinari potest. Quæ ratio perindè prorsùs locum habet, etsi peccatum voluntati nullam inflixisset ægritudinem, nihil caro contra spiritum concupisceret. Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi funditus evertitur, & Scripturæ subnervantur; dum gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore suspenditur. Quæ duplex ratio necessitatis gratiæ, sicut in universis Augustini operibus inaudita est, & repugnat principiis ejus, ita quoque indicat, prędeterminationem physicam tanquàm gratiam, eo modo, & latitudine ad omnes humanæ naturæ status dilatatam ab Augustini sēnsibus esse remotissimam, & potiùs vi humanę Philo-*

sophiæ,

sophiæ, quàm Augustinianæ Theologiæ expressam, & inventum esse. &c.

Hactenùs Jansenius, quibus sanè se D. Thomæ Scholæ nullam rationem habuisse profitetur, ut mirum non sit, quòd eadem mensura qua cæteros mensus est, ipsi alii remetiantur; & sicut solus contrà omnes stare voluit, contrà eum omnes steterint, ac de se illud probaverit, *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra ipsum.* Si quam ea argumenta à Jansenio objecta responsionem mereantur, ea infrà à nobis referetur: ubi nedùm toto ostio, sed totis etiam ædibus ab Augustino ipsum aberasse planè demonstrabimus.

Iterùm autem ex eodem discrimine, cùm ex sola naturæ infirmitate necessitatem gratiæ repetendam existimaverit Jansenius; inde in utroque statu naturæ vel innocentis, vel læsæ, libertatis creatæ vires plus justo aut evexit, aut disperssit. Cùm enim vel solius integritatis in statu naturæ innocentis, vel solius infirmitatis in statu naturæ ægræ, & corruptæ seu lapsæ, rationem habendam esse vellet; & animadverteret, hominis sani, & innocentis non posse non esse vires integras, voluntatem rectam, ejusque libertatis arbitrium robustissimum; inde sufficere existimavit *Adjutorium sine quo*, seu gratiam sufficientem, & possibilitatis, quæ è nutu humanæ voluntatis penderet: ideoque in eo innocentis naturæ statu salvam, & integram mansisse libertatis ipsius indifferentiam. At verò cùm è contrà in statu naturæ lapsæ, ægræ, & corruptæ, homo post casum attritis, & labefactatis viribus semivivus relictus sit, nec possit se solo caput, aut etiam oculos attollere, opportunam suis malis medicinam quæsiturus; necesse est, inquit, lapsam ægramque naturam ea gratia medicinali Christi, eoque *Adjutorio quo*, & actionis, reparari; quod efficacissimas vires ei tribuat, quodque fastidientem, & ægram voluntatem, etiam & renitentem omninò subjiciat, quæ nullo pacto etiam quoad actum ad quem movet, in arbitrio voluntatis relicta sit: sed ita sanitatis desiderium ac ipsam sanitatem, ei immittat, ut ipsi nulla sit, aut necessariò esse debeat, renitendi dissentiendique relicta facultas.

Ita fusè statuit Tom. 2. de gratia Adami cap. 7. & seqq. & Tom. 3. lib. 6. integro, quo probat, minimè necessitatem libertati voluntatis repugnare, & cap. 6. hunc Titulum inscribit. *Duplex necessitas Augustino, coactionis, & simplex, seu voluntaria: Illa, non hæc, repugnat libertati.* Quod deinde toto libro usque ad cap. 38. & ultimum fusè prosequitur. Quibus tùm Patres, tùm Scholasticos omnes in ea sententia convenire ita existimat, ut tandem ultimum illud totius libri caput sic concludat. *Fidenter dico quicumque doctrinam illam à nobis traditam, erroris insimulare ausus fuerit, non Augustinum, non Bernardum, sed Philosophiam fortassis Aristotelis ducem, ac patronam habiturus est; & in ista Catholicæ Doctrinæ culmina, & columina, ut nihil de cæteris eorum sectatoribus eruditis, & sanctis loquar, necesse est ut Anathema primùm dicat.*

In quibus certè verbis, Jansenii fidem plurimum desidero, cùm etiam inter eos, quos in hujus erroris patrocinium advocare voluit, Sanctum Thomam reponat: de quo luce meridiana clarius est, existimasse, indifferentiam ad veram libertatis rationem, in quocumque statu aut esse aut intelligi unquam possit, adeò pertinere, ut gravem erroris censuram inurere adversæ sententiæ non dubitaverit, quem etiam principia omnia moralis Philosophiæ evertere affirmavit: de quo jam suprà diximus, & aliqua deindè referemus.

Altissimam, ut ipse putat Jansenius hujus rei rationem explicuerat eodem lib. potissimùm c. 4. & 5. in quo ultimo, totius libertatis cubile lustrat, quod ipsam nudam simplicemque voluntatem esse existimet, quæ ea ipsa ratione qua voluntas est, libera est. Ubi quo pacto libertatis cubile in ipsa voluntate à Jansenio sterni potuerit, non satis intelligo; si sola voluntas, ipsa libertas sit. Id verò ex pluribus Sancti Augustini locis deduci posse arbitratur. Unde circa medium §. *Hinc ergo*, inquit, *Quòd apud Augustinum, esse liberum arbitrium, & esse aliquam hominis vel Angeli voluntatem, seu volitionem, pro iisdem prorsùs usurpatur; nimirùm quia juxta doctrinam ejus apertissimè traditam, voluntas seu volitio, & libera voluntas idem sunt, sicut velle, & liberè velle, & impossibile sit ut velle non sit liberum.*

Hinc autem cap. 6. circa medium, §. *Doctrina* rationem reddit, cur ea simplex, & voluntaria necessitas minimè repugnet libertati; nimirùm quòd ipsi voluntati minimè adversa sit, nec quidquam aliud libertas exigat præter nudam simplicemque voluntatem. *Doctrina igitur*, inquit, *Augustini est, necessitatem illam primam, prout etiam naturam sic explicatam complectitur, [Nec aliud est respectu voluntatis, quàm quædam vis, aut violentia, aut coactio, quæ operatur id quod potest etiã nolente voluntate:] capitaliter repugnare libertati, eamque funditùs perimere; non autem illam necessitatem, quæ est simul voluntaria, qua scilicet simpliciter necesse est aliud fieri, non repugnante, sed immobiliter volẽte volũtate. Mira videbitur Scholasticis ista doctrina, & tamen in Augustini principiis est indubitata.* Ita Jansenius: nec ipsum sua refellit opinio quòd scilicet Scolasticis mira, novaque videretur aliquando ea sententia: sed ipsi etiam Ecclesiæ nova, falsa, erroneaque visa est, & ab Augustini sententia remotissima: ut quod ab eodem Sancto Augustino Pelagianis olim dictum est, Jansenio dici à nobis non immeritò possit, mira sunt quæ dicuntur, nova sunt quæ obtruduntur, falsa quæ defenduntur, & nos mira stupemus, cavemus nova falsaque revincimus.

Sed demùm ex eodem discrimine inter utrumque statum naturæ Innocentis, & lapsæ infirmæque, quod in omnem partem, & ad omnem usum Jansenius vertit, quod ipsi, & puppis, & pro-

prora fuit ; alterum etiam colligit, maximè obſervandum, ut vera ipſius de ſufficiente auxilio ſententia intelligatur. Exiſtimat enim, duplicem illam, quomodo duplicem Theologis dicere licet Divinam voluntatem, ſcilicet *Antecedentem*, & *conſequentem*, quam ex D. Damaſceno Sanctus Thomas explicat, 1. par. quæſt. 19. art. 6. ita eſſe diſtinguendam, ut *Antecedens*, primaria, & bonitatis, ad ſtatum innocentiæ dumtaxat: altera verò *Conſequens*, ſecundaria, & juſtitiæ, ad ſtatum dumtaxat naturæ lapſæ referatur. Neque audiendos eſſe putat Theologos, qui utramque in omni naturæ & rerum ſtatu locum ſemper habuiſſe, & olim homini innocenti proſpexiſſe, & nunc etiam lapſo proſpicere arbitrantur, ut varia ejus conditio poſtulat.

Sed convenit ipſum Janſenium audire, cùm res maximi momenti futura ſit, ad ejus mentem de ſufficienti auxilio intimiùs indagandam, nec quiſquam Janſenii ſententiam adulteratam fuiſſe contendat. Ita igitur Janſenius Tom. 3. de gratia Chriſti Salvatoris lib. 3. cap. 20. ubi illud Apoſtoli explicat, *Deus omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire . . . . . .* Quo loco inquit videtur indicari, *ſufficiens auxilium omnibus eſſe præparatum*. At verò nihil effici eo loco pro univerſalitate ſufficientis auxilii ex Divina voluntate, etiam omnibus præparati, contendit; quòd longè alio ſenſu ille locus à S. Auguſtino explicatus fuerit: atque hujus triplicem interpretationem affert, quæ hujus ſufficientiæ auxilii univerſalitati minimè ſuffragetur. *Primam* quidem, ut dicatur Deus omnes homines velle ſalvos fieri accommodata diſtributione, ſcilicet omnes qui ſalvantur, ſeu quod idem eſt, quia nemo fit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvum fieri ; ideoque rogandus eſt ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit Deus, nam Omnipotens inaniter velle non poteſt. Quam interpretationem Divo Auguſtino placuiſſe multis probat, neque negari poteſt. *Secundam* deindè interpretationem addit, ſcilicet eo loco intelligendam eſſe diſtributionem, non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum ; hoc eſt, pro omni genere hominum, pro Judæis, gentibus, pro ſervis, & liberis, principibus, & privatis &c. quam explicationem adhibuiſſe nec ſemel Sanctum Auguſtinum, adductis ipſius Auguſtini verbis non malè probat. *Tertiam* demùm explicationem addit, ut Deus dicat velle, omnes homines ſalvos fieri ; quia facit ut Sancti Viri ſalutem omnium velint, & optent, & orando deſiderent, & eam etiam fuiſſe uſurpatam à Sancto Auguſtino, quæ Janſenius refert, omninò demonſtrant: de quo inter omnes convenit.

Hanc eandem triplicem interpretationem refert Sanctus Thomas, dum eum locum Apoſtoli explicat 1. ad Tim. 2. & primam duplicem 1. part. quæſt. 19. articulo 6. Verùm de his nulla difficultas eſt: quis enim eam neget? ſed alteram explicationem addit Divus Thomas, qua apertè colligitur, omnibus parata eſſe ſufficientia auxilia Divina. Diſtinguit enim, & à Divo Damaſceno diſtinctam obſervat duplicem in Deo voluntatem: alteram ſcilicet *Antecedentem*, alteram verò *Conſequentem*. Et prima quidem ſcilicet Antecedente præparari à Deo omnibus auxilia ſufficientia ; altera verò ſeu Conſequente negari quibuſdam auxilia efficacia, quocumque modo explicentur. Atque eam interpretationem primùm à D. Damaſceno traditam, deinde à Divo Thoma uſurpatam, Theologi omnes pro omni ſtatu admiſerant; neque in ea ulla erat omninò controverſia.

At verò cùm eam interpretationem ſuæ Doctrinæ vehementer repugnare Janſenius intelligeret, novam hujus diſtinctionis explicationem commentus eſt ; & ex præconcepto judicio hujus diſcriminis, eam duplicem voluntatem ita diſtingui poſſe arbitratur. Unde relata ea D. Damaſceni diſtinctione in voluntatem *Antecedentē*, & *conſequentem* ex lib. 2. de orth. fide cap. 29. ita inquit Janſenius. *Quibus verbis Antecedentem ſeu primariam voluntatem vult* (Damaſcenus) *eſſe bonitatis, quam Deus videlicet ex ſeipſo in creaturis condendis concipit: Conſequentem verò ſeu ſecundariam Juſtitiæ, quam propter ſuperadditas ab homnibus circumſtantias habere compellitur. Sic enim alibi ſeipſum explicat. Hæc verò doctrina recta, & ſana eſt ; quam & S. Thomas probat, & ſequitur, & comparatione Judicis explicat, qui ex ſe homines ſervari cupit, quatenùs homines ſunt ; quatenùs autem peccatores, damnari. Significat ergo Damaſcenus, voluntatem quam Deus ex ſe concepit, quandò humanum genus inſtituit, quæque omnia peccata hominis anteceſſit, fuiſſe bonitatis, ut homo gratiæ, ſalutis, felicitatiſque particeps fieret: Nam idcircò addidit, neque enim ſupplicii ac cruciatus causâ, verùm ad hoc ut bonitatis ipſius participes ſimus nos effinxit: Voluntatem autē Conſequentem eſſe Juſtitiæ, qua peccatores diverſis ſuppliciis plecti vult, ac jubet. Sed talis voluntas Antecedens, quandiu res ſine acceſſoris circumſtantiis conſideratur, aliquid ad cauſandam gratiam ſufficientem, aliaq; media neceſſaria procurandæ ſalutis facit ; ut pote ex qua gratia primorum hominū ſufficiens fluxit. Sed poſtquàm peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur; Antecedens voluntas in ſola præciſione mentis, adeoque nuda quādā velleitate, nihil gratiæ cauſante, conſiſtere poteſt.*

Hactenùs Janſenius: quibus contendit, in primo quidem ſtatu naturæ Innocentis, homini fuiſſe à Deo conceſſa auxilia ſufficientia, ex ipſius Voluntate Antecedente, quæ huic ſtatui providebat : ſed in ſtatu naturæ lapſæ, & corruptæ peccato, nulla niſi efficacia concedi, cùm ſola Conſequens voluntas huic ſtatui præſideat.

Sed hic plura animadverti poſſunt, potiſſimùm quòd ad S. Thomæ authoritatem, qua Janſenius abutitur, ſpectat. Ea enim ipſa Divi Thomæ comparatione, ipſius Janſenii doctrina omnis profligatur ; cùm certum ſit à Judice homini quantumvis reo ea omnia concedi, quibus jus

ſuum

ſuum ſi quod habeat, tueri poſſit; aut innocentiam, ſi oppreſſa fuerit, vindicare, aut atrocitatem criminis, ſi ſupra verum actum fuerit minuere, ex ea voluntate antecedente, quæ ipſum judicem, erga hominem miſerum inflectit; quamvis deinde ex voluntate conſequente ſupplicia in reum decernat. Unde cùm eadem utraque conditio homini in omni ſtatu convenire poſſit; cùm beatitudinis capax ſit, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, & corruptæ; ipſi ſufficientia auxilia Deus confert, & ex communi providentia, & ut generalis proviſor totius univerſi, ex voluntate antecedente; quamvis deinde ſi homo impedimentum ponat, & ſe ſe majori gratia indignum præbeat, nec Deus indebita miſericordia erga indignum uti velit, ex voluntate Conſequente efficacem gratiam neget: vel ſi Divina miſericordia ſuperexaltet Judicium, & indignum etiam ſalvare velit dignumque efficere, ex eadem voluntate Conſequente eidem efficacia auxilia confert. Atque ea ratione cùm ea duplex conditio homini in omni ſtatu tum naturæ innocentis, tum lapſæ, reipsà conveniat, etiam ad utrumque ſtatum Divinam voluntatem tum Antecedentem tum Conſequentem S. Thomas extendit, & ex ea duplici voluntate duplicis generis auxilia, vel communia, & ſufficientia, vel peculiaria, & efficacia derivari contendit,

At verò hunc ſibi aditum Janſenius præcluſit: & cùm ei ſemper ob oculos conſtitutum ab ipſo diſcrimen verſaretur, ex eoque omnia metiretur, etiam hanc diſtinctionem voluntatis Divinæ ita intelligit, ut *Antecedentem* ad ſolum ſtatum naturæ innocentis, *Conſequentem* verò ad ſtatum naturæ lapſæ referat. Unde apertè conſequitur, neque admiſiſſe Janſenium, neque etiam admittere potuiſſe auxilia ſufficientia, quæ ex ea Divina voluntate, Antecedente, qua *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, homini in ſtatu naturæ lapſæ conferantnr: & Deum quidem in primo parente ea ſufficientia auxilia omnibus contuliſſe; ſed peremptis per Adami pec atum hominibus nulla conferri auxilia ſufficientia; & ſolùm Divinam voluntatem Antecedentem *in ſola mentis præciſione nihil gratiæ cauſante conſiſtere*. Unde & conſentaneè ad hoc conſtitutum principium contendit, Chriſtum Dominum *Animo redimentis* non eſſe pro omnibus mortuum, ut poſteà explicabimus.

Hæc ſumma doctrinæ Janſenii, ac veluti integrum ejus ſyſtema, ſuiſque omnibus partibus compactum, quòd attinet ad controverſiam de gratia Divina, S. Thomæ ejuſque ſcholæ ſententiæ omninò adverſum, ut non immeritò dici poſſit eò longiùs à verò Janſenium aberraſſe, quò longiùs à D. Tho. Doctrina receſſit, cui parum utpotè nimis in Ariſtotelis Philoſophia verſato deferendum putabat. Hæc deindè ſingillatim impugnabimus.

Sed hinc paucis, & veluti uno conſpectu, facilè eſt S. Thomæ Scholam ab ea calumnia vindicare, qua plures eam gravant, quòd nimirùm Doctrina Janſenii cum D. Thomæ Doctrina conſentiat: cùm econtrà nulli ex omni Theologorum cætu, à Janſenio remotiores ſint, & eſſe debeant quàm Thomiſtæ, quandiu Divæ Thomæ Doctrinam, ejuſque principia defendent. Et quidem ut paucis eam comparationem Scholæ Sancti Thomæ cum Janſenii ſententia jam explicata ineam. Quibus inter ſe convenire poſſent? gratia ſufficiente à Janſenio in ſtatu innocentiæ admiſſa? Atqui eam negat in ſtatu naturæ lapſæ, in quo neceſſariam eſſe Diſcipuli Sancti Thomæ contendunt, ut torpentem languidamque excitet voluntatem, quamvis non eas tribuat vires quæ omninò jacentem erigant. Sed forſitan gratia efficaci à Janſenio in ſtatu naturæ lapſæ admiſſa convenient? ſed eam in ſtatu innocentiæ Janſenius negat in quo Divi Thomæ Diſcipuli, & Angelis bonis opitulatam fuiſſe ut ſtarent agnoſcunt, & Angelis malis, & Adamo defuiſſe cùm ceciderunt. Sed præterea quibus conveniant? gratia ſufficiente? ſed ita ſufficere Janſenius arbitratur, ut ſecluſa quacumque alia validiori, voluntas pro ſuo arbitrio in partem quam vellet inflectat, & efficacem reddat, eaque ratione, & gratiam ſufficientem in ſtatu innocentiæ, & quidem ſolam admittit, cùm integras homo vires haberet, quibus ea uti poſſet cum vellet, & ut vellet efficacem reddere. In ſtatu autem naturæ corruptæ eam omninò negat, cui planè inquit inutilis eſſet, cùm natura nullas haberet vires, quibus ea uti poſſet, niſi validiori gratia juvaretur. Quæ ſi efficacior gratia homini concedatur, quo ſenſu, inquit, ex ea ſufficientis gratiæ notione, quam ſanè non ex Sancti Thomæ Schola, ſed ex aliis accepit; quo inquit ſenſu, altera ſufficiens dicenda erit, quæ reipsà non ſufficit. At verò Divi Thomæ Diſcipuli ita ſufficientem in ſuo ordine gratiam intelligunt, ad perficiendam, & diſponendam potentiam, ut tamen alteram, ſcilicet efficacem, ad efficiendum actum requirant; quam utramque tum ſtatus innocentiæ, tum ſtatus naturæ corruptæ, ità neceſſariò exigat, ut cùm hæc efficacior, & validior gratia Adamo defuiſſet, agnovit ipſe infelici experimento, liberum arbitrium quid poſſit, potentiori illa gratia non adjutum; ad malum quidem ſibi ſufficere, ad bonum verò nihil eſſe, ubi de ſalute æterna agitur, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono.

Sed demùm gratia efficaci forſan convenient? ſed eam ineluctabilem eſſe Janſenius exiſtimavit in ſtatu naturæ corruptæ, & voluntatem tanta dulcedine rapi, ut libertate abſorpta, nihil niſi velle poſſit ſe ea voluptate rapi, & dulci imperio premi. At S. Thomæ Diſcipuli gratiam efficacem (ut quidam ex Patribus dixit) artificioſam agnoſcunt, cùm ſcilicet Deus omnis, & multiformis gratiæ Author ita eam victricem delectationem temperet, ut licèt voluntas ea dulcedine, & voluptate ſe trahi, & rapi ſinat, attamen cum libertatis locus relictus ſit, poſſit trahentem voluptatem non ſequi.

Ex his igitur exploratum eſt, nihil planè in-

ter Thomistas, & Jansenium commune intercedere, nec ullos à Jansenio remotiores esse posse, quàm S. Thomæ Discipulos, cùm nullo planè principio conveniant, neque convenient unquam quandiù relictis sibi à suo Magistro principiis steterint. Sed operæ pretium est, fundamentum in primis Jansenii evertere, & evidentissimis etiam argumentis demonstrare, nullum esse discrimen illud quod inter utrumque statum naturæ innocentis, & lapsæ constituit.

ARTICULUS II.

Evertitur fundamentũ Jansenii, & discrimen ab eo constitutum inter statum naturæ innocentis, & lapsæ. Eandem necessitatem gratiæ in Adamo, ac cæteris hominibus, ex iisdemque principiis, à D. Augustino admissam esse, demonstratur.

PLurima jam à nobis dicta sunt Dissertatione prima, ubi ostensum est, admissam fuisse à S. Augustino eam subordinationem, & dependentiam creatæ voluntatis à Deo, ut prima causa, in omni omninò statu, cùm ea dependentia ita naturæ affixa sit, ut nulla ratione possit unquam avelli. Plura jam dicenda sunt in singulari, & probandum est etiam in statu naturæ innocentis datam, & Angelis, & Adamo gratiam efficacem, seu *Adjutoriũ quo*: quod quamvis ad perseverandum concessum minimè fuerit, & negatum esse, toties S. Augustinus animadvertit, ut ipsa etiam Adami culpa satis demonstravit: nunquam tamen à D. Augustino negatum est, fuisse necessarium Adamo ad ea virtutis opera, quæ brevi licèt tempore quo in Paradiso voluptatis versatus est, elicuit.

Controversia hìc potissimùm est de S. Augustini sententia; quòd enim ad D. Thomam spectat, ipsum Jansenius deseruit, ut Aristotelicæ Philosophiæ nimis addictum. Plura tamen ex S. Thoma referemus, ut verissimam, & constantem Principiorum D. Thomæ consensionem cum D. Augustini principiis demonstremus.

Probatur igitur primò ea ratione quam aliàs fusè prosecuti sumus, ut & in ipso limine veram S. Augustini mentem explicemus. Quamvis enim S. Doctor necessitatem gratiæ contra Pelagianos ut plurimùm ex infirmitate naturæ probaverit, attamen eam etiam ex illa communi subordinatione, & dependentia quàm sæpissimè probavit: nihil enim S. Augustinum latuit, & Philosophiæ non minùs acumine, quàm Theologiæ gravitate eximius ac summus, nullam omninò rationem prætermisit. Sed præsertim in lib. de Civit. Dei & lib. contra Academicos, aliisque ubi maximè rationem adhibet, & tanquam unicam disputationum moderatricem audit: Atqui ea dependentia eadem est in omni omninò statu, cùm ea in ipsa conditione creaturæ fundamentum habeat: & sicut nulla creatura unquam à se esse potest, ita neque ex se operari, ut S. Thomas demonstrat; alioqui enim in eo ordine voluntatis creatæ esset primum agens, quod à recta ratione, & à S. Augustini principiis alienissimum est. Unde & facilè Augustinum cum ipsomet Augustino Jansenius conciliare potuerat. Advertisset enim, si S. Thomam interpretem audire voluisset, D. Augustinum, cum Philosophiæ principiis utitur, Divinæ motionis, ac Divinæ etiam prædefinitionis, cujus eam motionem executricem esse suprà diximus, ad omnem naturæ motum effectumque, necessitatem, & efficaciam ultrò admisisse: ideoque & Divinæ Providentiæ eam non immeritò vim, & efficaciam tribuisse, qualem Veteres olim Fati nomine intelligebant, quam providentiam totius Orbis regimini invigilantem, si quis Fati nomine vellet intelligi, is, inquit; *sententiam teneat, linguam cohibeat*: Neque enim prophanum suspectumque Fati nomen usurpare licet, aut convenit, ne cum infidelibus vel ipsa nomina inquit Divus Thomas videamur habere communia. At verò quoties S. Augustinus Divinæ legis, & Sacræ Scripturæ testimonia advocat, ac Theologum agit, ut in his præsertim libris, in quibus contrà Pelagianos, & superstites Pelagianorum reliquias Massilienses disputat, qui Divinæ Scripturæ oracula, tanquàm Fidei certam, & irreformabilem, ut Tertulliani verbo utar, regulam agnoscebant; tunc gratiæ necessitatem ex infirmitate naturæ repetit, qualem ex Scriptura Sacra didicimus, ortam ex defectione primi Parentis, posteros suo in sinu præfocantis, corrupta natura, quæ ab ipso ut prima origine, deinde in cæteros longa propagatione diffundenda erat.

Atque ea unica observatione quam non advertit Jansenius, alioquin in Sancto Augustino non mediocriter versatus, eo, ut opinor, præjudicio, quòd ei suspecta essent quæcumque ratio suppeditare poterat; intelligere facilè potuisset; quo sensu hanc utramque gratiam, hoc duplex adjutorium duplici statui assignasset eximius gratiæ defensor S. Augustinus, qui prout varia certaminum conditio postulabat, arma commutare consueverat, nunc ratione, nunc fide adhibita. Nimirùm si sola infirmitatis ratio haberetur, quam D. Augustinus maximè contra Pelagianos urget, cùm ea infirmitate non teneretur homo sanus, homo integer; ex eo capite, nulla nisi hæc lætissima gratia cum delitiis conjuncta necessaria fuisset, voluntati subdita, sufficiens, possibilitatis sanitatis, *Adjutorium sine quo*. At verò in statu naturæ corruptæ, cùm homo lapsus, & quadruplici etiam vulnere gravissimè confossus, vix ullas vires superstites habeat, & certè nullas, quòd ad salutem æternam pertinet, adeò

ut

ut nec minimo gemitu aut suspirio sanitatis, & salutis desiderium prodere possit, nisi hoc ipsum desiderium gratia Divina voluntati nostræ immittat: ex eo sanè capite altera efficacior, & potentior gratia Dei requirebatur, quæ deperditas hominis vires repararet; efficax, actionis, medicinalis, *Adjutorio quo*. Quæ tamen gratiæ distinctio, & in utrumque statum distributio, non efficit, quin ex alio capite, scilicet ex subordinatione causæ secundæ sub prima, ejusque indigentia à naturæ creatæ conditione omninò indivulsa, in omni statu, quicumque tandem ille esse possit, naturæ puræ, integræ, innocentis, lapsæ, reparatæ, & cum ipsa Beatifica visione conjunctæ, hæc utraque Divina gratia, hoc utrumque adjutorium Deique concursus requiratur. Cùm enim in omni statu hæc duo cum natura creata conjuncta sint, posse scilicet & agere, actus & potentia; potentia naturæ congenita, actus à potentia elicitus: inde necesse est utrumque, & potentiam, & actum adjutorio, & concursu consentaneo, perfici à Deo authore naturæ, vel consentanea gratia à Deo per gratiam reparatore naturæ; potentiam quidem *Adjutorio sine quo*, & gratia possibilitatis, quæ ipsam potentiam perficiat compleatque; actum autem *Adjutorio quo*, & gratia actionis, quæ ad ipsum eliciendum moveat, applicetque potentiam, ipsumque efficiat.

Confirmatur *Primò* quòd Sanctus Augustinus, quàm sæpissimè, & in ipso etiam libro de correptione, & gratia, necessitatem gratiæ in statu naturæ corruptæ, probet ex ipsa Divina operatione in rebus, id est ex ipsa dependentia, & subordinatione omnium causarum àDeo primo agente, primoque movente. Probat enim, Deum operari in cordibus hominum; nec boni quidquam fieri, nisi ea subministratione virtutis, quæ omnia in rebus omnibus operatur. Etenim hujus operis de Correp. & gratia quod Jansenii sententiæ fundamentum est, cap. 2. probat, non satis esse, eam gratiam quæ monstret quid faciendum sit, nisi ea gratia id quod esse faciendum monstrat, ipsa efficiat, *inspiratione bonæ voluntatis, & operis*. Atque id probat comparatione quam usurpat Apostolus 1. ad Cor. 3. *Monebat*, inquit, Apostolus, *docebat, hortabatur, increpabat: sed sciebat, hæc omnia non valere quæ plantando, & rigando faciebat in aperto, nisi cùm pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto: quoniam sicut idem Doctor gratiæ dicit; neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Atque ibidem subjungit, ita debere ab his existimari, qui intelligunt. *Si Filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant*. Quibus verbis explicare solet *occultissimam, & potentissimam*, ut inquit cap. 5. sequenti, Divinæ gratiæ Divinaque operationis vim & efficaciam.

Sed prætereà cap. 14. postquàm duplex illud adjutorium *& quo*, & *sine quo* dixisset Sanctus Augustinus, iterùm eadem comparatione utitur. *Quis*, inquit, *operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui in quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbustis operante dat incrementum Deus, cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle vel nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

Eandem quàm sæpissimè alibi comparationem adhibet idem S. Doctor: sed hæc retulisse satis sit, cùm ea deprompta sint ex eodem opere, in quo Jansenius suæ sententiæ, & fundamentum, & præsidum constitutum esse arbitratur. Elegantiùs eandem comparationem adhibet D. Prosper Carmine de Ingrat. hisque versibus exornat.

Percurrat Apostolus Orbem:
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quoque viam verbo seratam invenit, intret:
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non Doctor, neque Discipulus, sed gratia sola
Efficit, inque graves adolet plantaria fructus.

Eodem sensu explicat Sanctus Thomas eum Apostoli locum, lect. 1. ubi inquit: *Ea differentia est operationis ministrorum qui exteriùs operantur plantando, & rigando, ad operationem Dei qui interiùs operatur. Unde subdit Apostolus; sed Deus incrementum dedit, interiùs operando 2. ad Cor. 9. augebit incrementa frugum Justitiæ. Sic etiam in rebus corporalibus plantantes, & rigantes exteriùs operantur, sed Deus operatur interiùs per operationem naturæ ad incrementa plantarum.* Legendum est caput 9. secundæ ad Corinth. quod refert Sanctus Thomas, ubi egregiè Sanctus Paulus ex ea Divina in rebus operatione, quæ *multiplicat semen seminanti*, hortatur Corinthios ad eleemosynam promptè cum gaudio, & abundanter erogandam.

Igitur S. Augustinus ab Apostolo edoctus probat Divinam operationem in voluntate, in qua Deus omnia efficit; comparatione Divinæ operationis in rebus, quæ etiam perpetuò in ipsa natura operatur, eam vegetat, eamque movet, ac in ea omnia efficit. Atqui ea ratio in omni omninò statu naturæ seu innocentis, seu lapsæ, etiam locum habet. Ergo intellexit D. Augustinus universalissima ratione, quæ communis est causis omnibus, omnique statui in quo reperiri unquam homo possit, atque adeò & statui innocentiæ, Deum interiùs in ipsa voluntate non minùs quàm in ipsa natura operari.

Et verò scire velim, num etiam quandiu duravit felix ille naturæ innocentis status, eadem esset Dei in rebus operatio, cum spontè sua tellus omnia liberiùs nullo poscente ferebat, cum ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis saucia vomeribus per se dabat omnia tellus; num Deus intùs naturam moveret? an verò Adami peccato effectum sit, quòd jam Deus naturam movere inceperit, quam priùs suo veluti genio reliquerat, ut probaretur quid ipsa posset? non puto quemquam ista concessurum, & remotissi-

mum ab ea cogitatione S. Augustinum fuisse dubitari non potest; cùm Sanctus Doctor, prætereà quæ alibi ex ipso retulimus, lib. unico de Genesi ad litt. cap. 4. Id quod de prima rerum institutione dicitur *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, ita intelligat, *Quòd vi quadam effectoria, & fabricatoria* Spiritus Dei suo operi superferebatur: *Sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet.* Quis autem dubitet, Spiritum infusum corpori, ipsum perpetuò movere. Unde inquit D. Thomas 4. cont. Gent. cap. 20. quòd ferebatur tanquam *motionis principium*, quod ipsi ex sua proprietate convenit, ut amor: vim enim impulsivam, & motivam amor habet. Atq; id expressiùs explicat vox hebraica רוח אלהים מרחפת על פני המים & *Spiritus incubabat aquis, vel fovebat aquas*; quod S. Basilius ex Viro quodam Syro, scilicet S. Ephrem observat, cujus lingua, inquit, cùm sit propior hebraicæ, significatiorem vocem intelligere potuit. Sed ex ipso, ut dixi, hebraico fonte ita intelligitur. Quæ tamen vox, ut puto, nullibi aliàs in Scriptura Sacra reperitur. Atque *ea similitudine avicula incumbentis, vimque vitalem imprimentis in ea, quæ ab ipsa foventur*, vis illa impressa, qua operatio Divina res omnes vegetat, & movet, mirum in modum explicatur. Quæ omnia & adhuc plura colligit S. Thomas 1. par. quæst. 74. art. 3.

Igitur non oritur ex peccato hominis, quòd Deus naturam creatam sibi olim à principio relictam movere inceperit; sed ex ea communi dependentia, qua velut umbra à corpore, radius à Sole, vox à proferente, semper à Deo natura dependet.

Et peccato quidem primi hominis aliquid amissum à natura quidam existimarunt, & ut inquit D. Thomas in 4. Suppl. quæst. 91. art. 3. *In illud Isai. 30. erit lux Lunæ, sicut lux Solis; dicit Glossa omnia propter hominem facta sunt, in ejus lapsu pejorata, & Sol, & Luna suo lumine minorata; quæ quidem minoratio à quibusdam intelligitur secundùm realem minorationem luminis. Nec obstat, quòd corpora cælestia secundùm naturam sint invariabilia, quia illa variatio facta est Divina virtute.* Licèt autem hujus sententiæ non sit Sanctus Thomas, neque illam imminutionem factam fuisse existimet, *secundùm realem luminis defectū*; existimat tamen factam fuisse *quoad usum hominis, qui non tantum beneficium ex lumine corporum cælestiū post peccatum consecutus est, quantum antea fuisset.* Sed ut ut sit, totius Universi naturæ illatum fuisse gravissimum damnum primi hominis peccato, ac deinde superadditis hominum peccatis, ex ea iliade malorum, quæ nos nascentes excipiunt, satis experimur. Unde & aliquando à Patribus peccatum dictum est, *Communis injuria Mundi.* Atque in illud Deuteron. 32. vers. 5. *generatio prava atque perversa* Paraphras. Hierosol. legit, *etiam ordines Mundi perversi sunt propter eam.* Cui simile est quod Ecclesiast. cap. 18. dictum est. *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet.* Ubi quidam explicant, *Peccans, occasionem affert ut perdatur bonum magnum, ex Mundo*: Quid enim ipsa Divina gratia majus aut sublimius, quæ naturæ Divinæ participatio est? Atqui ea peccato amittitur. Quid felicius immortalitate, ac summo in res omnes creatas dominio, cæterisque dotibus quibus homo simul fictus simul Rex factus ut inquit Seleuciensis, veluti corona redimitus fuerat? Atqui pallida mors, mortisque comites, & satellites, omnis generis calamitates, has præclarissimas dotes extinxerunt. Peccato immutatam esse innocentem naturam ipse homo dum nascitur clamat.

At verò quòd peccato novum beneficium natura consecuta sit, & singulari providentia Deus naturam administret, eamque moveat, cùm anteà collata solùm fœcunditate, & dumtaxat instructam facultatibus agendi eam suis viribus permisisset, ut experiretur quid posset, nemo est, ut puto, qui ita sibi unquam in animum inducat.

Igitur cùm eadem sit hominis, ac totius naturæ conditio, cujus ipse præcipua pars est, existimandum est eandem esse hominis, sicut & rerum omnium creatarum, in omni statu, & ordine à Deo dependentiam: neque ita reliquisse hominem in manu consilii sui, ut in ipso nihil deindè ageret, sed se ipsum homo meliorem faceret, quàm Deus ipsum fecisset, aut impleret ipse, quod Deus pollicitus erat, quæ tanquam gravissima incommoda Sanctus Augustinus exhorret. *Hominem Deus posuit in Paradiso ut operaretur, & custodiret illum*, scilicet ipsum hominem, ut explicat idem Sanctus Doctor, lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 10. *Sicut enim*, inquit, *operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam: sic Deus hominem multò magis quem ipse creavit, ut homo sit, nunc ipse operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat..... Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem & secundùm animam, & secundùm corpus, mutabilis res est, nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus subsiterit, formari ut justus beatusque sit non potest: ac per hoc Deus idem qui creat hominem ut sit, ipse operatur hominem atque custodit, ut etiam bonus beatusque sit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata atque fœcunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit, eumque custodire, quòd homo sua potestate in se quàm illius supra se delectatus, dominationemque ejus contemnens tutus esse non possit.*

Hactenus Sanctus Augustinus, ubi Deum in homine etiam innocente operatum fuisse inquit, ut justus & beatus fieret, quia scilicet homo accepta potestate ex solius innocentiæ statu, nec justus, nec tutus esse poterat, nisi Divina operatio, & Divina custodia accessissent; & ideò posuit eum in Paradiso ut operaretur, & custodiret illum, eaque custodia, & operatione veluti muniret, & excoleret.

Con-

Confirmatur *Secundò*, quòd cùm plurimæ rationes fuerint, quibus gratiæ effectricis necessitatem S. Augustinus demonstravit, nedùm major pars, sed omnes omninò, excepta unica, quæ ex infirmitate naturæ petitur, non miuùs in Angelis, & Adamo in statu Innocentiæ, quàm in Adami posteris iu statu naturæ lapsæ, locum habent; neque ullus vel minimus locus sit, in quo Divus Augustinus significaverit, ea omnia quæ fusè prosequitur, minimè ad statum naturæ Innocentis pertinere, sed ad solum naturæ lapsæ statum restringenda esse. Etenim ut aliqua colligam; contendit Sanctus Doctor, nullius creatæ potestatis esse Divina promissa implere: ipse enim qui promittit Deus, ipsemet implet; sicut cùm aliquid ab homine agi jubet, ipse agit, ut jussis homo obtemperet: alioquin homo cum Deo componeret: Deus promitteret, & homo Divina promissa impleret, eoque pacto primas etiam partes homo haberet, seque homo meliorem faceret quàm Deus ipsum fecisset. Ex quo etiam consequeretur, quòd neque deberet homo à Deo petere, ut impleret quod promitteret; aut ut efficeret quod juberet: neque subindè teneretur gratias Deo agere, cùm ipsius promissa impleviset, aut jubenti Deo obtemperasset; sed posset in se se ipso gloriari, non in Deo, à quo dumtaxat habuisset, quòd posset obtemperare, cùm jam haberet à se quod reipsà obtemperaret: quæ omnia fusè S. Augustinus contra Pelagianos prosequitur, quæque & indigna pietate Christiana, & Fidei adversa esse contendit. Unde & Pelagianos gratiæ inimicos, *& inflatores, ac præcipitatores liberi arbitrii* toties nuncupavit.

Atqui ea omnia non minùs pietati adversa in statu Innocentiæ essent, qnin immò & eo magis quòd pluribus donis homo tunc exornatus, & in eo felicissimo statu constitutus, omni virtutum genere sese exercere, omniaque Deo accepta referre, nullam sibi gloriam usurpare, nihilque suis propriis viribus tribuere teneretur.

Atque ut ea sigillatim explicem: In primis contendit S. Aug. de Præd. SS. c. 10. non aliud promitti à Deo, quàm *Quod est ipse facturus, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcepit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promisit: alioquin ut Dei promissa impleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate*; quod Divinæ potestati aut liberalitati repugnare D. Augustinus arbitratur: Atqui hæc eadem ratio etiam in Adamo Innocente locum habuit. Suppono enim in primis, ut mox diximus, hominèm collocatum à Deo in Paradiso, ut *Deus operararetur, & custodiret ipsum*, ipseque homo sub ejus dominatione viveret. Suppono prætereà Deum homini in Paradiso collocato, & quocum Deus summa familiaritate agebat, ut notat Sanctus Thomas in 2. ad Annibald. dist. 29. quæst. unica art. 1. ex qua familiaritate ptobat, fuisse conditum hominem in gratia; Deum, inquam, sua præceepta ei intimasse, ipsique permisisse, ut ex omni ligno Paradisi ederet, unius dùmtaxat ligni in tanta abundantia, facta prohibitione, ut ipsius obedientiam probaret. Demùm suppono non statim transgressum fuisse Adamum præceptum sibi impositum: sive enim per plures annos, ut quidam existimant, quod parùm verisimile est; sive per plures dies, quod probabilius esse posset; sive per plures horas, quod propriùs verò accedere videtur, status ille Innocentiæ Adami duraverit; dubitari non potest. quin & eo tempore præceptum servaverit: quod sibi quisque suadebit, qui Adamum, ut inquit Sanctus Thomas 1. par. qu. 95. art. 3. ex S. Augustino, *Pudicitiâ ornatum, temperantiâ compositum, charitate circumdatum* fuisse intellexerit, de quo plura dicemus infra.

Igitur promisit Adamo Deus cum eo familiariter agens, pactumque cum eo ut totius humani generis capite iniens, promisit inquam, præstiturum se ipsi opem, ut in ea felicitate ac virtutum exercitio perseveraret, dummodo ipse Adamus Divino præcepto impositio pareret, neque primus initum fœdus abrumperet: quandiu ergo in hoc felici statu Adamus perstitit, & iu eo virtutum exercitio perseveravit, nulla adhuc tentatione pulsatus: in cujus voluntatis potestate erat implere, quæ Deus promiserat, an Dei an Adami? Si nulla effectrix gratia Adamo concessa est, quæ eos virtutum actus eliceret: Ergo non in Dei, sed in Adami solius erat potestate ut Dei promissa complerentur: Atqui id rectæ rationi repugnat, & ut ibidem inquit Sanctus Augustinus lib. de prædest. SS. cap. 10. *Id credere nos pietas vetat*. Et verò cur repugnet in statu naturæ lapsæ, & non repugnet in statu naturæ innocentis?

Confirmatur *Tertiò*, quod idem planè senserit D. Augustinus de homine pro illo statu Innocentiæ, ac de cæteris in statu naturæ lapsæ hominibus. Etenim eod. lib. 8. de Genesi ad litt. cap. 11. ubi de Adamo adhuc innocente loquens egregiè ibid. observat S. Doctor; *Nullo modo vacare, sed nos aliquid & magnũ aliquid admonere, quòd ab ipso Divini hujus libri*, scil. Genes., *exordio nunquam positum est, Dominus Deus, nisi ubi ad illud ventum est, ut hominem in Paradiso constituerit, eumque per præceptum operaretur, & custodiret*. Nimirum ad admonendum hominem, *quantùm ei expediat habere Dominum Deum, hoc est sub ejus dominatione obedienter vivere*. Atque hujus rationem reddit S. Doctor, quòd homo nihil unquam à seipso, accepta solùm potestate agendi agere posset, nisi Deus ipsum perpetuò operaretur, & veluti excoleret. Neque enim, inquit, *Tale aliquid est homo factus, ut deserente eo qui fecit, possit aliquid agere benè tanquàm ex seipso. Sed tota ejus actio bona est, converti ad eum à que factus est, & ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: non fieri & recedere, sicut à corporis medico sanari & abire: quia medicus corporis operarius fuit extrinsecus, serviens naturæ intrinsecùs operanti sub Deo, qui operatur omnẽ salutẽ gemino illo opere providentiæ, de qua suprà locuti sumus. Non ergo ita se debet homo ad Dominum conver-*

vertere, ut cùm ab eo factus fuerit, justus abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cùm ab illo non discedit, ejus ipse præsentia justificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante & custodiente Deo dum obedienti subjectoque dominatur. Neque enim, ut dicebamus, sicut operatur homo terram, ut culta atque fœcunda sit, qui cùm fuerit operatus abscedit, relinquens eam vel aratam, vel satam, vel rigatam, vel si quid aliud manente opere quod factum est, cùm operator abscesserit: Ita Deus operatur hominem justum, ideſt justificando eum, ut si abscesserit, maneat in absente quod fecit: sed potiùs sicut aër præsente lumine nō factus est lucidus, sed fit: quia si factus esset non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret. Sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur. Ille itaque operetur hominem bonum, atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est: semper ab illo fieri, semperque perfici debemus inhærentes ei, & in ea conversione quæ ad illum est permanentes, de quo dicitur, mihi autem adhærere Deo bonum est, & cui dicitur, fortitudinem meam ad te custodiam. Ipsius enim sumus figmentum, non tantùm ad hoc ut homines simus, sed ad hoc etiam ut boni simus.

Hæc ibi S. Augustinus; ubi planè de Adamo loquitur Sanctus Doctor, ut de cæteris hominibus loqui solet, nihil scilicet Adamum agere posse ex se ipso; sed justificari, illuminari, & beatificari, *Operante, & custodiente Deo, dum obedienti subjectoque* Adamo dominatur Deus. Ubinam verò hæc libero arbitrio gratia subdita? Non sanè gratia subdita, sed Domina fuit: cui Adami voluntas subdita esset, ne scilicet à Deo solùm haberet quòd bonus esse posset, à se verò quòd bonus esset; & quod inde consequitur, quòd Adamus promissa Dei, non Deus in Adamo sua promissa impleret.

Et verò si obtineret Jansenii sententia, & si Deus Adamo solùm *Adjutorium sine quo*, seu sufficientem gratiam, & potestatem agendi contulisset: à Deo quidem accepisset homo, ut bonus esse posset, à se autem quòd bonus esset: cùm à Deo solùm potestatem exercendi virtutem, accepisset, à se verò virtutem haberet: ac demum opportunissima esset ea comparatio arboris cultæ cum Adamo virtutibus jam exornato: & Deus cum Adamo egisset, *Sicut homo operatur terram, ut culta atque fœcunda sit, qui cùm fuerit operatus abscedit*, neque ipse fructus ex arbore educit: Atqui Deus ex S. Augustini sententia, ita in homine operatur, ut nedùm agendi potestatem ei conferat, sed etiam ipsius actum efficiat, & operante Deo homo bonus sit: sicut aër perpetua luminis infusione lucidus fit, nihil enim potest *bene agere tanquam ex se ipso*.

Atque eam esse apertissimam S. Augustini sententiam, præter ea quæ præmisimus, iterum liquet ex his quæ subjungit, ubi ipsius Adami cum cæteris hominibus comparationem instituit. Unde & statim ita prosequitur. *Nam & Apostolus cum Fidelibus ex impietate conversis gratiam quâ salvi facti sumus, commēdaret; gratiâ enim, inquit, salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quę præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Et alibi cùm dixisset; cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; ne sibi putarent tribuendum, tanquam ipsi se facerent bonos, & justos, continuò subjecit: Deus enim est qui operatur in nobis. Sumpsit ergo Dominus Deus hominem quem fecit, & posuit eum in Paradiso, operari eum, &c.*

En planè simillimam ex S. Augustino, aut veriùs eandem in Adamo, & in cæteris hominibus, Dei operationem. Et quamvis non eadem esset timendi causa, nec eadem naturæ infirmitate Adamus premeretur, qua nos premimur, nec ipse sui casus præscius esset; erat tamen aliqua; cùm ejus inobedientiam Deus morte puniendam fore ei significasset; atque utinā salutaris timor nimiam sui præfidentiam, & præsumptionem repressisset.

Confirmatur *Quartò*. & simile argumentum fieri potest, quòd ex S. Augustino lib. de prædest. SS. cap. 11. cùm aliqua jubet Deus. *Ideò hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quòd & nos ea faciamus, & Deus facit ut illa faciamus.* Unde & illud ab eodem Sancto Doctore *in confessionibus* præclarissimè dictum: *Domine da quod jubes, & jube quod vis* Quòd adeò malè Pelagium habuit: ut ibidem refert Sanctus Augustinus cap. 20. de quo plura aliàs diximus. Atqui & ea etiam locum habent in Adamo illo felicitatis, & Innocentiæ tempore, quo præcepto Divino obtemperavit. Ideò enim Deus obedientiam præcepit, ut intelligeret, ab eodem qui ei præceperat, obedientiam sibi dandam fore, & obediendi voluntatem: nec dubitari potest, eandem etiam Sancti Augustini sententiam ad ipsum Adamum innocentem extendi debere; cùm idem Sanctus Doctor iterùm de Genesi ad litt. lib. 11. cap. 4. eodem planè modo de Adamo ac de cæteris locutus fuerit. In primis enim, inquit, *Si quæritur, cur Deus tentari permiserat hominem, quem tentationi consensurum præsciebat, altitudinem quidē consilii ejus penetrare non possum.* Rationem tamen esse aliquam non dubitat: eamque reddi posse inquit, ut scilicet agnosceretur, Adamum sua *In potestate habere velle, non consentire suadenti: adjuvante tamen illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Poterat equidem Adam non consentire suadenti serpenti: poterat rejecta tentatione, Deo jubenti obtemperare: sed poterat non sola potestate quam acceperat, sed adjuvante Deo, seu Dei ope & majori gratia, quæ efficeret ut tentationem vinceret: & quæ tamen Divina gratia ei defuit, quia se se ea indignum exhibuit; desertus à Deo, quia primus violato præcepto, ac nimia suarum virium præsumptione Deum deseruit. Etenim ut Sanctus Augustinus subjungit. *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste*

ten-

tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quid de ſe falsò præſumpſerit diſceret. Veriſſimè quippe dictum eſt; ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et hujus fortè hominis vox eſt in pſalmo: „ *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.* „ *Deinde jam expertus quid mali habeat ſuperba præſumptio propriæ poteſtatis, & quid boni Adjutorium gratiæ Dei:* „ *Domine, inquit, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, avertiſti autē faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* „ *Sed ſive illud de hoc homine, ſive de alio dictum ſit, extollenti ſe tamen animæ, & nimiùm tanquam de propria virtute præſidenti, etiam experimento pœnæ fuerat demonſtrandum, quoniam non benè ſe habeat facta natura, ſi à faciente receſſerit.*

Hæc Adami ruinæ cauſa quod *de falſo* præſumpſerit: cur autem falsò præſumpſit, ſi accepta ſola ſufficienti agendi poteſtate, nulla majori, & efficaciori gratia indigeret. Hæc tamen Adami ruinæ, & deſertionis cauſa fuit, ut ſcilicet agnoſceret, *Quid mali habeat præſumptio propriæ poteſtatis, & quid boni adjutorium gratiæ Dei.* Quamtumvis integra eſſet Adami natura, rectaque voluntas, ſuperba tamen præſumptio fuit, quòd acceptam à Deo agendi poteſtatem ſatis eſſe exiſtimaverit. Unde & idem Sanctus Auguſtinus cap. 6. ſequenti advertit, eo Adami lapſus exemplo maximè hominum præſumptionem contundi, & humilitatem commendari. *Mirum eſt enim,* inquit, *quantùm illa humilitas qua ſubdimur creatori, ne tanquam ejus adjutorio non egentes de noſtris viribus præſumamus, per Scripturas omnes Divinas cura continua omnibus commendatur.* Eandem ſcilicet eſſe perpetuò S. Auguſtinus exiſtimavit rationem, & Adami, & aliorum hominum, quòd par omnium conditio aut natura ſit, quamvis non ſit eadem infirmitas. Nulla Dei gratia uti homo poteſt, niſi ipſius uſum ipſa etiam gratia operetur, & ſuperba creaturæ præſumptio eſt, exiſtimare, ſe poſſe cum gratia ſemel accepta, aut ſola facultate operandi, operari virtutem, præcepta Divina, aut promiſſa implere, juſſiſque Divinis obtemperare, niſi ipſamet Dei gratia vi ſua hæc omnia efficiat.

Confirmatur *Quintò*: atque ut totius Doctrinæ Auguſtinianæ, immò & Fidei Chriſtianæ ſummam complectamur, etſi alii aliter explicare ſoleant: Primum principium graviſſimæ illius controverſiæ, aut totius œconomiæ de gratia illud conſtituendum eſt: Deum efficere in nobis nedum poſſe velle, & poſſe agere, ſed etiam ipſum velle, & ipſum agere, & ut legit Sanctus Auguſtinus ex Græco τὸ ἐνεργεῖν operari. Hoc enim toto potiſſimùm opere de gratia Chriſti proſequitur Sanctus Doctor contra Pelagianos, à quibus tanta ſollicitudine, & acumine hæc tria diſtinguebantur, *poſſe, velle, & agere*. Et poſſibilitatem quidem hominis adjuvari à Deo ultrò concedebant, ſeu nobis à Deo concedi poſſe agere: quam agendi potentiam tandem Sancti Auguſtini argumentis convictus Pelagius, cum priùs in natura vel exemplo repoſuiſſet, poſteà in gratia Divina repoſuit, ut ipſe S. Auguſtinus advertit. Ipſam autem voluntatem, ſeu noſtræ voluntatis actum non niſi à nobis eſſe contendebat, quod D. Auguſtinus vehementer reprehendit, quaſi quod à nobis eſt tam ſit validum, ut adjuvari non debeat; quod à Deo conceſſum eſt, tam invalidum ſit ut adjuvari debeat. Ita enim lib. de gratia Chriſti cap. 3. inquit S. Doctor. *Denique gratiâ Dei non iſta duo quæ noſtra omninò vult eſſe* (Pelagius) *id eſt voluntatem, & actionem, ſed iſtam quæ in poteſtate noſtra non eſt, & nobis ex Deo eſt, id eſt poſſibilitatem perhibet adjuvari: tanquam illa quæ noſtra ſunt hoc eſt voluntas, & actio, tam ſint valentia ad declinandū à malo, & faciendum bonum, ut Divino auxilio non indigeant: Illud verò quod nobis ex Deo eſt, hoc eſt poſſibilitas, tam ſit invalidum, ut ſemper gratiæ adjuvetur auxilio.* Atque eundem errorem fuiſſe Origenis obſervat D. Tho. 3. cont. Gent. quem aliàs retulimus.

Hoc igitur primum totius Myſterii de Divina gratia principium: omnia in nobis efficere Deum, nec ſufficientiam noſtram ex Deo dumtaxat eſſe, ſed & ipſum voluntatis noſtræ primum motum, & quidquid ad ſalutem quoquo modo conducit: Atque huic unico cardini ſtabiliendo totus Auguſtinus incumbit, cæteraque omnia advocat, quorum jam aliqua explicuimus, alia verò hìc ſubjicimus; non enim dumtaxat poſſe agere Deus aut jubet, aut promittit, ſed ipſum etiam agere, in quo ſalus poſita eſt: Ergo cùm illud Deus ipſe efficiat quod promittit; ipſemet efficit ipſum agere: Atqui ea ratio non minùs vim habet in ſtatu innocentis naturæ, quàm in ſtatu naturæ corruptæ in quo degimus. Neque enim ea dependentia agentis hominis à Deo: aut ea immediata Dei operatio in homine, in infirmitate naturæ fundatur, aut ratione cujuſque ſtatus exigitur: ſed in ipſa natura ut quemcumque ſtatum prævevenit locum habet; adeòque exigitur, ut natura omnis hujuſque omnes motus ceſſante Divina operatione, Divinaque motione extinguerentur. *Si enim ea virtus ab eis quæ creata ſunt regendis aliquando ceſſaret, ſimul & eorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret,* ut inquit Divus Auguſtinus de Gen. ad litt. cap. 4. & refert D. Tho. qu. 5. de Potent. art. 1. aliaque ejuſmodi plura. Et verò quis dubitet etiam de homine in quocunque ſtatu reperiri unquam poſſit, veriſſimum eſſe, quòd ab Apoſtolo dictum eſt, *In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus?* An verò ab ea lege innocentia Adamum eximeret? Quin ea ipſa hujus infuſa gratia ac eximia ſanctitas ut fortiùs validiùſque à Deo moveretur exigebat. Etenim, ut inquit D. Tho. 3. cont. Gent. c. 95. *Quantò aliqua ſunt propinquiora movēti, tantò efficaciùs impreſſionem moventis aſſequuntur: nam & quæ propinquiora ſunt igni, magis ab ipſo calefiunt. Subſtantiæ autē intellectuales propinquiores ſunt Deo, quàm ſubſtantię naturales inanimatę: Efficacior eſt igitur impreſſio Divinæ motionis in ſubſtātiis ſpiritualibus*

tualibus quàm in ſubſtantiis aliis naturalibus. Si quæ de Divina motione cum Divina immenſitate, & primaria operatione quaDeus in rebus inexiſtit, in mentem revocentur ; nullum omninò dubium ſupererit. Eadem enim ratione qua in Areopago dictum eſt ab Apoſtolo, *Quòd in Deo vivimus movemur, & ſumus* : etiam eadem ratione ad Philippenſes ſcripſit, quòd *Deus* in nobis *operatur velle, & perficere*, aut, ut D. Auguſt. legit ex Græco *velle & operari*.

Confirmatur *Sextò* ; pluresque ſimul rationes illigamus, quòd invicem connexæ ſint ac ſæpiùs à Divo Auguſtino invicem miſceantur. Confirmatur inquam, quòd ut probat S.Auguſtinus niſi Deus in homine operaretur & velle, ſequeretur, hominem potiores omninò partes in negotio ſalutis habiturum, quod Chriſtianæ pietatis ſenſui repugnare Sanctus Doctor arbitratur. Indignum enim eſſe putat exiſtimare, totum à Deo fieri non poſſe & velle : hominem cum Deo paria ſentire, & cum Deo velle componere ; partem ſibi vendicare, & quidem potiorem, & Deo aliam, & minimam partem relinqnere. Et verò inquit S.Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 2. poſtquam proſequutus eſt Argumentum, quod ſuprà retulimus; promiſſam à Deo Abrahæ Fidem, & potuiſſe Deum efficere quod promiſerat. *Si operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris ut credamus ; nunquid metuendum eſt, ne totum facere non poſſit, & ideò homo ſibi primas ejus vindicat partes, ut noviſſimas ab illo accipere mereatur*: Quid enim inde conſequitur, niſi quòd *quaſi componit homo cum Deo, ut partem Fidei ſibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* Agit enim S. Auguſtinus ibi contra Presbyteros Galliæ, qui meritò Fidei gratiam operationis obtineri exiſtimabant, ut principium ſalutis eſſe ex nobis, conſummationem verò, & perfectionem eſſe ex Deo.

Atque idem repetit ſæpiùs, reprehenditque iterum Sanctus Doctor cap. 12. *Aliquid aſſignant*, inquit *quòd priores dent ut retribuatur eis*. Et cap. 18. *ut tanquam prior homo aliquid prior det, ut retribuatur ei.* Quod meritò ferendum non eſſe arbitratur ea ratione, quod nedum ſalutis principium, ſed & finis; nedùm prior, ſed & ultima quæcumque pars tribui Deo debeat: quod altera ratione ex Apoſtolo probat; quia nimirùm alioquin eſſet aliquid quo gloriari non immeritò homo poſſet; cùm in ſalutis negotio, aut priores partes, ſcilicet initium ſalutis, & Fidei : aut potiores, ſcilicet ipſum agere homo haberet ex ſe ipſo. At inquit ibidem Sanctus Auguſtinus cap. 3. *Non ſic pius atque humilis Doctor ille ſapiebat, Cyprianum beatiſſimum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum eſſe, quando noſtrum nihil ſit. Quod ut oſtendereret, adhibuit Apoſtolum teſtem dicentem ,, Quid autem habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis ; ,, quo præcipuè teſtimonio* (ſubjungit Sanctus Auguſtinus) *etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam impetrare Dei dona.*

Et ſanè convincit omninò hic Apoſtoli locus, nihil penitùs in nobis eſſe, quod à Deo acceptum non ſit. Non enim negantur homini merita, neque negatur homini ſua laus ; *ſed laus mea tu es* Domine : cùm in Deo ſolùm gloriari liceat, quoniam *gloria virtutis eorum tu es.* Et cùm *Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat quàm dona ſua*, ut inquit S.Auguſtinus Epiſt. 105. & ut inquit D. Proſper Carm. de Ingratis in fine, Deus *cumulat ſua dona coronis*.

Sed inſuper aliam rationem ſubjungit idem Sanctus Doctor, cur in ſalutis noſtræ negotio totum Deo tribuendum ſit, nedum poſſe, ſed & agere ; nedum credere, ſed & temperanter vivere ; nimirùm quia, ut inquit lib. de dono Perſeverant. c.6. *Tutiores vivimus ſi totum Deo damus, non autem illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Etenim verum quidem eſt, ut idem Sanctus Auguſtinus ſubjicit infrà cap. 13. quòd *Nos volumus, ſed ille efficit ut velimus* : *Nos operamur, ſed Deus in nobis operatur* & (ipſum) *operari pro bona voluntate*. Unde etiam ibidem 13. ſubdit: quòd *hoc nobis expedit, & credere, & dicere, hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo*. Ideòque alibi obſervat Sanctus Doctor, dictum eſſe ab Apoſtolo, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ſcilicet ut totum Deo detur*. In Enchirid. cap. 32.

Idque etiam magis expendit ac mirum in modum explicat in pſalmi 58. ultimum verſum *Deus meus miſericordia mea*. Cùm enim (inquit) David animadverteret, quæcunque habere poſſumus in natura, in ipſa vitæ inſtitutione, in fide, ſpe, charitate, aliiſque virtutibus, *Totum non eſſe niſi ex illius donis, ita concluſit; Deus meus miſericordia mea. Non invenit*, (inquit) *impletus bonis Dei, quid appellaret Deum ſuum, niſi miſericordiam ſuam. O nomen ſub quo nemini deſperandū eſt. Sed quid eſt* (inquit) *Miſericordia? ſi dicas, ſalus mea, intelligo quia dat ſalutem: ſi dicas, refugium meū intelligo quia confugis ad eum : ſi dicas, fortitudo mea, intelligo quia dat fortitudinē. Sed Miſericordia mea quid eſt? totū quidquid ſum, de Miſericordia tua eſt. Sed promerui te invocando te ? ut eſſem quid feci? ut eſſem qui te invocarē quid egi? ſi enim egi aliquid ut eſſem, jam eram antequā eſſem. Porrò ſi omninò nihil eram antequā eſſem, nihil te promerui ut eſſem. Feciſti me ut eſſem, & non tu feciſti ut bonus eſſem ? dediſti mihi ut ſim, & potuit mihi alius dare, ut bonus ſim ? ſi tu mihi dediſti ut ſim, & alius mihi dedit ut bonus ſim; melior eſt illi qui mihi dedit ut bonus ſim, quàm ille qui dedit mihi ut ſim. Porrò quia nemo te melior, nemo te in Miſericordia largior, à quo accepi ut eſſem ab illo accepi ut bonus eſſem, Deus meus Miſericordia mea.*

Hæc omnia pro meritis Divinæ gratiæ Auguſtinus, ut veriſſimè D. Auguſtino, & defenſori ac participi Divinæ gratiæ adſcribi poſſit, quod

ab

ab eodem aliquando in laudem Divi Ambroſii dictum eſt: *O ſenſum hominis Dei ex ipſo hauſtum Divinæ gratiæ fonte*, lib. de Gratia Chriſti capite 46. hoc igitur pietas, hoc æquitas credi jubet, ut totum detur Deo, nec nobis quidquam, ac præſertim quod melius eſt vendicemus, quodque Divina miſericordia in nos non effundat.

Atque illa iterùm ratio eſt, cur omnia Deo tribuenda ſint, quia ſi à Deo eſſet dumtaxat operandi facultas, nec Deus ipſum operari in nobis ageret, meliorem ſe ſe homo faceret, quàm factus à Deo fuiſſet. Quis enim dubitet, ſi hæc duo conferantur, perfectiùs eſſe agere, & vicinius ſaluti, quàm poſſe agere; ſicut actus potentia perfectior eſt, & fini propinquior? Et hic fuit olim Philoſophorum error, qui ſuum Sapientem Deo nedùm æquari, ſed & aliquo ſuo jure antecedere putabant, ut ſtultiſſimè Seneca dixit, vir alioquin magni ingenii, Epiſt. 53. & 73. quòd Deus naturæ beneficio, homo ſuo arbitrio bonus eſſet, ut nec Jupiter plus poſſet quàm Vir bonus. Magna ſcilicet ſapientis Stoici fortitudo. Sed ut egregie Sanctus Auguſtinus inquit in pſalm. 58. verſ. 4. *Fortitudo iſta, non ſanitatis eſt, ſed inſaniæ*. Atque eam rationem, ſcilicet, quòd alioquin homo meliorem ſe efficeret quàm à Deo factus fuiſſet, cæteri Patres uſurparunt, ut Sanctus Gregorius, Sanctus Bernardus aliique: & ſanè hæc ratio omninò incurrit in oculos: ſi enim homo habeat à Deo dumtaxat poſſe agere, & à ſe ipſo agere habeat; quis dubitet hominem majus aliquid à ſe habere quàm à Deo acceperit.

His verò ita conſtitutis, facile eſt, hæc omnia à Sancto Auguſtino etiam in ſtatu naturæ innocentis admiſſa fuiſſe demonſtrare. Hæc enim ratio cum ſuis appendici, busnon minùs in Adamo, & in Angelis, quàm in cæteris hominibus locus locum habet: & puto graviſſimam ſibi factam injuriam exiſtimaſſet ipſe innocens Adamus, ſi quis improperare potuiſſet, ipſum credere, ſe poſſe meliorem facere, quàm à Deo factus fuiſſet; aut cum Deo componere voluiſſe, ſibique aut primas aut potiores partes in ſalutis negotio tribuere.

Et ſanè quàm à verò alienum fuerit, Adamum ſibi ſuoque arbitrio relictum, tutiorem fuiſſe quàm in Dei manibus, & ſub ejus dominantis gratiæ poteſtate poſitum; quàmque periculoſum fuerit, quòd ſe ſibimet vellet committere, infelix caſus ſatis ſuperque comprobavit. Atque in eo culpa ipſius poſita eſt, quòd reipsà errore practico putaverit ſe ſe meliorem facturum quàm à Deo factus fuerat. Quod fuit etiam rebellium Angelorum peccatum, ut poſteà dicemus. Et ſi juſtiſſimam increpationem Adamus à Deo audire meruit: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, quòd ſcilicet voluerit eſu ligni vetiti eſſe inſtar Dei, & ſcire bonum, & malum: quàm æquiorem objurgationem ſuſtinere meruiſſet, ſi ſibi potiores in ſalutis negotio partes voluiſſet vindicare, & ut emancipatum nec ſub paterna poteſtate poſitum vivere. Igitur in omni omninò ſtatu, quicumque tandem ille eſſe poſſit, neceſſe eſt natura ſua *Mortalem ſubditum eſſe Deo, nec* velle *paria ſentire* 2. Machab. 9.

Et adverti hìc poteſt, non poſſe ſe ab his argumentis Janſenium expedire, aut ea parte effugere, qua cæteri ſe ſubducunt. Quæ enim hactenus diximus, cæteri ultrò concedunt, quòd ſcilicet totum Deo tribuendum ſit, & à Deo totum reipsà fiat: fieri enim gratia cooperatrice, ſeu ſimultaneo concurſu contendunt. Verùm quamvis hæc à nobis ſolutio aliàs ſæpiùs impugnata ſit, præſertim quòd ſimultaneus concurſus ipſam voluntatis creatæ operationem, ut à voluntate oritur, non efficiat, nec efficere unquàm poſſit: quia in tantùm aliquid cauſa eſſe poteſt ut aliud agat, in quàtùm proprium ejus principium applicat ad actū, ut ex Sancto Thoma 1. 2. quæſt. 80. art. 1. aliàs retulimus: verſamur enim hìc in ordine phyſico, in quo voluntas agit, & in quo cauſa quærenda eſt cur agat, & à quo motus incipiat. Ac deinde quòd nulla unquàm, aut præcipua ſaltem inter Divum Auguſtinum, & Pelagium de cooperatione gratiæ controverſia fuerit, cùm inter ipſos de ea ſolùm ageretur, de qua periculum eſſe poterat ne læderet libertatem.

Sed ut ut ſit de ea ſolutione, nihil ipſa Janſenii cauſam juvare poteſt, quòd attinet ad ſtatum innocentis naturæ, & in ea lite quam adversùs Sanctum Thomam, & ejus Scholam movit, niſi aliunde graviorem cauſam omnino exprimat, in ea cōtroverſia dē ſtatu naturæ lapſæ, quam adversùs alios excitavit, qui efficaciam Divinæ gratiæ negant. Si enim aliqua exceptio ſit; & quæ ex Sancto Auguſtino, rectaque ratione, jam ſuprà retulimus, in ſtatu innocentiæ locum non habeant, & ſine Divi Auguſtini injuria aliter intelligi poſſint, quàm à nobis ſuprà explicatum ſit; cur ea pro ſtatu naturæ lapſę ſimili modo non intelligantur? Cur ea exceptio non valeat? Nemo unquàm ſimul magis in extrema delapſus eſt, quàm Janſenius. Nemo magis gratiam in ſtatu naturæ innocentis, nemo magis libertatem in ſtatu naturæ lapſæ depreſſit. In ſtatu enim innocentiæ injuria Divinæ gratiæ dominium libertatis erexit: in ſtatu autem naturæ lapſæ ruina libertatis humanæ dominium Divinæ gratiæ ſtabilivit: omni ex parte nimius. Verùm immutabilis æquitatis, & æternæ Juſtitiæ leges ſunt, quas ex Sancto Auguſtino retulimus: & neceſſe eſt quòd in omni omninò ſtatu obtineant. Et cùm hoc ſtatus innocentiæ privilegium fuerit, quòd inferiora ſuperioribus perfectiſſimè tunc ſubderentur, animalia homini, corpus animæ, inferiores vires rationi: mirum foret, ac planè immanis hujus innocentiæ ſtatus everſio, & inordinatio fuiſſet, ſi voluntas creata à Divinæ gratiæ dominio, & imperio voluiſſet ſe ſe ſubducere, ac majus eſſet perfectiuſque in hoc naturæ lapſæ, & corruptæ ſtatu, dominium Divinæ gratiæ, quàm fuiſſet in ſtatu naturæ innocentis, cujus tamen conditio præſtantiſſima eſſe omnia poſtulabat.

Major equidem eſt naturæ lapſæ infirmitas, quàm olim in ſtatu innocentiæ fuerit, unde &

majori remedio indigere nunc homines negari non potest : sed cùm eadem sit, & esse debeat gratiæ Divinæ præstantia, idem quoque sit fueritque perpetuò potentię Divinæ in voluntatem creatam dominium, eandem etiam necesse est voluntatis, & subjectionem, & à Deo dependentiam semper fuisse.

Sed hęc omnia sigillatim à Sancto Augustino pro statu naturę innocentis admissa fuisse demonstrandum est. Ac primò quidem, Deum in Adamo, & Angelis, non minùs quàm in cæteris hominibus, contulisse non solùm posse velle, sed etiam ipsum velle, ipsamque bonam voluntatem effecisse, præter cætera jam superiùs dicta expressè inquit Sanctus Doctor Lib. 14. de Civitate cap. 11. ubi cùm de lapsu primi hominis ageret, expressè inquit : *Quòd fecit Deus hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ ; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem : bona igitur voluntas opus est Dei.* Quomodo autem opus est Dei, nisi effectrice operatione Dei? neque enim alia Sancto Augustino phrasis est, aut ipsi etiam Apostolo à quo dictum est, Deum in nobis ipsum velle efficere. Neque dissimile est, quod de eodem Adamo inquit idē Sanctus Doctor in Enchirid. cap. 107. *Factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio Divino.* Unde, & jam superiori capite dixerat, quòd etiam in eo innocentiæ statu *sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Cujus rei hanc rationem subjungit ; quia *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur.*

Ubi sanè ex eodem immutabilis boni, & Justitiæ fonte hausisse Adamum, inquit Sanctus Augustinus, unde & cæteri hauriunt : hic enim unius Sapientiæ est & Justitiæ fons. Et in Psalm. 58. ita eum versum 10. intelligit, *Fortitudinem meam à te custodiam : Quia* inquit, *si recedo cado, si accedo fortior sum. Videte enim quid est Fratres in anima humana : non habet ex se lumen, non habet ex se vires. Totum autem quod pulchrum est, in anima, virtus, & Sapientia est : sed nec sapit sibi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi virtus est. Est quædam origo fonsque virtutis, est quædam radix sapientiæ, est quædam (ut ita dicam, & si hoc dicendum est) regio incommutabilis veritatis : ab hac anima recedens tenebratur, accedens illuminatur.*

Igitur unicus, & sapientiæ, & justitiæ fons est, ex quo necesse fuit hauriret Adamus, non secus ac cæteri homines, hauriunt. Ex ea enim participatione immutabilis boni concessum est Adamo adjutorium, quo in ea rectitudine in qua creatus fuerat permaneret, brevissimo licet, & heu nimium brevi tempore, quo in ea originali Justitia permansit : quia neque fuit ipse sibi lux, neque fuit sibi virtus : atque ea ratione, ut toties Sanctus Augustinus inquit, demonstrandum erat in Adamo, quid sine gratia liberum arbitrium possit ; ad malum enim sufficit sibi, ad bonum verò nihil est, nisi adjuvetur ab Omnipotenti bono. Quòd si sensus spectetur idem ubique repetit Sanctus Doctor cùm meminit de lapsu Adami.

Et verò idem de Adamo ac de cæteris hominibus judicium tulisse D. Augustinum, planissimum est, ex Serm. 11. de verbis Apostoli, ubi Pelagii errorem confutat ex eo Psalm. 74. versiculo, *Venite adoremus, & prosternamur ei ; ploremus ante Deum qui fecit nos, & non ipsi nos.* Præmisso enim litterali sensu ita inquit : *Juxta altiorem intellectum, & quantùm existimo, utiliorem, vidit quosdam Spiritus Sanctus dicentes, vel dicturos, quòd Deus eos fecerit homines ; justos autem ipsi se faciant. Prævidit eos, dicens ipse fecit nos, & non ipsi nos.* An verò ista quæ de Adami posteris explicat, nihil ad protoparentem Adamum pertinere arbitratur? Quin imò priùs in capite quàm in membris ista probata fuisse sic demonstrat : *Creatus est primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio. Creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se autem fecerit notum est. Cadens à manu figuli fractus est. Regebat enim eum ipse qui fecerat ; voluit deserere à quo factus erat ; permisit Deus tanquàm dicens, deserat me, & inveniat se, & miseria sua probet quia nihil potest sine me. Hoc modo ergo ostendere voluit Deus homini, quid valeat liberum arbitrium sine Deo. O malum arbitrium sine Deo! experti sumus quid valeat sine Deo, ideò miseri facti sumus, quia sine Deo quid valeat experti sumus. Experti ergo tandem* subjicit egregiè juxtà, & piissimè Sanctus Doctor gratiæ, *aliquando noverimus : Venite adoremus, & prosternamur ei qui fecit, ut perditos nos per nos, reficiat nos qui fecit nos.*

Hæc ibi aliaque plura D. Augustinus, ubi & comparatione Adami, quid in cæteris valere possit liberum arbitrium sine Deo ostendit. *Cur enim,* inquit, *bonus factus est homo? & per liberum arbitrium factus est homo malus : quando facturus est bonum hominem, malus homo per liberum arbitrium deserens Deum? servare se non potuit bonus bonum, & facturus est se malus bonum?*

Igitur servare se non potuit homo bonus bonum : quia in his quæ ad Deum pertinent, nihil valeat liberum arbitrium, nisi adjuvetur à Deo, & nisi quod Deus in homine fecit ipsemet Deus non homo in homine servet. Idem à Sancto Augustino de Angelis dictum infrà referemus.

Hinc verò cætera quæ suprà diximus, sponte sua consequuntur, eaque à Divo Augustino, quàm distinctissimè, veluti exerto digito demonstrata sunt.

Et quidem unde gloriari homo potuit, si modico illo tempore originalem justitiam, & innocentiam servavit? An verò meliorem se se fecisse, quàm ipsum Deus fecisset, ausus unquam fuisset gloriari Adamus? quæ hactenus diximus, rectaque ratio suggerit, gloriationem ipsius omnem retundere meritò potuissent : neque enim sapientia præditum Adamum latere ista poterant ; quòd si seipsum facere non potuerit, cùm non esset,

nec

nec etiam ſeipſum facere potuerit, ut juſtus eſſet. Hujus ſanè vox erat, & eſſet debuit: *Deus meus miſericordia mea, feciſti ut eſſem, & non tu feciſti ut bonus eſſem; dediſti ut ſim, & potuit mihi dare alius ut bonus ſim.* Et alia quæ ſupra retulimus.

Hæc inquam Adami vox fuit, quamdiu in illo felici innocentiæ ſtatu permanſit, nec dubitari ulla ratione poteſt, quin tanta felicitate, eaque familiaritate qua Divina præſentia Divinoque colloquio fruebatur, fuiſſet indignus, ſi tam pravè de gratia Divina ſenſiſſet. An verò dicere unquam Deo auſus fuiſſet Adamus: Tu me quidem hominem feciſti, ego autem me bonum effeci: Tu quidem me feciſti, juſtum rectumque; ego me juſtiorem effeci; ingentia quidem mihi beneficia contuliſti; ſed ea mihi ſatis ſunt; non alia requiro, relinque me mihi; quæ deſunt, & quidem majora quàm mihi conteleris, ego meis viribus, meaque induſtria comparabo; nullam à te ultrà gratiam poſtulo, mea merita ſunt, non tua dona: jam tuam æquitatem convenio, mihi præmium jure debitum eſt, nec tua gratia ſed mea juſtitia vitam æternam exſpecto. Quis ſibi perſuadeat, iſta unquam ab Adamo innocente, ac ſumma ſapientia prædito excidere potuiſſe. Tantùm enim abeſt, quòd iſta ab innocente dici potuerint, ut è contrà in eo Adami peccatum fuerit, ut obſervat Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 163. art. 2. quòd Adamus *Appetierit ſimilitudinem Dei, quantùm ad propriam poteſtatem operandi, ut ſcilicet virtute propriæ naturæ operaretur ad beatitudinem conſequendam. Unde Divus Auguſtinus dicit primi ſuper geneſim ad litt. cap. 30. quòd menti mulieris inerat amor propriæ poteſtatis.* Et tamen citra culpam Adamus eam ſimilitudinem Dei appetere potuiſſet; & quæ ſuprà veluti ex ipſo Adamo retulimus, potuiſſet reipsà, & ſine jactantia ſibi vendicare; ſi vera eſſet Janſenii ſententia: nec negare iſta poteſt Janſenius, niſi ſponte concidant ea omnia argumentaquæ adversùs ſufficientis gratiæ ſubditæ libero arbitrio ſententiam inſtruxit. Unde veriſſimè non intelligo, quid in mentem Janſenio venerit, cùm exertè affirmavit, etiam ſupernaturalia opera per ſolam arbitrii libertatem ab Adamo fieri potuiſſe, lib. de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 7. ubi cùm inquireret, utrum Adamus per vires liberi arbitrii in creatione datas potuerit juſtè vivere; ita magis in ſingulari quæſtionem proponit: *Nos quærimus utrum illa opera quæ lapſi hominis arbitrio per Chriſti gratiam conferri debent Adam libertate arbitrii ſui naturali, hoc eſt, quæ in prima conditione naturæ conceſſa fuerat perficere potuerit.* Cui quæſtioni ita ipſe Janſenius reſpondet.

Nos igitur hic aſſerimus tanquā ſine dubitatione veriſſimū juxtà Doctrinā S. Auguſtini & Eccleſiæ, omnia ejuſmodi, ſupernatualia, *opera, adeoque & ipſam fidem, & dilectionem Dei, ab eo potuiſſe per arbitrii libertatem fieri: ſic ut ea non donaret ei gratia Dei. Quod quamvis alicui fortaſſe paradoxū videatur, non poterit tamen non admittere ſi Aug., & Conciliorū doctrinā admittere velit.*

Meritò quidem veritus eſt Janſenius ne id paradoxum videretur: & videtur ſanè quàm maximum, non imbutum ſolùm, ſed vel leviſſimè tinctum S. Auguſtini principiis, quemquam potuiſſe ſolius naturæ creatæ libertatem ſic erigere. Et mirum ſanè, in ordine naturæ lapſæ inſtar monſtri viſam ſuiſſe Janſenio ſufficientem gratiam, quæ quantumvis debilis ſit, ad ordinem tamen ſupernaturalem pertinet, & gratia eſt; & tamen in ordine naturæ innocentis, naturam adeò fortem, validamque viſam fuiſſe, ut par etiam Divinæ gratiæ eſſe poſſet, ac paria faceret; & quod in nobis gratia Chriſti efficit, tunc ſola libertas Adami Innocentis efficeret. Et hæc inquit Janſenius, & Sancti Auguſtini, & Conciliorum doctrina eſt: ſed abſit quòd tam creduli ſimus, imo id è contra totius Auguſtinianæ doctrinæ everſio eſt: neque iſta admitti poſſunt, niſi omnino, quæ de gratia Chriſti in alio naturæ lapſæ ſtatu principia ſtatuit, planè convellantur.

Confirmari *Septimò* iſta poſſunt hac communi ratione, quòd apud Sanctum Auguſtinum oratio clariſſima ſit Divinæ gratiæ teſtificatio. Atque hāc rationem præſertim fusè proſequitur tota Epiſtola 107. ad Vitalem Carthaginenſem, qui pro infidelibus minimè orandum eſſe exiſtimabat; ſed dumtaxat explicandam eſſe fidei doctrinam: quòd nimirùm prædicato Sancto Evangelio noſtrum ſit credere, vel non credere, nec Deus in nobis fidem efficiat. Contra quem Divus Auguſtinus ſtatim initio inquit: *Exerce contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus ad fidem convertat, & pro catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret: &c. Sub ſanna pias voces, dic te non facere quod hortatur &c. eo quòd non ſint, iſta Divinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ voluntatis officia.*

At verò cùm ex Evangelio orandum eſſe pro inimicis demonſtraſſet Divus Auguſtinus, inde infert; Deum qui oratur, & voluntatem credendi, & fidem ipſam impertiri. Unde inquit, *Inaniter igitur, & perfunctoriè potiùs quàm vera citer pro eis, ut doctrinæ oui adverſantur, credendo conſentiant, Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam, & perfunctoriè potiùs quàm veraciter magna cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, ſi hoc de eis ipſe non facit. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus: prorſus non oramus Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos non illum credimus facere quod oramus.*

Hanc, ut dixi, rationem tota Epiſtola 107. fusè proſequitur Sanctus Auguſtinus, unde & versùs finem Epiſtolæ obſervat Sanctus Doctor, quòd *Ideò Deus per orationes credentium nondùm credentes credere facit, ut oſtendat quia ipſe facit. Nemo eſt enim tā imperitus, tam carnalis, tā tardus ingenio, qui non videat Deum facere quod rogari ſe præcipit ut faciat.* Unde ita omnino in fine concludit.

cludit. *Si sentis, atque consentis, orare nos Deum debere, ac solere pro nolentibus credere ut velint credere; &c. Si sentis atque consentis, debere nos etiam Deo agere gratias, ac solere pro talibus, quòd ad fidem ejus doctrinamque conversi volentes ex nolentibus fiant; oportet sine dubitatione fatearis, voluntates hominum Dei gratia præveniri, & ut bonum velint homines quod nolebant, Deum facere qui rogatur ut faciat, & cui nos novimus agere gratias, dignum & justum esse cùm fecerit.*

Eandem rationem prosequitur idem Augustinus quàm sæpissimè l. de dono persev. eaque ratione probat perseverantiam à Deo donari, quòd à Deo postuletur. *Cur autem* inquit cap. 2. *perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id à Deo petitur, quòd scitur ipsum non dare; sed ipso non donante esse in hominis potestate: Sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit?* Atque Divum Augustinum Magistrum secutus est D. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 155. ubi inquit: quod *Derisorium esset aliquid à Deo petere cujus ipse dator non esset.* Et quis dubitet facturum Principi injuriam subditum qui ab ipso v. g. immortalitatem postularet: Hæc exprobratio imbecillitatis Principis veriùs foret, quàm vera subditi supplicatio: nec dubium quin eam subditi temeritatem illatamque sibi injuriam, & derisionem de se factam, majori quam sola repulsa pœna castigaret. Igitur sicut dictum est suprà, non ab alio quàm Deo qui promittit, promissa impleri posse: & sicut ipse qui jubet, implendi jussa vires confert: Ita planè indignum foret existimare, non à Deo conferri posse quod ab ipso postulatur. Cur enim postularetur? & irrisio quædam esset de eo gratias agere quod ab eo donatum non fuisset.

Atqui ut jam diximus supra, non posset non esse injuria Adamo Innocenti illata, si existimaretur nullam ergaDeum gratitudinem habuisse, quod tot donis à Deo exornatus fuisset, nedum infusis habitibus, sed & castissimo, & purissimo erga Deum amore, quo præsertim in extasim raptus, ut posteà dicemus, flagrabat. Quòd si, & nulla ejus gratitudo fuerit, ut nulla in Scriptura legitur, quod observat, si bene menimi Rupertus Abbas, & hæc hujus inquit altera culpa est, & Divinæ desertionis causa potioribus enim donis indignus erat, qui de jam acceptis immemor fuit: ingratitudo enim veluti ventus urens Divinæ misericordiæ fontem siccat, ut inquit Sanctus Bernardus. Verùm cum in eo Adamus, ut diximus, brevi licet tempore, omni se se virtutum genere exercuerit, dubitari non potest, quin Deo gratitudinem suam actu aliquo demonstraverit: & res apertior est, si supponeretur quòd status ille Innocentiæ Adami diu durasset, ut durare potuit; dubitari enim non potest quin de perseverantiæ dono quo nullum majus esse poterat, ii quibus hæc felicitas contigisset Deo gratias egissent. Atque ea ratione apertum est quòd Adam orare Deũ debuerit; deerat enim ipsi perseverantia, quæ & à Deo petenda erat, à qua excidere poterat, ut nimiùm eventus comprobavit. Deerat ei & vita æterna quæ ex gratia meritis obtinenda erat: timenda etiam erat tentatio, atque hujus victoriam à Deo humiliter petere debuerat. Et cur à Deo petere non potuit ne gravi ea tentatione pulsaretur, sed contra firmaretur animus in eo obtemperandi proposito? Negari enim non potest, quin Deus firmare Adami voluntatem potuisset, ne tentationi succumberet. Et tantùm abest quòd orare non debuerit, ut è contrà SS. Augustinus, & Thomas existimaverint, Adami culpæ causam fuisse, quòd nimium sibi propriisque viribus fiderit; & ut inquit Divus Thomas 1. par. quæst. 94. art. 4. ad 5. *In tentatione non fuit ei subventum ne deciperetur, licet tunc maximè indigeret, quia jam præcesserat peccatum in animo, & quia recursũ ad Divinum auxilium non habuit.* Et quæst. 18. de verit. art. 6. ad 13. inquit, *quòd in statu quo peccavit, Divinum ei auxilium non defuisset ne seduceretur, si ad Deum se convertisset; quod quia non fecit in peccatum, & seductionem cecidit.*

Et prætereà incredibile est, nullum fuisse aut usum, aut fructum orationis: & quæ pro hoc statu perfectissimæ virtutis, scilicet Religionis actus est, pro statu Innocentiæ, aut nullam, aut meram fuisse Adami irrisionem: cùm tamen ad eum statum maximè virtutes omnes pertinuissent, quæ potissimùm ab omni imperfectione liberæ sunt, & per se se ad Divinum cultum pertinent.

Sed insuper nimiam sui præfidentiam, *& propriæ potestatis præsumptionem* Adami culpæ causã fuisse ex Sancto Augustino suprà diximus. Quid autem est de se præsumere, nisi aliquid de se existimare, quod suas vires suamque facultatem transcendit, ut observat S. Thomas 2. 2. quæst. 130. & ut arbitror omnes consentiunt: Ergo si quid Adamus præsumpsit, aliquid erat suprà ipsius vires jam à Deo acceptas positum; eo sensu, ut majus aliquod auxilium Divinum ipsi necessarium esset: cum auxilio enim supperaddito audere aliquid nulla præsumptio est. Ut enim egregiè inquit D. Thomas ibid. art. 1. ad 3. *Sicut Philosophus dixit 3. Ethic. quæ per alios possumus, aliqualiter per nos possumus; & ideo quia cogitare, & facere bonum possumus cum auxilio Divino, non totaliter hoc excedit nostram facultatem: & ideò non est præsumptuosum, si aliquis ad aliquod opus virtuosum agendum intendat: esset autem præsumptuosum si ad hoc aliquis tenderet absque fiducia Divini auxilii.* Hæc rectè in Adamum cadunt: nimia igitur *propriæ potestatis* fiducia præsumpsit: Ergo Divinum auxilium ei deerat quo tentationem vinceret: & hoc dubio procul petere à Deo humili oratione debuerat.

Sed dices ex S. Augustino opere ultimo contra Julianum, lib. 6. cap. 15. expressè à S. Doctore dictum esse, Adamum non debuisse Deum oraret: Cùm enim illud ex Apostolo retulisset. *Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali.* Statim subjungit. *Quòd si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum priusquã esset natura vitiata,*

tiata, non utique poſceretur orando, ſed agendo potiùs teneretur. Non igitur orare Adamus debuit, ſed debuit agendo tenere quod jam in poteſtate ipſius erat. Et verò cur orare debuiſſet, cum præſentiſſima eſſet ſufficiens Divina gratia, eique præſto ſemper adeſſet *Adjutorium ſine quo*, nec ipſi neceſſarium eſſet *Adjutorium quo*, ut expreſsè aſſerit S. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia. Si autem ei præſentiſſima ſemper gratia erat, cur eam à Deo petiiſſet? & ſi vitare malum in poteſtate ipſius poſitum erat, cur pro eo evitando oraſſet? Nam *quid ſtultiùs quàm orare ut faciat quod in poteſtate habeas*, inquit S. Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 18.

Verùm quod attinet ad adjutorium quo, ſeu efficacem gratiam, quam negaſſe videtur Divus Auguſtinus in Adamo Innocente, fuſiùs infrà dicetur.

Ad alterum verò facilis eſt, & in promptu reſponſio: loquitur enim Sanctus Auguſtinus de vitando eo malo, quo penè reluctantes, infirmitate naturæ pertrahimur, & quod odimus, & facimus. De eo enim ibidem expreſsè loquitur S. Doctor, de quo ab Apoſtolo dictum eſt. *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio*. Roman. 8. ibid. quæ verba dicta fuiſſe ab Apoſtolo in perſona hominis adhuc ſub lege conſtituti Julianus contendebat, ut ibidem refert D. Auguſtinus. Contrà verò ipſe Sanctus Doctor etiam de homine in gratia conſtituto, ſed nondùm plenè liberato ea intelligenda eſſe contendit. Nemo enim noſtrum eſt, quem hæc naturæ infirmitas non premat: nemo qui cum vitiis luctari neceſſe non debeat. *Profectò* inquit, *niſi Deus adſit, nemo eſt idoneus certare, cum vitiis, ne ſine certamine pertrahatur ab eis, aut ne jam certans in ipſa eorum conflictatione vincatur. Ideò in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare quã viribus; quia & ipſas vires quantas hic habere nos competit, ipſe ſubminiſtrat certantibus, quem rogamus*.

De hoc igitur certamine, quo cum vitiis, & noſtræ carnis infirmitate luctamur, loquitur Sanctus Auguſtinus: quam ſanè infirmitatem ut vincamus, nunquam integræ vires nobis ex nobiſmetipſis adſunt, ſed quantas nos habere expedit, nobis Deus ſubminiſtrat; ideoque magis orationibus, quàm viribus noſtris certandum cum vitiis eſt; vires enim jam diu fractæ, & debilitatæ ſunt, & orationibus à Deo ſunt obtinendæ.

At verò cum ea naturæ infirmitas in Adamo non eſſet, integerrimæ ea ex parte vires ipſi aderant: unde neceſſe non erat, quòd pro ea auferenda Deum oraret, neque orationibus obtinendæ ipſi vires erant, quibus eam naturæ infirmitatem debellaret, cum nulla eſſet: ideoque rectè à Divo Auguſtino dictum eſt, *Quòd ſi ita eſſet in poteſtate* [fugiendi malum ex infirmitate quod odimus, & facimus,] *quomodo fuit antequàm natura vitiata eſſet, non utique poſceretur orando, ſed agendo teneretur*.

Atque eodem ſenſu præſentiſſima gratia erat, quæ ex principiis naturæ inſitam infirmitatem cohiberet: ſicut & mortem procul repelleret, præſtoque ſemper Adamo fuiſſet eadem gratia, quandiu Deo ſubjecta mens permanſiſſet. Inobedientia enim carnis animi juſtiſſima pœna fuit, ut inquit S. Auguſtinus. Sed quòd nulla neceſſitas orationis fuiſſet in eo Innocentiæ ſtatu, nulluſque omnino fructus; non arbitror Sancto Auguſtino unquam in mentem veniſſe, ut ea quæ ſuprà diximus, ſatis ſuperque demonſtrant: quæque apertiora fient, ſi ſupponatur longo tempore hunc ſtatum Innocentiæ duraſſe, in eoque aliquos perſeveraſſe, quos de ſua perſeverantia fuiſſe ſollicitos, eamque à Deo debuiſſe petere neſcio quis dubitare poſſit. Quin etiam ab Adamo fuiſſent in eo Innocentiæ ſtatu oblata Deo Sacrificia, ſi ſtatus ille duraſſet; cùm ad ea Deo offerenda homo jure naturæ teneatur; ut expreſsè Sanctus Thomas probat 2. 2. quæſt. 85. art. 1. Et fuiſſe etiam reipſa oblata, quamvis ſtatus ille parùm duraverit, ad exhibendum honorem Deo, & ſignificandam ſubjectionem, debitamque creatori ſuo obſervantiam, non immeritò credi poteſt: pertinent enim ad Religionem, cujus in eo ſtatu potiſſimum fuiſſet ſtudium; ſicut & deinde poſt peccatum ad placandum Deum Sacrificia Adamus proculdubio Deo obtulit, licet ea obtuliſſe Scriptura Sacra non referat: cujus Scripturæ Sacræ ſilentii egregiam hanc rationem reddit Sanctus Thomas ibidem. *Ne quia in ipſo notatur origo peccati ſimul etiam in eo ſanctificationis origo ſignificaretur*. Cur autem ſi Sacrificia Adamus offerre debuit, nullam fundere orationem ad Deum debuiſſet? cùm Sacrificio cognata ſit oratio, nec minus oratione quàm oblatione Sacrificii, Religio exerceatur: imò Sacrificium laudis inter cætera præcipuum ſit, ut obſervat Sanctus Thomas ibidem ex Sancto Auguſtino.

Verùm antequã hinc diſcedamus quædã prætermitti non debent, quæ etiam maximi momenti exiſtimanda ſunt, ut vera D. Auguſtini certaque ſententia dignoſcatur. Primum eſt Concilii Arauſicani Cano. 19. ubi dicitur, quòd *Natura humana, etiamſi in illa integritate in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Unde cùm ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit.* Hæc ibi. Quibus conſtat *Primò*: defuiſſe Adamo gratiam, de qua dici potuit, quod ſine ipſa ſalutem quam acceperat cuſtodire non potuit: Atqui ea eſſe non potuit ſufficiens gratia, quam non defuiſſe certum eſt: Ergo altera major, & efficax fuit, qua in accepta integritate permaneret. *Secundò* eadem defuit Adamo gratia, ut perſeveraret in accepta ſalute, quæ poſteris neceſſaria eſt ad amiſſam ſalutem recuperandam: Atqui ea non ſufficiens eſt, & *Adjutorium ſine quo*; ſed efficax, & *Adjutorium quo*: Ergo hæc etiã Adamo neceſſaria erat, qua tamen ipſi defuit. *Tertiò*: ſed præterea inde etiam conſtat gratiam aliquam quæcunque illa ſit Adamo defuiſſe, qua ſi fuiſſet ad intus perſeveraſſet: Ergo ut eam ſaltem obtineret Adamus

orare

orare potuit. Ergo & interpretatione eget quod ex Divo Augustino retulimus, quo necessitatem orationis pro eo statu Innocentiæ negasse videtur. *Quartò*: neque demum latere potuit Patres Arausicanos quæ esset Augustini mens, de gratia Innocentis hominis, ut non immeritò à vera, & legitima Divi Augustini sententia plurimùm aberrasse Jansenium existimemus. *Quintò* demum suam ipse Augustinus his verbis mentem explicuit: cùm eadem omnino verba ipse Augustinus Epist. 106. versus finem dixerit, ex quo Patres Arausicani ea usurparunt: Ergo ex vera Divi Augustini sententia cui Arausicani Concilii definitio accessit, caruit Adamus efficacis gratia, quæ si adfuisset reipsa perseverasset.

Alterum non minus apertum est ex D. Fulgentio desumptum ad Trasim. lib. 2. cap. 2. cujus etiam verba ipsa sua luce nubeculas omnes, quibus obscurari possent dispellunt. Sic verò habet. *Cùm quædam pars* (naturæ Angelicæ) *de cælestis beatitudinis culmine in intimam perpetuamq; cernitur devoluta miseriam, profectò cognoscitur, uniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet à casu pravitatis virtus illa defenderet, qua sola naturaliter mutari depravarique non posset. Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria. Quia non alia stantem Angelum potuit à ruina custodire, nisi illa quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret; in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, hunc infirmari non sinit: Illius esca, istius medicina.* Hactenus D. Fulgentius fidissimus ipse Divi Augustini Discipulus, cui si major fides à nobis habeatur quàm iis qui eo se nomine exornant; nulli à nobis injuria fiet: cùm nemo jam sit, quem ipse Divus Augustinus inter suos Discipulos non esset post habiturus.

ARTICULUS III.

Fuisse in Christo, & Beata Virgine efficacem motionem Divinam: Ergo, & in Adamo.

PRobari præterea potest necessitas auxilii Divini Divinæque motionis etiam in statu Innocentiæ, ea ratione: quod si inter Innocentem Adamum ejusque posteros, discrimen aliquod statuendum sit, etiam & multò potiori ratione erit constitutum discrimen inter Christum, Innocentiæ omnis fontem, & Redemptorem, homnesque redemptos, & hujus plenitudinis participes. Atqui id omnino falsum est, omnemque Scripturam Sacram, & Christianæ Fidei, ac Religionis principia omnia hoc discrimen penè evertit: Ergo nullum est quod fingit Jansenius discrimen inter Adamum ejusque posteros, inter statum Innocentis naturæ & lapsæ, quod ad gratiæ œconomiam spectat. *Major* in primis aperta est; si quod enim privilegium unquam Adamo tanquam capiti supra posteros collatum est, qua ratione intelligi posset, non fuisse collatum Christo, sine ulla comparatione sanctiori, & meliori capiti, & principi supra cæteros, quos Adamus captivos fecerat; & quos ipse redemit sibique acquisivit. Si sola prærogativa Innocentiæ causa fuit, ut nulla necessitas esset efficacis auxilii; quæ major Innocentia quàm Christi, cujus comparatione in ipsis etiam Angelis pravitas reperiri potuit? Si demùm sola infirmitas exigebat ut huic cohibendæ efficax gratia conferretur, ubi nam vel infirmitatis umbra in Christo, cui plenitudo gratiæ veluti jure naturæ debita inerat? Ergo si quod discrimen inter Adamum posterosque constituendum sit, etiam & inter Christum Redemptorem, & homines redemptos constituendum erit. Et si Jansenii principia solida essent, dumtaxat pro Christo, & pro Adamo totius œconomiæ gratiæ novũ veluti systema constituendum esset, & novum esset prædestinationis genus. De Adamo quidem ita sentit Jansenius: nimirum ex prævisis meritis Adamum prædestinatum fuisse. Sed si prævisus est ex Jansenio futurus Adami consensus: Ergo & prævisus esse debuit, & Christi consensus ut prædestinaretur: Si subdita fuit Adami voluntati, gratia: Ergo subdita & voluntati humanæ, & naturali, Christi gratia esse debuit, Ex Jansenio non merita gratiæ fuerunt in Adamo, sed naturæ: Ergo non item merita gratiæ in Christo, sed solius voluntatis ejus creatæ. Hæc sanè omnia necesse est Jansenius concedat volens aut nolens, cum ex principiis ab eo constitutis apertissima consecutione deducantur.

Atqui tamen hæc omnino fidei, & Religionis principia evertunt, cùm certum sit è contrà, idem esse de Christo capite, ac de cæteris hominibus ipsius membris sentiendum. Etenim quod ad prædestinationem pertinet, extra dubium omne est, prædestinationem Christi omnino gratuitam fuisse, & instar oraculi exceptum est à Theologis omnibus, quòd D. Austinus inquit l. de prædestin. SS. cap. 15. *Est præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ Salvator ipse mediator homo Christus JESUS: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura quæ in illo est comparavit?* Et sanè adeo efficax validumque hoc argumentum Augustinus arbitratur, ut eo summa fiducia Massilienses urgeat, eosque constrictos teneri putet. Nam inquit S. Doctor; *Respondeatur quæso. Ille homo ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit, quod ejus bonum qualecumque processit?* Atque ibi plurima adjicit D. Augustinus, quæ referre supervacaneum foret, cùm inter prima, ut dixi, Religionis principia reponatur, gratuitam omnino fuisse electionem, & prædestinationem Christi, ut sit filius Dei in virtute; neque ulla merita, etiam

etiam prævisa, potuisse ipsius prædestinationis causam esse : quòd ea clarissima ratione probat Sanctus Thomas 3. par. quæst.2. art.11. quia nunquam principium meriti cadit sub merito. At verò unio Verbi Divini cum natura humana fuit principium omnis Christi meriti. Impossibile igitur fuit quòdChristus mereretur eam unionem, quæ jam supponebatur, ut aliquid Christus mereri posset.

Atqui & eadem est ac nostræ prædestinationis conditio. Ideò enim ut egregiè observat Sanctus Thomas 3. par. quæst. 24. art. 3. *Prædestinatio Christi dicta est ab Augustino lumen prædestinationis, & gratiæ in quantum per hujus prædestinationem, & gratiam manifestaretur nostra prædestinatio.* Atque id expresè inquit S. Augustinus, & comparatione prædestinationisChristi etiam evincit eodem lib. de prædest. SS. cap. 15. ubi inquit : *Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.* Ergo quòd ad prædestinationem attinet, eadem est & Christi capitis, & hominum, qui ejus membra sunt, conditio: nulla merita præcesserunt; & necesse est, ut ibidem inquit Sanctus Doctor, conticescant humana merita, & sola regnet gratia ; quæ regnat & in Christo, & in nobis per Christum.

At verò quòd ad gratiam attinet, efficacem, & efficacissimam etiam in Christo fuisse multisque ex capitibus specialissimam motionem ex directione Verbi Divini, omnino negari non potest, & satis alibi dictum est, ubi de libertate Christi egimus, & hic etiam pag. 242. Et cùm in Christo fuerit donorum Spiritus Sancti plenitudo, non potuit non esse efficacissima hæc, & singularis Divinæ gratiæ motio, quæ ipsa Spiritus Sancti dona comitatur. Unde Sanctus Thomas 3.par.q.7.art.5. ex ea Divina motione probat, in Christo fuisse Spiritus Sancti dona, cùm inquit : quòd *dona propriè sunt perfectiones quædam potentiarum animæ secundùm quòd sunt natæ moveri à Spiritu Sancto: manifestum est autem quòd anima Christi perfectissimè à Spiritu Sancto movebatur secundùm illud Lucæ 4. JESUS autem plenus Spiritu Sancto regressus est à Jordane, & agebatur à Spiritu in desertũ* : Ergo & in Christo efficacissima fuit Divina motio, quæque voluntatem humanam Christi ad omnia opera impellebat. Unde & Divus Thomas sæpiùs observat, humanitatem Christi, in qua etiam intelligitur humana voluntas, fuisse Divinitatis instrumentum ; ita tamen ut etiam proprium motum, propriumque agendi, quantum ad libertatem sufficit, modum servaret 3. par. quæst. 18.

Atqui iterùm quòd ad gratiam attinet, eadem ratio est, & Christi Redemptoris, & hominum quos redemit. Unde & Sanctus Thomas vim, & conditionem Divinæ in Christo motionis explicat. 3. par. quæst. 18. art. 1. ad 1. comparatione Divinæ motionis qua Sanctorum voluntates moventur. *Quidquid* inquit *fuit in humana natura Christi, moveatur nutu voluntatis Divinæ; non tamen sequitur, quòd in Christo non fuerit motus voluntatis proprius naturæ humanæ quia etiam aliorum Sanctorum piæ voluntates moventur secundũ voluntatem Dei, qui operatur in eis velle & perficere, ut dicitur ad Philipp. 2. Licet enim voluntas non possit interiùs moveri ab aliqua creatura, interiùs tamen movetur à Deo,* ut dictũ est in 1. par.

Eadem quoque dubio procul est S. Augustini sententia libro superiùs laudato de prædestinat. Sanct. cap. 15. ubi inquit: *Apparuit nobis in nostro capite, ipse fons gratiæ: unde secundùm uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus : de ipso Spiritu hic renatus, de quo est ille natus; eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum:* Ergo ea apertissima ratione, certaque D. Augustini authoritate liquidò constat, in Christo non minùs quàm in hominibus status naturæ lapsæ, fuisse eam efficacem motionem Divinam, imo majorem, cùm hæc conjuncta esset cum specialissima Verbi Divini directione, & præsentia qua Verbum voluntatem humanam Christi tanquam sibi specialissima ratione propriam regebat, & ad virtutum opera, & patranda miracula impellebat. Unde & à Christo dicebatur *mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Et sermo quem audistis non est meus.* Quòd nimirum spoliata Christi humanitate substantia propria omnia ad Verbum Divinum pertinerent, ea lege quòd actiones sunt suppositorum. Et tamen si vera Jansenii sententia foret, scilicet ex sola naturæ lapsæ infirmitate, efficacem gratiam requiri, nec aliam esse nisi medicinalem, quæ morbum supponit ; nulla debuisset esse in Christo efficax gratia, sicut & nulla, ut Jansenius putat, in Adamo Innocente efficax gratia fuit. Sed hinc è contrà falsam esse eam sententiam facilè conjicere poterat, quòd in Christo in quo nulla erat naturæ humanæ infirmitatis umbra fuerit tamen efficacissima gratia Divina. Quin etiam, cùm in Christo vel ex ipsa personæ Divinæ dignitate, perfectissimaque unione humanitatis cum Verbo, major esse debuerit, & Verbi directio, & major humanæ Christi voluntatis à Verbo Divino dependentia, & subjectio ; ex eodem capite colligere potius Jansenius debuerat, majorem, & perfectiorem fuisse voluntatis Adami Innocentis ad Deum dependentiam, & subjectionem ; & perfectius, & efficacius dominium gratiam Divinam in Adami Innocentis voluntatem exercuisse; cùm ea ad Deum, & Creatorem suum subjectio, & ab ipso dependentia etiam ad Creaturæ perfectionem pertineat, & ut advertimus supra ex D. Thoma Divina impressio multò fortior, & validior sit in his qui propiùs adhærent.

Confirmari eadem ratio potest, quia si sola naturæ lapsæ infirmitas causa esset, cur hominis voluntas languida, & torpens efficaci gratia ad bonum impelli deberet : si Innocentiæ privilegium esset, ut voluntas sua rectitudine in bonum inclinata

nat a ſibi relinqui poſſet ; injuria fieret Beatæ Virgini Mariæ niſi etiam ejus voluntati ſubditam fuiſſe gratiam concederetur : nullaque neceſſitas eſſet admittendi Divinam motionem efficacem, quæ eam ad virtutum opera impelleret,cùm etiam juxtà communẽ & piam & quam etiam, quod adverti velim, nuſquam ac nullibi Sanctus Thomas ut piam ſententiam negavit, nulla fuerit in Beata Virgine Deipara originis labes : imò in omnium omnino ſententia perfectiſſimus fuerit ejus Innocentiæ ſtatus, qui ex abundantiſſima gratia oritur, & qua, ut inquit D. Thomas, ſublatus omnino, aut extinctus eſt omnis peccati fomes, *Quatenus ipſi præſtitum fuit ex abundantia gratiæ deſcendentis in ipſam, ut talis eſſet diſpoſitio virium animæ in ipſa,quòd inferiores vires nunquam moverentur ſine arbitrio rationis &c. Sicut fuit in Adam ante peccatum per originalem Juſtitiam:ita quòd quantùm ad hoc gratia Sanctificationis in Virgine habuit vim originalis Juſtitiæ*. Cùm ſcilicet,ut exiſtimat D.Thomas, ex concepta prole ea gratiæ abundantia redundavit in Matrem:quod figuratur,inquit,Ezech.43.*Ecce gloria Dei Iſraël ingrediebatur per portam orientalem, ſcilicet B. Virginem,& terra ideſt caro ejus ſplendebat à Majeſtate ejus,ſcilicet Chriſti*:3. par. quæſt.27. art.3.

Imò ea fuit ex hac gratiæ Divinæ abundantia in Beata Virgine puritas ; tot in hac perfectiſſima veluti Divinitatis imagine, ſapientia Divina ſplẽdida lineamenta contulit, ut in ſuæ Divinæ artis oſtenſionem, tantum tamque mirum opus Divina ſapientia effeciſſe videatur, ut egregiè inquit Sanctus Thomas Opuſc.61.ubi poſtquam Divini amoris gradus novem explicuit, in ultimo tandem, in quo amor *Facit aſſimulari totaliter*, duo ſolùm præclariſſima opera reperit, Chriſtum ſcilicet ac Beatam Virginem, in quibus perfectè hæc Divinitatis ſimilitudo impreſſa reluceat : quamvis adhuc ſit in Chriſto infinitè perfectior, cùm non ſolùm homo Divinus, ſed homo Deus ſit, & revera ſit, non impreſſa ſolùm Divinitatis imago, ſed unita ipſa Divinitas. Et de Beata Virgine ita præclarè Sanctus Thomas inquit ; ut vix majus unquam in commendationem Beatæ Virginis dici potuerit. *Gradus ergo*, inquit, *Decimus in quo amor facit aſſimulari totaliter ultrà Seraphim, eſt qui tam ſimilatur excellenter, utpote quibus in ſummo convenit Angeli definitio quam ponit Divus Dionyſius. Angelus eſt imago Dei, manifeſtatio occulti luminis,ſpeculum clarum, clariſſimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum,totam,ſi conveniens eſt dicere,ſuſcipiens in ſe pulchritudinem omniformis Deiformitatis;mundè reſplẽndere faciens in ſe bonitatem ſilentii. Fecit ergo ſummus Artifex in oſtentationem pleniorem artis ſuæ ſpeculum unum clariſſimo clarius, Seraphim terſius & purius,& tãtæ puritatis,ut purius intelligi non poſſet,niſi Deus eſſet:perſonam ſcilicet glorioſiſſimæ Virginis:De qua D. Anſelmus,decebat ut illius conceptio hominis de Matre puriſſima fieret ea puritate,qua major ſub Deo nequit intelligi. De hujus ſpeculi formatione Sanctus Bernardus: hanc Domine feciſti imaginem bonitatis tuæ, in ea valde Artifex oſtendens Magiſterium pietatis tuæ*.

Hæc Sanctus Thomas, quibus ſanè vix intelligi poteſt, aliquid addi majus aut excellentius,quo ſumma illa & dignitas, & puritas, ac innocentia Beatæ Virginis unquam explicetur. Puritate enim ſuperat ipſos etiam Seraphim, quod ex ipſa gratia, quæ eſt Divinitatis participatio, & ſupernaturalis puritas oriatur. Atque ea puritate apta fuit Beata Virgo, rectèque diſpoſita ut totam in ſe pulchritudinem omniformis Deiformitatis reciperet, & occultum lumen Divinitatis, & ſummam bonitatem Dei, quæ ſilentio dumtaxat ſatis laudari ab Angelis poterat, in ſe ſe ipſa manifeſtaret. Perfectiùs enim Divina potentia, Divina ſapientia, Divina bonitas, cæteraque Dei attributa ab Angelis in hac ſplendidiſſima Divinitatis imagine cognoſcuntur, quàm in cæteris totius Univerſi Creaturis ſimul junctis cognoſci unquàm potuiſſent. Omnia enim Divinitatis lineamenta, quæ creaturis imprimi poſſunt,ad abſolutiſſimam, & perfectiſſimam eam imaginem efformandam veluti conſumpta ſunt. Quod ſanè elegantiùs, & nobiliùs explicari non potuit, quàm à Sancto Thoma expreſſum eſt cùm inquit, factum tam præclarum fuiſſe opus à ſummo Artifice *In oſtentationem ſuæ artis* : quòd in eo opificio magna fecerit qui potens eſt, nec aliud quàm potentiam ſuam Deus conſulverit;ut mundo oſtenderet,quid ſumma ſua Omnipotentia poſſet,factoque tam eleganti, & miro opere, ipſe ſuam artem demiratus, adeò in eo ſibi complacuit, ut tenerrima illa Canticorum verba dixiſſe videri poſſit, *Averte oculos tuos à me: Schehem hirbibuni* שהם הרהיבוני *quia ipſi me ſuperbire fecerunt*. Quòd major ex tam præclaro opere, quàm ex cæteris omnibus ſuarum Divinarum manuum creatis operibus gloria in potentiam, & bonitatem Divinam redundet.

Ex quibus manifeſtum eſt, majorem dubio procul in Beata Virgine quàm in Adamo Innocente Sanctitatem, & Innocentiam fuiſſe : cùm etiam ab Angelo B. Virgini dictum ſit, *Inveniſti gratiam* : omnem ſcilicet quæ ab Adamo perdita fuerat, ſeu in poſteros transfundenda origine,ſeu etiam meritis comparanda. Unde & egregiè Hugo Cardinalis ſe ſe in ſpem erigit, ut à Beata Virgine non tam concedi gratiam, quàm ſibi reddi poſtulare audeat ; *Quia res habita ut propria cuſtoditur, res inventa reſtituitur*. Inventa igitur eſt à Beata Virgine amiſſa à primis parentibus Innocentiæ gratia, quam deinde tot acceptis à Spiritu Sancto in dotem, majoribus gratiis, & privilegiis cumulavit.

Igitur dubitari non poteſt, quin maxima, & quantum infra Chriſtum intelligi poteſt, in Beata Virgine puritas, & Innocentia fuerit : Ergo ſi ſola naturæ lapſæ infirmitas, qua ipſa natura humana ad malum proclivis eſt, efficacem gratiam Divinam, quæ veluti vim quandam torpenti hominis naturæ inferret, poſtularet, nulla fuiſſet in Beata Virgine efficacis gratiæ neceſſitas. Et

quod

quod dictum eſt ſupra, eodem jure, immò & potiori dicendum eſſet, ex prævisis Beatæ Virginis meritis prædeſtinationem ipſius factam fuiſſe.

Atqui id omninò repugnat, cùm, ut dictum eſt ſupra, prædeſtinatio Chriſti clariſſimum lumen ſit prædeſtinationis noſtræ & gratiæ, ipſiuſque Beatæ Virginis, quæ propinquior eſt Chriſto, & ad eundem quodammodò ordinem cum Chriſto pertinet: Cùm etiam, ut inquit S. Thomas 1. par. quæſt. 25. art. 6. *Humanitas Chriſti ex hoc quod eſt unita Deo, & Beata Virgo ex hoc quod eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.*

Et præterea dubitari non poteſt fuiſſe in Beata Virgine plenitudinem omnium donorum Spiritus Sancti: cùm etiam in Beatis ea plenitudo ſit, & in Chriſto; quæ dona efficiunt, quòd perfectiſſimè ac efficaciſſimè voluntas creata moveatur à Spiritu Sancto, ut infra dicemus. Ac demùm cùm ſumma perfectio ſit ſubjici Deo cui ſervire regnare eſt, tantùm abeſt, quòd ex Beatæ Virginis puritate, & innocentia exiſtimandum ſit, gratiam fuiſſe ipſius voluntati ſubjectam, ut è contra Deiparæ Virginis voluntatem magis Divina gratia ſibi ſubjiceret, omninò raperet, ac totam poſſideret: cùm ea ſubjectio ad ſummam perfectionem pertineat; & ſemper fortior, & efficacior ſit ſuperioris cauſæ in viciniora, & magis conjuncta, impreſſio. Unde Sanctus Thomas 3. contra Gent. quem aliàs retulimus, in Angelis quo perfectiores, & Deo viciniores ſunt, fortiorem, & efficaciorem eſſe Divinam influentiam, inquit, quòd toties etiam à S. Dionyſio dictum eſt, & alibi lucis diffuſæ comparatione explicuimus: unde neceſſe eſt quòd multò efficaciori, & perfectiori gratia ac motione Deiparam Virginem Spiritus Sanctus ad omnia virtutum opera impelleret, adeòque etiam ut nec peccare poſſet, ut aliàs, cùm de variis libertatis gradibus ageretur explicuimus. Atque in ſingulari majorem in Beata Virgine Spiritus Sancti impulſum obſervat S. Ambroſius in Lucam; cùm eam Divinus Spiritus ad viſitandâ B. Eliſabeth impulit; *Neſcit enim*, inquit, *tarda molimina Spiritus Sancti gratia.*

QUÆSTIO II.

Ex variis Innocentiæ, & Sanctitatis Privilegiis collatam fuiſſe Adamo efficacem per ſe gratiam oſtenditur.

IUCUNDIOR futura eſt hæc quæſtio, ubi ſuaviſſima Sanctitatis privilegia proſecuturi ſumus, quibus Deus in amoris ſui, & ſolicitudinis argumentum Adamum exornaverat, & quæ non poſſunt non eſſe cum efficaciſſima gratia, & Divina motione conjuncta. *Felices antiqui dies*, inquit D. Gregor. in Pſal. Pœnitent. 7. verſ. 4. *nihil tenebrarum, nihil caliginis præferentes, quos Divinitatis luſtrabat præſentia, ſecuritatis purgabat ſerenitas, lætitiæ immenſitas decorabat: dies gaudiorum, & luminis, dies virtutum, & pacis, dies delitiarum, & ſuavitatis*: Cùm ad ſupremum contemplationis culmen evectus Adamus, ſe ſe Curiæ Angelicæ cæleſtia arcana percepturus, immiſceret: cùm Divinæ Prophetiæ lumine illuſtratus, futura tempora ſupergreſſus, magnum illud Sacramentum, & Chriſti cum Eccleſia inſolubile fœdus proſpiceret, cujus in ſe ſe, & conſorte Eva ſymbolum agnoſcebat: *Memor dierum antiquorum*, neceſſe eſt iſta proſequar: & tantæ felicitatis recordatio, cùm jam amiſſa ſit, ſcribentem excruciaret, niſi revocarem in mentem, ex eadem ſcaturigine, unde tot in Adamum delitiæ, & magnâ copia influebant, aliquid etiam in hoc exilio irrorari: eademque beneficia, ac Sanctitatis privilegia, Viris ſanctiſſimis interdùm à Deo concedi, ut ærumnas leviùs ferant, quas cum ſuis delitiis infelix Adamus commutavit, & nobis in partem hæreditatis reliquit. Ex his igitur Sanctitatis privilegiis demonſtrandum ſuſcipimus non defuiſſe Adamo *Adjutorium quo*: Sed inter cætera accepta beneficia, & ſingularis amoris argumenta, illud etiam eſſe recenſendum, quòd Divina motione etiam validiori moveretur: *Quantò* enim *aliquæ ſunt propinquiora moventi, tantò efficaciùs impreſſionem moventis aſſequũtur: nam & quãtò propinquiora ſunt igni, magis ab ipſo caleſiũt. Subſtantiæ autem intellectuales*, & innocentiores, ac ſanctiores animæ, *propinquiores ſunt Deo, quàm ſubſtantiæ naturales inanimatæ. Efficacior eſt igitur impreſſio Divinæ motionis in ſubſtantiis intellectualibus*, & innocentioribus, ac ſanctioribus animis, *quàm in ſubſtantiis aliis naturalibus*. D. Thomas 3. contra Gent. cap. 95.

ARTICULUS I.

Ex variis & Innocentiæ, & Sanctitatis privilegiis collatam fuisse Adamo efficacem gratiam Divinam probatur. Extenditur ea ratio ad statum naturæ lapsæ. In omni statu voluntas ex donis Spiritus S. magis agitur quàm agat.

Diutiùs in hac quæstione immoramur, quòd eam Jansenius totius Augustinianæ de gratia Doctrinæ veluti *Clavem* esse existimaverit: qua in re plurimum è contra à vera D. Augustini sententia ipsum aberrasse arbitramur; ut non immeritò dici posse videatur quod à Clemente Alexandrino lib. 7. Stromat. versùs finem dictum est. *Qui verbis Divinis non rectè, sed perversè utuntur, nec ipsi ingressus clavem habent, sed falsam quandam, & ut dicit consuetudo ἀντικλεῖδα adversam clavem, per quam non relaxato velo, ut nos ingredimur, per Domini traditionem; sed exciso ostio, & muro Ecclesiæ perfosso veritatem transgrediuntur.* Ita planè falsam & *adversam clavem* fuisse quâ usus est Jansenius, & quâ lacerato velo, exciso ostio, & muro Ecclesiæ perfosso veritatem transgressus est, ac totius Augustinianæ doctrinæ velut Sacrarium funditùs evertit; variis argumentis ex Sanctitatis, & Innocentiæ privilegiis demonstratum eo: quibus etiam in statu naturæ lapsæ, in quo nunc versamur, efficacem esse ex se se gratiam Divinam compertum fiet contra eorum sententiam qui Divinæ motionis efficaciam negant.

Probatur itaque ex tribus Sanctitatis privilegiis cuilibet statui, seu innocentis, seu reparatæ naturæ communibus; scilicet actibus heroicis, quorum principia sunt dona Spiritus Sancti; altissima contemplatione, quam potissimùm etiam sapientiæ, & intellectûs dona efficiunt; ac demùm dono, & lumine supernaturali Prophetiæ.

Supponendum verò in primis est, durasse aliquo temporis intervallo Innocentiæ statum, etsi quantùm duraverit omninò incertum sit, cùm de ea re Scriptura Sacra nihil referat. Variæ sunt Patrum sententiæ quas Interpretes colligunt; & Moses Bar-Cepha Syrus ante annos 700. eas quæ *sua ætate circumferebantur* satis fusè refert. Non videtur improbabile per dies octo Adamum in Paradiso commoratum fuisse. Quod enim Genes. 3. vers. 8. actum est, Adamum audivisse *Vocem Dei ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem*, id est inclinante jam die: advertit ipse Bar-Cepha non explicuisse Scripturam eandem fuisse diem quâ Adamus conditus fuerat, & cùm feriâ sextâ conditus fuerit, potuit præceptum transgredi altera sequente feriâ sextâ, quâ etiam expulsus fuit. Et quæ interdum Patres referunt, solitum fuisse Adamum; *Assueverat*, inquit Divus Gregor. lib. 4. Dial. cap. 1. uti societate Angelorum, de fructibus arborum, etiam & fructu vitæ aliquid decerpsisse, & gustasse; & *Poma jam in aliis arboribus innoxia* persensisse; nomina imposuisse animalibus, & alia ejusmodi quæ conjectare licet, significare videntur, eos plus uno die in Paradiso moratos fuisse. Communior tamen est sententia innocentem Adamum non uno plus die in tanta felicitate perstitisse; de quibus omnibus Malvenda lib. de Parad. voluptatis cap. 75. Et hæc forsitan sententia firmari posset hac observatione, quam prætermisisse Malvendam miror virum hebraicè, si quis sua ætate fuit, doctissimum: sed hanc forsitan non satis firmam esse existimavit, cùm in singulari de Adamo sermonem esse non satis constet. Etenim Psal. 48. vers. 13. ubi vulgata legit: *Homo cùm in honore esset non intellexit*: hebraicus textus ita expressè habet: *Lo ialin, Et Adam in honore non pernoctavit*, ut vertit etiam Arrias Montanus, ubi vulgatus Interpres legit: *Lo labin*: quò pacto necesse est etiam legerit S. Hieronymus: neque enim *tò lalin*, quod in hebraico est, ulla ratione *intellexit*, aut in futuro *intelliget*, significare potest, sed vel propriissimè pernoctavit, vel permansit, vel commoratus est, aut aliud simile. Ut ut sit, inde colligi posset, dumtaxat Adamum, si de eo intelligi debeat, usque ad vesperam commoratum fuisse in eo Paradiso, indèque sub vesperam fuisse ejectum. Quod quidem quantùm ad hanc partem ex illo Geneseos colligi potest, etsi non omninò convincat, ut diximus, ubi dicitur, audivisse Adamum *Vocem Dei perambulantis ad auram post meridiem*; cùm scilicet jam inclinante Sole, lenior aura spirat, & post eam increpationem quæ Genes. 3. refertur, quâque Deus visibili aliqua specie conspicuus, ad majestatem, vel terrorem composita, Adamum reprehendit, gravibusque etiam pœnis addixit, quas & nos patimur, è Paradiso Adamus ejectus est. Quæ autem de Adamo leguntur, ipsum saltem per diem mansisse in Paradiso, eoque Innocentiæ statu, satis significant. Hoc igitur suppositò,

Probatur *Primò* ex his actibus, quos pro hoc statu Innocentiæ Adamus elicere debuit, & quorum principia sunt dona Spiritus Sancti. Etenim dubitari non potest, quin inter alia supernaturalia dona, eamque supernaturalem supellectilem, quâ ornatus est Adamus, etiam Spiritus Sancti dona acceperit. Atqui actus quorum principia sunt dona Spiritus Sancti, sunt ex specialissima Spiritus Sancti motione, & impulsu, seu ex gratia efficacissima: Ergo in statu Innocentiæ tantùm abest quòd Adamus efficaci Dei gratia non moveretur, ut è contra ipsa hujus status perfectio exigeret, ut quàm perfectissima, & efficacissima moveretur ac raperetur.

Major, ut puto, in dubium revocari non potest; quia exigit illius innocentissimi, & felicissimi status conditio, ut quæcumque ad perfectionem pertinent, ipsi adscribantur. Erat enim hic

sta-

ſtatus, minor quædam beatitudo, & perfectiſſima, quæ unquàm fuerit cæleſtis Beatitudinis participatio; ubi & ad altiſſimam contemplationem evectus aliquando familiariter, cùm Angelis converſari potuiſſet, & ut inquit S. Greg. in 4. Dialog. c. 1. *In Paradiſo quippè aſſueverat homo verbis Dei perfrui, bonorum Angelorum ſpiritibus cordis munditia, & celſitudine viſionis intereſſe.* Et familiariter cum Adamo Deũ egiſſe ſatis ex S. Script. colligitur, & admodùm credibile eſt, quòd quæcũq; modò in hoc ſtatu naturæ reparatæ Viris Sanctiſſimis privilegia, cæleſtes delitiæ, raptus, extaſes, aliaque ejuſmodi conferuntur, etiam Adamo, ac poſteris, ſi ſtatus ille perduraſſet, communia, & veluti familiaria fuiſſent, ut poſteà dicemus. Atqui certum eſt, dona ad perfectionem gratiæ pertinere, *Primo* quia ea ratione in Chriſto fuerunt, ut ſuprà diximus ex S. Thoma 3. par. qu. 7. art. 5. *Secundò*: quia ſunt etiam in Beatis, remanentque in Patria, ut expreſsè habet Divus Thomas 1. 2. quæſt. 68. art. 6. *Dona*, inquit, *Spiritus Sancti perficiunt mentem humanam ad ſequendam motionem Spiritus Sancti, quod præcipuè erit in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, ut dicitur* 1. *ad Cor.* 15. *& quando homo erit totaliter ſubditus Deo.* Unde apertiſſimè colligitur, dona ad perfectionem gratiæ, & ſtatum gloriæ pertinere: & quò pleniùs hominem Deus poſſidet, eumque ſibi ſubjicit, eo potiori ratione ipſum iis donis exornat. *Tertiò*: Et demùm ipſa ſpecialis, ſingularis donorum ratio, unde & eorum neceſſitas petitur, ſatis ſignificat, ea dona ad perfectionem pertinere. Cùm enim ut egregiè diſcurrit Sanctus Thomas, à triplici principio homo moveatur, ſcilicet ratione, fide, & Spiritu Sancto: neceſſe eſt animum hominis habitibus perfici, quibus rectè ab eo triplici principio homo moveri poſſit: Quia *Omne quod movetur neceſſe eſt proportionatum eſſe motori, & hæc eſt perfectio mobilis, inquantùm eſt diſpoſitio, qua diſponitur ad hoc quòd benè moveatur à ſuo motore* 1. 2. quæſt. 68. artic. 1. *Virtutes verò humanæ perficiunt hominẽ, ſecundùm quòd homo natus eſt moveri per rationẽ.* Ibid. Infuſis virtutibus diſponitur, ut per fidem regulaſque fidei homo dirigatur: Sed *Oportet ineſſe homini altiores perfectiones ſecundùm quas ſit diſpoſitus ad hoc quòd divinitùs moveatur: & iſta vocantur dona, non ſolùm quia infunduntur à Deo, ſed quia homo ſecundùm ea diſponitur, ut efficiatur promptè mobilis ab inſpiratione Divina, ſicut dicitur, Iſai.* 50. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsùm non abii.* „ *Et Philoſophus dicit etiam cap. de bona fortuna, ſeu lib.* 7. *moral. Ethic. cap.* 18. *quòd his qui moventur per inſtinctũ Divinum, non expedit conſiliari ſecundùm rationem humanam; ſed quòd ſequantur interiorem inſtinctum, quia moventur à meliori principio quàm ſit ratio humana.*

Igitus ea propriiſſima ratio eſt donorum Spiritus Sancti, quòd rectè diſponant animum, habilemque efficiant, ut Spiritus Sancti variis impulſibus moveatur. Ut enim v. g. ad actum Fidei, aut charitatis, moveri à Deo non ſolent, niſi qui jam habitibus eorum actuum principiis inſtructi ſunt; ita nec motibus, & ſacris impulſibus à Spiritu Sancto moventur, & aguntur, niſi qui his donis exornantur.

Major igitur ſuperius poſita certa eſt, quòd cùm pertineant dona Spiritus Sancti ad perfectionem ſtatus, & gratiæ, & innocentiæ, neceſſe ſit etiam in Adamo fuerint: & tantùm abeſt, quòd quia in Adamo perfectiſſimè pars inferior ſubdita erat rationi, ut & ratio ſubdita erat Deo, ideò his donis inſtrui non debuerit, ut econtrà idcircò maximè his donis perfici, & à Spiritu Sancto fortiùs, & efficaciùs moveri debuerit, quò magis cõſentiẽtibus omnibus partibus integer homo ſubditus erat Deo: ſicut *præcipuè* perficiuntur his donis Beati *ad ſequendam Divinam motionem Spiritus Sancti; quia Deus eſt omnia in omnibus*: Quòd de Chriſto eadem ratione dictum eſt. Neque ulla veriſimili ratione exiſtimari poteſt, Adamo in tanta felicitate, in eoque Sanctitatis culmine conſtituto dona Spiritus Sancti defuiſſe.

Minor verò probatur, ſcilicet dona ſecum inferre ſpecialiſſimam Spiritus Sancti motionem, & donorum actus ex ſpecialiſſima, & efficaciſſima Divina motione oriri. Probatur inquàm à S. Thoma ex ipſa donorum propriiſſima notione: ſunt enim, ut diximus, infuſi habitus, quibus homo redditur benè mobilis à Spiritu Sancto: & planè repugnat donorum perfectioni, quòd creatæ voluntatis libertati, & uſui ſubjiciantur; cùm econtrà ideò tribuantur, ut & ipſa voluntas, & omnes animæ vires motioni Divinæ pleniſſimè ſubjectæ ſint. Etenim, ut inquit S. Thomas ibid. 1. 2. quæſt. 68. artic. 8. *Virtutes Theologicæ ſunt quibus mens humana Deo conjungitur: virtutes autem intellectuales ſunt, quibus ratio ipſa perficitur; virtutes autem morales ſunt, quibus vires appetitivæ perficiũtur ad obediendum rationi: dona autẽ Spiritus Sancti ſunt, quibus omnes vires animæ diſponuntur, ad hoc quòd ſubdantur motioni Divinæ.* Unde & ibidem obſervat Sanctus Thomas artic. 1. quòd dona *in Scriptura non traduntur ſub nomine donorum, ſed magis ſub nomine Spiritus. Sic enim dicitur Iſai.* 11. „ *Requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, & intellectus.* „ *Ex quibus verbis manifeſtè datur intelligi, quòd iſta ſeptem* (dona) *enumerantur ibi, ſecundùm quòd ſunt in nobis ab inſpiratione Divina. Inſpiratio autẽ Divina ſignificat quandã motionem ab extrinſeco*: Ergo ex S. Thoma, aut veriùs ex ipſa Sacra Scriptura, interprete D. Thoma, donorum actus ſunt ſpecialiter ex Divina motione, qua Spiritus Sanctus movet, impellit, rapitque voluntatem hominis, ut magis ſtatim explicabimus, & quò major eſt partium ſubjectio, eò major eſt ea Spiritus Sancti impreſſio, efficaciorque impulſus. Unde in Chriſto, actus omnes quos eliciebat, cùm eſſent omnium perfectiſſimi erant etiam nedùm virtutum, ſed etiam donorum actus, ex ſpecialiſſima Spiritus Sancti motione: quamvis tamen in aliquibus actibus ea Spiritus Sancti motio magis conſpicua fuerit,

cùm insolito quodam operandi modo agere visus est: ut cùm ejecit è Templo vendentes: cùm Luc. 9. vers. 51. *firmavit faciem suam ut iret in Jerusalem.* Id est ut explicat Sanctus Thomas ex Venerabili Beda in Catena, & refertur etiam in Glossa, *Veluti obstinata, & imperterrita mente* conscendebat Jerusalem, adeò ut hunc moriendi ardorem ipso incessu demonstraret: & cùm Luc. 12. vers. 50. inquit Christus: *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Quæ verba etiam ardentissimum moriendi desiderium significant. Et verò insolita illa, & Divini Spiritus motio adeò conspicua quandoque erat, ut Marci 3. vers. 21. dictum sit quòd *Sui* id est propinqui, aut Gentiles quibus non erat ejus Divinitas cognita, *Tenere eum voluerint: dicebant enim quoniam in furorem versus est.* Ita enim interdum etiam Viri Sancti, qui insolita Spiritus Sancti motione aguntur, & impelluntur, oculis insipientium stulti esse videntur: ipsique Apostoli post acceptam Spiritus Sancti plenitudinem tanquam ebrii habebantur. Addi & illud potest quod est simplicius, & apertius, quòd Jesus à Spiritu Sancto *agebatur in desertum.* Id est veluti vi quadam impellebatur, & tanquam omnium peccatorum totius generis humani amore reus, ut explicat Rupertus Abbas, à Spiritu Sancto ex consortio hominum in desertum, publicam veluti pœnitentiam acturus, expellebatur. Igitur aliquando, & ad nostram informationem in quibusdam Christi operibus apertior erat ea motio Divina, quâ à Spiritu Sancto agebatur, & impellebatur: sed tamen, ut arbitror, dubitari non potest, quin omnes actus virtutum, quos Christus eliciebat, simul etiam essent donorum actus. Ut enim observat S. Thomas eadem parte 1. 2. quæst. 68. art. 4. *Dona se se extendunt ad omnia, ad quæ se extendunt virtutes, tam intellectuales, quàm morales;* Neque virtutum actus ab actibus donorum distinguuntur, nisi ratione motivi, seu finis, ac principii, à quo eliciuntur, ut ibidem observat Sanctus Doctor artic. 2. ad 2. *Neque dona*, inquit, *excedunt communem perfectionem virtutum operandi, secundùm quòd movetur homo ab altiori principio.* Unde etiã *dona nominantur quandoque virtutes secundùm communem rationem virtutis: habent tamen aliquid supereminens rationi communi virtutis, in quantùm sunt quædam Divinæ virtutes perficientes hominem in quantùm est à Deo motus. Unde & Philosophus in 7. Ethic. ponit quãdam virtutem heroicam secundùm quam dicuntur Viri Divini.* Ita enim reverà, observat Aristoteles ibidem cap. 1. quòd *cùm Lacones aliquem admirantur, Divinus, inquiunt, Vir est.*

Igitur iidem actus esse possunt quantùm ad genus operis, & virtutum, & donorum, & solo motivo, & principio distinguuntur, quo regulantur, & producuntur. Actus virtutum sunt ut ratione, prudentia infusa, ac fide regulantur; donorum, verò ut speciali Spiritus Sancti impulsu producuntur. Unde cùm dubitari non possit quin Christus ex perfectissimo semper motivo ageret, altissimoque semper principio moveretur; extra dubium etiam esse videtur, actus omnes quos eliciebat fuisse ex specialissima *inspiratione Divina*; quatenùs humana Christi voluntas *subdebatur motioni Divinæ*: Neque arbitror aut intelligi unquàm posse, aut ab ullo Theologo concedi, quòd Spiritus Sancti motio Christi humanæ voluntati subderetur.

Atqui & eadem ratione, proportione tamen servata, concedendum videtur, perpetuò Adamum in tanta innocentiæ felicitate, in sublimi adeò Sanctitatis culmine constitutum, tanquàm omnium etiam sanctitatis transfundendæ, si status ille perdurasset, non minùs quam naturæ, parentem; quique cæteris omnibus posteris exemplo esse debuisset, omnibus sanctitate, & sanctitatis privilegiis ac donis superior: sicut eadem ratione, & veluti ex jure dignitatis Capitis, majorem quàm cæteri omnes, & omnem scientiam habuisset, ut cæteros instruere posset 1. par. qu. 94. art. 3. atque ejus opera efficaciora fuissent ad merendum quàm nostra. Ibidem quæst. 95. art. 4. Eadem inquàm, aut aliquo pacto simili ratione, concedendum videtur, Adamum quandiu status ille duravit, non solùm virtutum, sed etiam donorum actus elicuisse: Cùm hujus status perfectio ipsa postularet, quòd non minùs altissimo principio scilicet motione Spiritus Sancti ageretur, quàm quòd perfectissimo motivo ageret. Quamvis, ut posteà dicemus, aliquando majorem fuisse hunc impulsum ac efficaciorem motionem existimandum sit, cùm scilicet in extasim raptus, & Prophetiæ dono illustratus est. Idque confirmatur quòd nulla, ut puto, unquam vera ratione intelligi possit, neque ullus unquàm S. Augustini principiis imbutus sibi suadebit, Spiritus Sancti Divinam motionem subditam fuisse voluntati Adami innocentis: quamvis id de communi motione, & communi adjutorio, intelligi faciliùs posset, quod tamen à verò alienum est: Ergo contrà fatendum est etiam in statu innocentiæ huic Divinæ motioni voluntatem Adami subditam fuisse: ipsumque Adamum etiam efficacissima, & non dumtaxat efficaci gratia fuisse motum; ideòque positum esse à Deo in Paradiso, ut cùm tanquàm suum singularissimum opus, singularissimo etiam modo, & operatur, & custodiret; usque dum ob causas nobis partim incognitas, partim manifestas, Deus Adamum sibi ipsi reliquit, ut experiretur quid sua voluntate posset: ac tunc infelici experimento didicit, nosque etiam docuit, ad malum sibi satis esse: ad bonum parùm, aut nihil, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Et sanè quæcunque ax Patribus colligi possunt, & magna copia aliqui congerunt, ut summam Adami felicitatem probent, quorum aliqua Dissertationis initio retulimus: ea etiam apertè demonstrant, non ita semper sibi suoque arbitrio fuisse relictum, donec ob majus Incarnationis bonum quod Deus inde elicere voluit, sibi relictus est, ut suam ipse infirmitatem addis-

ceret,

ſceret, poſtquam Divinæ gratiæ vim, & efficaciam perſenſiſſet. Neque enim unum ſine altero experiri ſatis, & addiſcere potuiſſet.

Confirmatur *Primò*: atque ut hæc ratio etiam adversùs eos locum habeat, qui nedùm in ſtatu naturæ innocentis, ſed etiam in ſtatu naturæ lapſæ, Divinas motiones negant: ſic poteſt in forma proponi. Non poteſt non eſſe motio Divina, quoties ita voluntas creata movetur, & impellitur, ut agi potiùs, quàm agere dicenda ſit: quamvis tamen, & ipſa dum agitur, ſub ea Divina motione agat, ſeque ipſam moveat: Atqui hic propriiſſimus donorum Spiritus Sancti effectus eſt, ut quiſquis ex dono Spiritus Sancti, & inſpiratione Divina impellitur, magis agatur quàm agat: Ergo quiſquis ex dono Spiritus Sancti impellitur, prævia & phyſica Divina motione movetur.

Major ſuis ipſis terminis apertiſſima eſſe videtur, & majorem etiam lucem accipiet ex his quæ infrà dicemus de Angelo, quem in primo inſtanti Deus adeò ſingulari, & ſpeciali motione movebat; & cujus ita curam agebat, ut moveri potiùs quàm ſe ſe ipſum movere dicendus eſſet: quia etſi vitaliter ac phyſicè ageret, attamen in eo primo inſtanti cùm nondùm conſtitutus eſſet in actu, ſed tum primò conſtitui inciperet, moraliter ſe ſe movere non poterat. Unde etiam ſub ea ſingulari directione, & motione Divina peccare non poterat, quamvis mereri poſſet: atque adeò non poterat dubio procul non eſſe ea motio prævia, phyſica, & efficaciſſima, ſub qua non poterat peccare. Atqui eodem planè modo, ſervata tamen proportione, qualem eſſe oportet inter Angelum, & hominem, de his exiſtimandum eſt, qui ex dono Spiritus Sancti, & Divina inſpiratione moventur. Moventur enim ſuprà eorum modum agendi, neque ex deliberatione præcedenti: unde eadem ratione non poteſt non eſſe motio efficaciſſima prævia, & effectrix ſeu phyſica.

Minor verò probatur: & primo quidem iiſdem terminis à S. Thoma expreſſa eſt 1. 2. quæſt. 68. art. 2. ubi inquit: *In donis Spiritus Sancti mens humana non ſe habet ut movēs, ſed magis ut mota.* Quod idem alibi repetit; quamvis tamen libertatem ſervet, & quidem integerrimam, & liberrimam, relicta poteſtate non agendi, conjuncta cum poteſtate merendi.

Sed prætereà probanda eſt ex Sancto Auguſtino, aut potius ex Divo Paulo, ipſo Sancto Auguſtino Interprete, eadem Minor. Etenim cùm ſpecialiſſimam Spiritus Divini operationem in his D. Paulus explicat qui Filii Dei ſunt, ita inquit ad Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei.* Et quidem dubium non eſt, quin etiam dum aguntur agant: *aguntur enim ut agant*, inquit S. Auguſtinus lib. de Correption. & Gratia c. 2. *non ut ipſi nihil agant.* Et ut habeat lib. de gratia Chriſti c. 25. *Profectò ut agant quod bonum eſt, ab illo aguntur, qui bonus eſt.* Agunt igitur: ſed ut ſignificetur ſingularis ille modus quo impellũtur; dicitur, non quòd agunt, ſed quòd aguntur: quòd nimirùm prævia deliberatione non ſeſe moveant, ſed veluti impetu quodam, & impulſu à Divino Spiritu agantur, non ut abreptitii, ut expreſsè obſervat S. Thomas, ſolo motu externo, aut perturbatâ mente, ſed Deo intùs in ipſa voluntate, ipſoque intellectu operante, non otioſa aut prævia voluntate, ſed comite, & pediſſequa. Atque ita egregriè expendit Sanctus Auguſtinus lib. de Geſtis Pelag. cap. 3. ubi ita inquit: *Plus eſt procul dubio agi quàm regi: qui enim regitur aliquid agit, ideò enim regitur, ut aliqtid agat; qui verò agitur, agere aliquid vix intelligitur. Et tamen tantùm præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere; quotquot Spiritu Dei aguntur, hi Filii Dei ſunt: nec aliquid in nobis libera voluntas meliùs agere poteſt, quàm ut illi ſe agenda committat.*

Exactiſſimè ad Theologiæ regulas hæc dicta, neque aliis unquàm clarioribus verbis propriiſſima ex dono Spiritus Sancti Divina operatio explicari unquam potuit, qua voluntas ſacro quodam veluti impetu acta, v. g. ex dono fortitudinis, nullis periculis, nullis tormentis commota, è contra in media pericula ſe ſe conjicit, aut impellitur; nec aliam ſuæ fiduciæ, & Chriſtianæ audaciæ menſuram aſſumit, quàm ipſam potentiam Divinam, qua tanquàm ſua veluti utitur: Cum v. g. ex dono ſapientiæ tota Divinis & ſplendidiſſimis ignibus immerſa, *ſpiritualia* ac Divina quaſi nuda detectaque veritate, & ſupra humanum modum, non longo diſcurſu, aut rationis etiam inquiſitione, ſed unione ad Divina, momento abrepta percipit. Tunc enim dubio procul *agere aliquid vix intelligitur*; cùm & ſupra communem agendi modum ad ea fertur, & impellitur, ad quæ nec humanæ vires pertingere unquàm poſſent, nec eam motionem communis gratiæ ſtatus exigit. Quin etiam neque communes prudentiæ leges aggredi ea permitterent, ad quæ interdùm viri ſancti ea Divina motione impelluntur. Atque utinam his ſacris Spiritus Divini impulſibus ſe ſe voluntas noſtra committeret: *Neque enim aliquid in nobis libera voluntas meliùs agere poteſt, quàm ut illi ſe agenda committat.* Sed præterea ſemper hìc addendum eſt. Quid in illis verbis inquit Auguſtinus quod ad perfectionem & Divinæ gratiæ & cujuſque ſtatus non pertineat? Quid, quod Adami Innocentiæ repugnet? & quid Adamus ipſe melius agere poterat, ipſe inter adoptionis filios tempore primogenitus Dei Filius, quàm ut illi ſe agendum committeret?

Confirmatur *Secundò*: & explicatur apertiùs quid ſit Spiritu Sancto agi ex Divo Thoma: qui de ea Divini Spiritus operatione pertractans in ea Apoſtoli verba, Lect. 3. ſtatim obſervat, exiſtimari quidem poſſe, hæc verba ita intelligi: *Quicumque ſpritu Dei aguntur, id eſt reguntur, ſicut à quodam ductore & directore: quod quidem in nobis facit Spiritus, ſcilicet in quantùm illuminat nos interiùs quid facere debeamus: Spiritus tuus*

bonus

bonus deducit me &c. & ſanè non aliam majorem vim & motionē admittere hi vidētur, quibus ſatis eſt ſola motio moralis, & qui vim omnem & efficaciam Divinæ gratiæ in ſola vocatione morali conſtituunt; non equidem motione morali humano modo & cujuſmodi fieri poteſt miniſterio hominum, vel per exempla, vel per admonitiones; ſed motione morali ſuperhumano modo qualis eſt motio Spiritus Sancti mentem illuſtrantis: Atqui eam etiam interpretationem frigidam & diminutam arbitrantur D. Thomas, utpote quæ vim phraſis D. Pauli minimè explicet aut ſuſtineat. Unde ſtatim ita proſequitur: *Sed quia ille qui ducitur, à ſē ipſo operatur, homo autem ſpiritualis non tantùm inſtruitur à Spiritu Sancto quid agere debeat, ſed etiam cor ejus à Spiritu Sancto movetur: ideò plus intelligendum eſt in hoc quod dicitur, qui. cumque Spiritu Dei aguntur: illa enim agi dicuntur, quæ quodam ſuperiori inſtinctu movētur. Unde de brutis dicimus, quòd non agunt, ſed agūtur: quia à natura moventur, & non à proprio motu ad ſuas actiones agendas. Similiter autem homo ſpiritualis non quaſi ex motu proprię voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendū ſecundùm illud Iſai. 50. cum venerit quaſi fluvius violentus, quē ſpiritus Dei cogit.*,, & *Luc. 4. quod Chriſtus agebatur à Spiritu in deſertū.*

Præclariſſima ſanè & germaniſſima interpretatio, ut de S. Thoma dixeris quod de his Sap. 16. v. 11. dicitur, qui in recordationem & *memoriam* Divinorum *ſermonum* inſerebantur, & ex textu græco veluti ad centrum uſque pertingebant. Id enim propriiſſimè ſignificat, Divino Spiritu agi & impelli; ſcilicet *non quaſi ex motu propriæ voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti ad agendum aliquid inclinari*, & impelli. Et verò quo pacto hæc cum ſola motione, aut vocatione morali cohærerè poſſint, quæ tota in intellectu ſiſtit, nec quidquam in voluntate agit, immò nec eam afficit? Si non alia quàm vocatione morali Spiritus Sanctus hominem ad agendum moveret, aut veriùs ad currendum in ſtudio virtutis, aut luctandum cum publicis ſalutis noſtræ hoſtibus in paleſtra excitaret: (neque enim aliud vocatio quàm excitatio & quædam exhortatio dicenda eſt:) director potiùs ductorque ſolùm dicendus foret: atque ut Tertulliani verbis utar ad martyr. cap. 3. quoties bonum certamen ſubeundum eſſet, dumtaxat *Agonothetes* eſſet Deus, *Xyſtarches Spiritus Sanctus*, *Epiſtates veſter Chriſtus*. Nihil enim aliud ſervata proportione Deus ageret; quàm quod ſolerent olim in ſpectaculis, ut explicat Pammelius in Tertull. lib. de ſpectacul. cap. 11. Agonothetes qui certamen propoſitis præmiis inſtruebat; Xyſtarches loci præſes, in quo certamen committendum erat; Epiſtates athletarum Magiſter. Et valida quidem interdùm voce, eoque validiori, quò efficacior eſſet vocatio, Deus hominem ad certamen hortaretur; atque etiam quod non eſt negandum interiùs ſuaſione, exhortatione, vocatione, moveret & excitaret, ſed nihil in voluntatem liberè agente efficeret: Atqui ea non poſſunt non abeſſe quàm longiſſimè ab ea Divina motione, qua voluntas magis movetur, quàm ſeipſam moveat, & qua homo ſpiritualis, *Non quaſi ex motu propriæ volūtatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti ad aliquod agendū inclinatur.* Ergo cùm à D. Paulo dictum ſit, quòd ea Divina motione qui ſunt Filii Dei à Spiritu Sancto aguntur, neceſſe eſt majorem vim aliquam intelligi, præter motionem moralem, quæ nihil efficientiæ habet, ſed quæ niſi ludatur verbis, dumtaxat perſuaſio quædam eſt, & exhortatio.

Confirmatur *Tertiò*: quòd ſaltem dubitari non poſſit, quin major aliqua motio à S. Thoma intellecta fuerit, cùm expreſsè eam motionem, qua Spiritus Sanctus eſſet dumtaxat director ductorque hominis, & quæ dubio procul motio & vocatio moralis eſt; non ſatis eſſe, expreſsè obſervaverit; ſed alteram majorem à D. Paulo intelligi arbitretur, quà voluntas, *Non quaſi ex motu propriæ voluntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiritus Sancti ad aliquid agendum inclinatur.* Et verò quē alium ſenſum hæc verba permittunt, quæ ſubjungit D. Thomas ex Iſai. cap. 65. *Cùm venerit quaſi fluvius violentus quem Spiritus Dei cogit.* Quid enim hæc cum ea motione morali, quæ in nullam partem voluntatem hominis inflectit, & quam ne quidem attingit; ubi ad liberum actum producendum ventum eſt? ut ſanè in ea ſententia de voluntate motione dumtaxat morali permota dici poſſe videatur, quod de ſuæ materiæ motu Hermogenes apud Tertullianum cap. 41. dixit, adeò compoſitum & temperatum eſſe, ut *Scilicet qui inter bonum & malum ſuo arbitrio agitatus, in neutram tamen partem pronus mediæ ut ajunt Aginæ æquilibrato impetu ferebatur.* Ita enim ſi quis impulſus, ſi quis impetus ſit, ſi quæ motio, in ipſa voluntate actibus indeliberatis commota; cùm ad actum liberum producendum ventum eſt; ſiſtit hic omnis impetus, ceſſat hæc Divina motio, neque aliud deindè agitur, niſi ſola vocatione, & adhortatione, ut voluntas media quod ajunt in Agina æquatis utrinque ponderibus conſiſtat, neque à Deo poſſit etiam tota qua valet Omnipotentia flecti, Quàm longè iſta abſunt ab ea Divina motione, quam nobis ea Sanctæ Scripturæ verba ſignificant: *Cùm venerit quaſi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit?* Quàm longè ab ea S. Thomæ interpretatione, qua Divinæ motionis & Divinæ inſpirationis vim explicat, qua ſcilicet inſtar rapidiſſimi fluvii Spiritus Sanctus voluntatem hominis impellit, & tantum ſi ita loqui liceret, non cogit: quibus enim unquàm verbis validior ea impulſio explicari potuiſſet?

Confirmatur *Quartò*: Quod eam motionem admittat ipſa Scriptura Sacra ac deinde D. Thomas, de qua dubitari poſſet num læderet libertatem. Id enim obſervat D. Thomas. Ne quis enim inde conquerendi cauſam arripiat, lædendam fore hominis libertatem, ſi tanta ſit Divinæ motionis vis; ſtatim hanc anſam amputat S. Thomas, & monet, cum libertate eam Divinæ motionis

vim

vim conjungendam esse. *Non autem per hoc*, inquit, *excluditur quin viri spirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur, quia ipsũ motum voluntatis & liberi arbitrii Spiritus S. in eis causat, secundùm illud ad Philipp. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere*. Non sanè sistit hic impetus ut æquato examine libratis hinc indè ponderibus, voluntas media in Agina consistat. Supereſt equidem semper libertas & libertatis indifferentia, & indifferentiæ perfectio; sed ea activa non passiva est; dum in unam partem fertur, integra manet, sed non otiosa: exercetur enim, & ut inquit Sanctus Prosper, *adoletur, non aboletur*. Adhuc enim sui juris est; sed & hoc jus ab altero acceptum est: agit quidem, sed ut agat priùs agitur: Domina quidem est; sed subdita Deo. Absit enim ut ita liberi esse velimus, ut nec Deum velimus habere Dominum, ut alicubi inquit Sanctus Augustinus. Quis verò intelligat sub eo Spiritus Sancti impulsu veram hominis libertatem lædi, cùm è contra ubi Spiritus, ibi libertas sit. Et frangi quidem libertatem necesse est, cùm se se adversùs Deum erigit, & falsa omnipotentiæ similitudine se se veluti Deam Volumnam constituit. Et si ea libertas confringeretur, quæ nec jubenti quidem Deo parere vult, nisi cùm ipsi libuerit, & nisi blandè excitetur, ita nullum supremum Dei dominium agnoscat, quo Deus efficiat ut pareat; nulla jactura esset, cùm ea vera libertas non sit, &, ut satis explicuimus, D. Thomæ principiis repugnet. Debet enim ea quæ vera libertas est, Deum agnoscere ut primum liberum, ut primum agens, & primum determinans, primumque movens. Neque satis est à Deo in hominis voluntate effici actus indeliberatos, quibus ipsa voluntas disponatur, ac moraliter deinde moveatur ad Deo jubenti liberè consentiendum. Quænam enim ea laus est? Potest Deus efficere in genere efficientis causæ, de hac enim perpetuò loquimur, quæ sola vera & propria, & non metaphorica solùm causa est. Potest inquam Deus efficere ut voluntas necessariò velit, non potest efficere ut velit liberè? agnoscit supremum Dei dominiũ voluntas necessariò agens, non agnoscit autem liberè agens? Id est, uni dumtaxat necessitati voluntas cedit, & ut de Deo Termino, qui nulli Deorum etiam nec ipsi Jovi cesserat, inquit Sanctus Augustinus, tandem *Cessit Terminus Deus necessitati qui non cesserat Jovi*. Lib. 4. de Civit. cap. 21. Atqui non minùs voluntas ut agens liberum, quàm ut agens necessarium, secundum dumtaxat agens est, & à Deo dependens, ipsique subjici necesse est. Atque hanc humanæ libertatis notionem à Divo Thoma traditam esse sæpiùs advertimus, quæ Deo subdita sit, & ad omnia prompta, ac parata, & verissimè obedientialis, aut obedientiæ libertas; ut liberè agat, ut moraliter, ut physicè moveatur. Et mirum esset si ea obedientialis potentia, seu obediendi nedum potestas, sed etiam inclinatio, & veluti genius, qui rebus omnibus, ac ipsis, ut ita dixerim, rerum visceribus, insitus est, à libertate abesset,

Atque hanc libertatis notionem etiam expressit D. Thomas, cùm inquit, quòd ea Divini Spiritus effectrice motione, & inspiratione, nedùm actum voluntatis indeliberatum, sed etiam *ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii, Spiritus Sanctus causat*. Et adverte quàm accuratè hæc duo S. Thomas distinguat; diversa enim sunt, & sanè præsaga mente futuros aliquando prævidisse videtur, qui concederent equidem præveniente gratia Divina effici voluntatis actus indeliberatos, non effici tamen liberos: expressè enim utrumque distinguit, & utrumque à Spiritu Sancto, & Divina inspiratione effici inquit, *& motum voluntatis, & motum liberi arbitrii*. Quod etiam à Cælestino Pontifice dictum aliàs observavimus cap. 7. *Quòd nemo nisi per Christum libero utatur arbitrio*. Et c. 9. *Quòd Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio*.

Atque inde veram solidamque rationem elicit D. Thomas, cur ea Divina motio libertatem hominis non lædat: nimirùm quia ipsa eadem motio ipsum *liberi arbitrii motum causat*. Quo pacto enim Divina motio suum ipsum fœtum, quem concipit, quem parturit, extinguere credi posset. Sed de his alibi sæpiùs.

Confirmatur etiam *Quintò*: & explicatur magis quod toto hoc articulo prosequimur, quòd cùm hominis voluntas ex donis Spiritus Sancti movetur, magis agatur quàm agat. Etenim ut ea singularis, & efficacissima Spiritus Sancti motio significetur, cùm ejusmodi insolita opera, ac ingentia facinora, quæ in S. Scriptura à Viris Sanctis patrata referuntur; sæpiùs dicitur, quòd Spiritus Sanctus in eos irruit, in eos insiluit, ut rapti, & quodam sacro impetu acti viderentur: quæ maximè cùm his consentanea sunt, quæ ex Isaia, interprete D. Thoma, supra retulimus: *Cùm venerit quasi fluvius violẽtus quem Spiritus Domini cogit*. Etenim ubi libro Judic. de Sãpsone agitur, qui, ut S. Augustinus refert, lib. 8. de Civit. cap. 19. æstimatus est à Veteribus Hercules, & cujus stupenda, & ingentia facta, si cum Herculis laboribus comparentur, dubio procul non nisi *Muscarum depulsor* Hercules dici debet, qualis olim à Romanis habebatur, ex Clemente Alexandr. exhort. ad Gent. Quoties igitur ingens Sampsonis facinus in Scriptura Sacra refertur, toties ea insilientis Divini Spiritus, ac insolita ea motio explicatur, Judic. 14. cùm Leonem, quamvis sævum, & rugientem, ut ibidem dicitur, aggredi ausus est; *Irruit autem Spiritus Domini in Sampsonem, & dilaceravit Leonem quasi hædum*. Quibus dubio procul intelligitur motus ille insolitus, quo supra communes prudentiæ regulas, tantam illam fiduciam concepit; ut nulla præsentis periculi, quod effugere poterat, ratione habita, Leonem aggrederetur. Idem iterùm repetitur v. 19. cùm iratus ad-

adversùs eos, qui minis ab ejus uxore propositi ænigmatis solutionem extorserant; inermis & solus triginta viros in Ascalone aggressus est, ab iisque percussis, & occisis vestes abstulit, quas se daturum iis condixerat, qui propositum ænigma explicuissent: tunc enim repetitur, quòd *Irruit in eum Spiritus Domini*: ut nimirùm id auderet, quod adeò solitas hominis vires superabat. Idem rursùs cap. 15. vers. 14. *Cùm funibus* ligatus jam Philistæis propè tradendus esset: *Irruit*, inquit sacer Textus, *Spiritus Domini in eum, & sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ita vincula quibus ligatus erat dissipata sunt*. Neque enim existimandum est significari dumtaxat eo impulsu, ac veluti insilientis Spiritus motione, additas solùm Sampsoni vires fuisse, ad ea patranda, quæ hominum vires superant: neque sanè id dumtaxat significatur; sed siguificatur maximè additam esse Sampsoni eam fiduciam & audaciam, quâ nullis periculis terreretur, quæque tum ex dono fortitudinis, & impulsu Spiritus Sancti, animo Sampsonis injiciebatur, supra communes regulas, & communem agendi modnm, ut rei magnitudinem non cum propriis viribus, sed cum ipsa potentia Divina metiretur; & quâ, ut egregiè inquit S. Thomas Articulo sequenti referendus, motus Sampson à Spiritu Sancto tanquam suâ utebatur.

Ad eandem Spiritus Sancti Divinam, ac peculiarem motionem refertur, quòd se ipsum ruina Templi Sampson oppresserit, *Cùm invocato Deo ait, moriatur anima mea cum Philistæis*: Judic. 16. & concussis Templi columnis ingentem Philistæorum multitudinem, quæ ut ipsi illuderet concurrerat, seque ipsum oppressit, *suo triumpho sepultus*, ut aliò intentus D. Ambrosius loquitur: nemini enim alioquì manus sibi inferre licet, ut observat S. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 5. & quòd ad Sampsonem attinet refert ex Divo Augustino lib. 4. de Civit. c. 21. ubi idem S. Augustinus cap. 26. etiam ad Divinum quendam motum refert, quòd *Quædam Sanctæ Fœminæ tempore persecutionis, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in rapturum atque necaturum se flumen projecerunt, eoque modo defunctæ sunt, eorumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur*. Quæ fuerint ejusmodi S. Fœminæ, non refert D. Augustinus. Forsitan eædem sunt, quarum D. Ambrosius lib. 3. de Virginibus, meminit. Idem enim de D. Pelagia Virgine Antiochena refert, solitâque eloquentiâ diffundit; cùm enim inclusa domi à prædonibus Fidei & pudoris cingeretur; *Vacua præsidio, sed Deo plenior, quid agimus, inquit, nisi prospicias captiva virginitas. Et votum est, & metus est mori: quia mors non excipitur, sed adscisciturr. Moriamur si licet, vel si nolint licere, moriamur: Deus remedio non offenditur*. Hæc & alia ejusmodi refert. Ac deinde eam se cum sororibus ac matre in flumen immersisse inquit. De Sancta Apollonia dubitare non licet, eam majori Spiritus Sancti flammâ intùs succensam se se è carnificum manibus eripuisse, ipsisque stupentibus impetu se se in paratum rogum injecisse.

Hæc sanè ejusmodi sunt, ut apertissimè eam singularem ac insolitam Divini Spiritus motionem veluti ob oculos ponant: neque ullo pacto explicari posse videntur; nisi admissa Spiritus Sancti veluti quadam vi, & Divina motione, quâ potiùs agerentur, quàm agerent. Neque enim aliter ista licuissent, ideòque solùm commendantur quæ alioquin nullam omninò laudem, nullumque præmium mererentur.

Idem iterum de Saüle refertur, cùm initio adhuc innocentiam instar infantis unius anni retineret, 1. Reg. 11. *Insiluit Spiritus Domini in Saül .... & iratus est furor ejus nimis, & assumens utrumque bovem concidit in frusta*.

Verùm non minùs conspicua est, & se se adhuc legentium oculis spontè ingerit ea Spiritus Sancti motio in ipsis Apostolis, cùm accepta hujus Divini Spiritus plenitudine, adeò extra se rapti videbantur, ut etiam ebrii existimarentur; *Cùm repleti Spiritu Sancto cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Actor. 2. Non prout ipsi ante edocti fuerant, non prout ipsi cœpto consilio, rationisque déliberatione secum statuerant: *Sed prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. Ubi mea quidem sententia adeò manifesta est ea Divini Spiritus motio, quæ tanquam instrumentis & organis, eorum mentibus, voluntatibus, vocibusque utebatur, ut de ea nulla ratione dubitari possit. Neque enim dumtaxat animadvertendum est, infusis momento speciebus omnium Gentium linguas didicisse; sicut & D. Paulus Corinthiis scribens, se omnium linguis loqui inquit; id enim dumtaxat in mente actum est. Sed potissimùm ratio habenda est hujus magnitudinis animi, hujus fiduciæ, & audaciæ, quâ publicè Christum Crucifixum prædicare aggressi sunt, viri adeò rudes, & anteà adeò timidi, ut clausi domo, nè pedem quidem extra efferre auderent. Et sanè adeò extra se rapti, & Divino quodam afflatu, & impulsu acti, omnium oculis videbantur, ut omnes in stuporem conjicerent. Atque id expresè acta Apostolorum referunt, ubi dicitur, quòd *Facta hac voce*, seu vehementi illo sonitu, qui advenientis Spiritus indicium fuit, vel Apostolorum variis linguis loquentium; *Convenit multitudo, & mente confusa est ..... stupebant autem & mirabantur, nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt*? ac deinde: *Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse*? Cùmque tam insolitæ rei eos causa lateret, *alii* verò *irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt*. Et sanè non immeritò ebrii, atque extra se se positi, eo Divino afflatu dici poterant, & ut egregiè advertit S. Bernardus serm. 49. in Cantic. *Attende quòd non omninò ebrios, sed ebrios sicut ab illis æstimati sunt, D. Petrus denegavit: erant*

enim

enim ebrii, ſed Spiritu Sancto. Ubi & plurima de animabus Sanctis proſequitur D. Bernardus, quæ interdùm vehementiſſimo amore flagrare ac mente excedere ſe ſentiunt, nedùm intellectu, ſed etiam affectu; nedùm agnitione ſed etiam devotione; ut in cellam ſponſi vinariam introductæ muſto ultra ſatietatem pleniſſimæ, inſipientium oculis inſanire videantur. Et ut ſolidè inquit D. Thomas in Pſal. 23. Ebrietas quædam mentis eſt. *Ut enim ebrius non eſt in ſe, nec ſecundùm ſe loquitur, ſed ſecundùm impetum vini; ſic ille qui eſt plenus Divino amore, loquitur ſecundùm Deum: eſt enim in extaſim factus. Cantic. 5. comedite amici, & inebriamini*.

Et S. Thomæ præcecinerat Sanctus Auguſtinus in Pſal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, ubi egregiè inquit: *Perit mens humana, & fit Divina*, immutato ſcilicet proprio agendi modo, Quod quidem perfectiſſimè in Beatitudine cæleſti, & pleniſſimè verum habet; ubi cum Beatorum mentes propriis, quibus in naturali, aut etiam ſupernaturali cognitione in via uti ſolent, & quibus indigent ſpeciebus amiſſis, Divina veritas ſui ipſius ſpecies, ſeipſam Beatorum mentibus repræſentat; ipſaque Beatorum voluntas, quam Divina bonitas. & tota bonitatis eſſentia, & magnitudo, implet; ita extra ſe veluti rapitur, ut perpetuò exclamare poſſit, inquit piiſſimè Divus Thomas infra referendus, *quia amore tuo ardeo*. Sed & in iſta *Beatitudinis inchoatione*, ut contemplationem vocat D. Thomas, ita etiam, interdum quamvis longè inferiori modo, accidit; *Perit ipſa mens*, perit ipſa voluntas, aut veriùs ceſſat proprius, & mentis & voluntatis agendi modus: omninò enim extra ſe potentiæ evehuntur, & rapiuntur, ut interdùm vis animæ ſanctæ ſui compotes eſſe videantur. Neque id mirum: ut enim, ut inquit ibidem S. Auguſtinus: *Quid tam ebrium, quàm non agnoſcere uxorem flentem, non filios, non parentes &c. nolite mirari, ebrii erant*, & alia ejuſdem ſuaviſſimi guſtus. Et ita interdùm, ut dixi, animæ Sanctæ rapiuntur ea plenitudine & amoris & Divini Spiritus, ut ſolus Divinus amor, ſolus Spiritus Sanctus in his operari videatur; & ut de D. Hierotheo inquit Sanctus Dionyſius, ſolùm Divina patiantur; adeoque interdùm manifeſta eſt ea Divini Spiritus operatio, quòd, ut ita dixerim, amor vexillum in ipſis erexiſſe videatur. Ita enim eo loco quem ex Iſaia retulimus *quem Spiritus Domini cogit*. Hebraicus textus habet *Noſeſah* in quo ſcilicet Spiritus Sanctus vexillum erexit; ut ſuæ operationis vivam veluti imaginem, ſpirans ſimulachrum efficiat. Atque eodem ſenſu dictum eſt Cantic. 2. cùm jam ſponſa dixiſſet, ſe introductam in domum vini, charitatis ſcilicet ſubjicit *Vediglo nghalai ahaveh: & vexillum ejus ſuper me amor*. Quaſi Divinus amor & Divinus Spiritus in ea anima ſancta vexillum poſuerit, ut eam mundo oſtentet, ac in oſtenſionem ſuæ artis, ſuæque operationis eximiæ manifeſtet. Plura referre promptiſſimum eſſet, & quorum etiam aliquam partem apud Interpretes in ea loca quæ retulimus videre eſt; quorum etiam luculentiſſima exempla exhibent vitæ D. Thereſiæ, D. Franciſci Xaverii, D. Philippi Nerii, pluriumque aliorum, in quibus ea Spiritus Sancti operatio & abundantior & plenior fuit, ut interdùm modum imponi à Deo petere cogerentur: ut non immeritò dici poſſit, ſanctitatem ipſam, ac ſanctitatis privilegia luculentiſſima eſſe argumenta, quibus S. Thomæ de Divina præveniente & effectrice motione ſententia comprobatur.

ARTICULUS II.

Cõfirmatio ſuperioris rationis: Movetur homo ex dono Spiritus Sancti ſupra communes rationis regulas: Ergo & efficaci motione.

COnfirmatur prætereà, eademque ratio iterùm inſtauratur, & ad ſtatum naturæ reparatæ etiam extenditur. Non poteſt non eſſe efficaciſſima ea Divina motio, qua homo non ſecundùm communes rationis regulas non ex conſueto deliberandi modo, & conſilio; ſed momento ferè dixerim ſubitòque ſuperiori inſtinctu, ac impulſu Spiritus Sancti movetur: Atqui cùm ex donis Spiritus Sancti moventur ſpirituales viri, atque ad actus heroicos & inſolitos impelluntur, ſupra communes regulas, non ex imperio rationis & ex conſultatione, valdè præviis, & diuturnis, ſed ſuperiori inſtinctu, & inſpiratione Divina Spiritus aguntur, & impelluntur: Ergo non poteſt non eſſe efficaciſſima ea motio quæ eſt ex donis Spiritus Sancti.

Major ſeipſa ſatis aperta videtur. Etenim in communi quidem agendi modo aliqua dubitandi ratio eſſe poſſet, utrùm ea motio & phyſica & effectrix ſit, quòd non admodùm conſpicua ſit, nec ullum hujus veluti veſtigium ſatis deprehendi poſſit; quod etiam adverſæ ſententiæ Authores objicere ſolent. Nihil enim ſenſu, ſed ſola ratione percipitur, & alioquin ſecluſa ea Divina motione, omnia ſatis commodè explicari poſſe videantur: ſiquidem cùm homo Judicio rationis practico & deliberatione ex propriâ induſtria efformata conſultò ſe movet; videtur ſatis eſſe ejuſmodi judicium practicum, eaque deliberatio (ſi potiſſimùm ſupernaturalis ſit) ut moveatur voluntas, neque alium movendi modum ii admittunt, qui totam efficaciam gratiæ in ſola motione morali conſtituunt.

Verùm id refelli in primis poſſet eadem ratione, qua ſimplicem quorundam veterum, & maligniſſimam aliorum cogitationem Patres refellebant, qui Divinam in rebus operationem, & Providentiam negabant; quòd ſcilicet hujus nullum apertum indicium videri à ſe, aut per-

sentiri contenderent ; cùm omnia, ut putabant, solius naturæ opera essent, quibus nec ullus se se Deus immisceret. Neque forsitan ab ea cognitione longè abeunt, qui abdicatis substantialibus formis, animalia ἀυτόματα esse putant ; eadem ratione, quòd nempè sine beneficio ullius animæ, solis atomis variè concurrentibus, ejusmodi machinarum motus omnes satis explicari possint.

Sed prætereà quod ad nos attinet valere jussis his Philosophis satis multa alibi diximus ex Divo Thoma, quem Judicem non recusant hi cum quibus agimus : & expressè 1. 2. qu. 68. art. 2. cùm dixisset, lumen rationis quamvis imperfectiùs lumine Fidei, perfectiori tamen plenitudine participari, quia *habetur ab homine quasi plena possessio* ; unde & potest homo se se ratione regere, quia *unumquodque quod perfectè habet naturam, vel formam aliquam, aut virtutem potest per se secundùm illam operari*. Attamen statim addit S. Thomas, nè quis indè errandi occasionem sumeret : *Non tamen excluſa operatione Dei, qui in omni natura, & voluntate interiùs operatur* : qua operatione, & Deus rebus omnibus præsens constituitur, & omnium naturalem actualitatis veluti inopiam replet, aut imbecillitatem juvat ad suos effectus edendos, aut ultimam suis effectibus actualitatem constituendam.

Verùm licèt de ea communi motione Divina dubitare liceret, quæ occultior est, cùm homo ex communibus prudentiæ, ac rationis regulis, & prævia inquisitione & deliberatione agit : attamen dubium hoc elevari omninò videtur, cùm ad altiorem agendi modum homo evehitur, & supra communem agendi modum superiori instinctu superveniente impellitur. Unde enim incipere hic motus potest, cùm incipere ab ipso homine ipsaque ejus voluntate non possit : Ac deinde unde superiores has regulas quibus regatur homo addiscere potuisset, nisi superiori lumine, quod est & mente & ratione naturali melius, edoceretur ? Et qua fiducia demùm ut eas regulas sequeretur, in animum sibi induceret, nisi Divino & superiori instinctu impelleretur. Ideò enim egregiè dictum est à S. Thoma, consiliari non oportere eum secundùm rationem humanam, qui Divino instinctu impellitur, quòd scilicet à meliori principio moveatur. Sed hæc statim in probatione Minoris. Ergo manifestum est, quòd cùm homo supra communes rationis regulas non ex sola deliberatione, sed Divina inspiratione & superiori instinctu movetur, necesse est quòd ea motio efficacissima sit, & verè effectrix, nec solùm moralis. Quæ deinde à nobis de Angelo dicenda sunt, majorem *his lucem afferent*.

Minor verò, scilicet ex dono Spiritus Sancti moveri hominem supra communes & prudentiæ & rationis regulas, singulari & superiori, ac Divino instinctu & impulsu expressissimè docetur à S. Thoma, idque ex propria donorum Spiritus Sancti notione educit. Etenim 1. 2. qu. 68. art. 1. ut explicet qua ratione dona à virtutibus distinguantur ; ita inquit : *Ad distinguendum dona à virtutibus, debemus sequi modum loquendi Scripturæ, in qua nobis traduntur, non quidem sub nomine donorum, sed magis sub nomine Spirituum. Sic enim dicitur Isai. 11. requiescet super eum Spiritus Sapientiæ & Intellectus &c. ex quibus verbis manifestè datur intelligi, quòd ista enumerãtur ibi secundùm quòd sunt nobis ab inspiratione Divina : inspiratio autem significat quandam motionem ab exteriori. Est enim considerandum, quòd in homine est duplex principium movens ; unum quidem interius, quod est ratio ; aliud autem exterius, quod est Deus, ut supra dictum est : & etiam Philosophus dicit, ut infra referetur &c. manifestum est autem, quòd virtutes humanæ perficiunt hominem secundùm quod homo natus est moveri per rationem, in his quæ interiùs* (per voluntatem) *vel exteriùs* (per corporis partes) *agit. Oportet igitur, inesse homini altiores perfectiones, secundùm quas homo sit dispositus, ad hoc quòd divinitùs moveatur ; & istæ perfectiones vocantur dona, non solùm quia infunduntur à Deo, sed quia secundùm eas homo disponitur, ut efficiatur promptè mobilis ab inspiratione Divina : sicut dicitur Isai. 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsùm non abii. Et Philosophus etiam dicit in cap. de Bona Fortuna* (seu lib. 7. Moral. Eudem. cap. 18.) *quòd his qui moventur per instinctum Divinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam, sed quòd sequantur interiorem instinctum, quia moventur à meliori principio quàm sit ratio humana*.

Hæc D. Thomas : quibus duplicem modum quo homo movetur, distinguit : *Perficiunt virtutes hominem secundùm quòd homo natus est moveri per rationem*. En primum modum, non quidem eo sensu ut Deus dumtaxat voluntatem moveat media ratione seu rationis imperio ; id enim expressè refellit art. 2. ut jam supra advertimus, sed eo sensu quòd voluntatem moveat ad commune & nniversale bonum, aut ultimum finem, & voluntatem in actu primo constituat, ut deinde voluntas rationem ad inquisitionem mediorum, vel finis particularis moveat & applicet, factaque ea prævia inquisitione, ac sequente deliberatione & judicio practico, ratio imperet voluntati actionem ; ac tum etiã dum Intellectus moraliter practicè movet voluntatem, Deus inferius voluntatem movet per modum efficientis causæ, ut simul ea duplex motio & physica & moralis concurrant.

Verùm alius modus est, & longè nobilior, quo homo ex dono Spiritus Sancti movetur. Tunc enim sine ea deliberatione præeunte expressa, multisque actibus ordinata, Deus, qui, & ubi vult, & quando vult, spirat, simul & mentem illustrat, & voluntatem accendit ; atque ad opus insigne supra rationis etiam illustratæ Fidei regulas aggrediendum impellit. Et de his verissimè inquit : *Quòd iis qui moventur per instinctũ Divinum, non expedit consiliari secundùm rationẽ humanã* : Imò verò neque liceret interdum : tum quia veluti Divina inspiratione momento abripiuntur ; ut de

Sam-

Sampsone diximus, ut nec per tempus deliberare, aut capere consilium possent: tum quòd superiori lumine illustrati, & veluti *Consilio accepto à Deo*, ut Sanctus Thomas suprà citatus dixit, clarissimè quid agendum sit videant: tum demùm quòd ad ea interdum aggredienda impellantur, quæ dubio procul regulas omnes etiam rationis fide illustratæ ac prudentiæ infusæ superant. Quis enim v. g. ut alia exempla superiora prætermittam, Davidi adolescentulo, & inermi consuluisset, ut cum gigante strenuissimo milite, & ab adolescentia sua bellatore, singulare certamen iniret? Quibus rationis regulis interdùm Sancti Viri suscitare mortuos aggressi sunt? Et suscitari quidem posse à Deo certò fides docet: sed unde ea fiducia, ut suscitandos eorum precibus mortuos confiderent? unde tanta hæc fiducia illius Sancti Episcopi Spiridionis de quo legitur, in Concilio Nicæno apud Binium, quòd cùm quidam suum ipsius filiæ depositum commendasset, neque quo loco reposuisset antè obitum Sancto Seni ipsius filia indicasset; perrexit ipse ad Sepulchrum, & filiam suo nomine compellat. Respondit illa de sepulchro: *Quid vis Pater?* Tum ille; *Commendatum illius ubi posuisti?* At illa locum designans, *illic, ait, invenies defossum?* Sed qua fiducia iterùm, & quibus rationis regulis idem Sanctus Vir, cum callidissimus quidam Philosophus, & arte Dialectica insignis, quotidie cùm cæteris Patribus de rebus fidei confligeret, neque ab illo vinci posset: poscit Sanctus Senex ab omnibus locum: velle, inquit, se paucis cum Philosopho sermocinari. Tùm verò stupent cæteri Patres, qui simplicitatem Viri, etiam & imperitiam Dialecticæ, & Philosophiæ noverant. Verentur enim, nec sine causa, ne fortè irrideretur sancta simplicitas, ipsaque fides in contemptum veniret. *Perstitit tamen Senior, & hunc movit sermonem; In nomine Jesu Christi Philosophe audi quæ vera sunt.* Exponit quàm simplicissimè, & sine arte Mysteria fidei: ac deinde, *Credis hoc*, inquit, *ita esse Philosophe?* Et momento obstupefactus Philosophus, victusque, ita se credere respondit. Quibus sanè rationis regulis hanc confidentiam Sanctus Episcopus conceperat; Et quibus argumentis se victum fatetur Philosophus? Sanè apertissima est Divini Spiritus singularis motio, quæ & Sanctum Episcopum impulit ut hæc auderet; & Philosophum, ut momento veritati, & quidem nulla ratione victus, fidem adhiberet.

Demùm ne etiam hoc exemplum prætermittam. Unde fiduciam tantam D. Dorothea concipere potuit, quæ cum ad supplicium duceretur, & Theophilus quidam irridens diceret; *Eja Sponsa Christi, mitte nobis rosas de Paradiso Sponsi tui*, cui ipsa statim nihil dubia: *Planè ita faciam.* Unde inquam ea fiducia oriri potuit? quibus rationis regulis ita se facturam spondit? non sanè vi rationis, sed ex Divina inspiratione Divinaque motione factum est, ut ita sponderet. Atque hujusmodi exempla quamplurima, tum in Scriptura Sacra, tum in Historia Ecclesiastica, tum in actis Martyrum occurrunt.

Interim consulendus D. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 6. ad 3. ubi expressè etiam hunc duplicem modum distinguit, quo voluntas hominis moveri possit. *Dicendum*, inquit, *quòd Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum volũtatis quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationẽ determinat se ad volendũ hoc vel illud, quòd est bonum, & apparens bonum. Sed tamen interdùm specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendũ, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam.* Hæc ibi. Quibus expressè duplicem illud modum distinguit, quo voluntas moveri possit, quorum posterior apertior est in his qui ex Divina inspiratione, & ex donis Spiritus Sancti moventur.

Confirmatur *Septimò*: ratione D. Thomæ quâ probat cur ita necesse sit, distingui scilicet duplicem illum modum, quo voluntas moveri possit, aut debeat; & cur præter communes rationis regulas necesse sit interdùm Divina inspiratione hominem impelli. Præclarissimam enim hujus rationem addit ibidem quæst. 68. art. 2. ubi advertit, quòd *In his in quibus non sufficit instinctus rationis, necessarius est Spiritus Sancti instinctus.* At verò addit, quòd qoantumvis rationis lumen perfectissimum sit, & quamvis adjuncto lumine fidei multò perfectiùs evadat; attamen sæpiùs neutrum sufficit, ut homo regatur, ac potissimùm ut aggrediatur heroicos actus, nisi superveniat Divina Spiritus Sancti motio. Atque id probat Sanctus Thomas egregio discrimine quòd intercedit inrer rationis lumen, & lumen fidei: *Ratio hominis*, inquit, *est perfecta dupliciter à Deo, primo quidem naturali perfectione, secundùm scilicet lumen naturale rationis; alio modo quadam supernaturali perfectione per virtutes Theologicas* (fidem, spem, charitatem:) *Et quamvis hæc secunda perfectio sit major quàm prima, tamen prima perfectio perfectiori modo habetur ab homine quasi plena possessio: secunda autem habetur quasi imperfecta: imperfectè enim eligimus, & cognoscimus Deum*, in ordine gratiæ per charitatem, & fidem; cùm tamen in ordine naturæ, & lumine rationis, saltem prima principia, & quæ ex his primò deducuntur clarissimè nobis cognita sint. Atque ex eo discrimine colligit Sanctus Doctor, quòd *Quantùm ad ea quæ subsunt humanæ rationi in ordine scilicet ad finem connaturalem homini, homo potest operari per judicium rationis, si tamen etiam in hoc bono adjuvetur à Deo per specialem instinctum, hoc erit superabundantis bonitatis* Dubitari enim non potest, quin etiam ad ea quæ solo lumine naturali percipi, aut solo conatu naturali perfici possent, Deus interdùm abundantius lumen, & majores vires conferat. *Sed in ordine ad finem supernaturalem, ad quem ratio movet, secundùm quod est aliqualiter, perfectè informata per virtutes Theologicas; non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus, & motio*

Spiritus Sancti secundùm illud Roman. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur*.

Atque iterùm hujus discriminis rationem à priori refert, eamque duplici exemplo confirmat. Etenim inquit, *Manifestum est quòd unumquodque quod perfectè habet naturam, vel formam aliquam, aut virtutem, potest per se secundùm illam operari; non tamen secluſa operatione Dei, qui in omni natura, & voluntate interiùs operatur*. Observa hæc verba quæ ad præcludendam eorum sententiam interserviſſe videtur, qui sine prævia motione Divina solas facultates nativas satis esse existimarunt: *Sed id quòd imperfectè habet naturam aliquam, vel formam, aut virtutem; non potest per se operari, nisi ab altero moveatur*: Ergo cùm in ordine ad finem connaturalem homo habeat rationis lumen, quod veluti plena ac propria possessio homini concessum est, & tanquàm perfecta forma sit, qua agat; sufficit ipsum rationis lumen, quo seipsum homo regat, quamvis tamen, & tunc etiam necessaria sit ea operatio Divina, qua interiùs in ipsa voluntate operatur, ut diximus.

At verò quòd ad ordinem supernaturalem spectat, cùm virtutes supernaturales, & Theologicæ imperfectæ sint; neque ut plena possessio habeantur: non satis esse possunt ad heroicos actus eliciendos: sed necesse est adesse præter communem illam quam diximus primordialem Dei operationem, & motionem, alteram, & singulariſſimam motionem, quæ illum virtutum defectum suppleat, iisque veluti auxilium ferat.

Atque hanc rationem Divus Thomas duplici exemplo confirmat: Sicut enim, inquit, *Sol qui est perfectè lucidus per seipsum potest illuminare*, quamvis, ut dictum est supra, non desit etiam Divina operatio: *Luna autem, in qua est imperfectè natura lucis, non illuminat nisi illuminata. Medicus etiam qui perfectè novit artem medicinæ, potest per se operari, sed Discipulus ejus qui nondùm est plenè instructus, non potest per se operari, nisi ab eo instruatur. Sic igitur quantùm ad ea quæ subsunt humanæ rationi, in ordine ad finem connaturalem homini; homo potest operari per Judicium rationis &c. sed in ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem ratio movet, secundùm quod est aliqualiter, & imperfectè informata per virtutes Theologicas, non sufficit ipsa motio rationis nisi desuper adsit instinctus, & motio Spiritus Sancti*.

Hactenus D. Thomas, quibus sanè nihil Divinius dici potest, & quæ nec ipse sine Divina Spiritus Sancti motione scribere potuit. Atque eo sensu explicat Sanctus Thomas artic. 2. ad 2. quod ex Divo Gregorio refert lib. 2. moral. cap. 36. *Dona esse in adjutorium virtutum*; Quòd cùm virtutes perficiant dumtaxat modo humano, plurima sint ad quæ ratio humana nullo pacto pertingere possit: unde necesse est donis auxilium virtutibus ferri. Unde etiam alia apud eundem Divum Thomam in caput 11. Isai. quæ sciens prætermitto.

Confirmatur Octavò. Probaturque quòd à Divo Thom. dictum est, & hoc articulo prosequitur ex dono Spiritus Sancti non posse non moveri hominem singulari, & efficaciſſima motione; cùm etiam supra communes rationis, & prudentiæ regulas moveatur. Ac primò quidem quòd attinet ad donum Consilii: ita explicat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 52. art. 1. ad 1. *Dicendum* inquit, *quòd prudentia, vel Eubulia, sive sit acquisita, sivè sit infusa, dirigit hominem in inquisitione Consilii secundùm ea quæ ratio comprehendere potest: Unde homo per prudentiam, vel Eubuliam fit benè consilians, vel sibi, vel aliis. Sed quia humana ratio non potest comprehendere singularia, & contingentia quę occurrere possunt, fit quòd cogitationes mortalium sunt timidæ, & incertæ providentiæ nostræ, ut dicitur sap.* 9. *Ideò indiget homo in inquisitione Consilii dirigi à Deo, qui omnia comprehendit: quod fit per donum Consilii, per quod homo dirigitur, quasi Consilio à Deo accepto. Sicut etiam in rebus humanis, qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione Consilii, à sapientibus Consilium requirunt*. Hæc ibi

Quibus explicat Sanctus Thomas, quod à Divo Gregorio dictum est; dona Spiritus Sancti dari in adjutorium virtutum, quòd eò dona pertingant, quò nunquam virtutes pertingere possent. Et observanda ea verba sunt: *Homo dirigitur quasi Consilio accepto à Deo*: non inquisitione, & longa meditatione rationis. Interdùm enim adeò res desperatæ sunt, adeò incertum est quis sit futurus ei eventus, ut viri alioquin sagaces, & consultiſſimi, omninò consilii inopes suspensi hæreant. Unde observat Divus Thomas, dictum à Sapiente, non esse in hominis potestate vias ejus, nimirùm quantùm ad executionem; quòd rerum eventus nunquàm in nostra potestate sit positus. Idem docuerat jam Divo Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 2. ad 3. *Quòd rationi humanæ non sunt omnia cognita, neque omnia possibilia, sivè accipiatur, ut perfecta perfectione naturali, sive accipiatur ut perfecta virtutibus Theologicis*. Unde neque satis esse inquit virtutes ad repellendos omnes defectus, sed Deum cujus scientiæ, & potestati omnia subsunt, eos omnes defectus repellere posse. Sed clariùs adhuc id explicat in 3. distinct. 34. quæst. 1. art. 2. ubi sic inquit. *In Inventione, modus humanus est quòd procedatur inquirendo, & conjecturando ex his quæ solent accidere; quia ex talibus, & circa talia est moralis consideratio, ut Philosophus dixit: & hæc inventio secundùm hunc modum perficitur per Eubuliam, quæ est benè consiliativa. Sed quòd homo accipiat hoc quod agendum est, quasi per certitudinem à Spiritu Sancto edoctus; supra humanum modum est: & ad hoc perficit donum Consilii*. Hæc ibi

Inde igitur dumtaxat oritur ea certitudo, qua interdùm Viri Sancti in rebus alioquin maximè dubiis, summa in quiete constituti, potiuntur: quòd *Consilio accepto à Deo quid agendum sit, quasi per certitudinem à Spiritu Sancto edocti, supra humanum modum accipiunt*. Et verò quàm timidæ, & quàm intertæ sint cogitationes hominum experiebatur olim Sanctus Rex Josaphat 2. Paralip. cap. 20. cùm visa ingenti Amonitarum in Judæos irruen-

irruentium multitudine, dixit, verſ. 12. *Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Nimirùm ut *Conſilio à Deo accepto*, ſcirent quid eſſet agendum. Ac tum etiam clariſſimè comperta fuit hæc ſingularis Divina inſpiratio, cùm ut ibidem dicitur, Propheta quidam ſuper quem *Factus eſt Spiritus Domini, in medio turbæ ait: attendite omnis Juda &c. hæc dicit Dominus vobis, nolite timere. Cras deſcendetis cõtra eos: aſcenſuri enim ſunt per Clivum nomine Sis.* Et hic ſanè clariſſima eſt ea Divina inſpiratio, eaque certitudo, qua ſupra communem modum Propheta *quaſi Conſilio à Deo concepto*, per certitudinem à Spiritu Sancto edoctus quid agendum eſſet didicit, cum humana ratio quid agendum eſſet ignoraret.

Tùm etiam maximè accidit quod à Sancto Parente Societatis Divo Ignatio à nobis ſemper laudato, obſervatum eſt in exercitiis; interdùm animum ita à Spiritu Sancto impelli, *Ut etiam dubitandi facultas omnis ablata ſit.* Quæ verba quoties menti occurrunt, ea mihi eſſe videntur in primis luculentiſſimum ſententiæ D. Thomæ teſtimonium, ac deinde hujus Viri Sanctitatis eximium argumentum. Neque enim credendum eſt, aliud ab ipſo in eo libro ſcriptum fuiſſe, quàm quod ipſe ſæpiùs perſenſerat. Et reipsà ita eſt, tanta enim interdùm Divina inſpiratione injicitur menti certitudo, ut dubitandi etiam facultas omnis ablata ſit. Atque id ad Prophetiæ lumen pertinere inquit Sanctus Thomas, 2. 2. quæſt. 175. art. 5. de quo infra. Hæc de dono Conſilii.

Nec verò minùs eadem motio Divina ex dono Fortitudinis aperta eſt, quæ imperterritam firmitatem animi injicit, ut nullis periculis terreatur, immò neque tormentis moveatur. *Infundit* enim inquit Sanctus Thomas 2.2. quæſt. 139. ar. 1. *Quandam fiduciam* menti *Spiritus Sanctus, contrarium timorem excludens.* Sed ea magis explicat in 3. diſt. 34. quæſt. 3. art. ubi etiam obſervat, quantùm excellat modus agendi ex donis Spiritus Sancti ſupra modum agendi virtutum. *Fortitudinis virtus*, inquit, *menſuram ſui actus habet humanas vires: unde ea quæ ſupergrediuntur hominis vires, neque aggreditur, neque ſuſtinet. Unde Philoſophus in 3. Ethicor. cap. 7. dicit, quòd fortis eſt inſtupefactibilis ut homo, in his ſcilicet quæ ſunt ſecundùm hominem; ſed donum Fortitudinis habet pro menſura ſui actus Divinam potentiam, de cujus auxilio confidit, ſicut dicitur Pſal. 57. In Deo meo tranſgrediar murum, id eſt omne quod poſſet humanæ infirmitati obviare.* Aut ut inquit deinde, Fortitudinis donum *utitur Divina virtute quaſi ſua, ſecundùm illud*, „ *Diligam te Domine fortitudo & virtus mea.* „

Arque ea dubio procul fuit Apoſtolorum fortitudo, cùm tanta, ut ſuprà diximus, libertate animi Chriſtum prædicarent; & quod nemini unquam in mentem veniſſet, aggreſſi ſunt, Romam Orbis caput Chriſto ſubjicere, ipſique Romanas ſubmittere faſces, & inclinare ſecurim &c. Ut Prudentius loquitur: quod SS. Patres toties proſequuntur, nec inſtituti eſt Theologi ea referre. Sed inde, ut dixi, clariſſimum ſumitur argumentum hujus Divinæ motionis, quæ eã fiduciam Apoſtolis, rudibus, & rerum omnium inexpertis contulit: ut auderent, quod nec Philoſophi præſtantiſſimi, nec Oratores eloquentiſſimi, neque potentiſſimi Imperatores ſimul juncti unquam potuiſſent, Alii enim humanis viribus metiri omnia debuiſſent: Apoſtoli omnia *Divina potentia metiebantur, & Divina virtute, qua tanquam ſua utebantur.* Sed

Prætereà pertinet ad virtutem fortitudinis, inquit Divus Thomas, 2. 2. qaæſt. 123. art. 8. quod inter cruciatus corporis, ratio à doloribus non abſorbeatur, & ut ex Philoſopho refert 3. Ethic. *Sufficit quòd non triſtetur.* Et ſanè ut inquit idem Ariſtoteles cap. 9. *Moleſta res eſt fortitudo.* Ideoque ſcitè advertit, quòd *Non omnibus virtutibus ineſt, ut cum jucunditate operemur, niſi quatenùs finem ipſum attingimus. Et pugili quidem jucundus finis eſt cujus cauſa agit, coronæ videlicet & honores: verbera verò, cùm ſit carneus, dolorem afferunt, atque omnis demùm labor moleſtus eſt.* Neque enim fieri poteſt, ut v. g. dum Martyr uritur, dum ſecatur, non ſentiat: neque caro mea ænea eſt, ut dicebat Job, neque fortitudo lapidum. Satis igitur ad virtutem fortitudinis eſt, quòd inter eos corporis cruciatus animus non frangatur, neq; nimiùm triſtetur. Atque ea veræ fortitudinis ſatis magna laus aſt. *Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.* Virg. 4. At verò quòd, ut ſæpius viſum eſt, Martyres etiam inter tormenta læti, non ſolùm non frangerentur animo, ſed ipſis carnificibus tanquàm ignavis ipſorum imbecillitatem exprobrarent; quò illos ſtimularent, & accenderent, ut crudeliùs torquerentur, & ut inquit Divus Bernardus ſerm. 61. in cantic. *Stat Martyr tripudians, & triumphans, toto licet lacero corpore &c. & rimante latera ferro non modò fortiter, ſed & alacriter ſuum à carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.* Aut ut de Sancto Vincentio Prudentius inquit: *Ridebat hæc miles Dei; manus cruentas increpans, quòd fixa non profundiùs intraret artus ungula &c.* Et alia ejuſmodi plurima, quæ toties acta Martyrum referunt. Hæc ſanè non ad virtutem fortitudinis, ſed ad donum Spiritus Sancti, eamque internam inſpirationem pertinent, qua agebantur. Et verò quo Spiritu Sanctus Martyr Ignatius, in cujus die feſto hæc ſcribimus, hæc dicere potuit, cum tanto ardore tormenta, & omnis generis cruciatus optaret, atque in ea verba prorumperet quæ ſatis animum præ nimio Chriſti JESU amore vix ſui compotem indicant. *Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant, tantùm ut Chriſto fruar.* Hæc equidem non hominis Spiritus, ſed in homine ipſe Divinus Spiritus loquebatur. Erat quidam mentis exceſſus, & quædam, ut ita dixerim, nedùm ebrietas, ut diximus ſuprà, ſed & ſanctiſſima quædam, & feliciſſima

veluti

veluti mentis insania. Id enim Divinus amor efficit, cùm ad eum gradum pervenit, ut à Spiritu Sancto animus ea singulari, & speciali motione moveatur, ut inquit Sanctus Dionysius cap. 4. de Divinis nominib. *Est autem mentis excessum & extasim faciens Divinus amor, suosque amatores sui juris esse nō sinit, sed in ea quæ amant trasfert.* Et de Divo Paulo loquens addit, quòd *Paulus ille magnus jam Divino amore captus, preditusque ejus vi quæ hominem à suo statu dimovet, Divino ore, Vivo*, inquit, *jam non ego, vivit verò in me Christus*; „ *ut verus amator, & à mentis quemadmodū ipse ait statu dimotus, Deo agit, non suam vitam, sed amantis tanquàm valde diligendam.* Premenda sunt hæc egregia verba, eam vim esse Divini amoris, ut hominem *à suo statu dimoveat*, vixque sui compos sit, quòd nimirùm Divino Spiritu suprà communes rationis regulas feratur, & impellatur. Et puto allusisse etiam Sanctum Dionysium ad alterum Apostoli locum 2. ad Corinth. cap. 13. ubi de se loquens inquit, *Sive mente excedimus, Deo*. Vel ex Textu Græco *Extra nos ferimur, & sumus, & insanimus*. Eadem enim vox est qua usus est Divus Marcus 3. 21. cùm de Christo quidam dicerent quos latebat adhuc Deum esse, *Quoniam in furorem versus est*: Græcè extra se positus est, apud se non est.

Et quidem ita interdùm Sancti Divino Spiritu aguntur, tantoque ardore feruntur, ut extra se positi videntur. Sic enim olim, & Sanctus Paulus cum coram Præside Festo, & Rege Agrippa, suæ defensioni Fidei prædicationem adjungeret, tanto atdore perorabat, ut Festus magna voce dixerit, *Insanis Paule*: Extra enim se fieri Paulus videbatur, & parùm esse sui compos. Cui respondit Paulus; *Non insanio optimè Feste, sed veritatis, & sobrietatis verba loquor.* Neque enim velut arreptitii incompositè, aut perturbata mente loquuntur. Sciunt enim Viri Sancti quos Spiritus Sanctus impellit, quæ dicunt, & sciebat, & ipse Paulus, sed is erat hujus ardor in dicendo, adeò vehementi Spiritu agebatur ut extra se ferri videretur. Unde & statim & eodem ardore prosequutus, ipsum Regem alloquitur, & ita ipsum premit ut, Rex ipse dixerit. *In modico suades, me fieri Christianum.* Atque ejusmodi exempla plura exhibent Sanctorum vitæ. Et quamvis forsitan non omnes capiant verbum istud; attamen si quis, ut Divus Chrysostomus loquebatur, homil. 8. in Epist. ad Ephes. cap. 4. *Si quis insanit*, si quis Divino amore percellitur, persentit ipse interdùm his sacris motibus se percelli: & cùm iis sacris delitiis perfungitur, cum D. Bernardo deinde in seipsum dilapsus gemit, & conqueritur, *O si duraſſet?* Sed major est ea felicitas, quàm ut eam status mortalis vitæ diu ferre possit.

Neque verò ea solùm in actibus doni Fortitudinis, sed etiam in aliis donis contingunt: v. g. in actibus doni Pietatis; tanta enim in exhibenda Divinæ Majestati reverentia, exultatione, gaudio, & voluptate anima supra se rapitur, ut quidam excessus mentis non satis sobriæ esse videatur. Unde & illud in Divinis officiis toties repeti solitum *Hallelviah* הללויה id est *Laudate Deum*, quidam verti posse, & rectè quidem, advertunt, *Insanite Deo*. nimirum in Divinis laudibus decantandis, eò exultationem mentis pertingere debere, ut sit verus ascensus in Deum, & in quendam excessum mens supra se ipsam, animaq; rapiatur; quod Hugo à S. Victore exemplo piscium explicat, quos intetdùm dum ludunt, & veluti gestiunt, supra aquas, id est supra suos fines, & terminos exilire videmus. Ut refert D. Tho. 2. 2. quæst. 180.

Idem iterùm contingit interdùm in Viris SS. qui in suum corpus lanienam exercere videntur; quiq; sua valetudinis nulla ratione habita, nulloq; habito respectu periculi, in quod se se conjiciunt, bonis omnibus se se spoliant, eaque ut inutile pōdus abjiciunt; quique cum Moyse majores divitias æstimant thesauris Ægyptiorum improperium Christi, ad Hebr. 11. Id enim efficit *non stupor, sed amor*, ut inquit Bernardus, seu Divina inspiratio suprà communem agendi modum, & suprà communes rationis regulas.

Atque id egregiè explicat Sanctus Thomas in 3. distinct. citata 34. quæst. 1. art. 2. quem locum prætermittere nolim, cùm omninò egregius sit, & superiora omnia luculenter confirmet. Explicat enim quo pacto dona virtutes superent, quæ circa passiones versantur: in his enim passionibus regendis *Accipitur pro mensura regula rationis*. Sed longè superior mensura est, quæ ex donis Spiritus Sancti assumitur. Id verò ita in singulari prosequitur. *Passiones verò irascibilis ad tria reducuntur, primum est spes, quæ est respectu boni ardui consequendi, quæ quidem dirigitur per hoc quòd homo pensatis viribus propriis secundùm earum mensuram ad ardua virtutis opera se extēdit.* Quòd si vel citra vel ultra eā mensuram agat, vitium est. *Secundum est autem timor, & audacia quæ sunt respectu mali difficilis imminentis: & in his passionibus dirigimur, ut secundùm quantitatē suarum virium, quis hujusmodi aggrediatur, vel fugiat; quod ad fortitudinis virtutem pertinet*; quam regulam si quoquomodo prætermittat, iterum vitium est. *Tertium est ira quæ consurgit ex læsione præcedente, in qua dirigimur, ut homo non insurgat in vindictam ultra quantitatem offensæ, & ordinem juris, quod facit mansuetudo.* Ea igitur est mensura veluti homogenea virtutum, quæ circa irascibiles passiones versantur, eamque mensuram ratio constituit. At verò egregiè subjict Divus Thomas. *Sed quod in omnibus pro mensura accipiat Divinam virtutem; ut scilicet ad ardua virtutis opera se extendat, ad quæ scit se suis viribus non sufficere; & pericula quæ vires suas excedunt non formidet, Divino auxilio innixus; & de illatis injuriis non solùm vindictam non requirat, sed etiam gloriam habeat in remunerationem intēdens: supra humanum modum est, & hoc totum efficitur per donum Fortitudinis.* Hæc de donis, quæ suppetias ferunt virtutibus, quibus passiones irascibiles reguntur, & temperantur.

Idem

Idem proſequitur: *In paſſionibus concupiſcibilis, quæ ſunt amor, concupiſcentia, & delectatio.* In his enim ſubdit: *Secundùm humanum modum dirigimur ad bonum rationis, ut ſcilicet tantùm homo ad temporalia bona afficiatur, quantùm indiget: quod fit per temperantiam, aliaſque virtutes annexas: Sed quòd homo ex reverentia Divinæ Majeſtatis omnia hæc ut ſtercora arbitretur, ſupra humanum modum eſt, & hoc per donum timoris perficitur. Unde in Pſal. dicitur: Confige timore tuo carnes meas.* Hactenus D. Thomas.

Quibus ſatis liquet, longè ſuperiorem eſſe regulam donorum, quàm ſit regula virtutum, ſicut etiam & ipſum principium quod movet longè ſuperius eſt. Unde veriſſimè dici poteſt, hominem qui ex Divino Spiritu movetur ſupra hominem eſſe, & non ut hominem operari. Atque id etiam egregiè advertit idem S. Thomas iterum in 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 3. ubi inquit: *Quòd donorum operationes menſurantur ex altera regula, quàm ſit regula humanæ virtutis, quæ eſt ipſa Divinitas ab homine participata ſuo modo, ut jam non humanitas, ſed quaſi Deus factus participatione operetur.* Hæc S. Thomas. Quibus nihil addere velim, ne furfurem, ut D. Gregorius de Divo Auguſtino alicubi dixit, cùm ſelectiſſimæ ſiliginis flore miſcere videar.

Atque ex his omnibus hactenus explicatis clariſſimè confici arbitror, quòd initio propoſuimus, validiſſimum ex donis Spiritus Sancti argumentum deſumi, quo prævia, phyſica, effectrix, nedùm efficax, ſed efficaciſſima etiam Divinæ gratiæ motio probetur. Etenim ut paucis argumentum reſumam, cujus omnes partes ſatis ſuperque probatæ ſunt: non poteſt non eſſe efficaciſſima ea Divina motio, cùm hominis mens ipſaque voluntas magis movetur, quàm ſe ipſam moveat; cùm potiùs agitur quàm agat, cùm ſuperiori inſtinctu, & inſpiratione Divina, & principio meliori quàm ſit ratio, movetur; cùm quodam veluti impetu ſupra communem agendi modum, ſupra communes virtutis regulas impellitur. Quis enim dubitet, efficaciſſimam motionem tunc adeſſe, cùm impoſſibile ſit, voluntatem ſe ipſam ſupra ſe ipſam propriis viribus erigere, ſed neceſſe ſit, alia majori vi ſupra ſe ipſam impelli? Atqui in donis Spiritus Sancti ita reipsà contingit: voluntas enim potiùs movetur quàm ſeipſam moveat; potiùs agitur quàm agat; ſupra ſe ipſam rapitur, non ex ſolita deliberatione, & inquiſitione rationis, ſed ex Divini Spiritus motu, impulſu, & vi; quæ vis interdum voluntatem torrentis inſtar rapit, ut tantùm eam non cogat: Ergo non poteſt ea motio non eſſe efficaciſſima, phyſica, & per modum cauſæ efficientis.

Nec verò quemquam moveat, quòd motio Divina cum torrentis impetu conferatur, ita enim expreſsè confert D. Thomas, cùm illud Pſal. 25. explicat. *De torrente voluptatis potabis eos*; ſic enim habet: *Hic eſt amor Spiritus Sancti, qui facit impetum in anima ſicut torrens, Iſai. 59. quaſi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit. Et dicitur voluptatis, quia voluntatem, & dulcedinem in anima facit. Et voluptatis tuæ, ſcilicet Dei, quæ dicitur torrens: Proverb. 28. Torrens redundans fons ſapientiæ: quia voluntas ejus ſic efficax eſt ut ei reſiſti non poſſit, ſicut nec torrenti. Voluntati autem ejus quis reſiſtit?* Vide num hęc efficacem, & veriſſimè effectricem motionem, & præviam ſignificent.

ARTICULUS III.

Prophetiæ donum cum Divina motione conjunctum in ſtatu Innocentiæ, & naturæ reparatæ.

TErtium Sanctitatis privilegium eſt Prophetiæ donum, quo illuſtratum fuiſſe Adamum dubitari non poteſt, & quo Prophetæ olim in Lege Veteri prædiți ſunt, & plurimi Viri ſancti modò in Eccleſia illuſtrantur. Non defuit enim unquam, nec deerit aliquando Eccleſiæ Prophetiæ donum. Quin etiam, ut egregiè S. Bernardus Serm. *Hæc eſt generatio*, obſervat, etiam conſenſio ſumma eſt inter contemplationem, & donum Prophetiæ; & viri contemplativi, quorum animo menteque converſatio in Cælis eſt, locum Prophetarum in Eccleſia obtinent. *Sic nimirùm*, inquit, *Prophetæ olim quaſi non inter homines erant ſui temporis, ſed & impetu quodam Spiritus dies illos tranſilientes exultabant, ut viderent diem Domini.*

Et verò cùm promiſſa olim myſteria poſt longum futurum tempus implenda eſſent, neceſſe erat eas promiſſiones ſæpiùs ac ſæpiùs iterari, nè hi quibus factæ fuerant deſponderent animo, ſed magis ſpe erigerentur, eaſque avidiùs expectarent. Unde Prophetiæ lumen ad ea myſteria extendebatur, quæ longo poſt tempore, ſcilicet in adventu, & per adventum reparatoris Chriſti implenda erant. At verò cùm ea myſteria nunc omnia impleta ſint, & ſuperſit hoc unum, quòd & omnium conſummatio futurum eſt, æterna ſcilicet Beatitudo omnibus promiſſa; neceſſe etiam eſt, viros eſſe majoris ſanctitatis, & meriti, quos Deus ad aliquam hujus cognitionem, & participationem evehat, qui cæteris deinde quod Divina revelatione didicerunt annuntient. *In manibus enim ſuis*, ut Job loquitur, *abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rursùs adveniat: annunciat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* Hęc contemplativorum ſors: mira viciſſitudine Deus ſuis manibus Divinam lucem abſcondit: aliquem tamen ipſis radium immittit, ut iis annuntiet, ac per eos cæteris, quòd eorum poſſeſſio futura ſit. Unde & primus ille & ſummus inter contemplativos *Paulus*, *ex parte*, inquit, *cognoſcimus, & ex parte prophetamus.*

mus. Cùm radius aliquis Divinæ lucis immittitur; *Ex parte cognoscimus*; cùm absconditur, *ex parte prophetamus*. Cùm impleta jam mysteria cernuntur, ex parte cognoscimus, cùm ultimum illud aliorum consummatio expectatur, & jam aliqua hujus prælibatio persentitur, ex parte prophetamus. Unde & D. Bernardus rectè inquit: *Cessavit ergo Prophetia, quia jam cognoscimus, necdum tamen tota cessavit, quia ex parte*. (Sed aliquando) *Cùm venerit quòd perfectum est, evacuabitur quòd ex parte est. Siquidem ante Joannem, qui fuerunt Prophetæ utrumque adventum Domini prophetabant, & quasi neutra adhuc pars salutis in notitia, sed utraque in prophetia erat*. Tunc enim erant dumtaxat vanæ fragilesque figuræ, quæque nihil rerum promissarum continebant: At nunc plenissimæ solidæque figuræ sunt; quęque promissas olim res quamvis sub velamine præsentissimas exhibent: unde nihil aliud supereſt, nisi ut post figuras, quæ veritatem promittebant, post figuras, quæ veritatem continent, sola veritas sine Symbolis apertè, ac in clarissima luce exhibeatur. De ea igitur beatitudine, ac hujus magnitudine ac delitiis nobis viri contemplativi prophetant, & quæ ipsi degustant, ac persentiunt nobis denuntiant. Unde aliqua saltem ex parte, ut olim Prophetę *Naves poma portantes*, Job. 9. 22. non immeritò dici possunt. Erant equidem Prophetæ Legis Veteris, ut D. Gregorius explicat, veluti naves portantes poma: quia qui poma deferunt. *Ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorundem fructuum aliis cibos ferunt. Quid igitur antiqui Patres nisi naves poma portantes extiterunt, qui Divinæ Incarnationis mysterium prophetantes, ipsi quidem spei odore potiti sunt, sed nobis fructum ejusdem spei perfectione detulerunt? Quòd enim illi expectando odorati sunt, hoc nos cernendo, & percipiendo satiamur*. Rectè igitur poma portantes, *Quia electos omnes quos ante Redemptoris præsentiam gestaverunt, per Prophetiæ valuerunt spiritum expectatione refovere, non autem manifesta exhibitione reficere*.

Hæc de Prophetis olim qui solo spei suæ veluti odore perfusi, ejusdem expectationis odore cæteros recreabant. Hæc de viris contemplativis, qui futuræ Beatitudinis delitias prægustant: & quidem dum ea referunt, veluti expectatione nos refovent, sed non manifesta exhibitione reficiunt; neque etiam ipsi omninò satiantur: Servatur enim in alia vita satietas. Illudque cum Davide usurpent necesse est. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Psal. 16.

Hæc de ea veluti Prophetiæ specie cum contemplatione conjuncta, quæ ut Sanctus Bernardus inquit, Prophetiæ quoddam genus est. Sed de propriè dicto Prophetiæ dono dicendum hìc nobis est. Atque ex eo argumentum validissimum erui posse arbitror, quo in statu Innocentiæ Adamo *Adjutorium quo*, seu Divinam motionem efficacem, & effectricem non defuisse demonstrari possit: Sicque ratio in forma proponi potest. Non potest non esse conjuncta cum Prophetiæ dono efficax Divina motio, seu ut vocat Sanctus Augustinus, *Adjutorium quo*, sub quo scilicet errare non potest quisquis Prophetiæ dono, & lumine illustratur: Atqui Adamo in statu Innocentiæ non defuit Prophetiæ donum, nec defuisset etiam posteris, si status hic Innocentiæ perdurasset: Ergo immeritò *Adjutorium quo*, seu efficax gratia Adamo in eo Innocentiæ statu denegatur.

De *Majori* dubium esse non potest; conjunctum scilicet esse cum Prophetiæ dono *Adjutoriũ quo*. Etenim ex D. Augustino, à quo hujus notio desumenda est: *Adjutorium quo* illud *est non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium & quo fit est, & sine quo non fit*, Quod exemplo Beatitudinis confirmat. *Quia etsi data fuerit homini Beatitudo, continuò fit Beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit*: Atqui hujusmodi est Prophetiæ donum, quia si data Prophetia fuerit, continuò fit Propheta; & si data non fuerit, nunquam erit. Ac prætereà ex eadem ratione non potest non esse *Adjutorium quo*, sub quo is qui eo modo errare non potest. Atqui quisquis eo lumine illustratur, nulla ratione errare potest; cujus rationem affert S. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 6. *Quia Prophetia est quædam cognitio intellectui Prophetæ impressa ex revelatione Divina, per modum cujusdam doctrinæ. Veritas autem cognitionis eadem est in Discipulo, & in docente: quia cognitio addiscentis est similitudo cognitionis docentis &c. & per hunc etiam modum S. Hieronymus dicit, quòd Ppophetia est quoddam signum Divinæ præscientiæ. Oportet igitur eandem esse veritatem Propheticæ cognitionis, & enunciationis quæ est cognitionis Divinæ, cui non potest subesse falsum*. Atque id confirmat D. Thomas ex Cassiodoro à quo dictum est, quòd *Prophetia est inspiratio, vel revelatio Divina rerum eventus immòbili veritate denuncians*. Additque S. Thomas art. 5. quòd *de his quæ expressè per spiritum prophetiæ Propheta cognoscit, maximã certitudinem habet, & pro certo habet, quia hæc sunt divinitùs ipsi revelata. Unde Jerem. 26.* „ *In veritate misit me Dominus ad vos ut loquerer in aures vestras omnia verba hæc. Alioquin si de his certitudinem non haberet, Fides quæ dictis Prophetarum innititur, certa non esset. Et signum propheticæ certitudinis accipere possumus ex hoc, quòd Abraham admonitus in prophetica visione, se præparavit ad filium suum unigenitum immolãdum; quòd nullatenùs feciſſet, nisi de Divina revelatione fuisset certissimus*. Sed hæc Major ex Minoris ptobatione novam lucem accipiet.

Minor igitur, scilicet Adamo in statu Innocentiæ collatum fuisse Prophetiæ donum: Probatur: neque ea in dubium revocari potest, cùm certum sit spiritu Prophetiæ dixisse olim Adamum hæc verba, adducta ad se muliere. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*: quod ut grande Mysterium Apostolus commendat, & agnoscit, dictum fuisse in

signum

ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia. Nemo enim negaverit, fuiſſe Adamo cognitum Dominicæ Incarnationis futuræ Myſterium: & ut inquit Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. ante ſtatum peccati, *Homo habuit explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundùm quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundùm quòd ordinabatur ad liberationem à peccato per Paſſionē, & Reſurrectionem: quia homo non fuit præſcius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe per hoc, quod dixit: propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, ut habetur Geneſ. 2. Et hoc Apoſtolus dicit eſſe Sacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſia. Quod quidem Sacramentum non eſt credibile, primum hominem ignoraſſe.*

Et obſervat D. Thomas in Epiſt. ad Epheſ. lect. 10. & Matthæi 19. hæc verba referri ut dicta à Deo, quia *Adam ut à Deo inſpiratus hoc dixit, Deus autem ut Adamum inſpirans, & docens.* Igitur cùm ab Adamo hæc verba dicta ſunt, jam tum Chriſtum futurum pervidebat, & magnum hoc futurum Myſterium unionis Chriſti cum Eccleſia prænuntiabat: Atqui hæc futuræ unionis Chriſti cum Eccleſia præcognitio non poteſt non pertinere ad Prophetiam. Ergo: &c.

Confirmatur *Primò*: quòd ea expreſſa ſit D. Auguſtini ſententia. Etenim lib. 9. de Geneſ. ad litteram cap. ult. cum dixiſſet Adamum ſua in exta. ſi participem fuiſſe Curiæ Angelicæ, & inductum in Sanctuarium Dei, noviſſima intellexiſſe: poſteà ſubiicit. *Denique evigilans tanquam Prophetiæ plenus, cùm ad ſe adductam caſtam mulierem ſuam videret; eructavit continuò quod magnam Sacramentum commendat Apoſtolus.* „ *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier quoniam de Viro ſumpta eſt, & propter hoc relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.*„ *Quæ verba cùm primi hominis ſuiſſe Scriptura ipſa teſtetur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixiſſe declaravit &c. ut hinc intelligeremus, propter extaſim, quæ præceſſerat in Adam, hoc eum divinitùs tanquam Prophetam dicere potuiſſe.* Ergo ex apertiſſima S. Auguſtini ſententia Adamus in ſtatu Innocentiæ dono Prophetiæ præditus fuit. Atque de ea re plurima dici poſſent: ſed cùm ea res apud Patres, & Scripturæ Sacræ Interpretes compertiſſima ſit, non ampliùs in ea immorandum eſt.

Igitur dubitari non poteſt, quin Adamus Innocens dono Prophetiæ præditus fuerit, & cùm ut jam probatum eſt Prophetiæ donum cum gratiæ Divinæ motione, & *Adjutorio quo* conjunctum ſit; quod etiam apertiſſimum eſt; cùm ſub Prophetiæ dono nunquam Propheta errare poſſit; etiam compertum eſſe debet, non defuiſſe Adamo Innocenti *Adjutorium quo*, ſeu gratiam efficacem. Quæ ratio etiam majorem vim habitura eſt, ſi ſupponeretur, longo tempore duraſſe felicem hunc Innocentiæ ſtatum: ut reipſa durare potuit; tunc enim dubio procul iisdem omnibus, & gratiis, & Sanctitatis privilegiis cumulati fuiſſent Adami poſteri, quibus interdùm ſingulari Dei beneficio Viri Sancti exornantur, ut ex Sancto Thoma ſuprà obſervatum eſt.

Reſponderi dumtaxat huic evidentiſſimæ rationi unum poſſet in defenſionem adverſæ ſententiæ, ſcilicet non negatum quidem fuiſſe in totum Adamo *Adjutorium quo*, & veluti in ordine phyſico, & quod attinet ad conditionem ſupernaturalium, quæque niſi revelatione Divina cognoſci non poſſunt; ſed negatum dumtaxat in ordine ad pietatis, & virtutum opera: quòd in eo Innocentiæ ſtatu voluntas firma, integra, nulliſque perturbationibus vexata, potuiſſet ſe ſe in omnem partem facilè vertere, neque altera gratia niſi voluntati ſubdita indigeret.

Verùm impugnari facilè, & multis ea reſponſio poteſt: quę ſanè quàm parùm ſolida fuerint Janſenii principia ſatis demonſtrat. Ac in primis ſtatim inde colligitur, falſum eſſe, in ſtatu Innocentiæ nullum fuiſſe *Adjutorium quo*, cùm ſaltem illo præmotum fuiſſe Adamum certum ſit, & Prophetiæ donum ita neceſſariò exigat. Sed 2. etiam colligitur, falſum iterùm eſſe, ratione ſolius infirmitatis neceſſarium eſſe *Adjutorium quo*, cùm etiam ex altero capite repeti debeat, ſcilicet ex ratione ipſius actus producendi, qui communes naturæ *vires ſuperat. Unde & Divus Thomas* rerum naturas meliùs perſcrutatus, ex triplici capite neceſſitatem motionis Divinæ repetit: in primis ex infirmitate naturæ, quæ ratio ſingularis eſt pro ſtatu naturæ lapſæ, & infirmæ, cùm jam fractis viribus, & cupiditatis pondere gravata, ſi potiſſimùm accedat gravior tentatio; adeò dominante cupiditate opprimitur, ut reipſa nunquam voluntas reſiſtat, niſi efficax gratia periclitanti opem ferat, & majores vires addat. 2. ex communi dependentia, & ſubordinatione voluntatis creatæ, quam à prima, & increata ſemper moveri, & regi neceſſe eſt. Et 3. demùm ex ipſa ratione actus, qui vires naturæ ſuperat: neceſſe enim eſt quòd ipſa Divina motio, & gratia ſit cauſa adæquata, & totalis ratio agendi; alioquin aliquid eſſet quod voluntatis naturæ tribueretur; & aliquid ſupernaturale ſola natura ageret, quod vel ex ipſis terminis repugnare manifeſtum eſt. Et hæc ratio probat, nullum potuiſſe unquam ab Adamo produci ſeu fidei, ſeu charitatis, ſeu alterius virtutis quemcumque ſupernaturalem actum, niſi ad eum efficaci gratia moveretur, quæ eſſet tota, & adæquata agendi ratio, ut aliàs explicuimus. Quantumvis enim integra, & ſana intelligatur in Adamo natura; attamen natura erat: & repugnat à natura ſupernaturalem actum produci. Ex quo argumento ſe ſe expedire nulla unquam ratione poterit quiſquis Janſenii ſententiam amplexus eſt, niſi aliorum partes juvet, qui in ſtatu naturæ etiam corruptæ gratiam per ſe ſe efficacem negant.

Sed Confirmari poteſt præterea hæc ratio, & ſimul etiam ad omnem omninò ſtatum extenditur, quòd neceſſe ſit, Prophetiæ donum non ſo-

lùm ad ordinem physicum, & ad intellectum, sed etiam ad ordinem moralem, & ad voluntatem pertinere; quia ad donum Prophetiæ duo pertinent scilicet quæ à cognitione hominum remota sunt, Divina revelatione cognoscere, & deinde ad utilitatem Ecclesiæ quæ Divinitus cognita sunt denunciare. Unde inquit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 171. art. 1. ubi propriissimam Prophetiæ rationem explicat. *Dicendum*, inquit, *quòd Prophetia primò, & principaliter consistit in cognitione: quia videlicet Prophetæ cognoscunt ea quæ sunt procul, & remota ab hominum cognitione. Et propter hoc, ut Isidorus dicit, in lib. Ethymologiarum, in veteri testamento appellabantur videntes, quia videbant ea quæ cæteri non videbant, & prospiciebant, quę in Mysterio abscondita erant. Unde & gentilitas eos appellabat Vates à vi mentis. Sed quia, ut dicitur* 1. *Cor.* 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem: Et infra* 14. *dicitur, ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis: inde est, quòd Prophetia secundariò consistit in locutione, prout Prophetæ ea quæ Divinitùs edocti cognoscunt, ad ædificationem aliorum annuntiant, secundum illud Isai.* 21. *Quæ audivi à Domino exercituum, Deo Israël, annunciavi vobis: & secundùm hoc, ut Isidorus dicit in lib. Ethymologiar, possunt dici Prophetæ quasi præfatores, eo quòd porro fantur, ideſt à remotis fantur, & de futuris vera prædicunt.* Hæc ibi.

Igitur ad Prophetiæ donum etiam pertinet, quòd Prophetæ à se visa cognitaque ad utilitatem Ecclesiæ denuntient, & subinde etiam denuntiare velint: neque enim aut nolentes ea denuntiant, aut veluti arreptitii nesciunt quid dicant, aut veluti idola sunt, per quæ olim Spiritus mendacii loquebatur; sed volentes, ac liberè etiam sibi manifestata denuntiant: Atqui & illud non potest ad voluntatem non pertinere, cùm in ea denuntiatione, & veluti Divini Verbi prædicatione plurimùm mereri potuerint: Erant enim olim Prophetæ concionatores specialiter à Deo missi, & quos speciali missione ac singulari motione impellebat ne errare possent, aut etiam errare vellent, dum populis à Deo sibi revelata denuntiabant, & sua legatione fungerentur: Ergo manifestum est, quòd etiam Prophetiæ donum ad voluntatem extenditur, & cùm eo *Adjutorium quo* conjungitur.

Igitur cùm Adamus Prophetiæ dono illustratus hæc verba dixit: *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ*: quæ verba cùm diceret, obversabatur menti futurum Dominicæ Incarnationis Mysterium, & unionis Christi cum Ecclesia, quam nunquàm relicturus erat dubitari non potest, ut arbitror quin ea liberè Adamus dixerit, imo etiam quin ea dicendo meruerit: defuisset enim aliquid ad hujus innocentis status facultatem, & fuisset etiam gravis defectus si in singulis actibus Adamus non meruisset. Liberè igitur ea dicebat, & tamen cùm liberè ea diceret, errare non poterat, nec poterat errare velle, ea potentia de qua satis intelligitur, conjuncta cum actu. Prohibet enim Prophetiæ donum, ne qui ex Divina relatione futura denuntiat, aut erret, aut errare velit: Ergo Adamus in statu innocentiæ dono Prophetiæ præditus non potuit non moveri *Adjutorio quo*, cum ita moveretur, ut sub ea motione velle errare non posset.

Confirmari potest; *Secundò*; quia necesse est, in Prophetiæ dono hæc duo simul conjungi, scilicet Prophetam liberè velle revelare, ac subindè vera nunciare; & tamen non posse non velle revelare vera, si verus Propheta sit: Atqui impossibile est, in eo non intelligi verissimum, & efficacissimum *Adjutorium quo*, seu efficacissimam Divinę gratiæ motionem. Ergo &c.

Prima pars *Majoris* probatur, Prophetam liberè ad loquendum moveri, & liberè revelata denuntiare: Quia ex Apostolo 1. ad Cor. 14. vers. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*: quod intelligendum est quantùm ad aliquem effectum, sicut alibi dictum est, quòd in Divinis operationibus resistentia intelligenda est, *Non secundùm resistentiam ad agentem, sed secundùm impedimentum effectus*. In 4. distinct. 11. quæst. 1. artic. 3. quæst. 32. Ita enim dumtaxat potest voluntas resistere, vel Divinæ voluntati, vel Divinæ operationi, quantùm ad ipsum effectum, qui relictus est in potestate liberi arbitrii. At verò ità intelligendum etiam est, spiritum Prophetiæ subjectum esse dumtaxat Spiritui Prophetarum, quantùm ad aliquem effectum; scilicet quantùm ad denuntiationem, quæ liberè sit à Propheta; cùm in ea denuntiatione, & prædicatione maximum meritum sit. Atque ita expressè eum Apostoli locum explicat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 173. art. 3. ad 4. ubi inquit, id intelligendum esse, *Quantùm ad Propheticam enuntiationem, de qua ibi Apostolus loquitur, quia scilicet ex proprio sensu loquuntur, ea quæ viderunt, non mente perturbata sicut arreptitii, ut dixerunt Priscilla, & Montanus: sed in ipsa Prophetica revelatione potiùs ipsi subiiciuntur Spiritui Prophetiæ, ideſt dono Prophetico*. Hoc enim est discrimen inter Prophetas, & arreptitios: quòd arreptitii perturbata mente, & non liberè loquantur: quòd scilicet Dæmon eorum dumtaxat linguam moveat, non mentem illustret, ac multò minus eorum corda tangat, & moveat: at vero Divina virtus cum dono Prophetiæ conjuncta, & voluntatem, & intellectum, & linguam Prophetæ movet, totumque ipsum regit; ita tamen ut ipsa etiam ejus voluntas sub ea Divina motione se moveat. Indecens enim esset, ut etiam ibidem Cajetanus advertit, quòd ii quos Deus ad ædificationem Ecclesiæ docet, & illustrat, quique ejus speciali legatione funguntur, irrationabili motu Divina Mysteria propalarent; neque ea revelatio aut denuntiatio unquàm fit cum aliqua *Inordinatione naturæ*, ut ibidem in corpore articuli Divus Thomas inquit. Igitur liquet, quòd etiam Prophetæ dum futura sibique à Deo manifestata ac vera revelant, ea liberrimè revelare velint. Et tamen (quæ altera *Majoris*

pars

pars eſt (non poſſunt non revelare vera ; quia ſi ex dono Prophetiæ illuſtrentur , & moveantur , impoſſibile eſt falſa denuntiari . Id enim omninò repugnat;cùm ut dictum eſt,nunquam verus Propheta errare poſſit , cùm Propheticum lumen impreſſio ſit Divinæ cognitionis . Sed

Dices . Suppoſito quidem quòd Propheta ſibi à Deo revelata denuntiet , & denuntiare velit , non poſſe quidem errare , & falſum dicere ; ſed tamen poſſe nolle ſibi revelata denuntiare ; quia Spiritus Prophetiæ Prophetæ ſubjectus eſt: neque poſſet intelligi relicta libertas , niſi poſſet , & velle , & nolle ſibi Prophetata denuntiare.

Verùm refelli multis poteſt ea Reſponſio . Et quidem fatemur , & jam ultrò diximus , liberè Prophetam futura denuntiare , ac ſubinde poſſe , velle , & nolle denuntiare ; in hoc enim poſita eſt libertas arbitrii , neque in eo ulla eſt difficultas ; ſed difficultas eſt , qua potentia ita velle , & nolle poſſit , utrum potentia omninò ſoluta , quæ ſcilicet utrumque veluti pari libramento poſſit ; an verò poſſit potentia conjuncta , vel ſolùm potentia ab actu diviſa . At verò primum repugnare contendimus, quia Spiritus ille Prophetiæ ſeu Divinus impulſus quo Propheta movetur efficit , ut infallibiliter velit , nec poſſit non velle, potentia cum actu conjuncta . Sed

Pretereà quid fiet de ea motione libertatis , quã veluti præcipuum ſuæ ſententiæ fundamentum ſupponunt qui Divinas motiones negant in eo poſita quòd voluntas æquè poſſit non ſolùm agere,& non agere , in quo ſita eſt libertas contradictionis ; ſed etiam poſſit , & aliud quodcumque agere, & benè vel malè ut libuerit , quæ eſt libertas contrarietatis . Fateantur enim neceſſe eſt , non poſſe hìc reperiri eam potentiam ; cùm manifeſtiſſimum ſit , ita Deum Prophetæ voluntatem movere , ut quamvis poſſit velle , & nolle ſibi revelata denuntiare , non poſſit tamen aliud contrariè velle ; ideſt non poſſit velle falſum dicere , dum Prophetiæ lumine , & inſtinctu illuſtratur , & movetur .

Sed demum quid fiet etiam de ea libertatis notione quam omni diſpoſitione antecedente impediri, aut præfocari arbitrantur,undecumque oriatur ea ſuppoſitio antecedens : cùm ex dictis evidens ſit ipſum Prophetiæ donum ſecum ſuppoſitionem antecedentem afferre , & infallibiliter ita ad verum determinare , ut nunquàm ad falſum determinare poſſit . Sed

Confirmatur *Tertiò* : probaturque etiam Prophetiæ donum ad voluntatem pertinere , egregia obſervatione S.Thomæ . Etenim 2.2. q.171. art.1. ubi ipſam Prophetiæ propriam rationem explicat,utrum pertineat ad cognitionem : affirmat in primis , Prophetiæ donum ſi propria ipſius ratio ſpectetur , ad intellectum pertinere, cùm ſit quædam Divinæ cognitionis impreſſio , de quo nullum dubium eſt . Sed deinde Obiicit ſibi num. 4. hoc argumentum:*Sicut revelatio pertinet ad intellectum,ita inſpiratio videtur pertinere ad affectum, eò quòd importet motionem quandam : ſed Prophetia dicitur eſſe inſpiratio , vel revelatio ſecundùm Caſſiodorum:Ergo videtur Prophetia non magis pertinere ad intellectum quàm ad voluntatem* ;

Verùm huic argumento Reſpondet SãctusThomas , & ex ejus reſponſione clariſſimè deducitur , etiam Prophetiæ donum ad voluntatem extendi : aut priùs voluntatem afficere quàm intellectum , ſicut cùm infunditur fides,neceſſe eſt priùs voluntatem moveri,quia non niſi volenti fides infunditur . Ita enim cùm Deus Prophetam illuſtrat , priùs ipſum ad ſe convertit , ut velit revelandis animum intendere , eaque excipere . Sed multò efficacior eſt in Prophetiæ dono ea motio , quàm ſit in infuſione fidei , cùm momento imprimatur illa motio , neque ulla diſpoſitio præceſſerit , neque poſſit Propheta ſibi revelata non excipere , iiſque animum non intendere (potentia inquam cum oppoſito conjuncta:) cùm illud ad Prophetiæ donum pertineat , imò cætera antecedat . Unde ita Reſpondet Sanctus Thomas .

Dicendum:quod in Propheta requiritur quòd intentio mentis elevetur ad percipienda Divina; Unde dicitur Ezech. 2. Fili hominis ſta ſuper pedes tuos,& loquar tecum: Hæc autem elevatio intẽtionis fit Spiritu Sancto movente.Unde ibidem ſubditur;& ingreſſus eſt in me Spiritus,& ſtatuit me ſuper pedes meos . Poſtquam autem intentio mentis elevata eſt ad ſuperna,percipit Divina, unde ſubditur ibidem.Et audivi loquentem ad me . Sic igitur ad Prophetiam requiritur inſpiratio quantum ad mentis elevationem,ſecundùm illud Job.23. Inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam ; revelatio autem quantùm ad ipſam perceptionem Divinorũ, in quo perficitur Prophetia,& per ipſam removetur obſcuritatis, & ignorantiæ velamen,ſecundùm illud Job.12. Qui revelat profunda de tenebris . Hactenus Divus Thomas : ubi egregiè ex eo Scripturæ Sacræ loco quem refert,ſcilicet Ezech.2. elicit, Prophetiæ donum, etſi quantùm ad *propriam* ipſius rationem , & eſſentiam ad intellectum pertineat,attamen antecedenter, & quantùm ad quãdam præparationem priùs voluntatem afficere . Neque enim ut inanimata inſtrumenta veri Prophetæ moventur.Eos impellit Deus, ſed volentes ; imò ut velint de rebus Divinis edoceri eos in primis attentos reddit : quod ea verba ſignificant , *Sta ſuper pedes tuos, & loquar tecum* . Quare inde incipit Prophetiæ donum , quòd ſcilicet Deus voluntatem hominis moveat , ut Divinis intendere velit : eaque attentione ſuos Prophetas præparat , & quodammodo dignos , aut aptos efficit ut Divina percipiant .

Atque id obſervavit Interpres S. Thomæ Cajetanus ibidem . Habes , inquit , ex conditione Prophetiæ , quòd Deus à quo diſponuntur omnia ſuaviter , moveat hominem conſentaneo ſuæ naturæ motu ad Prophetiam , media ſcilicet intentione ; ita ut priùs ipſum moveat , ut attentam mentem habeat ; ac deinde illi ſua arcana revelat : quòd eſt (inquit) contra illos qui putant Prophetiam haberi quaſi per influxum in intellectu ſine nobis . Et verò diſcrimen eſt inter eos

qui Divino quidem, sed arcano, & occulto solùm instinctu, à Deo moventur, nec sciunt quæ denunciant; ut Caiphas qui Prophetavit Joan. 11. Cùm tamẽ nesciret ipse quid sua verba ut ex motione Spiritus Sancti ea pronunciabat, significarent: & inter eos qui aperta, & manifesta revelatione à Deo edocentur. Hi enim dubio procul, & sciunt se à Deo edoceri, & consentiunt etiam, ac liberè edoceri volunt, & collatum sibi Divinitùs ultro donum percipiunt. Et quamvis interdum eos Deus nihil hujusmodi cogitantes assumat, ut ipsis denuntianda revelet; attamen inde semper incipit, ut eorum voluntates moveat, ut aurem cordis loquenti Deo admoveant: Unde illud: *Dominus erigit mihi aurem*.

Ex quibus manifestum est, Prophetiæ donum licet principaliter in intellectu resideat, attamen etiam ad voluntatem extendi, & Prophetam nedùm liberè sibi revelata à Deo denuntiare, sed etiam liberè ea dum revelantur percipere. Unde huc revocari potest superiùs argumentum. Non potest non esse conjunctum Prophetię donum cùm Divina motione seu *Adjutorio quo*, si sub eo dono Propheta, nec errare possit, nec errare velit, aut etiam velle possit, ea potentia de qua semper *intelligimus*, & *intellexit* Sanctus Augustinus: Atqui Prophetiæ donum ita cum motione Divina conjunctum est, ut sub eo dono Propheta, nec errare velit, nec errare possit; sed infallibiliter; & verum percipiat, & verum denuntiet, ac liberè denuntiet: Ergo

Sed præterea in his Sancti Thomæ verbis quæ licet in objectione positis, cumeam Responsionem confirmet: *Quòd inspiratio videtur pertinere ad affectum, eo quod importat motionem quandam*. Quandoquidem occasio se offert observandum velim, contra eos qui parùm assueti Sancti Thomæ loquendi modo, inspirationem arbitrantur non aliud significare quàm actum quendam vitalem. Unde & eo sensu explicare solent quæ habet Sacrum Concilium Tridentinum, & olim toties Sanctus Augustinus de Divina inspiratione dixerat. Verùm longè aliam esse S. Thomæ sententiã hinc clarissimè liquet, cùm *inspirationem motionem etiam importare* inquit. Atque id sanè ita fieri omninò necesse est, cùm voluntas ad ejusmodi actum applicanda sit. Et si quidem voluntate nihil agente Deus se solo actum indeliberatum imprimeret, dici quidem posset quòd ad eum producendum nulla motio necessaria esset, sicut cum Deus habitus gratiæ sanctificantis, & virtutum, infundit; tunc enim Deus se solo agit, & voluntas eos habitus dumtaxat recipit. Verùm longè dispar ratio est habituum actuumque, cùm certum sit, voluntatem ad actus etiam indeliberatos, quos elicit activè concurrere. Atque id exigit etiã ipsius actus specialissima ratio, quatenùs est actus vitalis, qua ratione essentialiter exigit ut à potentia vitali & vitaliter agente producatur: Ergo cùm Deus causa sit cur voluntas agat, & eliciat suos actus quoscumque etiam indeliberatos, neque enim de actibus solùm deliberatis dictum sit quod Deus *Inclinat cor hominis, & facit ut faciamus*, sed universim de omnibus omnino actibus: cùm inquam Deus causa sit, cur voluntas agat, necesse etiam est, quòd Deus voluntatem applicet, inclinet, impellat, moveatque ad hujusmodi actum producendum: Atqui hic impulsus, aut hæc applicatio est ipsa prævia & effectrix motio Divina, de qua loquimur. Unde verissimè dictum est à Sancto Thoma, *Quòd inspiratio motionem importat*.

Atque idem de instinctu dicendum est, quem quidam non aliud esse volunt præter actum vitalem, unde etiam quæ habet toties Sanctus Thomas de Divina motione eludere conantur, quòd aliquando Sanctus Doctor motionem hanc instinctum vocaverit, instinctus autem, inquiunt, nihil aliud est quàm actus indeliberatus & vitalis.

Verùm longè alia Divi Thomæ mens est motionem enim intelligit, qua ad producendum actum quemcumque seu indeliberatum seu alium voluntas applicatur. Unde in cap. 11. ad hebr. lect. 7. Cùm plurima de Prophetia dixisset *quòd Spiritus Sanctus movet Spiritum prophetæ, sicut agens principale movet instrumentum suum*; & alia plura; deinde inquit, &c. *Iste autem motus Spiritu Sancti dicitur instinctus secundùm Sanctũ Augustinum*.

Igitur ut ad superiora regrediamur ex Sancto Thoma quoties Prophetæ à Deo de Divinis edocentur, & dono Prophetiæ illustrantur; toties necesse est ut Divina inspiratione moveantur; eorumq; excitetur voluntas ut Divinis percipiendis intendere velint: Atqui id ex ipsis terminis ad voluntatem pertinet: Ergo & prophetia nedùm ad intellectum, sed etiam ad voluntatem pertinet. Sed iterum ex Sancto Thoma necesse est, quòd Divina inspiratione voluntas Prophetæ excitetur ut Divinæ revelationi intendat: Atqui iterùm ex Divo Thoma ea inspiratio importat motionem quandã: neque alia esse potest ea motio, nisi & prævia, & physica, seu effectrix, propria efficientia in ordine physico: Ergo. Hæc secunda pars Minoris probatur, in primis esse præviam & prævenientem eam motionem dubitari non potest; de ea enim agitur, quæ voluntatem prævenit, excitatque ut velit. Unde ipsa volitio seu voluntatis actus est hujus motionis effectus. Necesse est ergo, quòd ea motio præveniat, atque adeò quòd sit prævia. Sed præterea etiam physicam esse seu effectricem propria efficientia, seu per modum causæ efficientis, etiam evidens esse videtur: Ea enim volitio, seu hìc voluntatis actus quo Prophe. ta vult attendere Divinæ revelationi est effectus hujus motionis in ordine physico; agit enim reipsà voluntas in ordine physico, & in eodem ordine efficit ea motio quòd voluntas agat. Ergo etiam in ordine physico est ea motio, seu est motio physica.

Confirmatur: *Quartò*: præterea & impugnatur superior Responsio; ex eo quòd Prophetiæ donum non solùm efficiat ut Propheta non possit aliud denunciare, quàm verum, sed etiam non possit non denuntiare quod revelatur; potentia con-

conjuncta cum actu ideſt, infallibiliter denunciet ſibi Divinitus revelata, idque efficiat non gratia congrua, non auxiliorum multitudo attemperata, ſed ipſa Divina motio, ac inſtinctus Divinus quo Propheta ad denuntiandum revelata movetur: Atqui non poteſt tunc non intelligi & efficax Divina motio, & adjutorium quo: Ergo &c.

Minor ex multis probari poteſt: quòd certum ſit ex Divino Spiritu impulſos fuiſſe Prophetas tunc, eoque momento, quo Deus volebat ea quæ revelabat populo denuntiari: & ut variæ ſunt Spiritus Sancti operationes, interdùm ipſi Prophetæ ſe ſe diſponebant, ut percipiendæ revelationi aptiores evaderent, ut notat S. Thomas 2.2.q.171.ar. 2. de Eliſeo 4. Reg. c. 3. *Quem cum Joſaphat de futuris inquireret, & Spiritus Prophetiæ ei deeſſet, Pſaltem fecit applicari, ut Prophetiæ ad hunc Spiritus per laudem pſalmodiæ deſcenderet, atque ejus animum de venturis repleret.*, *ut inquit D. Greg. homil. 1. in Ezechielem.* Unde & eadem qu. art. 4. obſervat D. Thomas; quòd de *filiis Prophetarum legitur* 4. *Regum. 4. v. 38. quòd ſimul habitabant cũ Eliſeo, quaſi ſolitariam vitam ducentes, ne mundanis occupationibus impedirentur à Dono Prophetiæ.* Ubi ex communi Interpretum ſententia, Prophetarum filii intelliguntur eorum Diſcipuli, qui ſimul veluti in religioſis domibus, à communi hominum cõſortio remoti, ſolitariam & religioſam vitam ducebant, vacabant meditationi Scripturæ Sacræ, & legis Divinæ, Divinaſque laudes decantabant; quos inter aliqui majori ſanctitate prædíti dono & Spiritu Prophetiæ prædíti erant: alii his piis exercitiis aptos ſe efficiebant, ut eo aliquando Spiritu impellerentur. Hujuſmodi veluti religioſas domos, aut collegia fuiſſe in Bethel, & Jericho, conſtat ex libris Regum: atque iis præfuiſſe videntur Elias & Eliſeus.

Sed præter eos quos veluti ex Divina deſtinatione Prophetas dixeris: alii erant quos Deus repentè, nihilque ejuſmodi cogitantes nullaque prævia præparatione diſpoſitos ad prophetiam impellebat, & ut prophetarent, & ut prophetare vellent. Atque hoc eorum diſcrimen ex lib. 1. Reg. cap. 10. apertè colligitur; ubi cùm Samuel Saüli denuntiaſſet, quæ mox ipſi obventura eſſent; dicitur verſ. 9. quòd *cùm avertiſſet humerum ſuum; ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc.* (quæ Samüel prædixerat) *in die illa: veneruntque* (Saül ejuſque ſervus) *ad prædictum* (à Samuele) *collem, & ecce cuneus Prophetarum obvians ei, & inſiliit ſuper eum Spiritus Domini, & Prophetavit* (Saül) *in medio eorum*: Quæ res adeò inſolita viſa eſt, ut deinde in proverbium abierit. *Num & Saül inter Prophetas.* Ibi enim apertum diſcrimen eſt quod diximus. Erat Samuel Propheta Domini, Spiritu, donoque prophetiæ prædítus veluti ex Divina deſtinatione, ut populum regeret: ſed in Saüle quæ diſpoſitio eſſe poterat? & tamen ſubitò etiam Spiritu Divino impletus prophetare cæpit, fuitque tunc veluti *temporarium* in Saüle Prophetandi munus, ut inquit D. Aug. lib. 2. ad Simpl. q. 1. & ut addit poſtea quod dictum eſt *Inſilvit tanquam ex abdito divinitatis ſecreto, repentinus ſignificatur afflatus*: Quãvis tamen, hoc Prophetiæ genus in Saüle de Divinis Laudibus intelligi poſſit ac certis canticis, quæ cuneus ille Prophetarum, ſeu Prophetarum Diſcipuli, junctis variis inſtrumentis, quæ ibidem recenſentur canerent; & quibus etiam aliorum forſitan Prophetias, & arcana aliis majoribus Prophetis revelata decantarent: ut obſervat etiam Sanctus Thomas 1. ad Cor. 14. lect. 1. *Saül erat inter Prophetas, ideſt inter canentes dicta Prophetarum.* Verùm & de vero Prophetiæ dono intellexit D. Auguſtinus, aliique etiam intelligunt, quòd tunc Saül jam inauguratus Rex, veluti in Regiæ dignitatis collatæ decus acceperit. Sed quamvis ſolùm de laudibus intelligeretur, certum eſt intelligi Saülem Divinas laudes non quomodocumque, ſed Divino Spiritu impulſum & afflatum decantaſſe. Id enim apertè hæc verba ſignificant; *Inſilit Spiritus Domini in Saül*, quæ impulſum & quidem vehementem & inſolitum ſignificant. Et aliunde Divinum fuiſſe hunc in Saüle impulſum dubitari non poteſt, cùm momento edoctus ſit, ut cum aliis eaſdem Divinas laudes & Prophetias caneret. Qua in re evidentiſſimè ea Divina motio animadverti poteſt, non minùs quàm in aliis verbis, *Immutavit ei Deus cor aliud*, ut ſcilicet momento majores & altiores ſpiritus ageret, & ut Regem decebat.

Idem etiam in Daniele compertum: cùm enim ab impudicis ſenibus, & iniquis Judicibus ad mortem Suſanna raperetur; *Suſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, à quo Suſanna liberata eſt ut dicitur Daniel. 13. Tunc enim nulla præceſſerat in Daniele præparatio: ſed momento Deus Danielem impulit, ut properantem turbam, quæ Suſannam lapidibus obruendam ducebat ſiſteret: & ſiſtere quidem vellet, neque enim & Saül & Daniel veluti arreptitii erant; neque ea fiebant cum aliqua inordinatione naturæ, ut dixit Sanctus Thomas, cùm Deus nullius inordinationis author eſſe poſſit.

Plurima ejuſmodi exempla in libris Regum occurrunt: cùm enim varias ob cauſas, ac opportunitates, quæ ſæpiùs occurrebant, Deus vellet populum, cujus potiſſimam curam gerebat inſtruere, repentè aliquem ſuſcitabat, nihil ſanè ejuſmodi cogitantem, ut futura denuntiaret: & quidem liberè denuntiaret, ac denuntiare etiam vellet.

Quin etiam cùm aliquando malè excepti à Principibus Prophetæ, pleraque ab his & gravia paſſi, ne ſe iterùm in diſcrimen conjicerent prophetare nollent; res enim ſemper periculi pleniſſima fuit principibus non adulari; Deus momento eorum voluntates immutabat, ut contra cæptum jam animo conſilium, ac propoſitum prophetarent: de quibus veriſſimè dici poſſit, *Cùm venerit quaſi fluvius vehemens, quem Spiritus Domini cogit*: cogi enim aliquo pacto videbantur, cùm nova ipſis voluntas immittebatur, ut de Jeremia legitur cap. 20. *quem percuſſit Phaſſur & miſit in nervum.*

Un-

Unde hæc Jeremiæ ad Deum emissa querela : *Seduxisti me Domine & seductus sum : fortior me fuisti & invaluisti, factus sum in derisum tota die : omnes subsannant me. Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & derisum tota die : & dixi non recordabor ejus, neque loquar ultrà in nomine illius.* Nimirùm nolebat se iterùm in discrimen conjicere : & tamen statim addit : *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens* ; quòd scilicet ea vis Divini Spiritus ita eum impelleret, ut vellet quod nollet, & contra distinatam animo sententiam, etiam observante ante oculos periculo iterùm Deo parere vellet.

Atqui in his omnibus quæ jam satis fusè expendimus, evidens est prophetiæ donum extendi etiã ad voluntatem, & efficere ut nedùm Prophetæ sibi Divinitùs revelata denuntient, sed etiam ut denuntiare velint ; nec possint non velle, ea potentia quam diximus etiam cum actu conjuncta ; cùm eo fine à Deo moveantur & inspirentur, ut tunc eo momento sibi à Deo revelata denuntient : Ergo quacumque ex parte res ista inspiciatur, impossibile est prophetiæ donum nisi admissa Divina motione, prævia, & physita, seu effectrice explicari.

Confirmari Soperiora possunt altera ratione quæ huic *non absimilis* est, neque vim minorem habet : quòd scilicet cùm Apostoli coram Judicibus sisterentur, à Divino Spiritu de rebus omnibus momento edocerentur. Unde ipsis promissum à Christo Domino fuerat Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo, ut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* : Atqui non potest tunc non intelligi & præsentissima, & efficacissima Divina motio : Ergo. Et sanè si quis hæc pro meritis expendat, animadvertet, nihil validius intelligi posse ad Divinam motionem comprobandam. Tunc enim *supra humanum modum* edocebantur, Apostoli, ut de donis Spiritus Sancti dictum est ; & ipsa verba quæ responderent ita suggerebantur, ut magis Spiritus Sanctus in iis, & per eos loqui dicendus esset, quàm quòd ipsi loquerentur. Unde Sanctus Augustinus lib. de gratia Christi c. 35. his verbis graviter Pelagium reprehendit. *Quomodo*, inquit *dicit Pelagius, quòd benè loqui possumus, Dei est : quòd benè loquimur, nostrum est ; cùm dicat Dominus, Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis. Neque enim ait, non vos estis qui dedistis vobis, benè posse loqui ; sed ait, non vos estis qui loquimini. Nec ait, Spiritus Patris vestri est, qui vobis dat vel dedit posse benè loqui ; sed ait, qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum, sed exprimens cooperationis effectum.*

Nec verò est, quòd quisquam ea Sancti Augustini verba ad concursum simultaneum detorqueat, eò quòd dixerit, his verbis significari *cooperationis effectum* ; alienissima enim est ea explicatio à Divi Augustini mente ; sed eam cooperationem, eumque concursum simultaneum S. Doctor intelligit, quem aliàs explicuimus, qui scilicet simul cum prævio conjunctus est. Sicut cùm artifex instrumentum movet quamdiu operatur ; ubi dubio procul & motio prævia est, cùm artifex instrumentum applicat ; & cooperatio etiam est quamdiu instrumentum applicatum tenet. Ita enim de Deo intelligendum, & eo exemplo usum fuisse S. Augustinum alibi observavimus, in Psal. 34. ubi Deum animam manu tenere, & de ea pugnare inquit, quia ipse & fortitudo nostra & ipse victoria nostra est, & ut Divus Paulus loquitur, ipse *Triumphat in nobis*. Et quamvis intelligendum sit, à Deo moveri hominem, quoties & benè agit, & benè loquitur ; apertius tamen id esse videtur in ipsis Apostolis, rudibus, ac ignaris, quibus nec præmeditari licebat, quid loquerentur ; & quamvis se longa meditatione exercuissent, ipsa tamen verba quibus meditata explicarent, vix occurrere potuissent. Quare & de Apostolis præsertim verum est quod inquit Sanctus Augustinus in Psalm. 49. Spiritum Sanctum per eos veluti per instrumenta locutum esse, *Tangendo, modificando, & inspirando*.

Verum equidem est, ut ibidem Sanctus Augustinus observat, ad ea verba, *Deus deorum Dominus locutus est* : Nemo est qui verum loquatur, & quem Deus motione Divina non moveat ; Deus enim, *Locutus est multis modis. Per Angelos ipse locutus est per Prophetas ipse locutus est, per os proprium locutus est ipse, per Apostolos suos ipse locutus, per fideles suos ipse loquitur ; per humilitatem nostram, cùm aliquid verum dicimus, ipse loquitur. Videte itaque loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat, ubique tangendo, modificando, inspirando.* Ita enim *Omne verum à quocumque dicantur à Spiritu Sancto est*, ut inquit Divus Ambrosius, & explicat Divus Thomas 1.2.q.109.ar.1. *Esse à Spiritu Sancto sicut ab infundente lumen naturale, & movente ad intelligendũ & loquendum veritatem.*

Multò tamen apertior est ea Divina Spiritus Sancti motio in Apostolis, alioquin rudibus, nec dubitari potest, eos instrumenta dumtaxat fuisse quibus Spiritus Sanctus ad prædicandam fidem & nascẽtem Ecclesiam defendendam utebatur. Ideoque & singulari ratione dicitur ; *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Ut enim inquit Divus Thomas Ibidem in Matth. cap. 10. *Omnis actio quæ ex duobus causatur, quorum unum est principale agens, secundum verò instrumentale ; debet denominari à principaliori. Isti verò fuerunt agentes instrumentaliter, Spiritus Sanctus principaliter ; ideò tota actio debet denominari à Spiritu Sancto*. An verò intelligi possit solùm principale agens in ordine morali ? In eodem enim ordine movere intelligendum est quo instrumenta agunt. Quis verò dubitet, Apostolos in ordine physico vera actione, loquutione, disputatione, confessione physica egisse ? Ergo & in eodem ordine necesse est motos & impulsos fuisse à Spiritu Sancto.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Probatur in Adamo efficax gratia ex ipſius altiſſima contemplatione, & dono Intellectus.

HOc alterum Sanctitatis privilegium eſt, omnibus omnino ſtatibus ſeu naturæ Innocentis, ſeu reparatæ commune: Ex quo tùm olim Adamum, tùm etiam cæteros qui ad contemplationem altiſſimam evehuntur, ſingulariſſima motione ex dono Spiritus Sancti moveri hìc demonſtrandum ſuſcipio.

Quare ſic ratio proponi poteſt. Non poteſt intelligi unquam vel explicari perfectiſſima, & altiſſima contemplatio, ad quam interdùm animæ Sanctæ ſingulari privilegio evehuntur ex dono intellectus, niſi admittatur efficaciſſima, & ſingularis motio, & inſpiratio Spiritus Sancti: Atqui etiam Adamus in ſtatu Innocentiæ evectus fuit ad altiſſimam contemplationem; & quod aliis ſingulare privilegium eſt, fuiſſet quodam modo debitum ſtatui Innocentiæ: Ergo & Adamum efficaciſſima, & ſingulari Divina motione motum, & impulſum fuiſſe in eo ſtatu admittendum eſt.

Minor Primò probanda eſt, quia *Major* propoſitio latiùs patet, cùm etiam ad ordinem naturæ & lapſæ, & reparatæ extendatur. Probatur igitur *Minor* ex Divo Auguſtino lib. 9. de Geneſ. ad litteram. Ubi de eo ſopore quem Deus in Adamum immiſit, ſequutus 70. Interpretes ita legit cap. 1. *Et immiſit Deus extaſim in Adam, & obdormivit.* Quæ verò extaſis ea fuerit, ultimo capite ita explicat: *Ac per hoc etiam illa extaſis, quam Deus immiſit in Adam, ut ſuperatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immiſſa, ut & ipſius mens per extaſim particeps fieret tanquam Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret noviſſima.* Hæc Sanctus Auguſtinus. Et in primis ſupernaturalem fuiſſe ejuſmodi ſoporem, cùm à Deo immiſſus referatur, nemo eſt qui dubitet. Hebraicus textus habet *Tardemach* תרדמה Quæ vox graviſſimum ſoporem ſignificat, quæque uſurpatur etiam Jonæ 1. cap. Ubi dicitur, quòd dormiebat ſopore gravi ignarus periculi cujus ipſe cauſa erat. Sed cùm hìc ſopor gravis immiſſus à Deo dicatur, non dubitavit Auguſtinus, quin ſupra naturam fuerit, & altiſſima contemplatio,

Fuit igitur vera extaſis, mentiſque exceſſus, ex D. Auguſtini ſententia de qua hìc potiſſimum inquirimus, quam etiam ſententiam amplexus eſt Divus Thomas infrà referendus. Atque in eo mentis exceſſu, inquit idem D. Auguſtinus, particeps fuit Adamus Curiæ Angelicæ, eo ſenſu ut plurima myſteria Divina cognoſceret: unde evigilans, addit deinde Sanctus Auguſtinus, *Tanquam Prophetiæ plenus*, adducta ad ſe muliere, *Eructavit quod magnum myſterium commendat Apoſtolus: hoc nunc os ex oſſibus meis*: Ergo dubitari non poteſt, quin Adamus in altiſſimam contemplationem, etiam cum exceſſu mentis, & extaſi conjunctam, evectus fuerit.

Confirmatur ex Divo Thoma qui D. Auguſtini mentem magis explicat, & quid ſignificet Adamum fuiſſe participem Curiæ Angelicæ apertiùs explanat, quæſt. 18. de verit. art. 5. ad 3. ubi inquit, quòd *Adam habuit cognitionem Angelorum, in quantùm erant propter ipſum facti: ſcivit enim eos eſſe conſortes ſuæ beatitudinis, & miniſtros ſuæ ſalutis in vita, in quantùm cognovit diſtinctionem ordinum eorum, & eorum officia, multò meliùs, quàm nos cognoſcamus.* Non exiſtimat tamen, eam Adam cognitionem eò perveniſſe ut ipſos Angelos per eſſentiam videret. Quamvis à Divo Gregorio dictum ſit, 4. Dialog. *Quòd in Paradiſo homo aſſueverat verbis Dei perfrui, Beatorum Angelorum ſpiritibus cordis munditia, & celſitudine viſionis intereſſe*: Id ita explicat Sanctus Thomas, quòd ad ſublimem quidem cognitionem, & cognitione aliorum hominum multò altiorem Adamus evectus fuerit, ob quam cauſam & *Verbis Dei perfrui, & Angelorum ſpiritibus intereſſe*, dici potuerit: Non tamen quòd Angelos quantùm ad eſſentiam videret. Quamvis tamen ut addit ibidem ad 2. *Quòd ſi ſopor Adæ intelligatur talis extaſis fuiſſe, qualis fuit raptus Divi Pauli, nihil prohibet dici, quin in illo raptu Angelos per eſſentiam viderit. Sed hoc erit ſupra communem modum cognitionis, qui ei competebat: Si autem ſopor ille non talis extaſis intelligatur fuiſſe, ut Adam ſecundùm quid ad ſtatum Beatorum elevaretur, ſed ſicut ſolet mens Prophetarum elevari ad Divina myſteria intuenda, ſicut verba Gloſſæ* (Sancti Auguſtini) *ſonare videntur: tunc dicitur particeps Curiæ Angelicæ fuiſſe per quandam cognitionis eminentiam, quæ tamen uſque ad eorum eſſentiam non pertingebat.* Fuit ergo ex D. Aug., & D. Thoma altiſſima ea Adami cognitio, & contemplatio.

Confirmatur iterum: & hujus contemplationis perfectio, & ſublimitas magis indè cognoſci poteſt, quòd, ut inquit D. Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad litteram, *Fortaſſis Deus primis hominibus antea loquebatur, ſicut cùm Angelis loquitur, ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum; etſi non tanta participatione Divinæ ſapientiæ, quantam capiunt Angeli.* Quæ ſanè verba altiſſimum omnium gradum contemplationis ſignificant, cùm Deus etiam mentibus, rerum ſpecies infundit, ut obſervat D. Thomas ſæpiùs, ubi de raptu, ac dono Prophetiæ pertractat. Ea verò Divi Auguſtini verba refert idem Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 94. art. 1. Atque iis præmiſerat, quòd *Primus homo non impediebatur per res exteriores à clara, & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, ſive naturali cognitione, ſive gratuita.* Quæ ſanè ſumma felicitas eſt, ad quam pauciſſimi in hoc ſtatu pertingere poſſunt, ut irradiatione primæ veritatis, & infuſione ſpecierum effectus

intel-

intelligibiles ac Divina intelligant, neque per res exteriores ab ea clara firmaque contemplatione, & ferventissimo, quo erga Deum amore feruntur, impediantur.

Atque inde etiam colligi potest, non solùm ad eam unicam extasim, referendam esse omnem Adami contemplationem; sed prætereà eam fuisse illius status felicitatem, ut quod interdum in SS. Viris accidit, quòd perpetuò Divina præsentia perfruantur, neque rerum exteriorum occursu, ab eo interiori intuitu, quem in Deo fixum tenent, unquàm impediantur. Quod de Adamo multò faciliùs credi potest, cùm interiores omnes sensus, in quibus coercendis tanta cæteris hominibus diligentia adhibenda est, omninò voluntati Adami, rationi, & Divinæ gratiæ, seu Spiritus Sancti motioni subjicerentur, & obtemperarent.

Colligi prætereà potest eam Adami contemplationem non in sola mente divinitùs illustrata positam fuisse; sed potissimam hujus partem fuisse in voluntate positam, cùm *In Paradiso Adamus conversans beatam, & omnium divitem habuit vitam*, ut inquit ibidem Sanctus Thomas 1. par. quæst. 94. art. 1. ex D. Damasceno lib. 2. cap. 11. *Cùm pudicitia ornatus, temperantia compositus, charitate circumdatus esset*, ut ex Divo Augustino refert Divus Thomas, ibidem quæst. 95. art. 3. Unde dubium non est, quin Divina charitate flagrantissima esset Adami voluntas, cùm etiam ut observat Sanctus Thomus, & Divina familiaritate frueretur, ex qua idem Sanctus Doctor eum in gratia conditum fuisse probat in 2. ad Annibaldum, ac demùm cùm vera contemplatio à charitate incipiat, & ad charitatem terminetur, ut docet Divus Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 7. quia ut inquit, *Terminus correspondet principio*, in his potissimùm motibus, qui perfectissimi sunt, circulari verò motui comparatur contemplatio à Sancto Dionysio, quem explicat Sanctus Thomas ibidem.

Confirmatur demum quòd hæc ratio adversùs Jansenium alioſque validos futura sit, si supponatur quod dubio procul esse potuit, quod hic status longo tempore perdurasset. Eadem enim fuit innocentiæ vis, eadem privilegia in Adamo fuernnt, quæ esse potuissent in posteris, si ille status, ut diximus, perseverasset; neque enim diuturnitas temporis quidquam efficit, ubi de rei natura inquiritur. Quin immò, ut diximus, majorem semper in Adamo ut aliorum Capite, gratiam fuisse, majorem privilegiorum abundantiam, & copiam, existimandum est: & ipsa Capitis ratio, & dignitas, postulabat, ut omnium gratiarum primitias proximior fonti hauriret; ac veluti omnium virtutum florem decerperet. At verò observat Divus Thomas, quòd Innocentiæ status ea omnia privilegia exigebat; immò, & multò plura, quàm Viri contemplativi, & animæ sanctæ, in hoc statu naturæ reparatæ unquam recipiant Etenim ut inquit S. Thomas in 2. dist. 23. art. 1. cùm de variis Deum cognoscendi modis agit, *Ad modum, qui naturalis est ipsi Angelo, & supra naturam hominis, elevatur homo per gratiam, etiam post statum culpæ: sicut etiam in Viris contemplativis patet, qui revelationes Divinas merentur, & multò ampliùs fuit in primo statu per gratiam originalis Justitiæ.* Premenda sunt hæc ultima verba, quibus expresè monet Divus Thomas, quæcumque privilegia Viris contemplativis in hoc statu reparatæ naturæ conferuntur, etiam & collata fuisse Adamo, aut statui Innocentiæ veluti debita fuisse, & *multò ampliùs*: quòd status ille integer, & veluti adæquatè sumptus, & quantùm ad sui omnes partes, dotes, privilegia, gratias, & quæ ad perfectionem, & felicitatem status pertinent, statum naturæ lapsæ, & reparatæ superare debuisset. Quòd ex Divo Augustino lib. de Civit. Dei cap. 8. desumpsit Divus Thomas, ubi Sanctissimus Pater Theologorum omnium Magister inquit quòd: *Beatior erat primus homo in Paradiso quàm quilibet justus in hac infirmitate mortali.*

Dixi tamen majorem fuisse Adami felicitatem: nam quantùm ad magnitudinem, & plenitudinem gratiæ, potissimùm sanctificantis, res, satis incerta est. Forsitan modò à Christo capite major hauritur gratia; cùm Joan. 1. etiam à Christo dictum sit, quòd in mundum venerit, ut homines *Vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Abundantiùs forsitan quàm Adamus in statu Innocentiæ, abundantiùs quàm Angeli habeant; quibus certa mensura constituta est, ipsa scilicet capacitas naturæ; cui ita gratia coaptata est, ut nullus potuerit ab eo ordine in quo constitutus est, ad altiorem se se evehere; cùm tamen ex hominibus plures Angelis superiores esse dubitari non possit, de quo alibi à nobis dictum est. Sed quid accidisset si perseverasset Innocentiæ status, satis incertum est; & in rebus dubiis nihil est temerè affirmaudum, quamvis & in mea quidem sententia admodùm probabile sit, quòd etiam Adamus à Christo gratiam hauserit, & haurire potuisse mihi dubium non sit. Sed quòd ad ea gratiæ privilegia, quæ felicitatem status efficiunt & lætiorem gratiam, ut Sanctus Augustinus loquitur; ab ipso Magistro, & hujus fidelissimo Interprete didicimus, quòd ea omnia, quæ in hoc statu naturæ lapsæ, & reparatæ, etiam Viris Sanctis conferuntur, fuissent Adamo, & posteris collata, si status ille perdurasset. Hæc quantùm ad probationem Minoris.

Major verò in qua præcipua est difficultas, & quæ latiùs extenditur, cùm etiam ad statum naturæ lapsæ in quo versamur pertineat, paulò fusiùs probanda est; hinc enim efficacissimum argumentum desumi arbitror ad probandum, & in statu Innocentiæ, & in hoc etiam statu naturæ lapsæ, & reparatæ, Divinam motionem, potissimùm, quæ Spiritus Sancti dona comitatur, esse sua ipsa vi, & præviam, & effectricem, neque solo voluntatis consensu efficacem fieri, aut quoad usum instar habitus esse voluntati subditam.

Pro-

Probatur itaque & in primis ex dictis facilis probatio ſe ſe ingerit: quia perfectiſſima contemplatio ex donis intellectus, & ſapientiæ oritur; unde quæ de donis jam multa diximus, huc ſtatim recurrunt; ſcilicet, non poſſe non eſſe ſingularem motionem, quoties homo ſupra communem modum agendi evehitur; quoties agitur magis quàm agat; quoties ex Divina inſpiratione, non ſua induſtria ad actus heroicos, & ferventiſſimos rapitur: Atqui in contemplatione, cùm ea ex dono intellectus, & ſapientiæ ortum habeat, contemplativus, & ſpiritualis homo, cui hæc felicitas contingit, evehitur ſuprà communem agendi modum, & magis agitur, patiturque, quàm agat: Ergo &c.

Sed hæc ex D. Thoma apertiùs probanda ſunt. Unde probatur in primis, altiſſimam perfectiſſimamque contemplationem oriri ex donis intellectus, & ſapientiæ, undè cætera facilius conſequuntur. At verò id egregiè tradit Sanctus Thomas in 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. ubi & progreſſum, & originem contemplationis mirum in modum explicat. Ex his ſanè quæ ipſe ſæpiùs expertus fuerat, ut hic non poſſit non maximam Fidem mereri: & nemini me facturum injuiram arbitror, ſi dixerim inter eos omnes qui audjuntur in Scholis neminem eſſe, cui hac in re magis credere æquũ ſit. Quædam verò inſerere neceſſe eſt, ut quæ habet faciliùs intelligantur. Obſervat igitur, quòd *Tria ſunt genera virtutum: ſunt enim virtutes intellectuales, Theologicæ, & morales; in quibus omnibus hoc commune invenitur, quòd perficiunt ad actus ſuos ſecundùm humanum modum: Unde cùm donum elevet ad operationem quę eſt ſupra humanum modum*, quod de alii donis art. ſuperiori jam ſatis oſtendimus: *Oportet quòd circa materias omnium virtutum*, intellectualium, Theologicarùm, & moralium, *ſit aliquod donum quod habeat aliquem modum excellentem in illa materia*. At verò ſubdit Divus Thomas, Operatio humana ad quam humano modo virtus perficit, *Vel pertinet ad contemplationem ſecundùm quam conſpiciuntur neceſſaria & æterna, vel pertinet ad actionem, ſecundùm quam diſponuntur contingentia quæ libero arbitrio ſunt ſubjecta*. Quòd verò attinet ad ea dona quæ circa contingentia verſantur, jam ſatis à nobis dictum eſt ſuperiori Articulo, ubi de dono conſilii, & fortitudinis. Unde agendum hìc ſolùm eſt de operationibus quæ ad contemplationem pertinent, ac de donis quæ eam dirigunt, ſcilicet intellectu, & ſapientia. Ita verò id explicat Divus Thomas, & oſtendit, quo pacto hoc utrumque donum evehat ſupra communem modum intelligendi, magiſque perficiat intellectum; quàm ipſæ virtutes intellectuales, habitus ſcilicet primorum principiorum, ipſaque ſapientia, aut etiam Fides virtus Theologica eum perficiant. Itaque ſic egregiè proſequitur Sanctus Thomas.

In contemplatione autem humana, ſeu acquiſita, & ſtudio comparata, *Duplex eſt via: una ſecundùm quã proceditur ad aquitionẽ neceſſariorum, & æternorum, quæ pertinet ad inventionem: alia ſecundùm quã ex principiis primis alia ordinantur quæ pertinent ad judicium.* Primam veluti per aſcenſum fieri non immeritò dici poteſt; ſenſim enim & veluti per gradus mens ſe ſe evehit, ut ad ſimplicem veritatis intuitum pertingat: ac deinde cognita apprehenſaque veritate fixo firmoque intuitu; veluti deflectit oculos ut ad alia feratur, de quibus ex ea veritate ut principio judicat. Unde iterum Divus Thomas. *In prima autem via proceditur humano modo, ex ſenſu in memoriam, ex memoria in experientiam, & ex experimento in prima principia, quæ ſtatim notis terminis cognoſcuntur; & hunc proceſſum perficit intellectus, qui eſt habitus principiorum*. Obſerva quo pacto hac via aſcenſus fiat. Et quidem neceſſe eſt, cognitionem omnem primò oriri ex ſenſu; deinde quæ ſenſu percepimus in memoria reconduntur. poſteà quadam veluti collatione eorum qua jam percepimus, cum aliis quæ occurrunt; fit quædam & multiplex experientia: & cùm ſimillima ſemper, aut eadem eſſe ea experimenta compererimus, ea demùm ut prima principia conſtituimus, quibus certò intellectus inhæret, neque de his ampliùs dubitat. Atque ita in nobis generatur habitus primorum principiorum. Sed alius oppoſitus motus eſt per deſcenſum, unde ſubjicit Divus Thomas: *Ulteriùs in eadem via proceditur inquirendo ex iſtis principiis in concluſiones, & ad hoc perficit virtus intellectualis, quæ dicitur ſcientia, quantùm ad ea quæ rationi ſubjacent*. Pertinet enim ad ſciẽtiam, ut ex primis principiis ad concluſiones proximas, & inde ad remotas, rationis diſcurſu feratur; & eo pacto ſcientiarum habitus in nobis generantur.

Verùm hæc ad virtutes dumtaxat intellectuales pertinent. Supereſt adhuc virtus Theologica Fides, cujus cognoſcendi modus ſtatim ita paucis ibid. S. Thomas explicat. *In his autem*, inquit, *quæ ſuper rationem ſunt perficit Fides, quæ eſt inſpectio Divinorum in ſpeculo, & ænigmate*. Sed hæc paulò fuſiùs jam explicuerat eadem diſt. 24. quæſt. 1. art. 1. ubi juxtà ſuperiùs dicta obſervat etiam diſcrimen quod à virtutibus dona diſtinguit, quodque donorum ſupra virtutes perfectionem oſtẽdit: *Si ea*, inquit, *quæ hominis ſunt, ſupra humanum modũ quis exequatur, erit operatio nõ humana ſimpliciter, ſed quodammodò Divina. Unde Philoſophus in 7. Ethic. contra virtutem ſimpliciter, dividit virtutem heroicam, quam Divinam dicit, eò quòd per excellentiam virtutis homo fit quaſi Deus. Unde ſecundùm hoc dico, quòd dona à virtutibus diſtinguũtur in hoc quòd virtutes perficiũt ad actus modo humano; ſed dona ultra modũ humanum. Quod patet* (inquit) *in Fide, & intellectu. Connaturalis enim modus humanæ naturæ eſt, ut Divina nõ niſi per ſpeculum creaturarum, & ænigmata ſimilitudinem percipiat: & ad ſic percipienda Divina perficit Fides, quæ virtus dicitur: ſed intellectus donum, ut D. Gregorius dicit, de auditis mentem illuſtrat, ut homo etiam in hac vita prælibationẽ futuræ manifeſtationis accipiat. Et ad hoc etiam*

etiam consonat nomen doni. Illud enim propriè donum dici debet, quòd ex sola liberalitate donantis competit ei in quo est, & non ex debito suæ conditionis. Hactenus D. Thomas.

Egregiè ac verissimè hanc sublimem ex dono intellectûs *Cognitionem prælibationem futuræ manifestationis* vocat. Ita enim, & alibi 2. 2. qu. 180. contemplationem *Inchoationem quandam Beatitudinis* nuncupat. Nihil enim est quod altiùs evehat hominem contemplatione, ac ea præcipuè quæ ex dono intellectûs atque Spiritus Sancti impulsu oritur: longè enim eam superat, quæ fit ex sola directione Fidei; cùm Fides obscura semper sit, nec nisi inter umbras, ac sub caligine ducere homines possit. At verò intellectus donum, cùm mentem Spiritui Sancto immediatè subjiciat, indè ex eo fonte lumen clarius oriri potest, quodque veritates Fidei adeò interdum manifestat, ut ea interdum animę sanctę non tam credere, quàm videre, aut persentire sibi videantur.

Igitur ut hanc rationem resumam. Non potest non esse prævia, & efficax vi sua motio, quæ voluntatem rapit supra communem modum agendi, ut non tam ratione prævia, suaque industria, quàm Divino impulsu ad actus heroicos rapiatur: Atqui quoties homo ex dono intellectûs movetur, toties voluntas, non tam suâ industriâ, aut prævia deliberatione, quàm divina motione impellitur rapiturque: Ergo præmissæ omnes probatæ sunt: ac potissimùm ipsa Minor, in qua esse poterat difficultas demonstratur ex constituto discrimine inter virtutes intellectuales, ipsamque Fidem ex una parte, & donum intellectûs ex altera. Illustrat enim donum intellectûs ultra humanum modum, adeò ut per excellentiam virtutis, & cognitionis homo fiat quasi Deus, habeatque prælibationem quandam futuræ manifestationis.

Confirmatur iterum, eademque ratio uberiùs manifestatur ex eo discrimine, & nobiliori modo intelligendi, qui ex dono intellectûs confertur, & quem nec ipsa Fides assequi per se se, & comparare potest. Discrimen hoc explicat Sanctus Thomas, & diffundit iterum in 3. dist. 35. quæst. 2. artic. 2. ubi in singulari de dono intellectûs agit: & observat, quòd cùm sensus, & imaginatio circa accidentia versentur, quæ quasi circumstant rerum essentias; intellectus ad ipsas rerum naturas pertingit. Unde secundùm Philosophum in 3. de Anima objectum intellectûs est ipsa quidditas rei, seu ipsa essentia. Verùm in apprehensione essentiæ adhuc discrimen est. Aliquando enim apprehenditur ipsa essentia per se ipsam, absque eo quòd intellectus eorum adminiculo egeat, quibus veluti circumvolvuntur essentiæ: & hic modus apprehendendi pertinet ad substantias separatas: unde & Intelligentiæ dicuntur. At verò pluribus adminiculis homines indigent, unde ad intima rerum non perveniunt, nisi per circumposita, & veluti *Per quædam ostia*, dum ex effectibus, & proprietatibus ad rerum essentias perveniunt. Unde & in eo procedendi modo necesse est intercedere quendam discursum, qui tamen ad intellectum, id est simplicem rei intuitum terminatur; quatenus ea inquisitio rationis ad essentiam perducit, quæ ab intellectu, sola, & simplici apprehensione cognoscitur.

Hæc cùm observasset D. Thomas quæ fermè iisdem verbis retulimus, addit ut explicet modum procedendi Fidei: *Sicut autem mens humana in essentiam rei non ingreditur nisi per accidentia, ita etiam in spiritualia non ingreditur nisi per corporalia, & sensibilium similitudines, ut Dionysius dicit. Unde Fides quæ spiritualia in speculo, & ænigmate quasi involuta tenere facit, humano modo mentem perficit, & ideò virtus est.* Non alio igitur modo quàm solito, & humano, ex virtute Fidei intellectus perficitur: involvit Fides Divina Mysteria, eaque clausa occultaque mentibus exhibet: neque alio modo ad ea percipienda intellectus nititur, quàm rationis discursu, ac longa meditatione: eodem planè modo quo intellectus ex effectibus, & proprietatibus ad rerum essentiam pertingit. Ita enim necesse est, quòd in contemplatione, aut exercitio vitæ contemplativæ, quæ sola Fide dirigitur, & quæ studio humano cum auxiliis solitis comparari potest; intellectus se se meditatione, & consideratione paululùm erigat.

Atque id ex D. Dionysio expressè inquit Divus Thomas 2. 2. qu. 180. art. 3. ubi inquirit, utrùm ad vitam contemplativam pertineãt diversi actus. Respondet enim, *Quòd de vita contemplativa nunc loquimur secundùm quòd ad hominem pertinet. Hæc autem differentia est inter hominem, & Angelum, ut patet per Dionysium 7. cap. de Divinis Nominibus, quòd Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur, homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. Sic ergo contemplativa unum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, à quo habet unitatem: habet autem multos actus, quibus pervenit ad hùc actum finalem; quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis; alii autem pertinent ad deductionem principiorum, in veritatem ejus, cujus cognitio inquiritur. Ultimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis.* Hæc ibi, quæ ex superioribus satis intelliguntur. Explicat enim S. Thomas, duplicem illum animæ progressum, quorum alterum ascensum, alterum descensum nuncupari posse diximus.

Liquet igitur virtutes omnes, tum intellectuales, tum theologicas, ipsamque Fidem humano dumtaxat modo intellectum perficere, neque alio modo hominem etiam Fide illustratum, ad communem illam contemplationem pervenire, quàm per varios actus, quibus paulatim velum removet, & explicat, quo Fides mysteria sua involvit; & sensìm, ac per gradus, variosque actus, pervenit tandem ad illum simplicissimum, fixumque intuitum veritatis, in quo propriè posita est contemplatio. Unde & D. Dionysius tres motus distinguit, rectum scilicet, obliquum, & circularem, quos explicat Divus Thomas tum 2. 2. q. 180.

qu. 180. art. 7. tùm quæſt. 8. de Verit. art. 15. & qui reipsà non aliud ſunt, quàm plures ejuſmodi actus, quibus ad ſimplicem illum intuitum intellectus pervenit: qui intuitus dicitur circularis motus, quo quiſquis ad contemplationem evehitur, intelligentiis veluti jungitur, fitque Angelicæ Curiæ particeps; cùm veritatem intelligat ſolùm ſimplici, & fixo intuitu inſtar Intelligentiarum, quæ *Manent in identitate circa identitatis cauſam pulchrum, & bonũ, circùm chorum agẽtes*, inquit D. Dionyſius *cap. 4. de Divinis Nominibus*.

At verò ea contemplatio quæ oritur ex donis Spiritus Sancti intellectus, & ſapientiæ, longè altior promptiorque eſt. Non enim ſenſim, & per gradus, ſed momento rapit, evehitque Spiritus Sanctus, ad ſimplicem illum intuitum veritatis animam, quam ex dono intellectus movet. Atque id explicat D. Thomas locis jam ſuprà citatis. Et quidem in 3. diſt. 35. quæſt. 1. artic. 1. cùm Fidei procedendi modum explicuiſſet ſtatim ſubdit: *Quòd autem ſpiritualia quaſi nuda veritate capiantur, ſupra humanum modum eſt; & hoc facit donum intellectus, quod de auditis per fidem mentem illuſtrat, ut dicit Divus Gregorius.* Paulò apertius deindè diſt. 35. quæſt. 2. art. 2. de dono intellectus, cùm dixiſſet, quod fides perficit modo humano, adjungit; *Sed ſi ſupernaturali lumine mens in tantùm elevetur, ut ad ipſa ſpiritualia aſpicienda introducatur; hoc ſupra humanum modum eſt: & hoc facit donum intellectus, quod de auditis mentem illuſtrat, ut ad modum primorum principiorum ſtatim audita probentur.*

Hic igitur ſingularis ille modus quo ex dono Spiritus Sancti animæ ſanctæ ad contemplationem evehuntur. Non enim lento veluti pede, & ſenſim aſcendunt; ſed momento rapiuntur: etiam interdùm cùm nihil ejuſmodi cogitant. Spiritus enim ubi vult, & quando vult, ſpirat. Atque earum interdùm conatum nedum non exſpectat, ſed etiam earum vota prævenit: & cùm neceſſe ſit, ut imperfectæ animæ, & quæ in eo vitæ contemplativæ exercitio incipiunt, multo labore conentur, variiſque diſcurſibus etiam ex principiis Fidei, hinc inde ſibi aditum quærant, ut tandem ad eum ſimplicem intuitum, & uniformem actum perveniant; aliæ quæ perfectiores ſunt, momento à Spiritu Sancto evehuntur: & quod etiam experimento comprobari poteſt, cùm vix curvæ hominum animæ, & cæleſtium inanes, & cœno voluptatum immerſæ, ea quæ ad Chriſtianam moralem v. g. mortificationem, & pœnitentiam, aliaque virtutum opera pertinent, ſibi ſuadere poſſint; cùm myſteria fidei ſine ullo planè, aut gratitudinis, aut amoris, aut doloris ſenſu, ſibi propoſita audiant; aliæ econtrà ex donis Spiritus Sancti ſtatim *Ad modum primorũ principiorum ſtatim audita probant*, ad eaque ſum. moperè afficiuntur: ut de B. Brigita legitur, quæ de SS. Paſſione Chriſti cogitare, vel audire nunquàm poterat, quin in fletus prorumperet: ac de quadam Virgine, cujus nomen ignoratur, in Monaſterio Colmarienſi S. Joannis Baptiſtæ Ordinis FF. Prædic. in Alſatia, quæ cùm in Imaginem Crucifixi oculos conjiceret, ſentiebat ſe tanto dolore, & amore tranſverberari, ut deflectere oculos cogeretur. Unde cùm ſemel à ſuperiori juſſa eſſet in imaginẽ Crucifixi quam manibus ipſe tenebat, oculos intendere, ipſoſque defigere; tanto dolore, & amore ſe accendi, & tranſverberari ſenſit, ut ad hujus pedes extincta, felix amoris victima, momẽto, ac in eodem loco caderet, in quo, & ſepulta eſt: cujus lapidi ſepulchrali ad æternam rei memoriã hæc verba inſculpta ſunt: *Hanc dolor extinxit, & amor*. Neque alia ejuſmodi exempla deſunt.

Unde verò hic vivus adeò, & amoris, & doloris ſenſus, niſi ex ea ſingulariſſima Spiritus Sancti motione, cujus impetum cum ferre non poſſet, momento extincta eſt? Unde hic de quo potiſſimùm loquimur, veluti volatus animi, qui momento ad veritatem inſpiciendam evehitur; niſi ex eo Divini Spiritus impulſu, qui ſuprà communem hominum intelligendi modum, intellectum quorundam erigit, ut in nuda veritate quantùm ſtatus viæ patitur, amoto velo, mentis aciem defigant, iiſque contemplandis ſumma voluptate inhæreant? Unde & Sanctus Thomas ſupra laudatus in 2. diſtinct. 23. quæſt. 2. artic. 1. inquit: *Quòd ad modum qui naturalis eſt ipſi Angelo, & ſupra naturam hominis, elevatur homo per gratiã etiam poſt ſtatum culpæ, ſicut etiam in viris contẽplativis patet*. Connaturale enim eſt Angelo, quòd immediatè ſine diſcurſu, ad intima rerum, ipſamque eſſentiam pertingat. Atque eadem felicitas eſt animæ ex dono Spiritus Sancti. Unde in 3. diſt. 35. quæſt. 1. art. 2. inquit: *Quòd homo in quantùm contemplativus, eſt aliquid ſupra hominem; quia in intellectus ſimplici viſione cõtinuatur homo ſuperioribus ſubſtantiis, quæ vel intelligentiæ, vel Angeli dicuntur.*

ARTICULUS V.

Proſecutio ejuſdem argumenti, de contemplatione, ex dono ſapientiæ.

EX his verò quæ de dono intellectus hactenus diximus, faeilè conjici poteſt, quid de dono ſapientiæ ſtatuendum ſit: quo pacto intellectum perficiat, quantùm ſapientiam acquiſitam ſuperet, habeatque nobiliorem judicandi, & ordinandi modum, quàm ex ſola directione fidei habere poſſet.

Igitur ſupponendum eſt in primis diſcrimen quod intercedit virtutes inter intellectuales, & donum ſapientiæ: Atque diſcrimen hoc explicat D. Thomas in 3. diſt. 35. art. 2. ubi obſervat, *Quòd in contemplatione humana duplex eſt via*, ut jàm ſupra diximus, *una ſecundùm quam proceditur ad cognitionem æternorum, quæ pertinet ad inventionẽ*. Et de hac jam diximus, quòd humano modo tum intellectuales virtutes, tùm etiam Fides intellectum perficiant, dum inquirit reperitque veritatem,

tem. At verò ex dono Intellectûs, infuſoque lumine Spiritus Sancti longè nobiliori modo perficitur, ita ut ſine diſcurſu, ac momento, clariſſima quantùm ſtatus viæ patitur, aut quantùm ipſa bonitas Divina largitur, myſteria Fidei cognitione percipiat. *Alia via eſt*, inquit S. Thomas, *ſecundùm quā ex principiis primis alia ordinantur, quæ pertinent ad Judicium*: Atque hìc donum Sapientiæ locum habet. Quo pacto autem ex hoc dono nobiliorem modum judicandi intellectus habeat, quàm ex intellectualibus virtutibus, ipſaque ſapientia acquiſita, aut etiam Fide; ita Divus Thomas explicat. *In alia via contemplationis modus humanus eſt, ut ex ſimplici inſpectione primorum principiorum, & altiſſimarum cauſarum, homo de inferioribus judicet, & ordinet; & hoc fit per ſapientiam, quam ponit Philoſophus intellectualium virtutum in 6. Ethicor. quia ſapientis eſt ordinare, ut in principio Metaphyſ. dicitur. Sed quòd homo illis cauſis altiſſimis uniatur transformatus in earū ſimilitudinem, per modum quo quis adhæret Deo, unus ſpiritus eſt, 1. ad Cor. 6. ut ſic quaſi ex intimo ſui de aliis judicet, & ordinet, non ſolùm cognoſcibilia, ſed etiam actiones humanas, & paſſiones; hoc ſupra humanum modum eſt, & hoc per Sapientiæ donum efficitur.*

Hoc igitur inter Sapientiam virtutem intellectualem, & Sapientiam donum Spiritus Sancti intereſt: quòd prima extra humanum modum non extrahit, ſed inquiſitione aut diſcurſu rationis ex primis principiis de rebus judicat: Sapientiæ verò donum non labore, non diſcurſu rationis, ſed unione, & transformatione voluntatis ad Divina, quibus afficitur, ea ſapit, ea percipit, de iis judicat, atque ex eo affectu, & guſtu ſupra communem humanum modum, immò ſupra ipſum Intelligentiarum lumen, ſi in ſolo naturæ ſtatu relictæ fuiſſent, & Divina percipit, & de iis judicat. Unde addit ibidem in 3. diſt. 34. quæſt. 2. art. 1. S. Thomas, quòd *Sapientiæ donum eminentiam cognitionis habet per quandam unionem ad Divina, quibus non unimur niſi per amorem, ut qui adhæret Deo ſit unus ſpiritus cum eo 1. ad Corinth. 15. Unde & Dominus Joan. 15. Secreta Patris ſe revelaſſe Diſcipulis dicit, in quantùm amici erant; & ideò ſapientiæ donum, dilectionem quaſi principium ſupponit: & ſic in affectione eſt, ſed quantùm ad eſſentiam in cognitione eſt: unde & ipſius actus videtur eſſe, & hìc & in futuro amata contemplari, & per ea de aliis judicare.*

Ita ſanè *Eminentiam cognitionis* habet: adeò ut etiam ſanctæ animæ, alioquin rudes, & ignaræ, quæ ex eo dono Sapientiæ Divina percipiunt; plura dubio procul, & ſublimiora, ac ſublimiori modo cognoſcant, quàm nedùm acutiſſimi Philoſophi, ſed etiam præſtantiſſimi Theologi de Deo, rebuſque Divinis cognoſcant, quibus etiam admirationi ea ſunt, quæ ſcriptis aliquando commendarunt, & quæ ſolâ experientiâ, & unctione Spiritus Sancti edoctæ conſcripſerunt, ut in Diva Thereſia videre eſt. Vix enim arcana Theologiæ myſticæ, & ineffabiles Divini Spiritus in anima operationes, quas ſuis Scriptis complexa eſt, à doctiſſimis Theologis intelliguntur.

Sed hæc apertiùs adhuc, aut luculentiùs explicat D. Thomas 2. 2. qu. 45. ar. 2. ex quo vel apicem prætermittere piaculum foret, adeò omnia ſelecta ſunt. Ita igitur habet. *Reſpondeo dicendum: Quòd ſicut ſupra dictum eſt, Sapientia importat quandā rectitudinem Judicii ſecundùm rationes Divinas, rectitudo autem Judicii poteſt contingere dupliciter: uno modo ſecundùm perfectum uſum rationis: alio modo propter connaturalitatē quandam, ad ea de quibus jam eſt judicandum. Sicut de his quę ad caſtitatem pertinent, per rationis inquiſitionem rectè judicat ille, qui addiſcit ſcientiam moralem. Sed per quandam connaturalitatē ad ipſam, rectè judicat de eis ille qui habet habitū caſtitatis. Sic ergo circa res Divinas, ex rationis inquiſitione rectum judicium habere, pertinet ad ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis: Sed rectū judicium habere de eis ſecundùm quandam connaturalitatem ad ipſas, pertinet ad Sapientiam, ſecūdùm quòd donum eſt Spiritus Sancti, ſicut Divus Dionyſius dicit in 2. cap. de Divinis Nomin. quòd Jerotheus eſt perfectus in Divinis, non ſolùm diſcēs, ſed & patiens Divina. Huiuſmodi autē compaſſio, ſive connaturalitas ad res Divinas, fit per Charitatem, quæ quidem unit nos Deo, ſecundùm illud 1. ad Cor. 9. qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt. Sic ergo Sapientia quæ eſt donum, cauſam quidem habet in voluntate, ſcilicet charitatem: ſed eſſentiam habet in intellectu, cujus actus eſt rectè judicare ut ſupra habitum eſt.*

Hactenus D. Thomas, quibus nihil ad Sanctitatis guſtum ſapidiùs dici unquam potuit. Et ſanè unde ea quæ in ſanctis interdùm feminis Sapientia viſa eſt, & quam ſtupens Orbis demiratus eſt, oriri potuit? Quo Magiſtro docente, tot arcana didicerunt? Hæc ſanè non ex *inquiſitione rationis*, ſed ex *connaturalitate*, & unione ac transformatione cum rebus Divinis; non *ex ſcientiis* quas non didicerant, ſed *ex delitiis* quas toties prægustabant didicerunt. Ita enim dictum eſt, quia *Nox illuminatio mea in delitiis meis*. Pſal. 138. *In delitiis*, inquit Gilbertus Abbas Serm. 1. in Cantic. *non in ſcientiis*: nunquam enim meliùs Divina ediſcuntur, quàm experientia, ut felix Jerotheus Divina & experiebatur & patiebatur, eaque patiendo addiſcebat. Fides enim, ut diximus, involuta omnia & veluti velamine tecta occultat. Verùm ſi tenebræ noctis lumen non ferant; ferunt tamen delitias, iiſque etiam favent. Atque iis delitiis nox illuſtrari poteſt. Quid enim vetat, quin ſub ea caligine noctis, & Fidei, Divina operatio perſentiri poſſit? Et ſanè dum hæc vita caligine involvitur, nihilque non obvelatum menti exhibetur, faciliùs animæ Divinam operationem ferre, & veluti Divinum contactum, & illapſum experiri poſſunt, quàm intuitum mereri. Quæ omnia Gilbertus D. Bernardi Diſcipulus ita explicuit: *Quæ per noctem quærit, non videtur mihi tam aſpectus quàm amplexus ſectari.*

Tenere

Tenere magis optat quàm intueri. Bona quidem visio est, sed adhæsio arctior &c..... Tu suavia sequere; quære ut persentias illa, si scire non potes. Nox non præscribitur delitiis: nam & ipsis aliquoties illustratur. Nox inquit in delitiis meis. In deliciis ait, non in scientiis. Ita & tu noctem, si non potes scientiis pertenta illuminare delitiis: Quidquid hìc videmus per speculum, & in ænigmate, totum in nocte est: & in hac nocte potest Jesus meus magis dulci quodam affectu suaviter sentiri, quàm sciri ad purum. Ideò etsi nondum ad contuitum admittitur, contactum tamen sectatur: dilectum in lecto, & per noctem quærens.

Hæc ibi Gilbertus nedum suavissimi gustus, sed & ad amussim ad veras Theologiæ regulas. Fides enim quædam nox est, ac Divina involuta tenebris tam occultat, quàm detegat. Neque ad ea quodammodò humano studio ut de iis judicet pertingere intellectus potest, nisi scientiis excultus, & longo rationis discursu enitatur: At verò ex gustu, Divino contactu, experientiâ, connaturalitate, unione, transformatione ad Divina, & ex dono Sapientiæ, momento percipi illa possunt & ita percipi ut de rebus Divinis interdùm sanctæ animæ, & verè Theodidactæ, etiam doctissimorum Theologorum magistræ esse possint. Ut enim inquit D. Thomas in 3. dist. 25. qu. 2. art. 1. *Procedit Sapientiæ donum ad quandam Deiformem contemplationem, & quodammodo explicitã articulorum, quæ Fides sub quodam involuto tenet secundùm humanum modum. Et ideò Sapientia est donum, Fides verò virtus.* Hoc enim distat infusum Sapientiæ donum, quo illustrantur sanctæ animæ, à sapientia, studio & labore comparata; quin etiam & à Theologica Fide: quòd ea *Deiformis contemplatio explicitam* quodammodò articulorum cognitionem habeat, quos Fides modo quodam involuto tenet; neque studium ullum, certam adeò & claram explicationem menti imprimere potest, quæ par esse possit claritati, & explicationi, quam ipsa experientia & gustu, intimaque operatione Spiritus Sanctus ipsis imprimit.

Atque illud est quod toties S. Dionysius repetit, Divina solùm ex unione ad ipsa à nobis posse intelligi: præter ea enim quæ ab eo de Jerotheo dicta supra retulimus: cap. 7. de Divinis Nominibus apud D. Thomam lect. 1. ita inquit: *Oportet enim mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit, unitionem autem excedentem mentis naturam, per quam conjungitur ad ea quæ sunt super se ipsam. Secundùm hanc igitur oportet Divina intelligere, non secundùm nos, sed nos extra nos ipsos & totos Deificatos. Melius est enim esse Dei, & non nostri ipsorum: ita enim erunt Divina data cum Deo futuris.*

Quæ omnia ex superioribus satis intelligi possunt. Quin etiam & totius libri de Mystica Theologia, hoc unum argumentum esse videtur; relinquendas scilicet esse intellectuales operationes, atque ex illa cum Divinis rebus unione & transformatione ea esse intelligenda. Unde primo capite Timotheum allocutus D. Pauli Discipulum, ut est verosimilius, licèt non omninò certum, cui & librum inscripsit: *Tu verò*, inquit, *Timothee, in mysticis contemplationibus, intenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibiles, & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & quæ non sunt universa, ut ad virtutem ejus, qui supra essentiã & scientiam est, quantùm fas est indemonstrabiliter assurgas: siquidem per liberam, & absolutam, & puram tui ipsius à rebus omnibus avocationem, ad supernaturalem illius caliginis Divinæ radium detractis omnibus & à cunctis expeditus eveheris.* Hæc omnia non alium sensum habent, præter eum quem ex Divo Thoma diximus: ex unione, transformatione, gustu, & experientia, quæ ad voluntatem pertinet, meliùs Divina percipi, quàm inquisitione rationis: Atque eam esse supremam illam Divinorum Sapientiam, quam idem S. Dionysius ea ratione inquit, esse per ignorantiam traditam.

Ex his igitur satis compertum est discrimen, quod intercedit inter virtutes intellectuales, ipsamque Fidem ex una parte, & donum Sapientiæ ex altera. Perficit enim etiam ipsa Fides humano modo: donum verò Sapientiæ evehit supra humanum modum, cùm aliud etiam habeat principium, scilicet charitatem in voluntate positam. Atque ex hoc præsertim capite probanda est hæc efficacissima Spiritus Sancti motio. Quæ enim hactenùs diximus, quæque in intellectu versantur, facilè admitterent ii etiam qui Divinis hujusmodi motionibus adversantur: quòd ea ex parte nullum immineat libertati, etiam qualem ipsi statuunt, omni ex parte æquè vertibilem, periculum: hanc enim ut sartam, tectamque servent cætera omnia, etiam Sanctitatis privilegia longè alio quàm explicet Sanctus Thomas, sensu explicare maluerunt: quam tamen, ut diximus sæpiùs, libertatis notionem statuere maluimus, quæ cum his Sanctitatis privilegiis, aliisque Fidei, aut veteris Theologiæ principiis, qualia saltem à Sanctis Augustino, & Thoma constituta fuisse arbitramur, faciliùs consentirent.

Probatur igitur ex dictis divina & efficax vi sua prævia motio: & ita ratio proponi potest. Non potest non esse prævia effectrix & efficacissima Divina gratiæ motio, si voluntas momento supra humanum modum, & sine prævia meditatione Divino statim amore accendatur: si Divina operatio, motioque Divina cælestium gustum ac experientiam imprimat; si magis voluntas patiatur, quàm agat, quamvis tamen & ipsa dum agitur agat; si ex ipso Divinorum gustu, & experientia summa illa cognitio; non vice versa, ex cognitione, ipsa experientia, ac fruitio voluntatis oriatur: si demùm magis voluntas amet, quàm intellectus cognoscat, & ex Divina operatione ad majorem amorem excitetur, quàm sit ipsa mentis illuminatio, & cognitio: Atqui ita est, cùm ex dono Sapientiæ anima à Spiritu Sancto ad eam altissimam contemplationem evehitur;

inji-

injicitur ossibus, aut ut ita dixerim, medullis animę Divinus ignis; imprimitur animæ gustus quidam & sapor, & Divinorum experientia: Divino contactu & illapsu efficit Divina bonitas, ut eam voluntas præsentissimam sentiat, & quæ sit hujus dulcedinis magnitudo experiatur, atque ex ea experientia eoque gustu, concipit Intellectus, quæ sit illa cognitio: Ergo impossibile est non intelligi Divinam motionem, & operationem, & prævenientem, & effectricem esse illius Divini amoris, qui ex dono Sapientiæ oritur.

Major videtur aperta. Quo pacto enim intelligi poterit, non alia motione quàm morali, solùm cogitatione congrua, & illuminatione attemperata, voluntatem Divino amore accendi: si ea cognitio, de qua hic loquimur, quæ ad donum Sapientiæ pertinet, ex ipso Divino amore, ex gustu atque experientia oriatur? Si major sit & ardentior amor quam cognitio? quo pacto enim effectus causam superaret? qua ratione dubitari poterit de ea effectrice Divina operatione; si voluntatis amor ex Divino contactu & illapsu magis quàm ex cognitione ortum sumat? De *Majori* igitur nulla videtur esse difficultas, & ea etiam apertior fiet ex his quæ in probatione *Minoris* dicenda sunt.

Probatur verò per partes hæc *Minor*: ac in primis dicendum hic foret cum S. Augustino: *Da amantem & sentit quid dico: da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ gratiæ suspirantē: da talem & scit quid dicam; si autem frigido loquor, nescit quid loquor.* S. Aug. in Joan. Tract. 26. Divini Spiritus operationem faciliùs sanctitas comprehendit; quæ etiam & sentit, ut loquitur S. Bernardus, neque unquam existimo dubitasse ullum ex his viris Sanctis, qui ista patiuntur, quin ea Divini Spiritus operatio, quàm persentiunt, & se persentire satis intelligunt; prævia & effectrix sit. Quin etiam existimo, neminem fuisse unquàm, aut futurum, ab omni præjudicio vacuum, & alienum, qui ea legerit, quæ à SS. Patribus, aliisque viris egregiis, à quibus de Theologia mystica, atque his Divinis operationibus plurima scripta sunt, Sancto Bernardo, Hugone & Richardo à S. Victore, D. Bonaventura, & Sancta Theresia, quæ inter hos Sanctos locum non ultimum & Sanctitate & Sapientia meretur; nemo inquam, ut puto, ista legit, aut aliquando leget, cui omninò persuasum non sit, nulla ratione explicari posse, quæ de Divinis operationibus in piis animabus referunt, nisi ex S. Thomæ de Divina motione prævia, & effectrice sententia admittatur. Verùm cùm forsitan existimari posset, non omnia quæ à SS. Patribus, & D. Theresia, aliisq; ad amussim veræ Theologiæ exigi posse; ut nostri etiam instituti est, & toto opere argumentum susceptum exigit, dicenda omnia ex D. Thoma desumemus, aut confirmabimus: de quo dubitari non potest, summo semper rigore locutum fuisse, & qui *Ex delitiis* ea persensit, toties ipse in extasim raptus, ac *Ex scientiis* ea ipsa quæ persentiebat explicare potuit.

Primum igitur Probatur *Minor* in ea suprema contemplatione, quæ ex dono Sapientiæ oritur, voluntatem agi potiùs, & pati, quàm agere, quamvis etiam, ut sæpiùs dictum est, tum maximè agat cum agitur. Et præter ea quæ de donis in commuui dicta sunt, ita expressè docet S. Thomas 2. 2. q. 45. ar. 2. quem suprà retulimus, ubi inquit: quòd rectum judicium habere *De rebus Diviuis secundùm quandam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad Sapientiam, secundùm quod est donum Spiritus Sancti, sicut Dionysius dicit in 1. cap. de Divinis Nominib. quòd Jerotheus est perfectus in Divinis, non solùm discens, sed & patiens Divina. Hujusmodi autem compassio, sive connaturalitas ad res Divinas fit per Charitatem, quę nos unit Deo secundùm illud 1. ad Cor. 6. Qui adhæret Deo, unus Spiritus est.* Neq; explicari rectè potest S. Thomas de charitate habituali. Cùm hæc maximè in ipsa contemplatione accidant, quæ ex dono Sapientia & Divina inspiratione oritur. Unde & à S. Dionysio antea dictum fuerat, quod Jerotheus præter studium Scripturarum, quod quandā *Perscrutationem* & *Lectationem* vocat, ut adhibitam diligentiam significet; *Ex quadam doctus est Diviniore inspiratione, non solùm discens, sed & patiens Divina, & ex compassione ad illa*: aut ut alii vertunt, *Diviniore quodam instinctu & afflatu hausit, nō solùm disciplina adeptus Divinarum rerum scientiam, verùm etiam iis animo affectus & permotus.* Ergo in Divina contemplatione orta ex dono Spiritus Sancti magis agitur patiturque hominis voluntas, quàm agat.

Atque id confirmari egregiè potest, ex ipso S. Augustino, qui se hac interdùm suavitate Divina perfundi sentiebat. Etenim Deum alloquens lib. 10. Confes. cap. 50. quam refert S. Thomas 2. 2. qu. 180. art. 8. ita de se fateri cogebatur. *Intromittis me*, inquit, *in affectum multùm inusitatum, introrsùs, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiantur in me nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hęc, ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo*, &c. Nimirùm tanta est ea dulcedo, ac suavitas, ut eam ferre viri Sancti vix possint, & temperari à Deo postulare cogantur; & Deus etiam citiùs temperare soleat: non enim vires naturæ pares esse possent. Unde egregiè inquit Sanctus Thomas, quòd *Nulla actio potest diu durare in sui summo: summum autem contemplationis est ut attingat ad uniformitatem Divinæ contemplationis, ut dicit D. Dionysius*: (potissimùm cùm oritur ex dono intellectus.) *Unde quantùm ad hoc contemplatio diu durare non potest.* Quod de illo etiam Divini amoris exercitio, aut veriùs incendio, quod animæ sanctæ patiuntur, potiori ratione dicendum est. Exhauriuntur enim animi vires, ex ea Divinæ operationis, Divinique amoris vehementia, ut vix eam ferre possint: nec omninò possent, nisi Deus aut delitiarum abundantiam & vim temperaret, aut animæ vires augeret. Qua de re non erit, ut puto, Lectori injucundum, si in explica-

tio-

tione rei dulciſſimæ, paulò diutiùs immoremur, cùm etiam inde facilè conjici poſſit, an credibile ſit, adeò ardentem & accenſum voluntatis amorem, ex ſola cognitione, & motione morali oriri, ac vehementem aliquam Dei operationem non eſſe hujus amoris effectricem. Eam verò Divinam operationem ita explicat D. Thomas Opuſc. 63. de Beatitudine cap. 2. ut nihil majus unquam dici poſſe videatur. *Specialiùs*, inquit, *inflammatur anima cum fervore totius Trinitatis, quaſi omniū oblita continuè ſenſit in ſe fundi, & liquefieri* ut ita liquefacta ſe ſe in Deum transfundat. *Teſte enim Ezechiele, vultus animalium, id eſt, omnium Sanctorum, ſunt ut carbonum ignis ardentis*. Et quidem ut varia eſt ea Divini Spiritus impreſſio; interdùm quidem veluti exhauſtis viribus anima languet amans, quamvis, ut egregiè alio loco inquit S. Thomas, non languet amor; & tenerè conqueri cogitur, *Quia amore tuo langueo*. Sed cùm ea impreſſio validior ſit, tunc veluti impotens ſui exclamat, *Quia amore tuo inceſſanter ardeo*. Et ſanè, proſequitur idem S. Thomas: *Valde mirabile eſt, quòd cùm, teſte Moyſe, Deus noſter ignis conſumens ſit, & natura ignis ſit conſumere omnia, juxta ſe poſita; valdè mirabile eſt, quòd anima ex tanto amore non conſumitur*: & conſumeretur ſanè ac extingueretur, niſi Deus ipſe hoc tantum incendium extingueret, aut temperaret. Atque id fatebantur animæ ſanctæ, D. Philippus Nerius, D. Thereſia, D. Catharina Senenſis, Diva Catharina Genuenſis; & aliæ plurimæ; quæ adeò vehementem Spiritus Sancti operationem in ſe ſentiebant, ut interdùm miraculi inſtar eſſe exiſtimarent, quòd non extinguerentur: adeò huic Divinæ operationi ſuſtinendæ impares erant vires. Tunc animus veluti ſui impotens, nullius temperamenti capax totis viribus in eas delitias ſeſe immergit. O quam felix anima inquit iterum ibidem Sanctus Thomas, *Quæ ſe abſque interpolatione, ex omni virtute Sanctæ Trinitatis, ad omne, & propter omne, quod ipſa vult, ſe ſentit amari, & Deum tanto amore circa ſe occupari, quaſi omnium creaturarum ſit oblitus: cujus animæ beatitudo augetur, cùm è converſo amore Suuctiſſimæ Trinitatis cū omnibus viribus ſuis ſe penitùs immergit*.

Inde verò tantus ardor, ſed tanta etiam ſuavitas, tantumque gaudium naſcitur, ut dicendum ſit, participationem eſſe Divini gaudii, vel potius ipſum Divinum gaudium in animam eſſe diffuſum. Ita enim egregiè inquit Sanctus Thomas, olim promiſſum à Chriſto fuiſſe Apoſtolis, *Ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudiū veſtrum impleatur*. Joan. 15. Quo enim gaudio impleri, ac perfici ſatis poſſet infinita cordis humani capacitas, & amplitudo, niſi Divino gaudio; & quale illud gaudium, quod Chriſtus ſuum gaudium dicere potuit, *Ut gaudium meum in vobis ſit*? Verbi æterni gaudium Divinum eſt, & Deus ipſe eſt. *Et quod eſt gaudium* proſequitur S. Thomas, *Patris & Filii, niſi & amare & amari, & taliter amari*? ſcilicet ita *Amare*, ut qui amat, Deus ſit: *Et ita amari*, ut qui amatur Deus ſit; *Et taliter amari* ut amor quo amatur, Deus ſit: hoc unicum & verum gaudium eſt quod Chriſtus ſuum eſſe dixit. An verò ita fieri poſſit ut hoc gaudium in nobis ſit, Quin etiam ita neceſſe eſt. *Et quomodo anima famelica ſatiabitur*, addit S. Thomas, *niſi huic gaudio uniatur, & ipſa in hoc gaudio, & gaudium hoc in ipſa ſit, & ejus gaudium ſic impleatur: cùm amanti ita unita fuerit & amato, quòd ſe in tam felici unione, & ſe amare, & ſe amari ſentiat*, & taliter amari. Ita ſcilicet ſe *Sentit amare*, ut etiam quem amat Deus ſit: & ſe *Sentit ita amari*, ut is à quo amatur Deus ſit: & *Se taliter ſentit amari*, ut amor, à quo ad amandum impellitur, Deus ſit: & amor quem Deo & amato & amanti offert, infuſus cordi, Deus ſit. Etenim ut iterùm inquit Divus Thomas ſummè infelix anima eſſet; niſi rependere Deo in amore vices poſſet: at verò ut renderet, neceſſe fuit, quòd ipſe Divinus amor, quo Deus amat, amor ſcilicet infinitus, immenſus, æternus ſeſe animæ infunderet. Et hoc, inquit, ſublime myſterium eſt, quòd Chriſtus nos docuit; Quia enim ut inquit, *Quidquid facit creatura ſub nomine creaturæ, imperfectum eſt: ideò Dominus Jeſus impetravit fidelibus* Divinum *Amorem* quo Deus amat, & etiam Deus in ſeipſo amatur. *Notum feci eis nomen tuum ſcilicet per Fidem, & notum faciam per ſpeciem, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit*. Quæ verò dilectio eſt qua Pater Filium diligit. niſi æterna, immenſa, ipſe ſcilicet *Spiritus Sanctus qui utriuſque nexus. Eadem dilectio, dicit gloſſa, qua Pater diligit Filium, eſt in omnibus juſtis*. Atque ita neceſſe fuit, ſubdit S. Thomas: *Alioquin anima quæ teſte D. Auguſtino, non quieſcit, niſi Deo, ad quem facta eſt; nunquam verè & perfectè quieſceret, niſi creatori ſuo in amore vicem rependeret*. Cùm autem, teſte S. Bernardo, ita ſe res habeat, quòd cùm *Deus amat animam, etiam æternitas amat, immenſitas amat, cujus magnitudinis non eſt finis, cujus Sapientiæ non eſt numerus: ideò neceſſe eſt, animam Deum immenſè & æternè redamare*: aut æternum, infinitum, & immenſum amorem etiam Deo offerre, ut vices in amore rependat, & *Ut poſſit in Deo perfecte quieſcere: hoc verò non fit niſi per Spiritum Sanctū de quo dicitur ad Rom. 3. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Ubi Gloſſa dicit: Charitas Dei & donum Dei eſt; & quia Deus dilexit nos ut à nobis diligeretur, Spiritum Sanctum dedit nobis*.

Hactenus S. Thomas, quibus nihil ſuavius, ut nihil etiam ſublimius dici poſſe exiſtimo, ad explicanda myſteria miſſionis Spiritus Sancti in animam, & hujus operationis, qua in anima Divinorum amorem, aut veriùs incendium interdùm excitat. Ejuſmodi alia ſunt, quæ toto illo Opuſculo D. Tho. proſequitur; quod ex myſteriis fidei ſolidiſſimis deſumptis obſervationibus adeò refertum eſt, ut mea quidem ſententia, vix ullum apud SS. Patres Opuſculum reperire ſit, ejuſdem magnitudinis, quod iis magis abundet.

Ex

Ex his colligi facilè potest, utrùm credibile sit, adeò vehemens amoris incendium accendi posse in animabus sanctis, quæ languent, quæ ardent, quæ tantùm Divino illo igne non consumuntur, & quas sæpiùs instar miraculi est, eas inter tot incendia vivere posse; Utrùm inquam credibile sit eam motionem & gratiam, quæ non potest non esse singularissima, esse dumtaxat indifferentem, quæ subdita sit humanæ voluntati, & non voluntatem sibi subjiciat. Non dicerent, ut puto, ejusmodi animæ sanctæ, quæ mediis in his ignibus ardent, & quæ vim adeò vehementis Divinæ operationis vix sustinere possunt. Ut enim, inquit Gilbertus Abbas, Serm. 46. *Languet animus, dum æstuantis voti nimietate conficitur, & animæ languor est motus ejus nimius, & vix sustinetur, aliquoties quidem nec sustineri potest, quando nimius exæstuans amor patientis animi vires exhaurit. Quæ est enim humanę mētis fortitudo ut sustineat, cum eam ille cælestis amor sponsi impatienter exagitat? Liquefactus in hac exercitatione se fugit animus, amoris violentiam ferre non valens; sic enim in consumpta materia, & jam deficiente, languidiora redduntur ignis incendia, & Deus noster ignis consumens est: sentit omninò vim sermonis hujus qui vehementiorj languet affectu, in meditatione Dei sui delectatus & exercitatus & deficiens. O potens & præpotens passio charitatis! si non temperatur non toleratur. Jure potens, quæ animum quē possederit sui ipsius efficit impotentem. Cùm semel fuerit accensa in mente, attingit à fine usque ad finem fortiter, facit ad quod venit, & prosperatur & crescit, nec deficit donec deficientem reddiderit animam.* Hactenus S. Bernardi spiritus hæres.

Confirmatur prætereà eadem Minor ex S. Theresia, scilicet in iis Divinis operationibus voluntatem magis pati quàm agere modo sæpiùs explicato. Et quidem ex Divinæ discipulæ & Theologiæ mysticæ Magistræ integra etiam capitula referenda forent, si omnia quæ pro eo argumento habet, referre animus esset. Satis erit hæc pauca colligere ex libro ipsius vitæ, ubi expendit duplicem illum modum, quorum primum ad sapientiam virtutem pertinere diximus, qua rationis discursu ad Divina percipienda anima enititur; alterum verò qui ex dono Sapientiæ oritur, & quo anima momento ad ea percipienda etiam cum summa delectatione, sine ullo labore & conatu, sine ullo discursu prævio, à Spiritu Sancto evehitur. In hoc ultimo explicando D. Theresia immoratur, & verissimè Theodidacta, ea scribebat, quæ persenserat, ac interdum actu persentiebat. Singularissima enim gtatia eam Deus in eo etiam statu reponebat, quem volebat ab ea describi, ut constat ex cap. 16.

Igitur ex quatuor variis orationis gradibus quos describit, capite 10. primum gradum explicare incipit, atque inter alia inquit: quod *voluntas quidem amat, sed memoria quasi amissa est,* (ac sine usu:) *Intellectus nihil discurrit, neque discursu operatur, sed remanet dumtaxat quasi attonitus, ex magnitudine rei, quam intelligit. Deus enim sic vult, quòd ex iis quæ ipsi repræsentantur nihil intelligat.* Tum enim est simplex ille intuitus rei, & quidem ingentis quam admirari equidem intellectus potest, & ad quam stupet; sed quam nec capit, nec satis intelligit. Atque id etiam advertit S. Thomas 2. 2. q. 180. art. 3. ubi inquit, *Quòd admiratio est species timoris, consequens apprehensionem alicujus rei excedentis nostrā facultatem. Unde admiratio est actus consequens contemplationē sublimis veritatis; dictum est enim quòd contemplatio in affectum terminatur.* Atque eo sensu explicat, quod à D. Bernardo dictum est lib. 5. de Consideratione: *Quòd prima & maxima contemplatio est admiratio majestatis.* Sed hæc fusiùs explicat alibi scilicet Opusc. 61. de gradibus amoris gradu 7. ubi præcipuos motus animæ, qui ex Divina operatione oriuntur expendit: & inquit, quòd anima interdùm *Erubescit, admiratur, stupet*: & alia plurima, quæ ibidem addit omninò selecta; & inter mysticæ Theologiæ arcana reponenda. Sed *hæc*, inquit, *per se patent expertis*. Rectè quidem: quia cum hæc supra humanum modum fiant, humano more, & hominum lingua explicari non possunt, sed sola experientia percipiuntur.

Prosequitur Theologiæ mysticæ Magistra, & altera Ecclesiæ Debora, quæ viris legem dedit, cap. 12. ubi statim advertit, quòd nemo existimare debet, posse suis viribus ad hunc orationis gradum se se evehere, & *Quod dico*, inquit, *quòd nemo se se evehere posse præsumat; nisi à Deo evehatur; spiritualis sermo est, intelliget me quisquis, aliquam habuerit hujus experientiam*, Et verò cùm ut supra ex S. Thoma dictum est, hic orandi modus *Supra humanum fiat*: necessum est, Divini Spiritus operatione animum ad hunc gradnm, non suis viribus aut suo conatu evehi. In eo autem gradu, inquit, D. Theresia, *Relinquit intellectus discursum, quia ipsum suspendit Deus*. Atque intereà semper accenditur magis magisque voluntas. Quo pacto verò id fiat *Quisquis*, inquit, *Ista legat si expertus fuerit, statim intelliget*.

Quod verò inquit Intellectum suspendi, non eo sensu intelligendum est, quòd intellectus nullam operationem habeat; sed quòd in nudo simplicique intuitu veritatis intellectus hæreat, ad eamque stupeat attonitus, neque ullo discursu utatur, in quo positus est veræ contemplationis actus. Et tunc etiam ita applicatur voluntas, ut nec etiam intellectui vires, tempusque discurrendi relinquat. Quia quò magis unius potentiæ operationes intenduntur; eò minùs, ut observat etiam D. Thomas, aliæ potentiæ applicari possunt; exhauriunt enim animæ vires. Sed plura habet eadem D. Theresia cap. 14. ubi de secundo, & altiori orationis gradu tractat. Cùmque res majoris sit momenti, ipsa ejus verba referre visum est. Ita igitur habet. *Esto es un recogerse las potencias dentro de si, para gozar de aquel contento con mas gusto, mas no si pierden, ni se duermen; sola la voluntad se occupa, de manera, que sin saber come se captiva, solo da consentimiento,*

para

para que la incarcele Dios, como quien bien ſabe ſer captivo de quien ama. Iſtud eſt, inquit, *animam colligere potentias intra ſe, ut his ſacris delitiis dulciùs perfruatur: neque tamen potentiæ aut amittunt ſuos actus, aut ſopitæ ſunt: ſed ſola voluntas agit, abſque eo quod percipi poſſit, qua ratione captiva ſit. Captiva tamen eſt: dumtaxat dat ſuum Deo conſenſum, ut eam captivet ſuus amor, & veluti carcere claudat, cùm ſatis ſciat ſe captivam illius eſſe quem amat.* Hæc omnia veriſſimè. Non enim amittuntur animæ potentiæ, nec omninò ſuis operationibus privantur; ſed ſupra modum humanum agunt: intellectus ſine ſolito ac communi diſcurſu, voluntas ex Divina operatione, non ex prævia ſolita deliberatione. Unde voluntas quidem dat ſuum conſenſum, ideſt phyſicè quidem agit, & ſe agere perſentit, & ſe agere vult, ſed non agit tum anima humano ſolitoque more; ſed ex Divina operatione quam libens, ultroque etiam, & liberè ſequitur: ſatis enim eſt ea cognitio ad libertatem, ſi vera libertatis notio admittatur, ut de libertate Angeli in primo inſtanti infra dicemus, qui mereri potuit, & tamen peccare non potuit.

Perſequitur deinde Sancta Thereſia. *O Jeſus y Señor mio, que nos vale aqui vueſtro amor, porque eſte tiene al nueſtro tan atado, que no dexa libertad para amar en aquel punto à otra coſa, ſino à vos. O Jeſus & Dominus meus, quantùm valet, noſque juvat tuus hic dulcis amor: cùm noſtrum amorem vincat, ſibique vinctum teneat, ut libertatem non linquat aliud amandi, præter te, pro eo dulci ſpatio.* Hæc iterùm veriſſimè: quamvis enim potentia ab actu diviſa aliud amari non repugnet, repugnat tamen potentia cum actu conjuncta.

Addit deinde Virgo Seraphica, *Las otras dos potentias ayudan à la volontad, para que vaya haziendoſe habil para gozar de tanto bien. Juvant duæ aliæ potentiæ voluntatem, ut ſe ſe habilem efficiat, tantoque bono frui poſſit*: quanquam interdùm, ut poſteà proſequitur, ipſæ potentiæ impedimento ſint: quòd ſolitæ ſint agere, ſuiſque motibus hinc indè vagentur, & diſtrahantur, ac voluntatem à ſuo objecto retrahant.

Hactenus ſapientiſſima illa diſciplinæ Dei Doctrix D. Thereſia. Quis verò in duplici orationis & contemplationis gradu Divinam hanc Spiritus Sancti operationem & prævenientem & efficaciſſimam non agnoſcat? Et quæ ſatis eſſe poſſet ulla moralis motio, dum potentiæ intellectivæ quodammodo ſuſpenduntur, dum memoria hujus rei præſentiſſimæ magnitudine veluti abſorpta, nullum alium uſum habet, nec alterius rei meminiſſe poteſt. Intellectus attonitus eſt, neque aliud quàm mirari, & ſtupere poteſt. Equidem ſemper cognitionem adeſſe dubium non eſt, ſed nullo diſcurſu intellectus utitur: ſolus intuitus eſt, ſolus ſtupor: tunc verò voluntas nihilo minùs libera eſt, immo magis libera, ſed ea libertate filiorum Dei, qui ſpecialiſſimè à Spiritu Sancto agunctur. Agitur enim tunc voluntas ad hujus Divinæ veritatis & bonitatis præſentiam, & Divina operatione in mille & mille varios amoris Divini actus fertur. Et quidem tunc verè captiva eſt, ſed eo modo quo Divus Paulus captivum ſe, ligatum, & conſtrictum à Spiritu Sancto dicebat, ut aliàs advertimus, & apertiùs Act. 20. 22. ubi etiam vulgata legit, fuiſſe *alligatum Spiritu*.

Mirabatur olim Julianus & S. Auguſtino objiciebat, quòd liberum arbitrium captivum diceret. *Duo iſta quæ jungis, liberum & non liberum, ideſt liberum & captivum, illi quidem rei de qua agimus convenire non poſſunt: tibi verò ſtultitiam ſingularem... adeſſe teſtantur*. Ita perfrictæ frontis hæreticus, ut refert Divus Auguſtinus lib. 1. operis poſtremi contra Julian. cap. 86. Sed reponit Sanctus Auguſtinus: *Stultitiam ſingularem nobis ineſſe convitiaris, quia Deus nobis virtus eſt, nec in noſtra virtute confidimus*. Quin immò liberior voluntas eſt quo Divinæ operationi ſubjectior. Utinam me ita ſui captivum Jeſus efficiat, ut alicubi Divus Bernardus inquit: & Spiritu alligatus non magis mei juris eſſem, quàm olim Divus Paulus, cùm extrà ſeipſum poſitus, *Divino amore captus prædituſque ejus vi, quæ hominem à ſuo ſtatu dimovet, Divino ore inquit, Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*: ut inquit Divus Dionyſius cap. 4. de Divinis Nomin. Vide hominem captivum & liberum. *Vivo ego*: liber eſt ſuique juris, & libertate vivit, & libertate agit, amat, meretur. Sed *Jam non ego* vivo, *Vivit vero in me Chriſtus*. Captivus eſt, non ſui juris, agitur non agit, & vita & libertas & meritum Chriſtus eſt, quia vivit in eo Chriſtus. Eadem Diva Thereſia & forſitan apertiùs: *Voluntas*, inquit, *captiva eſt*, & Divino amore vincta, quæque non aliam pro eo dulci ſpatio libertatem, quàm Deum amandi habeat: ſed tamen libera eſt, quia & ſe captivam fieri libens aſſentitur, & felicem captivitatem amat: quamvis tamen nondum omni ex parte felix ea captivitas ſit, ſiquidem dum conſentit, etiam poteſt ſuo bono non conſentire. Felix ex parte captivitas eſt quòd conſentiat, ſed non omnino felix quòd libera conſentiat, & nec dum amandi libertas in ſummam amandi neceſſitatem converſa ſit; infelicitas enim quædam eſt, libertatem circa Deum ultimumque finem exerceri poſſe, ut alias oſtendimus. Sed erit aliquando ſumma amandi neceſſitas, cum ſumma erga res cæteras libertate conjuncta, quando *erit charitas perfecta totaliter ligans cum Deo*: ut inquit Divus Thomas qu. 24. de Verit. à 8.

Fateor equidem hæc ægrè conjungi poſſe, cum ea libertatis notione, quam multi ſtatuunt, quæ in omnem partem pari libramento ferri poſſit. Sed ſeipſam eo pacto ſolutam non eſſe ſentiebat D. Thereſia; cùm voluntatem captivam eſſe experiebatur, & nihil aliud quàm amare poſſe. Sed hæc opportuniſſimè cum Divæ Thomæ ſententia conjunguntur. Efficaciſſima enim eſt ea motio: poteſt ſi velit voluntas hominis Divinæ motioni, & operationi, non conſentire: ſed efficit ea operatio ut velit. Atque in eo potiſſimùm eſt

Divinæ operationis artificium, vis arſque Divini amoris, aut Divinæ ſapientiæ mira *aſtutia*, ut Salomon loquitur. Poſſet enim voluntas aliud amare ſi vellet; ſed efficit Divina operatio ne velit. Et quid aliud cum eo Divino bono quod voluntas tunc poſſidet, & cum his cæleſtibus delitiis quibus perfruitur, commutari unquam poſſet? Igitur pro eo momento, ideſt dum reipſa conſentit, ac pro eo inſtanti quod ea operatione menſuratur, aut eam menſurat, non poteſt aliud amare voluntas. Quod idem planè eſt quod toties diximus, non poſſe aliud potentia cum actu conjuncta, ſed poſſe potentia diviſa; ſeu ſimultatem quidem ſervare potentiarum, non ſervare tamen potentiam ſimultatis.

Confirmari iſta poſſunt ex his quæ in eandem rem eadem S. Thereſia refert lib. de via perfectionis cap. 21. quamvis tamen ex parte diſſimilia ſint: quod mirum videri non debet, cùm variæ ſint Divini Spiritus operationes in anima. Ita verò habet. *Interdum*, inquit, *adeò potentiæ quietæ ſunt, ut nec, ſi ita dici debeat, movere ſe vellent. Quia vel unicus motus exercitium illud amoris Divini*, & dulce illud in otio negotium, *impedire poteſt. Et quamvis potentiæ uſum non amiſerint, intellectus liber ſit, liberaque memoria* (& Divina operatio circa ſolam voluntatem agat:) *Attamen ſola voluntas ibi captiva tenetur, & ſi quis labor ſit, aut aliquo angatur; illud unicum eſt, quòd libertatem recuperare debeat* [ſeu proprium operandi modum] *Nollet intellectus aliud intelligere, nollet memoria circa aliud verſari; cùm hoc unum neceſſarium eſſe videant: cæteraque omnia eam perturbent, corpus ipſum moveri nollent; timent enim ne pacem poſſeſſam amittant. Unde nec tantillùm movere ſe audent. Loqui etiam grave eſt, & ut dicant vel ſemel orationem Dominicam, vix unius horæ ſpatium ſatis eſt. Adeò vicini ſunt* Deus ſcilicet & anima ſingulariſſima illa præſentia, *Ut videantur nutibus ſolùm*, ſi loquendum ita ſit, *ſe ſe intelligere. Stant veluti in palatio prope ipſum Regem; jamque vident quòd incipiat ipſis ſuum Regnum dare. Hic aliquæ lacrymæ fluunt cum maxima dulcedine. Videtur ipſis ſe non ampliùs de hoc mundo eſſe, nec aliud niſi Deum videre, & audire vellent. Nihil grave eſt, aut eſſe ipſis videtur. Uno verbo toto illo tempore, quo hæc operatio, aut quies durat, in ea pace voluptate, quam intra ſe perſentiunt, adeò abſorptæ ſunt, ut nil ſibi aliud optandum eſſe cogitent, & cum Divo Petro libenter dicerent; bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula.*

Hactenus D. Thereſia, cui dubio procul credendum eſt, quòd ea ſcripſerit, quæ experta eſt, nec ſine Dei gratia ſingulari hæc ſcriberet, ut ipſamet vitæ ſuæ capite citato refert: clariſſimè enim videbat quòd neque ea quæ dicebat à ſe diceret, neque ſuo ingenio diſponeret, neque poſteà ſciret quomodo ea ſcripſiſſet. Deus enim voluit ſingulari gratia eam Magiſtram efficere, ut ejus cæleſtis Doctrinæ pabulo fideles paſceren. tur.

An verò dixerit quiſquam, hæc de ea libertate in omnem partem ſoluta poſſe intelligi: reclamabit S. Thereſia, quæ voluntatem captivam eſse perſentiebat, quamvis non ita ut amiſſa eſſet libertas quã neceſſe eſt ſupereſſe ad meritum; conſtat enim tunc multò perfectiùs ac citiùs compararari virtutes quàm alio omni exercitio. Unde non eſt dubium, quin & in eo ſtatu & maximum meritum ſit, & maxima libertas. Unde eo ſenſu captiva manet voluntas, quòd habeat proprium agendi modum quantùm habere ſolet in aliis operationibus, cùm ipſa nedum vitaliter agit, ſed etiam moraliter ſe movet, & magis ipſa agere videtur quàm agatur. E contra enim hic accidit cum magis agatur quam agat.

Confirmatur iterum ex tertio orationis gradu quem eadem D. Thereſia vitæ ſuæ cap. 16. explicat. Quo enim perfectior oratio eſt, neceſſe eſt majorem, & efficaciorem eſſe Divinam operationem ut ad altiorem hunc gradum ſupra humanum modum agendi anima evehatur. Ex eo autem capite quædam hinc inde decerpimus quæ opportuniora viſa ſunt, nam alioqui integrum referendum foret. Inquit igitur ſtatim initio, quòd in eo altiori orationis gradu Deus non tàm hujus cæleſtis horti cultricem animam adjuvat, *Quàm ipſe horti cultor eſt, à quo omnia fiunt*. Agitur enim, ut ſæpiùs diximus, magis anima quàm agat: & in his potiſſimùm Divinis operationibus maximè verum habet, quod inquit S. Auguſtinus ſerm. 47. de verbis Domini, *Ut ames Deum, habitet in te Deus, & amet ſe de te, ideſt ad amorem ſuum moveat te, accendat te, incitet te.* Tunc enim potiſſimùm oritur quòd cum anima Deum amat, Deus per illam ſe amat, quòd hic amor in Deum Authorem referendus ſit, cùm anima, ut diximus, magis agitur quàm agat, quamvis, & ipſa etiam agat, & liberè agat. Ut enim inquit ibidem Divus Auguſtinus, *Agis ſi agaris, & benè agis ſi à bono agaris*. Liberrimè enim huic Divinæ operationi ſe ſe voluntas ſubjicit, eamque in ſe ſe fieri liberrimè conſentit.

Sed quæ ſit hujus ſtatus conditio, ita Sancta Thereſia proſequitur. Eſt, inquit, hic ſtatus, dulcis *Quidam ſomnus potentiarum, quæ non omninò amittuntur*. Operantur enim, ſed ſupra humanum ſolitumque morem. *Neque intelligunt tamen quomodo operentur. Suavitas, guſtus, ac delitiæ ſine comparatione majores ſunt quã in aliis gradibus, quia aqua Divinæ gratiæ animam veluti uſque ad ſummũ os implere videtur; ut penè deficiat, & præ delitiis in agonia poſita penè mori ſe ſentiat, & mori etiam optet*. Et ſanè quibus meliùs explicẽ verbis, inquit, neſcio; neque enim cum ea quæ perſentit anima recolo, opportuna his explicandis verba reperio; ſed ſi ita loqui fas ſit, eſt inquit *Feliciſſimum & glorioſum delirium ſapientiſſima & cæleſtis quædam amentia ac ſtultitia, ſed quæ veram ſapientiam docet.* Ita enim ſupra ex D. Paulo, & S. Dionyſio diximus, in eos Divini amoris exceſſus animam interdùm rapi, ut amentia quædam eſſe videatur; & veriſſime amentia eſt,

ideſt

ideſt ut explicat Sanctus Thomas, ſupra mentem & rationem exceſſus, quo ſenſu S. Dionyſius Divinam cognitionem, quia mentem omnem, & rationem tranſcendit, etiam amentem vocat. Et de ſeipſa hæc contemplativorum Magiſtra D. Thereſia loquens, *Sæpiùs*, inquit, *veluti extra me ipſam, & quaſi inebriata amore ſum*. Tunc verò proſequitur, *Poſſunt dumtaxat circa Deum potentiæ occupari, nulla tamen audet movere ſe: & quamvis vellemus nos cum multo ſtudio diſtrahi, nec mihi etiam videtur, quòd tunc fieri poſſet.* Non quòd abſolutè non poſſet ſi vellet; & ſponte enim & liberè etiam in eo ſtatu anima perſeverat, ut diximus; ſed ea eſt vis Divinæ ſuavitatis, quam tunc voluntas perſentit, ut quamvis velle poſſet ea privari, nolit tamen. Certum enim eſt, quòd quandiu remanet perfectum intellectus judicium, toties integra libertas eſt, ut ſæpiùs inquit Divus Thomas, & infra diximus. Tunc verò *Plurima* proſequitur iterum S. Thereſia, *In Dei laudem verba dicuntur, ſed planè ſine ordine, niſi ipſe Deus ea diſponat & ordinet. Nam tunc ſuo diſcurſu intellectus nihil efficit, aut efficere valet*, Quin etiam tunc anima *Dize mil deſatinos Santos.* Italica verſio *Dice l'animo mille Santi ſpropoſiti*: Gallica verſio *Mille ſaintes folies*. Quæ ſanè verba, quibus ipſe verbis latinè reddam haud ſatis ſcio, niſi dixerim, tunc *In mille Sanctas ineptias*, ſeu verba planè abſona, incongrua & tantùm explicando amori quo fertur opportuna prorumpere. Et idem etiam Sanctus Bernardus obſervat, & ipſe aliquando Divino amore ebrius, Serm. 67. in Cantic. ad hæc verba, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ubi obſervat quòd ibi *Pendet oratio, immo non pendet, ſed deficit.* Ita enim animæ Sanctæ *Affectus locutus eſt, non intellectus, & ideò non ad intellectum*. Ex abundantia enim cordis loquitur. *Habent enim ſua voces affectus, per quas ſe etiam cum nolunt prolunt*: eructatio quædam, aut ut loquitur, ex Divinorum plenitudine quidam veluti *Ructus*, quem non *aut uſus creat, aut ratio excitat, aut delieratio ordinat, aut præmeditatio format. Ejuſmodi certum eſt non nutu prodire animi, ſed erumpere motu: ſic flagrans, ac vehemens amor, præſertim Divinus, cùm ſe intra ſe cohibere non valet; non attendit quo ordine, qua lege, quave ſerie ſeu paucitate verborum ebulliat . . . . . Inde eſt quòd ſponſa ſancto amore flagrans, idque incredibili modo ſanè pro captanda quantulacumque evaporatione ardoris, quem patitur, non conſiderat quid, qualiter eloquatur: ſed quidquid in buccam venerit, amore urgente non enuntiat, ſed eructat.* Plura deinde ibid. S. Bernardus. Eadē enim SS. Viis comperta ſunt Divini amoris arcana, eaque ſuis experimentis addiſcunt. Ut enim inquit D. Bernardus, *Res eſt in affectibus, nec ratione ad eam pertingitur, ſed conformitate*, experientia, & guſtu. Neque ab his ſejungendus Aquinas, qui eadem expertus, eadem fermè habet Opuſc. 61. de ſeptimo gradu Divini amoris, in quo *Amor facit audere vehementer*. Præceps enim inquit, *Eſt amor, ſic judicium præſtolatur, nec pudore frenatur, nec rationi ſubjicitur*: quæ anteà D. Bernardus dixerat.

Proſequitur deinde S. Thereſia *Et quod tormentum*, inquit, *eſſe poſſet, quod hæc experta anima cum ſumma etiam delectatione non perferret, & ſuus pro Deo amor dulce non efficeret?* Tunc *Clariſſimè cognoſcitur, quòd penè nihil agebant ex ſua parte martyres, dum tormenta patiebantur, quia aliundè eorum fortitudo oriebatur*: Scilicet ut aliàs explicuimus, ex Divini Spiritus motione, & impulſu, ac dono fortitudinis, quo impellebantur. *Sed quem laborem*, addit D. Thereſia, *Quem cruciatum non ſentiet anima, cum neceſſe erit utrationis diſcurſu, judicio, & ſapientia utatur; cùm de rebus ſæculi tractandum erit, & oportebit de his curam ac ſollicitudinem agere*. Nec verò exiſtimo inquit *Quidquam me ultrà verum dixiſſe. Quin etiam quæcumque à me dicta ſunt, plurimùm inferiora ſunt iis quæ in hac Divina operatione ſentiuntur*.

Ac deindè hæc addit quæ mihi maximè obſervanda videntur. Deum alloquitur, & ita inquit. *Placeat tibi ò Rex meus, quandoquidem dum hæc ſcribo, adhuc iſta amentia teneor; placeat tibi ut ita Divino amentes ſint hi, quibuſcum* (de rebus hujus Mundi) *agam, aut ita res diſpone ut cum nullo de his mihi unquàm loquendum ſit, aut eripe me de hac vita*, & his ærumnis. Hoc enim exemplo clariſſimè liquet, ſummam hanc Divini Spiritus operationem, etiam cum libertate conjunctam eſſe. Quis enim in primis in D. Thereſia hæc ſcribente, efficaciſſimam eam Divinam operationem non animadvertat; cùm adhuc ſe Divina illa, & ſupermundana amentia teneri fateatur? Sed quis etiam libertatem non agnoſcat, cùm ipſamet referat ſe dum ea cæleſti amentia teneretur iſta ſcribere? Neque enim dubio procul, niſi ſciens & volens, & quidem liberè volens, iſta ſcribebat: & ſanè ita reliquo capite ſcribit, ut ſatis ipſam adhuc extra ſeipſam poſitam fuiſſe colligi poſſit. Ut enim inquit Sanctus Bernardus de Divina Sponſa, nec tacere poteſt, nec fermè ſcit quid dicat: aut potiùs non tam loquitur, quàm ex ſua abundantia eructat. Nunc ad Deum convertitur, nunc ad ſuum confeſſarium, nunc eum ſuum Filium, nunc ſuum Patrem vocat: veriſſimè nec quid dicat, nec quo ordine, nec qua lege, nec qua ſerie ſcribat advertit. Amore fertur, amor loquitur, quidquid in mentem venit, erumpit, nihil ſatis enuntiat; amor ipſe ebullit: & fatetur etiam, ſe non eſſe ipſam quæ ſcribit. Veriſſimè quiſquis hoc capitulum leget, advertet animum vix ſui præ amore compotem, & facilè dicenti credat, ſe adhuc extra ſeipſam, & ſancta amentia teneri.

Addit demùm quòd neminem unquam videre vellet, niſi qui eadem amentia teneretur, & eadem infirmitate ægrotaret. Et vellet, hoc *Inter quinque* quos tamen non nominat, fœdus iniri, ut de his quæ experiebatur, ad majorem profectum ſimul colloqui poſſet; ſed in ſecreto, quia iſta amoris arcana non omnibus referari poſſunt.

Felices sanè, cum quibus hoc fœdus D. Theresia inire cupiebat, eadem aliquando expertis, & quibus hæc arcana tutò committi poterant. Hos inter fuisse Dominicum Bannem non dubito, quem sibi admodùm charum ipsa S. Theresia non semel significat, præsertim Epist. 16. ad ipsum scripta. Et mihi satis persuasum est, quòd etsi eam de prævia motione Divina sententiam in Sancto Thoma non reperisset Bannes, eam ex his quæ in D. Theresia agebantur, quæque ipsa interiùs persentiebat, ipsique confessario referebat, discere potuisse.

Plurima addit sequenti cap. 17. Ex quibus dumtaxat hæc refero; nimirùm: *Accidit aliquando, etiam & sæpiùs, quòd dum voluntas Deo unita est; cognoscitur, & intelligitur, quòd voluntas ligata est, & fruitur. Et dico quòd cognoscitur solam voluntatem esse in maxima quiete, & tamen intellectum, & memoriam ex altera parte liberè operari posse, & tractare de negotiis, & intendere operibus charitatis.* Atque eo pacto differt hæc oratio, aut operatio Divina ab aliis: quòd in aliis anima nec movere se nec tantisper vellet, dum eo felici otio Magdalenæ fruitur. Sed in hac oratione etiam hoc, inquit, Mariæ otium cum Marthæ negotio conjunctum esse potest, ut simul & vita activa, & contemplativa exerceantur. Dum enim de rebus temporalibus tractant, sentiunt quòd melior eorum pars, voluntas scilicet, ab his rebus aliena sit, ac intimè etiam Deo unita cum ipso versetur. *Atque istud*, inquit, *clarissimè sentitur, maximoque interno gaudio perfundit animam.*

Supereresset adhuc quartus orationis gradus quē eadem Diva Theresia explicat sequenti cap. 18. sed cùm hæc sublimior oratio cum raptu conjuncta sit, ut ipsamet ibidem observat, nihil est de eo gradu dicendum; cum in raptu nulla sit ex lege communi libertas in Sancti Thomæ sententia, ut statim explicabimus. Unde credibile est, non ægrè admissuros pro eo statu prævium, & effectricem motionem, qui eam ut libertatis peremptricem aversantur: ea enim potissima, aut verius unica ratio est, cur motionem negent, quòd eam cum libertate conciliari non posse existiment: & reipsa non posse cum ea quam ipsi effingunt, nos ipsi ultrò admittimus: sed eam quam tradunt libertatis notionem legitimam esse omnino pernegamus.

Ex his igitur quæ ex S. Teresia retulimus, apertè colligitur, ea omnia quæ in his omnibus contemplationis gradibus accidunt, sine Divinæ, & effectricis gratiæ motione explicari non posse: & rationes præcipuas, quæ inde erui possunt, ita paucis colligo. Non potest non esse prævia, & effectrix motio, ubi voluntas magis agitur quàm agat; & ita agitur, ut solus Deus omnia in voluntate operari videatur: Ubi agit aut potiùs agitur supra communem ipsius agendi modum, nec se ipsa voluntas ex solita seu ordinaria determinatione movet, sed consensum præbet Deo in ipsa operanti, satis superque felix, quòd ejus captiva sit: Ubi nullus est rationis discursus, quo voluntas moveri possit, immo sola sine hujusmodi discursu, voluntas à Deo applicatur, & applicata tenetur; & interim intellectus cæteræque potentiæ circa alia objecta versantur, aliisque rebus intendunt: Demùm non potest non intelligi prævia, & effectrix gratiæ motio, ubi Deus intùs, & intra ipsam voluntatem, & quidem singularissima motione operatur: Atqui ex his quæ S. Theresia nos docuit, compertum est, hæc omnia in his contemplationis gradibus reperiri: Ergo impossibile est Divinam motionem in his gradibus non intelligi.

De *Minori* non est dubium: quæ enim ex ipsa Sancta Theresia retulimus eam satis manifestant: *Major* autem non minùs comperta esse videtur. Quis enim dixerit, sola motione morali voluntatem nostram magis agi quam agat? Et quidem cùm dicitur, à Deo voluntatem agi; evidens est, id non posse non intelligi in ordine physico, in eo enim ordine voluntas agit, cùm sit vera causa efficiens: Ergo & necesse est, quòd ipsa voluntas Divina motione physica agatur & moveatur. Cùm enim hæc reciproca sint, necesse est hæc omnia in eodem ordine esse, & moveri & movere, & agi & agere. Et potissimùm necesse est ita intelligi, cùm facta ea comparatione dicitur, voluntatem magis agi quàm agere: alioquin enim absurda erit ea comparatio, inter res omnino diversi ordinis; diceretur enim voluntas agi solum in ordine morali, seu motione dumtaxat morali, & tamen ageret in ordine physico: neque possunt hæc ulla ratione explicari, nisi metaphorica, figurata, & impropria locutione, quam nemo nescit in rebus Theologicis procul esse amandandam. At in sententia Sancti Thomæ, hæc propriissimè, & cum omni rigore Theologico explicantur. Magis enim, ut toties dictum est à Divo Thoma, actio instrumenti tribuitur agenti principali, à quo movetur, quàm ipsi instrumento. Ita ùm pueri prima elementa addiscentis, Ludimgister manum tenet, ac ducit, propriissimè magis agitur pueri manus, quàm agat, quamvis etiam & ipse puer agat: Ideò enim, & agitur & regitur, ut ipse etiam agat. At verò potissimùm in his eximiis, & singularissimis Divinæ gratiæ, & sanctitatis collatis privilegiis necesse est magis agantur, quàm agant sanctæ animæ, cum in iis quantumvis virtute provectæ, & sanctitate ornatæ, non magis possint, quam possint ad efformandos elegantes characterestenel. luli pueri. Unde & necessaria ipsis est specialissima Spiritus Sancti directio, & motio; & quidem motio in eodem ordine quo agunt, idest physico.

Sed præterea: quo pacto sola motio moralis, quæ omnino extrà voluntatem est, ipsam voluntatem suprà communem ejus agendi modum evehere poterit? Evehitur enim voluntas suprà communem agendi modum, ut diximus in ordine physico: & tamen in eo ordine quidem eam motio moralis attingit. Sed iterùm quo pacto

cto intelligi poterit voluntatem moveri ſola motione morali, quæ non alia eſt, aut eſſe poteſt, quàm illuminatio intellectus quantumvis vehemens intelligatur; cùm, ut obſervat S. Thereſia, interdum ſola voluntas captiva maneat, & intellectus, & memoria circa alia externa negotia occupentur, neque alia intelligi poſſit cognitio niſi ſola advertentia rationis, quantùm ad libertatem, & meritum ſufficit? Nec verò hic recurri poteſt ad actus indeliberatos, quos Divinæ gratiæ motio efficiat, de quo dicemus infra. Hic enim amoris actus, quo hominis voluntas in Deum fertur, liberrimus, ut & maximi meriti eſt, tamen in eo actu liberrimo manet, ut inquit Diva Thereſia, captiva voluntas. Spontè enim ſeipſam ſubjicit voluntas, nec ſpontè ſolùm, ſed & liberrimè conſenſum dat: & tamen nulla eſt, aut eſſe poteſt, niſi tenuiſſima ea motio moralis, cùm intellectus ad alia advertat, & circa alia verſetur; neque ullo planè diſcurſu uti poſſit. Unde vix ulla tunc eſt motio moralis, cùm è contrà tunc eæ potentiæ intellectus, & memoria ex parte ligatæ ſint, quòd turbare, & impedire voluntatem poſſent iis objectis, quæ ipſi objiciunt, & circà quæ etiam pro ſua parte verſaretur voluntas, niſi Deus ſpecialiſſima illa phyſica motione voluntatem ſibi veluti affixam teneret, dum aliæ potentiæ aut vagantur, aut circa alia diſtrahuntur. Unde tunc ſola aliqua advertentia eſt, & diſcurſus veluti virtualis, cognitioque reflexa, quæ quidem ad libertatem, & meritum ſatis eſt, ut poſteà dicemus, ſed quam ad motionem moralem, ſatis eſſe vix poſſet intelligi.

Sed demùm quod unum ſatis ſuperque eſſe poſſet ad demonſtrandam etiam motionem effectricem, & prævium; certum eſt quòd tunc maximè in his operationibus Divinis, cùm Spiritus Sanctus *Alligat*, ut Divus Paulus loquitur, voluntatem, &, ut inquit D. Thereſia, *Voluntas captiva eſt*: Certum eſt inquam quod tunc ea Divina motio operatur intra ipſam voluntatem, eam immutat, eam applicat, eam impellit, eam accendit, & Deus ipſe feliciſſimo vinculo eam ſibi devincit. Atqui de Divina motione morali id explicari nulla ratione poteſt, cùm ea ſit omnino extra voluntatem, ut nemo negare poteſt. Neque enim una potentia intra aliam potentiam operatur: ſolius enim Dei eſt, qui ſolus potentiis animæ illabitur, ſuoque illapſu intra ipſas potentias operatur: Ergo neceſſaria eſt alia motio, intimior, & efficacior, quæ alia eſſe non poteſt præter prævium, & effectricem Dei motionem.

Quòd ſi quis contenderet, Deum equidem intra ipſam voluntatem operari motus indeliberatos, & deinde voluntatem his motibus indeliberatis, ſe ſe ad motus deliberatos, & liberos movere; ſtatim inferri poterit: Ergo ſi poteſt ſeipſam voluntas movere ad actus liberos, poterit, & multò ampliùs Deus eam movere. Atque ea ratione utitur Sanctus Thomas quæſt. 22. de verit. art. 8. *Si Deus auferat à lapide inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis, tunc ferri ſursùm non erit ei violentum: & ita immutatio motus poteſt eſſe ſine violentia: & per hunc modum intelligendum eſt, quòd Deus voluntatem immutat ſine eo quòd eam cogat. Poteſt autem Deus voluntatem immutare ex hoc quòd ipſe in voluntate operatur, ſicut in natura. Unde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis actio voluntatis in quantùm eſt actio, non ſolùm eſt à voluntate, ut immediato agente, ſed à Deo ut primo agente, qui vehementiùs imprimit: Unde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, ita & multò ampliùs Deus.*

Aurea planè verba, & invictum argumentum: voluntas poteſt ſeipſam movere ad actus nedùm indeliberatos, ſed etiam liberos, & libertate illæſa: Ergo & ipſam voluntatem Deus movere poterit ad actus ipſius liberos, & illæſa ejus libertate. Et mirum eſſet, voluntatem creatam aliquid poſſe, quod ſanè ad perfectionem pertinet, facultate ſibi à Deo conceſſa, ipſum autem Deum non poſſe, qui eam facultatem contulit. Negari igitur nulla ratione poteſt, quin Deus voluntatem, non ſolùm ad actus indeliberatos, ſed etiam liberos efficaciſſima motione prævia, & effectrice moveat, ſalva tamen, & illæſa ipſius libertate: Atque ipſa ita reipſa movere, quæ ex S. Thereſia retulimus ſatis ut mihi videtur manifeſtant: cui ſanè, ut & D. Thomæ, quem ipſa Magiſtrum agnoſcebat, in his quæ ad Sanctitatem pertinent, magis fidem habeo, & habendam eſſe ſentio: cùm, natura ipſa monſtrante compertum ſit, cuilibet in ſua arte experto, credendum eſſe. Hinc Divus Auguſtinus optabat Tract. 26. in Joan. *Da amantem, & ſentit quod dico... ſi autem frigido loquor, neſcit quid loquor.* Docet enim hæc unctio non lectio: ut magis ſtatim dicendum eſt.

Probatum prætereà eadem *Minor*, de qua potiſſima, ac unica eſt difficultas: ſcilicet ſine Divina motione quæ in gradibus contemplationis accidunt intelligi, & explicari non poſſe. Non poteſt ſatis eſſe motio moralis, eaque intellectus cognitio, ad eum ardentiſſimum amorem accendendum, ſi in his contemplationis gradibus, major ſit amor, quàm ſit ipſa cognitio: Atqui ita reipsà eſt in his contemplationis gradibus, quos diſtinximus, major eſt amor, quàm ſit ipſa cognitio: Ergo non ſatis eſt ea motio moralis, ſed neceſſe eſt oriri illud amoris Divini incendium, ex altera majori cauſa, quæ alia eſſe non poteſt præter Divinam operationem, motionemque Divinam efficaciſſimam, & effectricem.

Major quidem videtur aperta: quia non alia Divini illius amoris cauſa ſit quàm moralis motio; neceſſe eſt, & eum amorem, & eam cognitionem inter ſe ſaltem commenſurari; neque minor poterit eſſe cognitio, id eſt motio moralis, quàm ſit ipſe amor.

Minor autem probatur expreſſa D. Thomæ doctrina 1.2.quæſt.27.art.2.utrùm cognitio ſit cauſa amoris: Ubi affirmat in primis, quòd ut à Di-

vo

vo Augustino dictum est lib. 10. de Trinitate. Nullus potest amare aliquid incognitum; ignoti enim nulla cupido. Unde necesse est, quòd amorem antecedat aliqua cognitio boni, quod amatur; ideoque dictum est à Philosopho 9. Ethicor. *Quòd visio corporalis est principium amoris sensitivi. Et similiter*, subdit Sanctus Thomas, *contemplatio spiritualis pulchritudinis, vel bonitatis, est principium amoris spiritualis*. Verùm

Objicit sibi Divus Thomas: *Ejusdem rationis esse videtur, quòd aliquid incognitum ametur, & quòd aliquid ametur plusquam cognoscatur: sed aliqua amantur plusquam cognoscuntur, in hac vita, sicut Deus, qui in hac vita potest per seipsum amari, non autem per seipsum cognosci: Ergo cognitio non est causa amoris*. Verùm respondet Divus Thomas.

Ad secundùm dicendum: quòd aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis, quod non requiritur ad perfectionē amoris. Cognitio enim ad rationē pertinet, cujus est distinguere, inter ea quæ secundum rem sunt conjuncta, & componere quodammodo ea quæ sunt diversa, unum alteri comparando: & ideò ad perfectionem cognitionis requiritur, quòd homo cognoscat sigillatim, quidquid est in re, sicut partes, & virtutes, & proprietates: sed amor est in vi appetitiva, quæ respicit rem secundùm quod in se est. Unde ad perfectionem amoris sufficit, quòd res, prout in se apprehenditur, ametur. Ob hoc ergo contingit, quòd aliquid plus ametur, quàm cognoscatur; quia potest perfectè amari, etiamsi non perfectè cognoscatur, sicut maximè patet in scientiis, quas aliqui amant propter aliquam summariam cognitionem, quam de eis habent; puta quòd sciunt Rhetoricam esse scientiam: per quam homo potest persuadere, & hoc in Rhetorica amant: & similiter est dicendum circa amorem Dei.

Hactenus Sanctus Thomas: ex quibus clarissimè constat, Judice ipso D. Thoma, majorem esse posse, & ferventiorem amorem, quàm sit ipsa cognitio: cùm interdùm admodùm imperfecta sit cognitio, & intensissimus amor sit; quòd nimirum cognitio sit dumtaxat conditio applicans, causa verò amoris sit bonitas objecti, quæ quando summa est, dummodo repræsentetur, voluntatem rapit, suique maximum desiderium, & amorem accendit: quod aptissimo exemplo explicat Sanctus Thomas scientiarum, quas quisquis addiscit, amat, antequam didicerit. Quòd exemplum ex Divo Augustino desumptum est lib. 10. de Trinitate, statim initio cap. 1. & quòd sequentibus tusè prosequitur.

Atque ea esse videtur Theologorum omnium, & quotquot de mystica Theologia scripserunt, sententia: quòd ipsa voluntas etiam supra intellectum se se extendat, & se se efferre possit; quòd nimirum in appetitivis, & fruitivis potentiis, alia esse causa possit, quæ amorem augeat, ipsa scilicet experientia, & suavitas, quæ ex possessione boni præsentis oritur. Unde referente etiam D. Thoma in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. *Hugo à Sancto Victore in Cælesti Hierarch. super illud mobile, & acutum*, inquit: *quòd dilectio supereminet scientiæ: & major est intelligentia. Plus enim Deus diligitur, quàm intelligatur. Intrat dilectio, ubi scientia foris est*.

Sed multò plenius id habet Seraphicus Doctor D. Bonaventura, qui & ipse sanctitate sua interdùm persentire merebatur, quæ scribebat. Ita igitur habet lib. de 7. Itineribus æternitatis itinere 5. dist. 5. *Ex his igitur patet planè, quòd actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu; in quantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quia superintellectualis est, saltem in hac vita: quia in patria videbimus Deum sicuti est, ut dicit Joannes. Nec obstat quod dicit Sanctus Augustinus: incognita nequaquam possunt amari: quia est notitia aliqua non intellectualis, sed affectualis, seu experimentalis, ut statim patebit. Unde Gregorius exponens illud Joannis 15. Ho. 27. Vos dixi amicos meos &c. dicit: quia cum affectus Discipulorum imprimuntur Divino amori, fit in eis prælibatio quædā, & per consequens quædam notitia experimentalis: quia amor notitia quædā est. Ergo patet quòd non est oppositum in adjecto, cùm illa notitia sit alia ab intellectuali, ut dictum est. Cùm prædictis concordat Hugo commentator Dionysii dicens sic: intelligas quanta est vis veri amoris, & dilectionis, si tamen intelligi potest, quoniam dilectio supereminet scientiæ, & major est intelligentia: plus enim diligitur quàm intelligitur. Intrat dilectio, & appropinquat, ubi scientia foris stat. Et reddit rationē: quia amor, inquit, præsumens, & confidens amato, suo acumine penetrat omnia, impetum sequens ardentis desiderii sui, nec dissimulari valens, donec ad amatum perveniat; & eo ipso ampliùs adhuc sitiens intrare ipsum, & esse cum ipso, & esse tam propè, ut si fieri posset, hoc idem ipsum sit, quod ipse. Ecce expresse dicit, quòd verus amor Dei unit Deo immediatiùs quàm intellectio: & quòd intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis est superior intellectuali. Cùm his concordat per omnia Vercellensis super Cantica dicens, quòd affectus, & intellectus simul coambulant, usque ad novissimum defectum intellectus, ubi habet suæ cognitionis, & sui luminis consummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum suspiria, super intellectuales extensiones, & immissiones, fervidos fulgores, & fulgidos fervores; ad quorum omnium sublimes excessus, & excedentes sublimitates, intelligentia trahi non potest, sed solùm principalis affectus Deo unibilis*.

Hactenus D. Bonaventura, nec pro uno solùm etiam habendus, cùm & plures alios mysticæ Theologiæ Magistros referat. Atque in his etiam præcipuas rationes colligit, quas fermè jam explicuimus. *Primò*: quia sicut ex D. Theresia diximus, interdùm ita intellectus afficitur, ut planè dumtaxat maneat attonitus, & intelligat solùm se non intelligere; hoc est intelligat se non perfectè intelligere, quod intelligit. At verò interim soluta liberaque voluntas est, atque in

omni

omnis generis actus prorumpit. Unde & magis audet voluntas, præſumit, & ſibi nihil inconceſſum putat, quod ad donum pietatis ſuprà pertinere diximus. *Secundò*: quia voluntas ex ipſo guſtu magis ac magis accenditur, quàm ex ipſa cognitione: ſicut cùm quis cibum videt, etſi eum appetere poſſit, ſi dulcem putet; attamen ex ipſo guſtu, magis hujus ſuavitas percipitur, & ardentiùs appetitur. ut obſervat Sanctus Thomas Opuſc. 61. de Gradibus Divini amoris gradu 5. in quo *Amor facit appetere impatienter*.

Confirmatur prætereà: Ex eo quòd in his contemplationis gradibus, non amor ex cognitione, ſed potius ex amore ipſa cognitio, & cognitionis certitudo oriatur: Atqui id intelligi non poteſt, ſi non alia ſit quàm motio moralis. Etenim ut jam ex D. Thoma dictum eſt: ea ſapientiæ cognitio quæ altiſſima eſt, non oritur *Ex inquiſitione rationis*, ſed ex quadam *connaturalitate*, unione, & guſtu: nimirùm, quia Divinior inſpiratio, inſtinctus, & quidam afflatus amorem voluntatis accendit, ipſique guſtum Divinorum injicit. Atque ex hoc guſtu oritur ſublimis, & ſuperintellectualis ea cognitio, quæ de Divinis habetur. Unde obſervat iterùm Sanctus Thomas, 2. 2. quæſt. 97. art. 2. utrum tentare Deum liceat: quòd quia de Divinis perfecta cognitio ex ipſo guſtu naſcitur, ideò jubemur probare quàm ſuavis ſit Divina voluntas. *Duplex eſt* enim *cognitio Divinæ bonitatis vel voluntatis: una quidem ſpeculativa, & quantum ad hanc non licet dubitare, nec probare utrùm Dei voluntas ſit bona, vel utrum Deus ſit ſuavis: alia autem eſt cognitio Divinæ voluntatis ſive bonitatis, affectivæ ſive experimentalis, dum quis experitur in ſeipſo guſtum Divinæ dulcedinis, & complacentiam Divinæ voluntatis; ſicut de Jærotheo dicit D. Dionyſius cap. 2. de Divinis Nominibus quòd didicit Divina ex compaſſione ad ipſa, & hoc modo monemur, ut probemus Dei voluntatem, & guſtemus ejus ſuavitatem*.

Verùm hęc expreſſiùs adhuc explicat idem Sanctus Thomas in Pſalm. ubi & ex ipſis Davidis verbis elicit, non eum amorem ex cognitione, ſed eam cognitionem ex amore, ipſoque guſtu ac experimento oriri. Cùm enim ea verba explicat: *Guſtate, & videte*, ita inquit: *Primò hortatur ad experientiam, ſecundò ponit experientiæ effectum. Dicit ergo, guſtate, & videte. Experientia de re ſumitur per ſenſum: ſed aliter de præſente, aliter de abſente: quia de abſente per viſum odoratum, & auditum; de præſente per tactum, & guſtum: ſed per tactum de extrinſeca præſente, per guſtum verò de intrinſeca. Deus autem non longè eſt à nobis, neque extra nos, ſed in nobis. Hierem. 14. Tu in nobis es Domine. Et ideò experientia Divinę bonitatis dicitur guſtatio, 1. Petr. 2. Si tamen guſtatis quàm dulcis &c. effectus autem experientiæ ponitur duplex, unus eſt certitudo intellectus, alius ſecuritas affectus. Quantùm ad primũ dicit, & videte. In corporalibus namque priùs videtur, & poſteà guſtatur: ſed in rebus ſpiritualibus priùs guſtatur, poſteà autẽ videtur: quia nullus cognoſcit, qui non guſtat. Et ideò dicit priùs, guſtate; & deinde, videte. Quantùm ad ſecundùm dicit quoniam ſuavis eſt Dominus*. Hæc ibi.

Ex quibus clariſſimè conſtat, ſingularem illam cognitionem, quæ ad ſapientiæ donum pertinet, & certitudinem intellectus, ex ipſo guſtu Divinanaque experientia oriri. Et ſanè tanta interdùm eſt, adeòque eximia in Sanctis Viris, ut magis ſe ſcire quàm credere ſibi videantur. Unde & ea ratione apud Patres amor ipſe quædam notitia dicitur; experimentalis ſcilicet, & quòd ex ipſa experientia ipſoque amore, quædam veluti in intellectum cognitio redundet, quamvis obſcurior; quatenùs cognoſcit ipſam voluntatem guſtare ſummam, & ineffabilem hanc ſuavitatem. Ita Divus Gregorius Homil. 27. in Evang. amorem notitiam vocat: ubi & Chriſtum vocaſſe Diſcipulos amicos obſervat, quia omnia quæcumque audivit à Patre nota ipſis fecit. Quæ autem nota fecit. *Niſi gaudia internæ charitatis, niſi illa feſta ſupernæ patriæ, quæ noſtris quotidie mentibus per aſpirationem ſui amoris imprimit. Dum enim audita ſuper cæleſtia amamus, amata jam novimus: quia amor ipſe notitia eſt*. Perfectiſſima enim notitia quæ de Deo haberi poſſit, ea eſt quam experientia confert. Neque enim meliùs dulcedo mellis, aut rerum dulcium, quam ex guſtu cognoſci poteſt; fruſtraque in ea explicanda rationis diſcurſus adhiberetur. Hunc S. Gregorii locum refert ipſe Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 172. art. 4. ad 2. ac probat, additque tamen, non ſemper hoc modo revelari ſecreta Divina Prophetis, cùm abſolutè ad Prophetiam non requiratur bonitas morum.

Igitur certum eſt, quòd vera, & ſumma illa cognitio quæ de Divinis habetur, oritur ex ipſo guſtu, ideſt ex ipſo ardentiſſimo amore, & illa ſuavitate qua voluntas perfunditur. Atqui ſine Divina motione prævia, & effectrice nulla ratione id intelligi, & explicari poſſe videtur. Impoſſibile enim eſt, ex ſola motione morali, & ſola cognitione quãtumvis contemperata, oriri ejuſmodi amorem, eamque ſuavitatem, & experientiam: ſiquidem non ex cognitione hic amor, ſed ex eo amore ea cognitio oritur. Ideoque toties dictum eſt, à Viris Sanctis, quòd ea nemo intelligit, niſi qui ea experitur, & quòd *Ea per ſe patent expertis*, ut inquit Divus Thomas, quia inter prima principia reponuntur, quæ nullo diſcurſu, & rationis inquiſitione percipi poſſunt. Et quòd *Quiſquis iſta leget*, ut inquit Sancta Thereſia, *ſi expertus fuerit, ſtatim intelliget*. Et ut inquit Divus Bernardus Serm. 67. ad hæc verba, *Dilectus meus mihi, & ego illi: Neſcimus quid* [Sponſa] *loquitur, quia non ſentimus quod ſentit*. Quæ fusè proſequitur. Sicut & neſcienti græcas litteras, quiſquis græcè locutus fuerit, barbarus exiſtimatur, ut alibi inquit idem Sanctus Bernardus: ſcientiam enim amoris, ſolus amor docet; quod etiam ex Apocalypſis 2. capite apertè liquet, promittitur *Abſconditum manna, quod nemo ſcit, niſi qui accipit*. Ergo impoſſibile videtur,

tur, eum guſtum, eam ſuavitatem, eumque amorem ex cognitione quantumvis contemperata oriri: Sed neceſſe eſt oriri ex ipſa operatione Spiritus Sancti, quæ eum amorem efficit, imprimitque Cæleſtem hunc guſtum voluntati. Unde egregiè obſervat Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 70. ar. 1. hanc perfectiſſimam voluntatis operationem dici fructum, non quidem rationis, ſed Spiritus Sancti. Obſervat enim, nomen fructus ex rebus corporeis ad ſpiritualia translatum: & fructum quidem dici, *Quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, & quandam in ſe ſuavitatem habet*. Ita verò apud homines fructum dici, *quod eſt ultimum, & delectationem habet*. Habet enim homo agrum, & arborem: ſed ea tamen non dicuntur fructus, ſed ſolùm id, quod *Eſt ultimum, quod ſcilicet ex agro, & arbore homo intendit habere*. Ultimum eſt verò operatio: *Operatio enim eſt actus ſecundus operantis, & delectationem habet ſi ſit conveniens operanti. Si igitur operatio hominis procedat ab homine ſecundùm facultatem ſuæ rationis, ſic dicitur fructus rationis: ſi verò procedat ab homine ſecundùm altiorem virtutem, quæ eſt virtus Spiritus Sancti; ſic dicitur operatio hominis fructus Spiritus Sancti, quaſi cujuſdam Divini ſeminis. Dicitur enim 1. Joan. 3. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet*.

Non igitur ex ratione, etiam Divina fide illuſtrata, hæc voluntatis operatio, cum ſumma ſuavitate conjuncta oritur; eſſet enim *Fructus rationis*; ſed ex Divina operatione, & impulſu Spiritus Sancti, ac ſingulari dono enaſcitur: ideoque dicitur *Fructus Spiritus Sancti*. Ita enim hæc inter ſe comparantur *Donum Spiritus Sancti*, *Beatitudo* qua dicuntur Beati, Pauperes Spiritus, mites, qui lugent &c. & donum *Fructus Spiritus Sancti*: eadem enim operatio, ut eſt ex ſpeciali inſtinctu, & motione Spiritus Sancti, dicitur *Donum*; eadem verò, ut eſt perfectiſſima, ultimaque potentiæ perfectio; eſt *Beatitudo*: quia beatitudo ex Philoſopho non aliud eſt, quàm operatio ſecundùm virtutem perfecta: atque eadem operatio, ut habet conjunctam delectationem, eſt *Fructus Spiritus Sancti*. Quæ omnia fusè explicat Sanctus Thomas ubi de Beatitudinibus ac fructibus 1. 2. Sicut & in Iſai. cap. 11. & ad Galatas 5. Vide etiam 1. 2. q. 12. de Fruitione.

Confirmari iſta poſſunt; quòd tunc Deus potiſſimùm in voluntate, per ſpecialiſſimum contactum, & illapſum immediatè operetur; ita ut parùm intellectus cognoſcat, & tamen voluntas ex ea Divina operatione, in Divinum amorem accendatur. Liquet enim ex Sancto Thoma 1. parte quæſt. 42. de Miſſionibus, tunc Deum dici de novo præſentem animæ adeſſe; cùm novum in ea effectum producit; *Et quia cognoſcendo, & amando creatura rationalis ſua operatione attingit ad ipſum Deum, ſecundùm iſtum ſpecialem modum Deus non ſolùm dicitur eſſe in creatura rationali, ſed etiam habitare in ea, ſicut in templo ſuo*. Significat enim familiaritatem quandam, hic loquendi modus, qui in Sacra Scriptura frequens eſt, Deum habitare in cordibus hominum, aut in his manſionem facere: ut obſervat Sanctus Thomas in 1. ad Annibaldum Diſtinct. 36. quæſt. 1. art. 2. *In habitatio*, inquit, *quandam familiaritatem deſignat, quia eſt propria manſio habitantis. Unde ratione familiaritatis, quam Deus habet ad Sanctos, qui ei conjunguntur per fruitionem amoris dicitur Deus habitare in ſanctis*. Neque enim dumtaxat donum ſanctitatis gratiæ ex ea Divina præſentia homo percipit, ſed ipſo Deo præſente fruitur, ut inquit Sanctus Thomas 1. part. citata. Habet enim voluntas *Poteſtatem fruendi Divina perſona; & non ſolùm ut liberè ipſo dono creato utatur, ſed ut ipſa Divina perſona fruatur*. At verò hujus præſentiæ principium, & ratio, eſt ipſa Divina operatio, qua Deus intellectum ad ſui cognitionem, & voluntatem ad ſui amorem movet. Tunc enim maximè verum eſt, quod Divus Auguſtinus inquit, quòd *Deus amat ſe de ſe*: Et ea operatione, qua Deus vel intellectum, vel voluntatem movet ad cognitionem, vel amorem ſui, ipſemet Deus intellectui, & voluntati, novo & ſingulariſſimo modo præſens eſt, iiſque potentiis illabitur, eaſque contingit; Atque in hoc Divino contactu poſita eſt ipſa Divina motio.

Sed cùm Divinæ operationes variæ ſint, ſuaque dona Deus ſingulis dividat prout vult; interdùm Divina ea operatio, ſeu Divinus ille contactus efficacior eſt in intellectu, cui perfectiſſimam cognitionem, & Divinæ ſapientiæ participationem imprimit; ut videre eſt in ſapientiſſimis interdùm Viris, quibus videntur revelata ſecreta Cæleſtia: quamvis tamen ea Divinæ ſapientiæ participatio, ad Divinam Verbi Miſſionem pertinere dici non poſſit, niſi hæc cognitio ad amorem Dei voluntatem accendat: Quia *Filius eſt Verbum, non qualecumque*, inquit Sanctus Thomas, *ſed ſpirans amorem. Unde Sanctus Auguſtinus inquit lib. 9. de Trinitate cap. 10. Verbum autem quod inſinuare intendimus, cùm amore notitia eſt*. Sed tamen dubitari non poteſt, quin interdùm ea cognitio perfectior amore ſit; in his potiſſimùm, quos Deus ad regendam Eccleſiam, & informandos fideles conſtituit. Verùm e contrà, quod multò frequentiùs accidit, conſtat multò ſæpiùs efficaciorem eſſe hunc contactum Divinum, ſeu eam Divinam operationem in voluntate, quàm in intellectu, ut videre eſt in tot Viris Sanctis, alioquin rudibus; & qui ſimpliciſſima Divinorum cognitione, quam fides tribuit, imbuti, ardentiſſimo Dei amore flagrant. Unde evidens eſt, eum amorem non in motionem aliquam moralem poſſe refundi; ſed hujus cauſam eſſe eum Divinum contactum, ſeu illapſum quo Deus immediatè ſeipſo hunc cæleſtem ignem in ipſorum voluntate accendit. Quamvis tamen, ut obſervat Sanctus Thomas in 1. diſtinct. 15. qu. 4. artic. 2. iis etiam non deſit ea cognitio quæ ex Divinorum guſtu percipitur. Cùm enim ſibi objeciſſet: *Quod videmus ſenſibiliter quoſdam ſimplices ferventes eſſe in amore Divino, qui tamen*

ſunt

ſunt valdè hebetes in cognitione Divinæ ſapientiæ. Reſpondet: *Quòd illa notitia ex qua procedit amor, viget in ſervientibus Divino amore, qua ſcilicet cognoſcunt Divinam bonitatem, in quantùm eſt finis, & in quantùm eſt largiſſimè in eos profluens ſua beneficia, & talem notitiam perfectè non habent, qui amore ipſius non accenduntur.*

Igitur Divinus ille contactus, aut ea operatio, qua Deus per ſe ſe immediatè voluntati illabitur; ea omnia efficit quæ voluntas perſentit: Deus intra ipſam voluntatem præſens, in eaque operans imprimit ipſi ſuæ Divinæ bonitatis guſtum, ſuæ præſentiæ fruitionem, & ex præſentia ſummam, & ineffabilem ſuavitatem. Efficit enim miro modo, ut anima in ſe ſe Deum, & præſentem, & operantem ſentiat: ac tum etiam cum ea ſuavitate Deus vehementiſſimum ſui amorem in anima accendit. Atque hæc omnia Dei beneficia non ſpontè ſolùm, ſed liberrimè voluntas percipit: liberam enim, ut inquit Sanctus Thomas ſupra citatus voluntas *Poteſtatem habet fruendi Divina perſona, nec ſolùm liberè ipſo dono creato utitur, ſed etiam ipſa perſona Divina*, Deoque ſibi præſentiſſimo *fruitur*. Et cur non ſummè liberè, cùm etiam familiariter, & *fiducialiter*, ut inquit David, cum Deo agere ipſi liceat. Eandem Dei præſentiam cum ipſius operatione conjungit Divus Thomas 2. 2. qu. 24. art. 11. utrùm charitas poſſit amitti. *Dicendum*, inquit, *quòd per charitatem Spiritus Sanctus in nobis habitat.* Unde ſubdit *charitas conſiderari poteſt, ex parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum. Et ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti qui infallibiliter operatur, quodcumque voluerit.*

Hæc omnia, ut ſuprà dixit Sanctus Thomas, per ſe patent expertis, & ipſa etiam ratio, ipſe communis ætatis ſenſus, ita fieri, nec aliter fieri poſſe, ſatisſuadere aut demonſtrare videntur: Atqui hæc tiam omnia non minùs evidenter Divinam hac motionem prævium vimque effectricem maifeſtant. Quid enim aliud hic contactus Divins, hic illapſus, ea operatio intrà ipſam voluntem ſuavitatis, amoris, fruitionis, effectrix, eſi poteſt, niſi ſit ipſa Divina motio? nec ſanè nos aud eo nomine intelligimus: Ergo impoſſibile eſi videtur, quæ de Divinis Miſſionibus, & de Spritus Sancti donis, & quæ de gradibus orationi referuntur, explicare, aut intelligere (hæc em omnia invicem connexa ſunt:) niſi Divina motio admittatur. Et veriſſimè exiſtimo, hæc qu mox de eo Divino contactu explicuimus, pululùm ſepoſitis anticipatis opinionibus, ac piſſimùm ſepoſita ea motionis Divinæ notione, ormæ alicuius completæ, quam multi nobis afngunt, & quæ nulli unquam ex noſtris in mentm venit: exiſtimo inquàm, hæc legi non poſſe quin ea ſimpliciſſima lectione mens conviƈtat, ſine Divina motione ea explicari non poſſe; ut ſaltem, quod neminem non conceſſurum aitror, hæc omnia, admiſſa motione Divina, mmodiſſimè explicari: atque ita conſentanea ac inter ſe connexa eſſe D. Thomæ, & ejus Scholæ principia; ut unum ab altero ſemper dependeat: & mutuò omnia invicem ſibi robur, & lumen, quo explicentur, aut defendantur, refundant.

ARTICULUS VI.

Impugnatur Reſponſio non manere in his ſtatibus libertatem. Quando, & quo pacto libertas remaneat ex Sancto Thoma explicatur: & ſuperiora omnia confirmantur.

NEdùm opportuna, ſed & *ſummè neceſſaria* eſt hujus difficultatis reſolutio, quæ morari aliquos forſitan poſſet, cùm certum ſit, interdùm adeò vehementem Divinæ operationis vim eſſe, ut omninò intellectum, & cum intellectu voluntatem rapiat, ſicut ſphæra ſuperior inferiorem ſuo motu rapit, nec ſubindè libertati locum relinquat: Quare reſolvenda eſt ea difficultùs, ex cujus reſolutione mirum in modum ſuperiora omnia illuſtrantur: Et compertiſſimum fiet, interdùm etiam cum Dei motione efficaciſſima integerrimam hominis libertatem, & liberrimam voluntatem conjungi.

Reſponderi igitur poteſt, non eſſe mirum, ſi in his contemplationis gradibus, aliiſque operationibus, quas præſertim ex D. Thereſia retulimus, efficaciſſima intelligatur eſſe motio Divina: ſiquidem ipſam etiam libertatem ſua efficacia adimit. Conjunctæ ſunt enim ejuſmodi operationes cum Extaſi, & Raptu, id eſt, ſumma illa vi, quæ infertur, tum intellectui, tum voluntati, & quæ utramque potentiam à ſuo ſtatu omninò connaturali dimovet. Certum enim eſt, in Raptu, & Extaſi nullam libertatem remanere: feruntur enim omnes potentię extra ſuos terminos, & amittunt proprium operandi modum: etiam ſenſus ipſi ligantur. Amiſſo autem proprio operandi modo, ac ligatis ſenſibus, quæ libertas eſſe poteſt? Uno verbo, aut remanet libertas, aut amittitur. Si amittatur, nihil vetat admitti prævium illam, & effectricem motiouem: & quid mirum quòd ea effectrix ſit, ſi immutet proprium agendi modum omnium omninò potentiarum, ipſiſque vim inferat, eaſque liget, & conſtringat? Si verò libertas remaneat, repugnat motionem eſſe prævium, & ſeipsà effectricem: quia ad libertatem pertinet, ut in omnem partem ſoluta ſit, & poſſit utrumque oppoſitorum, & quacumque potentia efficere. Quo pacto enim libera dici poſſet voluntas; cùm omni ex parte tum potentiæ quæ antecedunt eamque regere debent, memoria, & intellectus; tum potentiæ quæ ſequuntur, ipſique miniſtrant, omnes ligatæ ſint.

Verùm impugnationem ullam vix mereretur ea Reſponſio, quæ jam præoccupata eſt, & notionem libertatis ſupponit, quam à vero alieniſſimam eſſe ſæpiùs demonſtravimus. Neque hæc Reſponſio refertur, quòd hujus impugnatio difficilis ſit, ſed quòd ſit ſummè neceſſaria, ut explicetur quandonam, & quo pacto hominis libertas cum his operationibus Divinis integra conjungi poſſit.

Impugnatur itaque *Primò* ea Reſponſio, quòd ne quidem difficultatem attingat: ſed unam loco alterius operationem Divinam ſupponat. Et quis enim dubitat, in Raptu, & Extaſi, ex communi ſaltem lege, libertatem non ſupereſſe, & feliciorem eum ſtatum eſſe quàm ut in poteſtate, & libertate hominis relinquatur? Sed quis de ea operatione Divina cum Extaſi conjuncta loquitur? Apertiſſimum enim eſt, quæcunque de Divina motione ex donis Spiritus Sancti diximus, minimè cum Extaſi, & ſenſuum alienatione eſſe conjuncta. Igitur in Extaſi, & Raptu nullam ſaltem de lege communi, libertatem reperiri (Nam ex ſingulari privilegio reperiri interdùm non negabimus:) ex communi tamen lege non remanere ultro concedimus, quia nimirùm ligatis ſenſibus, nullum poteſt eſſe perfectum rationis judicium, *quod neceſſe eſt reſolvi in prima cognitionis principia*. Sed inde validum argumentum deſumimus quo ſuperiora omnia continentur: inde enim conſequitur, quòd quoties ſoluti erunt ſenſus, eorumque erit liber uſus; niſi ſit motus primò primus, ut vocant, qui omnem rationis uſum antecedit: toties erit perfectum rationis judicium, & quidem indifferens, prout neceſſariò, requiritur ad libertatem; toties & inde integra erit perfectaque libertas, quantumvis per ſe efficax, & efficaciſſima ſit motio gratiæ Divinæ: Atqui in iis Divinis operationibus ex donis Spiritus Sancti, in his gradibus contemplationis in quibus nec Raptus nec Extaſi accidit, omninò ſoluti ſunt ſenſus: Ergo & perfectum eſt rationis judicium: Ergo & remanet cum hac efficaciſſima Dei motione libertas. Unde non mineenda eſt hujus motionis efficacia, ut integra libertas remaneat, ſed reformanda eſt ea libertatis notio, ut eam efficaciam ferre poſſit, & cum Divina motione conjungi.

Confirmatur *Primò*: & ut hujus argumenti vis omnis conſpicua ſit, explicatur qua ratione, & quandonam in Extaſi, & Raptu nulla libertas remaneat: interdùm enim remanere etiam quidam Authores adverſæ ſententiæ, qui motiones prævias negant arbitrantur. Id autem compendio in anteceſſum ita poteſt reſolvi. Quoties judicium nullum eſt ex parte intellectus, toties nulla eſt libertas voluntatis: Tunc verò nullum eſt perfectum judicium, quando fit alienatio à ſenſibus, quia neceſſe eſt fieri perfectum judicium per reſolutionem ad prima cugnitionis principia: prima verò principia ex quibus oritur cognitio, ſunt ipſi ſenſus, quibus ſenſibilia objecta hauriuntur: Ex pluribus enim ſenſuum perceptionibus fiunt experimenta, ex pluribus experimẽtis fiunt principia, atque eo pacto generatur habitus primorum principiorum, ut ſuprà ex S. Thoma explicuimus. Ex quo, ut jam dictum eſt, colligimus, quòd cùm perfectus eſt ſenſuum, tum internorum, tum externorum uſus; perfectum eſt rationis judicium. Unde poteſt ſtatim ſubſumi: Atqui quoties voluntas ex Spiritus Sancti donis movetur, in iiſque orationis gradibus quos deſcripſimus, cùm nec in Extaſim, nec in Raptum mens evehitur, perfectus eſt ſenſuum uſus: Ergo & perfectum eſt rationis judicium, & perfecta libertas cum ea efficaciſſima ex donis Spiritus Sancti motione conjuncta; ſed ea omnia per partes ex Divo Thoma demonſtranda ſunt. Unde

Confirmatur *Secundò*. Et quidem libertatis regulam aut originem eſſe ipſum rationis judicium, magis ſupponendum quàm probandum eſt. Ita enim in confeſſo eſt apud omnes, & docet expreſsè Sanctus Thomas 1. par. quæſt. 83. art. 1. *Utrum homo ſit liberi arbitrii*. Ubi inquit, quòd *Homo agit judicio, quia per vim cognoſcitivam judicat, aliquid eſſe fugiendum, vel proſequendum; ſed quia judicium non eſt naturali inſtinctu in particulari operabili, ſed ex collatione quadam rationis, ideò agit libero judicio potens in diverſa ferri.* Ea enim ratione homo ſuperat bruta rationis expertia, quòd ea impetu, & inſtinctu in objecta ferantur, homo autem ſuos motus regat, coërceatque, aut incitet ratione. Verùm ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 9. art. 1. addi neceſſe eſt, duobus modis voluntatem excercere poſſe facultatem quam habet, ut ad diverſa feratur; ſcilicet vel ad diverſos actus, vel ad diverſa objecta Invenitur enim voluntas in potentia ad diverſa *Uno modo quantùm ad agere, & non agere; alio modo quantùm ad agere hoc vel illud*. Etſi enim voluntas circa unum, & idem dumtaxat verſaretur, neque ferretur in diverſa omninò ſibi adversa, & oppoſita; dummodò poſſit unum, & idem eligere, vel non eligere, agere & non agere; dato procul integra manet eſſentia, aut perfectio libertatis, quam minimè neceſſe eſt circa contrria verſari. Eſt igitur rationis judicium regula, aut origo libertatis.

Quid verò neceſſe ſit ad conſtituendum perfectũ judicium, aut quid ipſum imperat, explicat egregiè Sanctus Thomas, & ſumè obſervanda eſt hæc doctrina, ad quam ſæpiùs ctorum mentem revocat ipſe Divus Thomas. Iobat igitur 1. par. quæſt. 84. art. 8. quòd *Judicium intellectus impediatur per ligamenta ſenſus*. tque hujus rationem affert; quia *Judicium perfium de aliqua re dari non poteſt, niſi ea omnia qi ad rem pertinent cognoſcãtur; & præcipuè ſi ignoretur id quod eſt terminus, & finis judicii. Diciuntem Philoſophus in 3. de Cælo, quòd ſicut finis activæ ſcientiæ eſt opus, ita naturalis ſciẽtiæ finis quod videtur principaliter per ſenſũ, Faber enimon quærit cognitionem cultelli, niſi propter op, ut operetur hunc particularem cultellũ, & ſimiliter naturalis non quærit cognoſcere naturam lapis, & equi, niſi*

ut

ut ſciat rationes eorum, quæ videt per ſenſum. Manifeſtum eſt autem quòd non poſſet eſſe perfectum judicium fabri de cultello ſi opus ignoraret: & ſimiliter non poteſt eſſe perfectum judicium ſcientiæ naturalis de rebus naturalibus, ſi ſenſibilia ignorentur: omnia autem quæ in præſenti ſtatu intelligimus cognoſcuntur à nobis per comparationem ad res ſenſibiles. Unde impoſſibile eſt, quòd ſit in nobis judiciū intellectus perfectum cum ligamento ſenſus, per quē res ſenſibiles cognoſcimus. Hactenus Sanctus Thomas.

Ex quibus manifeſtum eſt, ex conſtituto naturæ ordine nunquàm poſſe eſſe perfectum judicium, quandiu ſenſus ligati ſunt, cùm neque ulla fieri poſſit reſolutio ad prima cognitionis principia, & comparatio ſimilitudinum rerum cum ipſis rebus, quod ratio perfecti judicii exigit. Et verò nullum unquam eſſe perfectum judicium ligatis ſenſibus, manifeſtiſſimum ſignum affert Divus Thomas ibidem. Quòd quamvis interdùm leviſſimus ſomnus ſit, & ex parte ſoluti ſint interni ſenſus, ita ut interdum homo ratiocinari ſibi nec omninò malè videatur; attamen ſemper aliquam fuiſſe deceptionem excitatus advertit. *Si motus vaporum*, inquit, *fuerit modicus, non ſolùm imaginatio remanet libera, ſed etiam ipſe ſenſus communis ex parte ſolvitur; ita quòd homo judicat interdùm in dormiendo ea quæ videt ſomnia eſſe, quaſi dijudicans inter res, & rerum ſimilitudines; ſed tamen ex aliqua parte remanet ſenſus communis ligatus: & ideo licèt aliquas ſimilitudines diſcernat à rebus, tamen ſemper in aliquibus decipitur. Sic igitur per modum quo ſenſus ſolvitur, & imaginatio in dormiendo, liberatur judicium intellectus non tamen ex toto. Unde illi qui dormiendo ſyloriſant, cùm excitantur, ſemper cognoſcunt ſe in aliquo defeciſſe.*

Atque inde colligitur, etiam in Extaſi, & in Raptu, nullum etiam eſſe poſſe (ſaltem ex lege communi) perfectum judicium. Cum enim nullum eſe poſſit perfectum judicium quandiu ſenſus ligatur, & in Raptu, & Extaſi, ſenſus omnes externi ligati ſint, & fiat alienatio à ſenſibus, manifeſtum eſt, nullum eſſe perfectum judicium, nullam eri poſſe reſolutionem ad prima principia, exquibus ſcilicet primò hauritur cognitio: non enim hic de principiis primorum principiorum ſermo eſt, quia & hic habitus ex ſenſuum perceptionibus aut experimentis ſimul, cum vi luminis naturalis generatur, ut dictum eſt. Atque id etiam expreſsè aſſerit, & ſæpiſſimè Sanctus Thomas. Duo enim diſtinguit in Raptu, & in Extaſi, aerum eſt ipſa, ut vocat acceptio Divinæ revelationis; alterum verò ipſum judicium de rebus revatis. At verò quòd attinet ad ipſam perceptionem Divinæ revelationis; eam exiſtimat perfectiſſimam eſſe poſſe etiam cum abſtractione à ſenſibus; ſecùs autem de judicio; cùm neceſſe ſit perfectum judicium reſolvi aut revocari ad ipſa ſenſibilia, ipſaſque res exteriùs poſitas, quibus neceſſe eſt ſimillimam eſſe cognitionem ut veſit. Et ita obſervat D. Thomas 2. 2. quæſt. 172. artic. 1. *Utrum Prophetia poſſit eſſe naturalis?* Cum ſibi objeciſſet ex D. Gregorio in 4. Dialog. cap. 26. *Quòd ipſa aliquando animarum vis ſua ſubtilitate aliquid pervidet.* Et ex S. Auguſt. in 12. ſuper Geneſ. ad litter. capite 13. *Quòd animæ humanæ, ſecundùm quòd à ſenſibus corporis abſtrahitur, competit futura prævidere.* Reſpondet: *Ad Primum ergo dicendum quòd anima quādo abſtrahitur à corporalibus, aptior redditur ad percipiendum influxū ſpiritualium ſubſtantiarum, & etiam ad percipiēdos ſubtiles motus, qui ex impreſſionibus naturalium cauſarum in imaginatione humana relinquuntur, à quibus percipiēdis anima impeditur, cùm fuerit circa ſenſibilia occupata. Et ideò D. Gregor. dicit, quòd anima quando appropinquat ad mortem, præcognoſcit quædā futura, ſubtilitate ſuæ naturæ; prout ſcilicet percipit etiā modicas impreſſiones, aut etiā cognoſcit futura revelatione Angelica, non autem propria virtute: quia ut D. Auguſt. dicit 12. ſuper Geneſ. ad litter. Si hoc eſſet, tunc haberet quandocumque vellet in ſua poteſtate futura præcognoſcere, quod patet eſſe falſum.*

Et cùm iterùm ſibi ex Ariſtotele objeciſſet, cognitionem hominis magis vigere vigilando quàm dormiendo: *Sed in dormiendo quidam naturaliter prævident quædam futura, ut patet per Philoſophū in libro de Somno, & Vigilia &c.* Reſpondet, *Ad ſecundùm dicendum, quòd cognitio futurorum, quę ſit in ſomnis, eſt aut ex revelatione ſpiritualium ſubſtātiarum, aut ex cauſa corporali, ut dictum eſt cùm de Divinationibus ageretur, Utrumque autē meliùs poteſt fieri in dormientibus, quàm in vigilantibus: quia anima vigilantis eſt occupata circa exteriora ſenſibilia: ūde minùs poteſt percipere ſubtiles impreſſiones, vel ſpiritualium ſubſtantiarum, etiam cauſarum naturalium. Quantùm tamen ad perfectionem judicii plus viget ratio in vigilando quàm dormiendo.*

Eadem habet, & fuſiùs ut ſolet in Quæſtionibus diſputatis quæſt. 12. art. 4. Utrùm Prophetia ſit naturalis. Ubi obſervat, quòd in ſomnis, cùm ſenſus externi ligati ſunt, vehementior fit in interiores ſenſus impreſſio; adeò ut *Tenui flegmate decurrente ad linguam videatur dormienti quòd dulcia comedat*: & ut Philoſophus etiam inquit, dormientibus vel minimus motus interiùs impreſſus, maximùm ſonum inſtar tonitru efficere videtur: cui ſanè ſimile eſt, quòd Viris Sanctis, dulciq; meditationis ſomno aſſuetis accidit, ut minima cæleſti inſpiratione interiùs impreſſa, maximè commoveantur, & concutiantur, cùm tamen Viri mundanis rebus dediti vix fortiores, & vehementiores inſpirationes percipiant. Non enim percipiuntur ſoni, niſi facta comparatione ad ſilentium: & ut inquit Philoſophus 2. de Cœl. cap. 9. *Invicem vocis, & ſilentii eſt dijudicatio.* Cæterùm quamvis perfectior, & ſubtilior ſit ligatis ſenſibus rerum perceptio; attamen multò imperfectius eſt judicium; quia cùm *Principium noſtræ cognitionis ſit ſenſus, oportet ad ſēſum quodammodò reſolvere omnia de quibus judicamus. Unde Philoſophus dicit in 3. de Cœlo, & Mundo, quòd complementum artis,*

& nature est res sensibilis visibilis, ex qua debemus de aliis judicare. Et similiter dicit in 6. Ethic. quòd sensus sunt extremi, sicut intellectus principiorum. Extrema appellamus illa in quæ fit resolutio judicantis. Unde quia in somno ligati sunt sensus, non potest esse perfectum judicium. Ex quibus manifestum est discrimen quod Sanctus Thomas statuit inter simplicem veritatum perceptionem, & de rebus judicium; quòd perfectior sit ea perceptio cùm sensus ligantur, quibus turbari solet ea perceptio: sed cùm judicium circumstantias, & singularia attendere debeat, necesse est intellectum omninò esse solutum, & posse ipsas similitudines rerum quæ menti obversantur cum rebus ipsis conferri.

Atque hæc omnia colligit iterùm Divus Thomas quæst. 12. de Verit. art. 9. *Num quando Propheta spiritu Prophetiæ tangitur, à sensibus alienetur?* Ubi cum premisisset denunciationem Prophetiæ nunquã fieri cum abstractione à sensibus; cùm scilicet Prophetæ sibi revelata manifestant: addit *Quòd ad visionem Prophetiæ duo concurrunt; scilicet judicium, & acceptio propria Prophetiæ. Quando igitur Propheta inspiratur divinitùs, ut sit tantùm judicium ejus supernaturale, & non acceptio; tunc talis inspiratio abstractionẽ à sensibus non requirit, quia judiciũ intellectus naturaliter est perfectius in utente sensibus, quàm in non utente. Acceptio autem supernaturalis propria Prophetæ est secundùm imaginariam visionem, ad quam visionem inspiciendam rapitur vis humana ab aliquo spiritu, & à sensibus abstrahitur, ut Divus Augustinus dicit 12. super Genes. ad litter. Cujus ratio est, quia vis imaginaria, dum quis utitur sensibus, principaliter est intenta his, quæ per sensus accipiuntur. Unde non potest esse, quòd ejus intentio principaliter transferatur ad ea quæ aliundè accipiuntur, nisi quando homo est à sensu abstractus. Unde quandocumque fit Prophetia secundùm imaginariam visionem, oportet à sensibus abstractum esse Prophetam.* Hactenus Sanctus Thomas. Quæ etiam habet 2.2. quæst. 173. art. 3. *Utrùm visio Prophetica fiat cum abstractione à sensibus.*

Ex quibus omnibus manifestum est, quòd quoties Divina operatio adeò vehemens est, ut intellectum supra communem modum operandi rapiat; ipsumque à sensibus abstrahat, nullum possit esse perfectum judicium.

Atque id iterum repetit 2. ad Cor. 12. lect. 1. *Modus*, inquit, *naturalis humanæ cognitionis est ut cognoscat simul per vim mentalem, quæ est intellectus, & corporalem quæ est sensus. Et indè est quòd homo non habet in cognoscendo liberum judicium intellectus, nisi quando sensus fuerint in suo vigore benè dispositi, absque aliquo ligationis impedimento: aliàs cùm impediuntur, etiam judicium intellectus impeditur, sicut in dormientibus.*

Certum itaque est, nec de D. Thomæ sententia dubitari potest; nunquàm esse perfectum judicium, nisi tùm intellectus, tùm sensus simul concurrant, & omninò soluti sint. Quòd si vehementi operatione sensus usu suo priventur, nullum judicium esse potest.

Atque inde spontè consequitur, nullam esse posse in Extasi, Raptuque perfectam libertatem: Si quidem ut jam initio supposuimus, nulla esse potest libertas, nisi perfectum sit rationis judicium, quod est regula libertatis: Atqui cùm sensus ligati sunt, nullum esse potest perfectum judicium: & in Extasi, Raptuque intelligitur abstractio, & alienatio à sensibus; siquidem exhauriuntur vires animæ, & in eo maximo conatu, cùm anima circa Divina contemplanda versatur, minimè sufficiunt animæ vires, ut simul externis rebus intendat: & æquum etiam est, ut dum Deus animæ loquitur, omnis ipsi natura sileat: Ergo in Raptu, & Extasi nulla remanet libertas.

Eadem iterum habet Divus Thomas præter superiora, probatque expressiùs nullam esse libertatem, nullumque meritum cum abstractione à sensibus quæst. 13. de Verit. art. 1. ubi cum de Raptu ageret, quo vel solo nomine intelligitur vim inferri animæ, quæ à suo connaturali agendi modo dimovetur; Objicit sibi argumentum, quod adversari videri posset: quòd scilicet parùm deceret Divinam bonitatem, si cùm animam velut in signum amoris complectitur, & ad se rapit, eam libertate spoliaret. Hoc enim idem argumentum sibi objicit Sanctus Doctor eo loco, ubi refert statim definitionem Raptus, quæ tunc solemnis erat. Describitur, inquit, Raptus à Magistris: *Raptus est ab eo quòd est secundùm naturam, in id quod est contra naturam, vi superioris naturæ, elevatio.* Tum verò objicit sibi n. 5. *Si modus hominis quantùm ad aliquid mutatur, non mutatur hoc modo, quòd hominis bonum auferatur: quia Deus non est causa quare homo sit deterior, ut S. Augustinus dicit lib. 83. q.q. Id bonum hominis est secundùm rationem vivere, & voluntariè (ac liberè) operari, ut patet per Divum Dionysium 3. de Divinis Nomin. Cùm ergo violentia sit contraria voluntario (& libero,) & bonum rationis evacuet; ex hoc enim necessitas est coristans quòd est contraria volũtati, ut dicitur 5. Metaphys. videtur quòd divinitùs non fiat in homine aliqua violenta elevatio contra naturam, quod tamen videtur in Raptu, ut ipsum nomen importat.*

En planè argumentum superius quod etiam quidam objiciunt. Quidam enim Recentres existimant, etiam in omni Raptu, & Extasi perfectam libertatem supereſſe. Quod enim, quiunt, beneficium Deus animæ confert, cùm eam ad se rapit, si eam rationis, & libertatis, meriti, bono privat, quod tamen bonum maxium existimandum est? Verùm respondet S. Thomas, & paucis: *Quòd opus hominis, ex hoc tod habet bonitatem meriti, exigit ut sit secundùm rationem, & voluntatem*, & quidem liberam: *d bonum quod ei confertur in Raptu, non est hujusdi. Unde non oportet, quòd procedat ex voluntat* & libertate) *humana, sed sola virtute Divini* Hæc ibi Sanctus Thomas. Ubi expressè inqu, bonum quod in Raptu animæ confertur, non sit ut tunc

ha-

habeat uſum libertatis, & meritum: nimirum quia, ut inquit in corpore, *Operatio quâ ſolis intellectualibus intendit, omnibus inferioribus prætermiſſis, non eſt ejus in quantùm eſt homo, ſed in quantùm aliquid in eo Divinum exiſtit*. Nam ut immediatè anteà dixerat: *Operatio hominis propria eſt intelligere mediante operatione, & ſenſu.* Neque tamen exiſtimandum eſt deterioris fieri conditionis hominem, ſi pro eo ſpatio, libertate, & merito privetur: tum quia hic ſtatus quædam eſt, & major participatio æternæ Beatitudinis, in qua libertas in neceſſitatem tranſit: neque enim ad libertatem per ſe pertinet, ut circa Deum, & ultimum finem verſetur, ſed hujus magis infelicitas eſt. Unde beneficium quod tunc in Raptu, & Extaſi confertur animæ, ad quandam meriti mercedem magis pertinet, quàm ad ipſum meritum. Neque neceſſe eſt quòd ipſum tunc augeat; quamvis etiam poſteà augeat maximè, cùm inde anima ad vehementiorem amorem Dei accendatur. Unde advertit ſtatim S. Thomas ad 6. diſcrimen eſſe inter intellectum, ac etiam voluntatem, & ſenſum; quòd *Cùm ſenſus ab excellenti ſenſibili movetur, corrumpitur, ut non poſſit poſtmodum minora ſenſibilia cognoſcere: ſed per hoc quòd intellectus accipit de intelligibili excellenti, confortatur, ut meliùs poſtmodùm poſſit minora intelligibilia cognoſcere*. Atque ea confortatione anima cùm ex altiori illo gradu ad inferiorem redit; multò ferventiores virtutum actus elicit, quàm ſi nunquam ad eum gradum evecta fuiſſet. Unde facilè ea jactura meriti quod admodum modico tempore amittitur, abundè poſteà majori compenſatur.

Ac demùm etiam quamvis tunc hic animæ raptæ amor in ſe ſe formaliter liber non ſit, in cauſa tamen liber eſſe poteſt. Sicut dubio procul cùm ſe ſe turpes homines illicitis voluptatibus maculant, aut cùm ſe ſe in vehementiſſimos iræ æſtus abripi ſinunt, etſi tunc nulla remaneret in actu libertas, eſſet tamen virtualiter, & in cauſa: antecedit enim etiam tunc deliberatio, & advertentia rationis, unde non amittitur deinde libertas, ſed exercetur: jam enim liberè eſt applicata voluntas. Neque enim neceſſe eſt etiam ad virtutis actum, ut perpetuò maneat applicata ratio. Ut enim inquit D. Thomas 2.2. qu. 158. de Ira art. 1. ad 2. *Non eſt cõtra rationem virtutis, ut intermittatur deliberatio rationis, in executione ejus, quod eſt à ratione deliberatum; quia etiam ars impediretur in ſuo actu, ſi dum debet agere, deliberaret de agendis*. Vide ſuperiùs dicta.

Hactenus fusè ſatis explicuimus, nullum (ex communi ſaltem lege) in Raptu, & Extaſi reperiri poſſe libertatis uſum; quòd nimirùm ea vehemens operatio, quæ Extaſim immittit; aut, quod majorem vim ſignificat, quâ Deus animam ad ſe rapit, eam à rebus omnibus ſenſibilibus abſtrahat, ut eam in abſcondito faciei ſuæ veluti à conturbatione hominum, ac rerum ſtrepitu tegat, & in argumentum amoris amplectatur: tunc enim occluſis veluti viis quibus ad ſenſibiles res extra poſitas intellectus pertingere poſſet, ut cùm his, ſimilitudines rerum, quas percipit conferre poſſit; nullum poteſt eſſe perfectum judicium: ac ſubindè nulla libertas: cùm eam ex judicio rationis tanquam ex radice oriri, vel illo tanquam regula temperari neceſſe ſit.

Atque inde, ut diximus ſupra, argumentum efficax deſumitur, ad probandum, in his omnibus orationis gradibus, quos ex S. Thereſia deſcripſimus, & in quibus non poteſt non eſſe efficaciſſima motio Divina, illæſam tamen integramque libertatem ſupereſſe. Etenim ex communi regula contrariorum: Si ideò in Raptu, & Extaſi, quia fit abſtractio à ſenſibus, nullum poteſt eſſe perfectum judicium, neque ulla remanet, aut remanere poteſt libertas: Ergo è contra, quoties nulla fit abſtractio à ſenſibus, quoties perfectus eſt ſenſuum uſus, nihil vetabit, quominus ſit perfectum judicium, ſitque etiam integra, & illæſa libertas: Atqui quoties anima ex donis Spiritus Sancti efficaciſſima motione movetur, quoties ad eos ſublimes orationis gradus, quamvis extra ſe anima minimè rapiatur, attamen agitur ſemper magis quàm agat ob eam ſingularem motionis Dei efficaciam: Ergo nihil vetat quominùs ſit cum his donis Spiritus Sancti, & in his gradibus orationis, & perfectum judicium, & perfectiſſima libertas. Atque id

Confirmatur, & evidentiſſimo argumento probatur tunc adeſſe perfectum judicium, quia ideò ex Sapientiæ dono anima ſingulariter, & efficaciſſimè movetur, ut de rebus perfectius judicium aſſequatur. Convenit enim Sapientiæ donum cum ſapientia intellectuali virtute, quòd ad utramque de rebus perfectum judicium pertineat, ideòque ſapientia de rebus diſponat, & ordinet. At verò ea ſolùm ratione Sapientiæ donum ſapientiam virtutem ſuperat, quòd ſapientia virtus ex ſimplici inſpectione primorum principiorum, & altiſſimarum cauſarum de inferioribus judicet, ac ordinet: at verò Sapientiæ donum de iis rebus ſentiat, & judicium ferat, ex connaturalitate, unione, & transformatione cum rebus Divinis, quas perſentit, & altiſſima cauſa à qua movetur, ut ſupra explicuimus: Ergo non poteſt non eſſe perfectiſſimum judicium ubi eſt Sapientiæ donum, cùm ad ipſum ferendum judicium Sapientiæ donum intellectus dirigat: Ergo non poteſt etiam non eſſe perfecta libertas, cùm libertatis origo, & regula judicium ſit: Atqui cum eo dono Sapientiæ conjuncta eſt efficaciſſima gratiæ Divinæ motio, ſicut & cum aliis Spiritus Sancti donis: Ergo & cum ea efficaciſſima Dei motione conjuncta eſt perfectiſſima libertas, eòque perfectior, quò judicium perfectius eſt.

Atque inde colligitur, quòd nec ſemel obſervavimus, reformandam eſſe libertatis notionem, quæ cum Divinæ motionis efficacia conjungi non poteſt. Inflecti enim neceſſe eſt, ut recta ſint, quæ cum ſua regula conjungi non poſſunt. Curva libertas eſt, quæ etiam ad malum tendit, neque ea veræ libertatis natura aut

per-

perfectio esse potest. Corrigatur igitur, & inflectatur necesse est, si cum sua rectaque regula, Divina scilicet voluntate, & operatione, quæ *Virga directionis est, coaptari*, & ut loquitur S. Augustinus in Psal. 44. *Collineari* non possit: Atque ea erit veræ libertatis summa perfectio. *In ira populos confringes*, Psal. 55. & ut legit D. Augustinus: *In ira populos deduces*. Quid aget dum blanditur, si deducat cùm irascitur? Hæc una esse debet veræ libertatis notio, ut humilis, patiensque jugi, & subjecta sit Deo: aliena est, quæ jugum, & subjectionem ferre non potest.

Confirmatur: quòd aliquando veluti ex lege extraordinaria, & privilegio contemplatio possit esse adeò perfecta, ut cum ea conjungi possit perfecta libertas. Atque id probatur ex Divo Thoma: quia idem in contemplatione contingere potest, ut in Prophetia, de quo dubium non est: Atqui interdum adeò sublimis esse potest Prophetia, ut in eo perfectum sit intellectûs judicium, perfectaque libertas. Etenim cùm explicat D. Thomas, quod 3. Reg. 3. refertur: *Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: postula quod vis, ut dem tibi*: Et alia, quibus constat optionem postulandi quod vellet Salomoni datam, & postulatam fuisse à Salomone in somno sapientiam, & à Deo ipsi concessam fuisse: refert D. Thomas duplicem modum, quo explicari id possit: 1.2.qu.113. art.3.ad 2. In primis enim concedit: quòd *Salomon dormiendo non meruit sapientiam, nec accepit*: *Sed in somno declaratum est ei, quòd propter præcedens desiderium ei à Deo sapientia infunderetur*. Idque concedit ea ratione, quòd *In dormiendo homo non habet usum liberi arbitrii*, adeòque nec meritum, cujus fundamentum est ipsa libertas. Verùm statim addit alterum explicandi modum. *Vel potest dici quòd ille somnus non fuit naturalis, sed somnus Prophetiæ, secundùm quod dicitur Num. 12. „ Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*: „ *in quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet*.

Plurima alia addit D. Thomas quæst. 28. de Verit.art.3. quæ maximam superioribus afferent lucem, & quæ licèt paulò longiora, prætermittenda non sunt. Cùm ad justificationem usum liberi arbitrii requiri affirmasset, objicit sibi n.6. quòd Salomon sapientiam accepit dormiens absque usu liberi arbitrii: Verùm

Dicendum inquit, *quòd ad hoc potest tripliciter responderi. Uno modo: ut dicatur, quòd somnus ille in quo Salomoni fuit sapientia infusa, non fuit somnus naturalis, sed somnus Prophetiæ, de quo habetur Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum. In hoc autem somno usus liberi arbitrii non ligatur. Alio modo potest dici, quòd sicut ad infusionē justitiæ requiritur quòd volūtas, quæ est ejus subjectū convertatur ad Deum, ita in infusione sapientiæ requiritur quòd intellectus cōvertatur ad Deum. In somno autē potest intellectus converti ad Deum, non autē liberū arbitrium vel voluntas; cujus ratio est, quia ad intellectū duo pertinent, scilicet percipere, & judicare de perceptis. Intellectus autē in dormiendo non impeditur, quin aliquid percipiat, vel ex his quæ priùs cōsideravit, unde quandoque homo dormiendo syllogisat; vel ex illustratione alicujus substantiæ superioris, ad cujus perceptionē intellectus dormientis est habilior, propter quietem ab actibus sensuum, & præcipuè phantasmatibus quietatis*: *Unde dicitur Job 33. „ Per somniū in visione nocturna quando sopor solet occupare homines, & dormiunt in lectulo suo, tunc aperit aures virorū, & erudiens eos instruit disciplina. „ Et ista est causa præcipua, quare in somnis prævidentur futura. Sed perfectū judicium intellectus non potest esse in dormiendo, eò quòd tunc ligatus est sensus, qui est primum principium nostræ cognitionis. Judicium autem fit per resolutionem in principia*: *Unde de omnibus oportet nos judicare secundùm id quod sensu accipimus, ut dicitur in 3. Cæli & Mundi. Usus autē liberi arbitrii sequitur judicium rationis*: *& ideò usus liberi arbitrii per quem voluntas in Deum convertitur in dormiendo sufficiens esse non potest*: *quia etsi sit aliquis motus voluntatis, magis sequitur phantasiam, quàm judiciū completum rationis. Et ideò homo in dormiendo percipere potest sapientiam, non justitiam. Tertio modo potest dici, quòd intellectus cogitur ab intelligibili; voluntas autē non potest cogi ab appetibili: & ideò absque usu liberi arbitrii potest infundi sapientia, quæ est rectitudo intellectus, non autem justitia, quæ est rectitudo voluntatis*.

Hactenus Divus Thomas: quibus ea omnia quæ fieri potuerunt complectitur, & explicat: cùm alioquin quid reipsà factum sit non satis constare possit, ut & in cæteris quæ ex sola Dei voluntate dependent, neque singularium ulla possit esse certitudo nisi à Deo revelata fuerint. Certum equidem est, hæc in somnis Salomoni contigisse: Id enim expressè Scriptura Sacra significat: *Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte &c.* & deinde: *Igitur evigilavit Salomon, & intellexit quòd esset somnium*. Prætereà dubium non est, quin aliquid singulariſſimum hoc somnium habuerit ex parte ipsius Dei, qui Salomoni *Per somnium apparuit*: ac ex parte ipsius Salomonis, qui longa satis oratione à Deo sapientiam postulavit. At verò id duplici modo fieri potuit. Primò ut intellectus dumtaxat ad Deum converteretur: Secundò, ita ut etiam ipsa voluntas converteretur. Necesse enim est, quòd *Sicut ad infusionem justitiæ voluntas convertitur ad Deum, ita in infusione sapientiæ, intellectus convertatur ad Deum*. At verò si in eo Salomonis somno mens solùm ad Deum conversa fuerit: necesse non est, quòd tunc habuerit Salomon perfectum judicium, usumque liberi arbitrii. Et satis quidem erat ea mentis conversio, ut sapientiam perciperet: Sed non erat satis ut libertatem perfectumque liberi arbitrii usum haberet. Quin etiam neque etiam hic status somni aliud exigebat. Sed cùm jam constitutus Rex ardentissimo sapientiæ adipiscendæ desiderio flagraret, ut rectè populum sibi cre-

creditum, ſuoque ſubditum imperio regeret: potuit deinde cùm Deus in ſomnis ipſi apparuit, ex concepto deſiderio, longa illa ſatis oratione, à Deo ſapientiam poſtulare: ſicut interdum animæ ſanctæ, jam Divino amore accenſæ, ſi quando in oratione ſomno corripiantur, aut aliàs etiam in ſomno, eoſdem ac plures alios actus eliciunt: Sic Cant. 2. Sponſæ ſomnus refertur, in quo Divina dicebat, quæ ſolus ſuggerebat amor. Vide Soto ibid. Ita enim fieri ſolet, *Quæ ſenſu volvūtur, vota diurno: tempore nocturno reddit amica quies*: Claud. ut neſcio quis dixit. Imò & interdum majori ardore accendi ſe ſentiunt, & fuiſſe accenſas recordantur; quamvis ſopitis ſenſibus non poſſit eſſe perfectum judicium, neque perfecta libertas niſi eo modo quo explicuimus. Unde ſi novam in eo ſtatu gratiam perciperent, non eſſet propter præſentem formalem eorum actuum quos eliciunt libertatem, ſed propter antecedentem, ac virtute relictam. Ita verò contigiſſe Salomoni nihil eſt quod exiſtimare prohibeat: & forſitan Scripturæ Sacræ contextui ea explicatio eſt conformior; cùm expreſsè dicatur, quòd *Evigilavit, & intellexit quòd eſſet ſomnium*: nihilque habeat ea explicatio quod repugnet. Et ſignificat quidem ſingularem gratiam fuiſſe Salomoni conceſſam, cùm ipſi in ſomnis Deus apparuerit: ſed tamen non fuiſſe conceſſam omnium maximam, cùm intellexerit fuiſſe ſomnium: ſed fuiſſe inferiorem aliis, quæ Prophetis conceduntur, quæque in Scriptura aliis ſolent verbis ſignificari: ut cùm dicitur: *Dominus erigit mihi aurem: cecidit ſuper eum ſpiritus Domini. Aſſumpſit me ſpiritus.* & alia ejuſmodi, quæ ſingulariſſimam, & multò majorem vim, & revelationem ſignificare videntur, quàm eam, quæ ſolùm in ſomnis à Deo fit.

Sed cùm aliter fieri potuerit: neque res omninò certa ſit, potueritque nedum ſola mens, ſed etiam ipſum liberum arbitrium in Salomone ad Deum converti, actum neceſſe fuerit ipſum habuiſſe perfectum judicium: ſi ita contigerit, tunc inquit Divus Thomas, quòd *Non fuit ſomnus naturalis, ſed ſomnus Prophetiæ*: Non quòd ideò ceſſaverit naturalis ſomnus, cùm expreſsè Scriptura ſomnum nominet, à quo deinde evigilavit: ſed quòd in ipſo etiam ſomno gratia Prophetiæ conceſſa fuerit: & tum perfecta eſſe potuit libertas, perfectumque meritum, ſubindèq; perfectum rationis judicium: *In hoc enim ſomno uſus liberi arbitrii non ligatur.* Enimverò cùm ejuſmodi gratiæ à Deo ut ipſi libenter concedantur, neq; in his exigentia naturæ requiratur, cùm ſupra naturam ſint, & potentiæ evehantur: dubium non eſt, quin varii gradus eſſe poſſint, ut etiam explicat Divus Thomas 2. 2. quæſt. 174. Interdum enim ſolùm præconceptæ ſpecies variæ diſponuntur, ut revelata repræſentent: interdum novæ in imaginatione ſpecies infunduntur: Interdum ſpecies dumtaxat intelligibiles menti imprimuntur, ad veritatem aliquam purè intelligibilem percipiendam, quæ omnium in genere Prophetiæ maxima perfectio eſt. Sed tamen ſemper augetur vis ipſa naturalis mentis majori lumine, ſi vera Prophetia ſit, quo perfectius ſcilicet de veritate revelata judicium fiat: quia cùm hæc duo, acceptio ſpecierum, ac judicium ad Prophetiam pertineant, magis judicium pertinet, inquit D. Thomas 22. 173. 2. Unde Joſeph qui viſa à Pharaone explicat, veriùs Propheta eſt quàm ipſe Pharao. Quare cùm tot gradus eſſe poſſint: poteſt etiam interdum cum alienatione à ſenſibus eſſe perfectum judicium, ut in ſomno Prophetiæ *in quo uſus liberi arbitrii non ligatur*. Atque id omninò neceſſe eſt, ſi vera ſit Prophetia: quia, ut inquit Divus Thomas qu. 8. de Verit. art. 12. *Non poteſt eſſe aliqua Prophetia, quæ habeat acceptionem, ſine judicio: unde nec imaginaria viſio eſt ſine intellectuali*. In eo verò judicio, ut diximus, maximè poſita eſt ratio perfectioque Prophetiæ.

Quo pacto verò judicium, & libertas eſſe poſſint multis modis fieri poſſe videtur. In primis ſi novæ à Deo infundantur ſpecies intelligibiles, & in ea puriſſima altiſſimaque veritatis intelligibilis cognitione anima ſiſtat ſine converſione ad phantaſmata. Ita enim fieri poſſe quidam exiſtimant, ac ejuſmodi arbitrantur fuiſſe cognitionem Adami in extaſi. Verùm non ea eſt hujus vitæ cognitio: neque etiam ad Sanctitatis ullum ſtatum pertinet; niſi ex ſingulariſſimo privilegio Virgini Deiparæ, & Adamo conceſſa fuerit, cùm etiam Sanctiſſimæ Virgini altiorem Dei cognitionem, ac intuitivam viſionem Divinæ eſſentiæ aliquando conceſſam fuiſſe exiſtimetur. Unde dumtaxat Chriſto privilegium eximium fuiſſe arbitratur D. Thom. 3. par. qu. 11. & animæ beatæ, quæ beatitudinis jure, & ex ſummo imperio quod habet in proprium corpus, poteſt ſine ea dependentia à phantaſmatibus intelligere. Et ſi pro hoc ſtatu poſſet ſine phantaſmatibus veritates intelligere, poſſet & ſubſtantias ſeparatas videre, de quo D. Thomas 3. par. quæſt. 11. art. 1.

Sed prætereà hic modus quòd ad præſens inſtitutum attinet, minimè neceſſarius eſt, cùm altera eſſe poſſit ſublimis cognitio, etſi aliqua ſit ad phantaſmata converſio: cùm infunduntur ſcilicet ſpecies intelligibiles, & non ab ipſis phantaſmatibus puriores intelligibiles ſpecies eliciuntur; ſed è contra ex ipſis ſpeciebus intelligibilibus infuſis, aliæ paulò obſcuriores in phantaſia conjunguntur, ut magis proportionatæ ſint & uſui aptiores. Ita enim inquit D. Th. q. 12. de Verit. ar. 12. *Quòd acceptio ſupernaturalis dupliciter eſſe poteſt. Quia vel eſt acceptio ab imaginatione: utpotè quando divinitùs in ſpiritu Prophetæ rerum imagines formantur*: & hic ſolitus eſt etiam modus cognoſcendi: & tum ex phantaſmatibus aliæ puriores ac magis intelligibiles eliciuntur. *Vel eſt acceptio ab intellectu, utpotè quando ita clarè veritatis cognitio intellectui infunditur, ut non ex ſimilitudine aliquarū imaginum* (& phantaſmatum) *veritatem accipiat; imò ex veritate jam perfecta* (ac ſpeciebus infuſis) *ipſe ſibi imagines formare poſſit, quibus utatur propter naturā intellectus noſtri*: tū etiā ut addit ad 2. *Fit derivatio luminis propheti-*

ci

ci ab intellectu ad imaginationem. Cùm enim visio solùm intellectualis est, non ideò tamen existimandum est, non esse aliquam in imaginativa similitudinem: sed tum inquit D. Thomas, *Tota plenitudo propheticæ revelationis in intellectu percipitur, & exindè secundùm intelligentis arbitriũ, in imaginativa congruæ formãtur imagines, propter nostri intellectus naturam, qui sine phantasmatibus intelligere non potest*. Ut sicut pro hoc statu viæ intellectus cum imaginativa conjunctus est, ita etiam sit utriusque potentiæ usus simul conjunctus. Atq; id explicari magis potest ex his quæ habet D. Thom. in 3. dist. 14. q. 1. a. 3. q. 2. ea tamen proportione, ut hominibus pro hoc statu omninò necessarium sit, quòd Christo omninò liberum fuit. *Quia Christus*, inquit, *cognovit intellectu possibili, cujus est objectum phantasma, ideò cognovit ea cum continuo & tempore, utens phantasmatibus, quasi objectis intellectus, non sicut ab eis species accipiens, sed sicut species circa eas ponens. Sicut contingit in eo qui habet habitũ & actu aliqua considerat.* Hæc D. Thomas, quæ magis quæst. sequenti ita explicat: Intellectus *se habet ad phantasmata dupliciter. Uno modo sicut accipiens à phantasmatibus scientiam, quod est in illis, qui nondùm scientiam habent, secundùm motum qui est à rebus in animam. Alio modo secundùm motum, qui est ab anima ad res: inquantùm phantasmatibus utitur, quasi exemplatis, in quibus inspicit quod considerat, cujus tamen scientiam priùs habebat in habitu*. Hactenùs ibi.

Hæc igitur sublimis illa cognitio, quæ pro hoc statu concedi solet, & quæ omnium altior est, & dicitur purè intellectualis, cùm ut inquit D. Thomas ex D. Augustino, *Mens rapitur à sensu, & ab imaginatione usque ad intellectualem visionem*, veluti tertiũ Cælum: q. 13. de Verit. à 2. ad 9. quamvis tamen, ut diximus, non ideò necesse sit fieri sine ulla omninò ad phantasmata conversione: & ea tribuitur à D. Thoma Adamo, ut aliàs retulimus: tum ibidem, tum etiam q. 18. de Verit. ar. 2. ubi inquit: *Quòd ex perfectione gratiæ habebat homo in statu innocentiæ ut Deum cognosceret per inspirationem internam, ex irradiatione Divinæ Sapientiæ: per quem modum Deum cognoscebat, non ex visibilibus creaturis, sed ex quadam spirituali similitudine suæ menti impressa*. Atque ea cognitio, *quâ cognoscebat Deum conformiter Angelis per inspirationem* internam, & per speciem menti impressam; quamvis nec necesse foret, ut sine ulla imaginativæ specie adjuncta, ea impressa specie uteretur, ut ex D. Thoma explicuimus; sed è contra communis status viatoris ita exigeret. Et eadem sublimis est altissimaque contemplatio, quâ interdum animæ sanctæ, veluti raptim ex singulari privilegio potiuntur, cùm potissimùm speciebus infusis Divina mysteria, ac supernaturales veritates ipsarum menti exhibentur, ac simul ut iis utantur aliæ, quamvis etiam purissimæ, & ut ita dicam, tenuissimæ species eliciuntur, adeò ut vix ipsa imaginativa aliquo phantasmate uti videatur. Sed tamen ex hujusmodi speciebus infusis aliquas deinde exprimi, quamvis & hæ purissimæ sint ex D. Thoma diximus: cui sanè in his quæ ad contemplationem pertinent expertissimo, omninò Fidem habendam esse censeo; cùm toties ipsum in extasim raptum fuisse constet: adeò ut paulò ante mortem in castro suæ Sororis Comitissæ Sancti Severini, quam iturus ad Lugdunense Concilium inviserat, profundissima per tres fermè dies extasi absorptus sit, quâ etiam imminentem è vita discessum, laborumque finem proximum, revelatione accepit. A quo tamen dictum est, quòd etiam in ea omnium perfectissima contemplatione, quæ purè intellectualis dici solet, & omnium sublimius est prophetiæ genus, *Fit derivatio* aliqua *prophetici luminis ab intellectu ad imaginationem*. Neque me legisse unquam memini etiam de Viris sanctissimis dictum, qui ad altissimam contemplationem evecti sunt, aut etiam de ullo Prophetarum, quamvis illud prophetiæ donum, quod purè intellectuale dici solet ex speciebus intelligibilibus infusis, ipsis concessum fuerit: quòd unquam Angelos in propria substantia viderint, aut se vidisse testati fuerint.

Hæc à nobis hactenus dicta sunt ut explicaretur quo pacto fieri possit, quod ex D. Thoma retulimus, quòd in *Somno prophetiæ aliquis usum liberi arbitrii habeat*. Id enim fieri potest cùm sopitis omnibus sensibus, in eaque perfecta à sensibus abstractione, qualis est vel in somno, vel in extasi, species infunduntur, ac simul etiam infunditur intellectuale lumen, quo perfectum judicium formatur. Hoc enim pertinere maximè ad donum prophetiæ jam diximus. At verò ex eo infuso lumine perfectum judicium efformari potest, ac tunc dubium non est quin simul possit esse perfecta libertas ac perfectum meritum.

Idque confirmari potest: quia etiã in altero prophetiæ genere, quod inferius est, etsi plena sit ad phantasmata potentiarum internarum conversio, esse possit ex lumine prophetiæ perfectum judicium integraque libertas. Atque id expressè docuisse videtur D. Thom. q. 13. de Verit. a. 2. ubi inquit: *Quòd per prophetiam elevatur mens hominis, ut quodammodò conformiter substantiis separatis intelligat, quæ sicut principia ita & conclusiones simplici intuitu sine deductione unius ex altero certissimè videat. Prophetia etiam differt* (inquit) *à Somnio & à Visione: ut Somnium dicamus apparitionem quæ fit homini in dormiendo; Visionem verò quæ fit in vigilando, tamẽ homine à sensibus abstracto: quia tã in Somno, quàm in Visione simplici, anima detinetur phãtasmatibus visis, vel totaliter, vel in parte. Sed in Prophetia etsi aliqua phantasmata videantur ut in Somno, vel in Visione, tamen anima Prophetæ illis phãtasmatibus non determinatur, sed cognoscit per lumen propheticũ ea, quæ vides nõ esse res, sed similitudines aliud significantes, & earum significationem cognoscit: quia intelligentia opus est in visione, ut dicitur Daniel. 10.* Hactenus D. Thomas: quibus constat, quòd etiam cùm plena est conversio ad phantasmata, qualis

est

est in somnio, aut simplici visione; qua variæ in imaginativa species repræsentantur; si superveniat prophetiæ lumen, perfectum fit judicium; discerniturque, ea quæ videntur non esse res ipsas, sed rerum similitudines, earumque significatio à Propheta cognoscitur. Quòd si perfectum judicium sit poterit etiam esse & plena libertas, ac libertatis comes perfectum meritum. Atque ita in somnio Salomonis contigisse facilè existimari potest. Speciebus enim & sensibilibus & rerum sensibilium usum fuisse ipsa satis narratio Scripturæ significat. In memoriam enim revocat gratumque Deo animum exhibet, quòd ipsum ad solium evexisset, eamque etiam parenti suo Davidi gratiam contulisset, ut super solium sedentem filium haberet; & alia ejusmodi plurima quæ omnino singularia sunt: sed superveniente supernaturali lumine, purgatisque veluti internis potentiis, quæ vaporibus, ut in somno solet, inficiuntur & impediuntur; perfectum judicium, perfectamque libertatem habere potuit, qua perfectissima longaque satis oratione à Deo & Sapientiam peteret, meritoque orationis etiam impetraret.

Atque ex his demum constat, quod ipsa articuli Epigraphe proposuimus: etiam in perfectissima contemplatione integram manere posse libertatem, non solùm in ea de qua superiùs locuti sumus, & ex Diva Teresia explicuimus, quæ in gratibus inferioribus sistit: sed etiam in ea omnium suprema, quæ cum Extasi, & à sensibus alienatone conjuncta est: Atqui ut illud etiam quod jam supra satis prosecuti sumus & cujus causa hæc omnia pertractamus, huc revocemus: fieri non posse videtur, quin efficacissima sit ea motio, cùm adeò vehemens sit, ut animam omnino à suo statu amoveat, eamque supra sensus evehat, & quocumque semper potissimum in contemplatione ut & durissimum est: eam ardentissimo amore accendat, ac purissimis delitiis impleat. Unde non immeritò Sanctitatis privilegia omnia, tot clarissimæ divinæ gratiæ ac divinæ motionis, sua ipsa vi efficacissimæ, argumenta dici possunt. Qui enim eri possit, sola motione morali, tantum ut dixmus supra, in anima incendium excitari, aut ea e suo statu naturali, etiam quantùm ad modum agendi, dimoveri? Nam etiam & hæc actio moralis potest non esse physica, & efficacissima, qua intellectus, voluntas, cæteraque potentiæ, e suo connaturali modo agendi dimoventur, & abstrahantur, ac supra seipsas evehuntur. Et sanè mirum esset, quòd dum cæteræ omnes potentiæ animæ, in manu Dei sunt, quas purgat, quas perficit, quas evehit, & ad se se specialissima ac physica etiam operatione applicat; sola ab ea felicissima sorte voluntas exciperetur, quæ tamen principuas in eo negotio partes habet, & cujus gratiæ tera omnia fiunt. Puto quòd dum ad eum statum evehitur, & intensissimo amore flagrat, ac vel ipsa sua omni libertate spoliari, si impedimento ea libertas esset, quin omni genere operatio à Deo perficeretur, eamque omnem persentiret, & experiretur. Verùm neque illud necesse est: nullum enim exhibet etiam physicæ operationi impedimentum libertas: unde dumtaxat necesse est, ut communis libertatis notio reformetur, & ea quam nos ex D. Thoma satis explicuimus, admittatur; qua divinæ operationis ac divinæ motionis vim omnem sustinere possit cùm ita constitutam esse libertatem existimandum sit, ut divinæ motionis vim etiam omnipotentissimam sine læsione ferat, atque inde etiam perficitur & fortior, firmiorque, ut & humilior evadat.

ARTICULUS VII.

Ex singularissima assistentia Spiritus Sancti qua Authores Canonici reguntur & inspirantur, probatur efficax motio Divina.

COnfirmari superiora omnia possunt ex motione Divina qua Canonici Authores in scribenda Scriptura Sacra specialissimè movebantur, adeò ut ad omnia sigillatim verba scribenda, à Deo impellerentur. Quam quidem gratiam in statu innocentiæ potuisse esse dubitari non potest. Et quidem ita dignitas ipsa, & majestas, ac sanctitas divinæ Scripturæ postulare videtur: cum eæ dotes adeò superarent Scriptorum Canonicorum vim omnem intelligendi, ut non aliud quàm instrumenta à Spiritu Sancto assumpta esse possent, & cuilibet non minus quàm Davidi illud usurpandum foret, *Lingua mea calamus scribæ*. Unde & præclarè D. Gregorius Præfatione in Job observat parùm solicitum esse oportere, quis sit illius libri Author. *Quando enim* inquit *Scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo perscrutamur*? Sed jam plura præmiserat D. Gregorius quæ magni ponderis sunt neque hic prætermitti debent. *Quis hæc scripserit* inquit loquens de Jobi historia de cujus Authore non constat: *valdè supervacue quæritur, cùm tamen Author libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit: ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit; & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus; ridiculum profecto esset, si non epistolarum authorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare quæreremus. Cùm ergo rem cognoscimus ejusque rei Spiritum Sanctum Authorem tenemus quando scriptorem quærimus, quid aliud agimus nisi legentes litteras de calamo perscrutamur*? Hæc ibi. Enim verò ut alibi inquit idem D. Greg. lib. 4. Epist. 4. qua Theodorum medicum ad legendam S. Scripturam hortatur: *Quid est Scriptura S. nisi*

quædam Epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam? Unde ut puto nemini olim in mentem venerat, ut negaret, aut nemo nunc eam Scripturæ Sacræ prærogativam negat scilicet singula etiam Scripturæ verba à Spiritu Sancto dictata esse, nisi ea ratione aut sola aut præcipua, quod alioquin nullus libertati locus relinqueretur, nisi saltem Scriptorum Sacrorum arbitrio relictum fuisset, ut verbis quibus vellent veritates sibi revelatas explicarent. Unde & aliqui Theologi existimant, Deum quidē revelasse in communi veritates quas scribi vellet, sed reliquisse arbitrio Scriptorum, ut verbis quibus ipsi vellent uterentur: singulari tamen providentia invigilasse, ne in scribendo errarent, & laberentur: sicut quidam inquiunt, nutrix cùm puerū ut ad se veniat advocat, manus ei porrigit, blandis eum verbis invitat, cavetque potissimùm ne labatur.

Verùm quàm parum Sacræ Scripturæ dignitati tribuat hæc sententia, quis non videat? vix enim major ea providentia est quàm ea qua Deus circa confirmatos in gratia invigilat, ne labantur, & à gratia excidant: nec certè eo modo explicata, major intelligi potest, quàm ad minus intelligi necesse sit cùm Deus speciali providentia adest Conciliis, ne errent, dum fidei res definiunt,

Unde. *Primò* impugnari potest ea sententia, & probari, Scriptores Canonicos specialissima motione inspiratos & impulsos esse à Spiritu Sancto: quia Sacra Scriptura dicitur singularissimè verbum Divinum: ita ut nec etiam Definitiones totius Ecclesiæ de rebus fidei, quamvis solemnissimæ eam commendationem habere possint ut verbum Divinum dicantur: Atqui nisi esset singularissima ea Spiritus Sancti assistentia, & Divinus impulsus, qui singula etiam verba, minimosque apices, & dictaret, & per ipsos Scriptores Canonicos conscriberet; non minùs definitiones Ecclesiæ dici possent Verbum Divinum: cùm certissimum sit, non deesse Ecclesiæ singularem illam Dei providentiam, qua eam regit, ne in rebus quæ ad fidem pertinent, unquàm errare possit. Ergo &c.

Secundò. Probatur, quia Authores Canonici dicuntur Instrumenta quibus Deus specialissimè utitur, adeò ut cum S. Gregorio dici possit, quòd ipsemet Spiritus Sanctus ea scripsit. Nec sane id negari posse videtur, cùm illud apertè ea Psalmistæ verba significent, *Lingua mea Calamus scribæ velociter scribentis*: Atqui impossibile est, id cum ea blanda solùm invitatione nutricis componere, ut satis liquet: sed commodissimè ea comparatione, quam suprà retulimus explicari potest; cùm scilicet Ludimagister pueri elementa efformantis manum regit, ducit, & movet; eaq; est ipsius Scripturæ Sacræ comparatio verbis jam suprà allatis, *Lingua mea Calamus scribæ, velociter scribentis*: cùm interprete S. Thoma, his verbis Regius Propheta significaverit, se specialiter à Spiritu Sancto motum ea scripsisse: ac si diceret: Nemo intelligat, quòd ex proprio sensu, propriaque mente, hunc Psalmum ediderim: sed *Auxilio Spiritus Sancti, qui utitur lingua, sicut Scriptor utitur Calamo: Et ideò principalis author hujus Psalmi est Spiritus Sanctus*, 2. *Regum* 8. *Spiritus Domini locutus est per me, quasi per Instrumentum.* Simile illud est quod S. Augustinus dixerat in Psal. 34. *Apprendit animam meam*, quem S. Doctoris locum aliàs retulimus; ut & alterum quem ex eodem D. Augustino retulimus superiori Articulo in Psal. 49. *Loquitur Deus multis modis per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat ubique tangendo, modificando, inspirando*. Ubi hac unica voce à D. Augustino summo acumine & judicio usurpata, scilicet quòd Deus movet *Modificando*, solvuntur ferè omnia quæ adversæ sententiæ Authores congerunt, ut infra dicetur

Tertiò. Confirmatur hæc ratio ex eo quod vix intelligi possit, quòd Authores Canonici sine ullo studio scripserint, nisi ea ratione, quòd non propria naturali industria, sed Divino impulsu moverentur: qui impulsus, quod observandum semper est, non solùm mentem, sed & ipsam voluntatem afficiebat; nec solùm quoad indeliberatos actus, sed etiam quantùm ad liberos, cùm liberè sibi revelata scriberent: Atqui certum est, non propria naturali industria, sed sine studio ac labore scriptos esse ab Authoribus libros Canonicos: Ergo &c. Utraque Argumenti pars ex Sancto Ambrosio probatur in Luc. cap. 1. ad ea verba, *Quoniam multi conati sunt*. Ubi ita inquit: *Sine conatu sunt Dei donationes, & gratia Dei, quæ ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat sed redundet scriptoris ingenium. Non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus, non conatus est Joannes, non conatus est Lucas: sed Divino Spiritu ubertatem dictorum rerumque omnium ministrante, sine ullo molimine cæpta compleverit.* Hæc ibi: & vide in primis utrùm hæc cum ea comparatione satis consentiant, pueri attoniti, situbantis, & summo labore progredientis. Sed præterea inde habetur utriusque propositionis probatio: quia Divino Spiritu movebantur, ut Instrumenta & organa; ideoque ab hominibus aliquin rudibus & ignaris, sine ullo labore & studio ea scribi potuerunt, quæ summa etiam ingenia in admirationem convertunt, ut jam Piscatores Philosophorum Magistri evaserint.

Atque id præterea evidenter colligitur ex his quæ referuntur Jeremiæ 36. ubi cum Banch dictata sibi à Jeremia, coram populo primùm in templo, ac deinde coram principibus in domo Regis legisset; ab his interrogatus quomodo ea verba ex ore Jeremiæ scripsisset: *Dixit eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, & ego scribebam involumine atramento*. Ubi evidentissimè liquet, sine industria, & sine labore ea à Jeremia dictata fuisse. Neque alia hujus ratio esse potest, nisi quòd Spiritus Sancti motione & inspiratione etiam singula verba Jeremias addisceret. Unde etiam ibidem vers. ultimo dicitur, quod postquam jussu Joakim Regis Juda primum illud Volumen combustum

ſtum fuiſſet, Dei juſſu *Jeremias tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ ſcribæ, qui ſcripſit in eo ex ore Jeremiæ omnes ſermones libri, quem combuſſerat Joakim Rex Juda igni.* Quo pacto enim eadē & ſingula verba reparare Jeremias potuiſſet, niſi eadem Authore Spiritu Sancto dictata fuiſſent. Atque idem Divus Hieronymus ſenſit Epiſt. ad Paul. 14. ubi inquit, quòd *Quidquid aliis meditatio & continua exercitatio tribuere ſolet, iſtis hoc Spiritus Sanctus ſuggerebat.* Nec puto ullum ex Patribus aliud unquam ſenſiſſe.

Quartò. Probari præterea poteſt noſtra aſſertio, & adverſa ſententia impugnari: quòd interdum à Deo nedùm veritates in communi revelatæ fuerint, ſed etiam ipſa ſingularia verba, fuerint menti impreſſa, & ad ea in ſingulari tùm voce, tum ſcripto exprimenda, ſeu Prophetæ, ſeù Scriptores Canonici inſpirati, motique fuerint. Atqui id intelligi non poteſt ſine ſingulariſſima Dei motione prævia & effectrice, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Ergo &c. *Major* ex probatione Minoris & lumen & robur accipiet. *Minor* igitur: Probatur ex multis, tum quod interdum ſingulariſſima, & contra omnem uſum quædam myſteria revelata fuerint, nedum quoad res, ſed quoad ipſa verba: cujuſmodi ſunt ea, quæ ad ſymbola pertinent, qualia ſunt potiſſimùm in Ezechiele & Daniele quamplurima: ut cum deſcribuntur ſacra illa animalia Ezechiel. primo quorum *Erant pedes recti quaſi planta pedis vituli, & ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis* verſ. 5. Et deinde verſ. 15. *Cùmque aſpicerem animalia, apparuit rota una ſuper terram juxta animalia habens quatuor facies &c.* Quo pacto enim hæc in prophetæ mentem veniſſent, niſi re ipſa, eodem modo quo ſcripta ſunt, eodemque ordine, forma, & figura fuiſſent Prophetæ menti Divinitùs impreſſa. Idem ſentiendum quantùm ad ipſa verba quæ elegantiſſimas interdùm metaphoras continent, & quæ in Scriptura frequentiſſimæ ſunt. Ac potiſſimùm ultimo Capite Lib. Eccleſiaſtis, ubi ſelectiſſimis metaphoris varia ſenectutis vitia deſcribuntur. *Quando otioſæ erunt molentes in minuto numero*: dentes ſcilicet numero imminuti: *Et tenebreſcent videntes per foramina*; quantùm ad oculorum aciem debilitatam: *Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis*; aures ſcilicet quæ carminibus delectantur: *Quando florebit amygdalus*; dum canis homo reſpergitur: *Impinguabitur Locuſta*; cùm alvus intumeſcit; *Diſſipabitur Capparis* hebraicè אביונה *Ebionah* appetitus, ſeu libido. Ac deinde alia quæ multò difficiliora ſunt, & omnium interpretum ingenia exercent: *Antequam rumpatur funiculus argenteus*, cùm ſcilicet ſpina dorſi, ut eſt probabilius, quæ eſt protenſio cerebelli luxatur, quæ cauſa eſt cur homo incurvetur: *Et recurrat vita aurea*: Menynx intelligitur, ſeu pia Mater, ut vocant, quæ cerebrum conſtringit, coloris flavi; quæ cùm exſiccatur & corrugatur, frontis rugarum cauſa eſt. Alia ſunt ejuſmodi plurima: ut cùm mulieres *Species domus* vocantur Pſalm. 77. 13. & Job. 5, 24. Cùm Daniel. 11. 17. Cleopatram ob egregiam formam *Filiam fœminarum*, tanquam pulchritudinis omnium mulierum compendium, vocat. Quin etiam & in ipſis apicibus interdum myſteria latent. Eſai. 9. 7. *Multiplicabitur ejus imperium*, hebr. לסרבהמשרה *Lemarbeh hamiſrah* Ubi in prima voce contra regulas ortographiæ, cùm deberet eſſe *Mem* apertum, ſcribitur tamen *Mem* clauſum, ad ſignificandum ut quidam putant myſterium, quòd ubi de Chriſti imperio agitur, uſurpandæ ſint litteræ quæ nulla ex parte apertæ, ſed undique clauſæ æternitatem & ſtabilitatem ſignificent. E contra verò lib. 2. Eſdr. cap. 3. verſ. 13. ubi de direptione Jeruſalem agitur *Mem* finale quod clauſum eſſe debuerat המפרוצים *Hem. peruzim*: *ipſi* ſcilicet muri *rupti Mem* inquam finale apertum eſt, ut vel ipſa litteræ figura muros diruptos Jeruſalem ob oculos poneret. Unde celebre illud apud Judæos, *Non eſt in lege vel littera una à qua montes magni non dependeant.* Quodque majoris authoritatis eſt à S. Hieronymo in ca p. 3. ad Epheſ. dictum eſt, quòd ſinguli *Sermones, ſyllabæ, apices, puncta; in Divinis ſcripturis plena ſunt ſenſibus*. Neque temerè factam eſſe eam litterarum immutationem exiſtimandum eſt, cùm ea ſemper fuerit apud Judæos ſcribendi libros cura & ſollicitudo, ut ſi vel unica littera pravè exarata *Sapher chaneph* id eſt, liber prophanus cenſeretur.

Atqui, ut argumentum reſumamus; quæ hactenùs diximus, non poſſunt intelligi, niſi etiam ſingula verba, ſinguli apices, ac denique omnia, quæ in Scriptura Sacra continentur, à Spiritu Sancto Canonicis Scriptoribus dictata fuiſſent. At præterea inutile etiam foret, phraſium modos, vimque & energiam verborum, in Scripturis Sacris expendere, cùm ea minimè eſſent à Divino ſpiritu dictata; & magis in Prophetæ ingenium, quàm in Divinam ordinationem referenda eſſent cùm tamen, ut præſertim ex S. Hieronymo diximus, ſinguli SS. Scripturarum apices, ac puncta, ſuos ſenſus, ſuaque myſteria contineant. Atque eam fuiſſe omnium Eccleſiæ Patrum ſententiam ex eo facilè intelligi poteſt, quòd maximam diligentiam ſemper adhibuerint in exponendis etiam his, quæ minima videri poterant: neque aliter exiſtimari poteſt, niſi illud omnium omnino Sanctorum Patrum ſtudium, ut novum & inutile reprehendatur.

Quintò. Confirmatur ex duplici ſingulari loco Scripturæ Sacræ, unde etiam ſingula ipſius verba à Spiritu Sancto dictata fuiſſe evidentiſſimè convincitur. Etenim Exod. 25. cùm trajecto mari Judæi attoniti Deo canticum gratitudinis ergo caneret, Moyſes una ex parte ut dicitur Ibidem verſ. 1. *Cecinit Moyſes & filii Iſraël canticum hoc Domino; Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt &c.* Ex altera verò parte, ut dicitur deinde verſ. 20. *Sumpſit Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſuâ egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat: Cantemus Domino gloriosè enim magnifi-*

gnificatus est &c. Atque tunc accidit ingens illud & stupendum miraculum, quod observat Author Operis de mirabilibus Sacræ Scripturæ, inter D. Augustini opera, non enim esse Augustini ex stylo facile intelligitur. Observat igitur hic vetus Author lib. 1. cap. 21. quòd *Tunc enormi*, ut inquit, *satis admiratione accidit miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates, eodem inspirati flamine, uno quasi ore nulla præmotione edocti, easdem concinentes litteras cantarent in unum.* Atque eo sensu illud Sapientiæ cap. 10. vers. 20. intelligitur *Inimicos eorum* Judæorum scilicet, *demersit in mare..... Ideo Justi tulerunt spolia, & decantaverunt, Domine, nomen Sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter*: omnes simul, eosdemque versus, eademque verba, eodemque cantu concinentes. Quin etiam refert Veterum Hebræorum traditio, tunc ipsis etiam quibus natura usum linguæ negaverat, tum mutis, tum infantibus, solutis linguis ad easdem laudes Dei decantandas Divina virtute ora laxata fuisse: quod ipsa etiam Sapientiæ verba planissimo sensu explicata significant. *Quoniam Sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit disertas.*

Atqui in hoc ingẽti miraculo necesse fuit, quòd Divina motione eædem omninò species omnium mentibus imprimerentur, & eorum corda ad easdem laudes decantandas moverentur; & quidem liberrimè neque enim intelligi potest, Moysem, Aaron, aliosque primarios Viros Sanctissimos, instar fistularum eos sonos, verbaque edidisse; aut arreptitiorum instar, ut de Prophetis delirabat olim Montanus nesciisse quid canerent: sciebant dubio procul quæ dicerent, & Divinas laudes liberrimè celebrabant; & tamen fieri non potuit, quin ad eas laudes decantandas singularissimè moverentur.

Alter Scripturæ Sacræ locus, & insignior forsitan, quòd de eo minùs dubitari posse videatur, habetur Daniel. 3. vers. 51. ubi de tribus pueris in fornacem accensam injectis etiam refertur: *Quod hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes: Benedictus &c.* neque enim ulla verisimilitudo est, ipsos didicisse olim Sanctissimum illud canticum, *Benedicite*; & tunc Divinæ potentiæ vim mediis in ignibus illæsi persentiebant, ad illud decantandum excitaros fuisse. Momento edocti sunt ut toties aliàs Prophetæ momento edocebantur, ut de Saüle anteà dictum est, qui momento immutato corde easdem didicit laudes, quas cæteri Prophetæ, & Prophetarum filii decantabant. Idem accidisse necesse est si verum sit miraculum quod ex Patribus plures agnoscunt in Versione 72. Interpretum, quodque miraculum refert Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 25. Cum enim Ptolomæus Rex optaret, Divinam Scripturam in græcam linguam transferri, ac petiisset à Jerosolimitis Viros eruditos mitti, & missi fuissent Viri Septuaginta duo, scilicet sex ex qualibet Tribu: *Ille experimentum eorum sumere volens, & metuens ne fortè consentientes eam veritatem quæ esset in Scripturis, absconderent per interpretationem; separans eos ab invicem, jussit omnes eandem interpretari Scripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Convenientibus autem ipsis in unum apud Ptolomæum, & comparantibus suas interpretationes, Deus glorificatus est, & Scripturæ verè creditæ sunt, omnibus eandè, & iisdem verbis, & iisdem nominibus recitãtibus ab initio usque ad finem; uti & præsentes gentes cognoscerent quoniã per inspirationem Dei interpretatæ sunt Scripturæ.* Hæc ibi S. Irenæus. Quæ eadem omninò verba habet etiam Eusebius lib. 5. Histor. c. 8. & refert S. Justinus martyr, etiam suo tempore extitisse eas cellulas quibus 72. interpretes inclusi fuerant, easque à se visas fuisse. Et Tertullianus in Apologet. cap. 18. indicat Menemedum Philosophum eo miraculo de Divina Providẽtia quæ omnia regit fuisse persuasum, eaque ratione eum providentiæ vindicẽ Tertullianus vocat. *Sed ne notitia* inquit Scripturarũ *vacaret, hoc quoq; Ptolomæo à Judæis suscriptum est Septuaginta duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque Philosophus Providentiæ vindex de sententia communione suspexit.* Etsi verò plurimi hoc miraculum negent, quod me non latet; attamen nemo est qui id possibile esse neget: Atqui & id pro argumento sufficit. Unde.

Sextò. Confirmari validè potest Argumentum superius, & simul occupari responsio, qua superiora omnia potissimùm quæ de Moysis cantico diximus, excipi possunt, Etsi enim aliter aliquibus Patribus ac Interpretibus visum sit, non Divina inspiratione, sed suo studio & cura potuisse Judæos solemne illud Canticum addiscere à Moyse compositum, ipsosque Judæos ex concepto timore *Mutos* vocatos fuisse, & penè *Infantes*; qui deinde ex viso maris rubri miraculo, spe majori concepta Deo gratias egissent. Attamen in primis quod ad tres pueros in fornacem conjectos id nulla ratione dici potest, aut verò simile est. Ac deinde multò probabilius est Divina virtute & miraculo Hebræos didicisse hoc Canticum, cùm subitò trajecto mari siccis vestigiis, & dum inter medios fluctus cadavera Ægiptiorum stupentes attonitique conspicerent, ab ipsis Divinæ potentiæ hoc encomium decantatum fuisse: atque id Scripturæ Sacræ sensus satis significat.

Sed iis demum prætermissis, dubitari non potest quin Deus absoluta potentia potuerit, innumeram hanc Hebræorum multitudinem ita movere ac impellere, ut simul eadem verba, easdem syllabas, atque eadem harmonia canticum illud cecinerint: Atqui, quod ad vim argumenti attinet, id sufficit, neque enim intelligi potest tantam illam multitudinem in eandem canendi voluntatem simul ac momento convenisse, eadem verba, easdem syllabas, eademque arte cecinisse, nisi moti, & impulsi fuissent Divina motione, quæ, & ipsorum intellectui easdem species imprimeret aut ordinaret, & in voluntate eundem affectum motumque efficeret. Atque hoc argumento adversa sententia validissimè impugnari

vide.

videtur. Quo pacto enim intelligi poſſit ea vel ad circumſtantias, vel ad genium attemperatio, ad quam recurrere ſolent; ubi tanta eſt temperamentorum varietas, qualis intelligi facilè poteſt in ea multitudine: cùm enim eſſent ſexcenta millia bellatorum; quæ eſſe debuit aliorum, & promiſcui ſexu multitudo?

Sextò: Confirmatur ac urgetur magis argumentum, ſi iterùm quæratur, an Deus poſſit infinita potentia qua valet, efficere ut ea omnis multitudo, qualem in prædicto eventu intelligimus, in eandem voluntatem conveniant, & ita ut repugnet nedùm moraliter, ſed & phyſicè, ac metaphyſicè ut in eam voluntatem non conveniant; An verò id à Deo infinita ſua potentia fieri non poſſit. Si non poſſit, quæ erit ea potentia cui humana infirmitas, infirmaque voluntas abſolutè, & phyſicè loquendo obſiſtere poteſt: Si verò poſſit, quid fiet de hominis libertate, cùm nedum moraliter, ſed nec phyſicè, nec metaphiſicè aliud fieri poſſit, quàm Deus velit: quo pacto ſupererit verſatilis illa ad omnia pro arbitrio voluntas, & quæ cum omni ſuppoſitione antecedente, quod voluerit jungere, & componere poſſit.

Simile argumentum eſt quod aliàs proſecuti ſumus, quòd ſi vera eſſet Adverſariorum ſententia, & legitima notio de libertate humana, non repugnaret reperiri hominem, quem abſoluta potentia Deus convertere nunquam poſſet: cum nulla eſſet Divina motio, cui phyſicè loquendo, etiam effectu ſubſecuto, & potentia cum actu conjuncta reſiſtere non poſſet; quod tamen omnibus veræ Theologiæ principiis repugnare videtur.

Septimò Confirmatur demùm quòd ſine graviſſimis momentis negari non debeat, quod ad eam dignitatem, ſanctitatem, & authoritatem Divinæ Scripturæ commendandam pertinet, quam ex ea immediata ac ſingulariſſima revelatione, & inſpiratione haurit. Atqui nullius ponderis ea momenta ſunt, quæ huic ſententiæ adverſantur. Etenim ſi quæ eſſent, ea eſſent maximè. *Primò* quòd alioquin nullus relinqueretur libertati locus, niſi ſaltem relictum eſſet Authorum Canonicorum arbitrio, ut quibus vellent verbis uterentur. *Secundò*; quia ſi omnia Sacræ Scripturæ verba à Spiritu Sancto dictata fuiſſent, eadem eſſet ſcribendi ratio eadem ſimplicitas, aut idem ornatus: at id falſum eſt, ut obſervat D. Hieronymus; elegantior enim eſt Iſaias, Amos autem multò ſimplicior &c. *Tertiò*: quia nihil conari debuiſſent Authores Canonici, ut etiam ex Divo Ambroſio diximus: at id de omnibus verum non habet. *Quartò*: multò verò minùs debuiſſent veniam deprecariſi erraſſent: At in Prologo Eccleſiaſtici dicitur: *Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & attentiori ſtudio lectionem facere, & veniam habere in illis in quibus videmur ſequentes imaginem ſapientiæ deficere in verborum compoſitione*. Et 2. Machab. 2. *Nobis quidem ipſis qui hoc opus breviandi cauſa ſuſcepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſimus*. Alia etiam objici ſolent, ſed non eſt hujus loci omnia colligere, ubi ſolùm quæ ad probandam Divinæ motionis efficaciam à nobis referuntur.

Verùm hæc nullius momenti ſunt, & facilem ſolutionem habent. Etenim quod ad libertatem attinet, reformanda ſolùm eſt libertatis notio, ut ſæpius diximus, ut Divinæ motionis vim illæſa ſuſtinere poſſit. Cætera verò hoc unico S. Auguſtini verbo, quod ſuprà retulimus, quàm facillimè ſolvuntur; nimirùm quòd Deus movet *Tangendo, inſpirando, modificando*: cùm juxtà cujuſque capacitatem Scriptorem Sacrum moveat: cui ſimillimum eſt quod toties ex Divo Dionyſio ac Sancto Thoma diximus, ad providentiam Divinam ac ſapientiam pertinere, ut quamlibet cauſam juxtà cujuſque naturam, genium, & capacitatem moveat. Atque eo ſenſu omnes intelligunt quod Oſee 12. dictum eſt, *In manu Prophetarum aſſimilatus ſum*. Aliter enim, ut alicubi dixit Sanctus Auguſtinus inflatur tuba, aliter tibia. Atque id commune eſt omni artifici, ut juxta cujuſque inſtrumenti conditionem, & in ordine ad diverſum opus moliendum, etiam diverſo modo inſtrumenta ſua moveat. Aliter quippè ducitur penicillus ad pingendam imaginem, & aliter dolabra ad ſtatuam efformandam. Quid verò aliud eſt Canonicus Author niſi Divini Spiritus inſtrumentum, & ut præter ſæpiùs dicta Sanctus Auguſtinus inquit, ſerm. 120. de diverſis, ubi de reſurrectione mortuorum tractat; *Manens in te Chriſtus arripiet inſtrumentum ſuum, linguam tuam, velut gladium ſuum, utens corde tuo, & voce tua tanquam poſſeſſor*. Non timuit, ut arbitror Divus Auguſtinus, quòd libertati ea motio adverſaretur, qua Deus ipſam tanquam proprius poſſeſſor moveret. Quare ad *Secundùm*. Dicendum quòd in eo ſingularis hæc *Modificatio* elucet, quòd Divinus Spiritus cujuſque Prophetæ genio veluti aſſimilatus, diverſo modo ſe ſe explicet. Unde ut advertit Sanctus Hieronymus in Prolog. Iſaiæ, & Amos; comptior eſt, & elegantior Iſaias, ruſticior Amos. Ad *Tertium*: Jam liquet ex ſuperioribus non eſſe conatum Matthæum, non Lucam, non Joannem. Et quod ad argumentum quod proſequimur attinet, tutis eſt ſi vel unus repertus fuerit Canonicus Scriptor, de quo dici jure poſſit, non eſſe conatum, & Divina inſpiratione ac motione liberè ſcripſiſſe ſub eo Spiritus Sancti Magiſterio. Sed præterea nihil vetat, quominùs etiam aliqui conati fuerint: & tunc ipſe Spiritus Sanctus eos ad ſuſceptas vigilias, labores, & conatus impellit. Sicut quamvis Deus poſſet ſolus cauſarum omnium effectus producere, eas tamen adhibet, eorumque virtute, & veluti conatibus utitur. Ad *Quartum* verò ex Prologo Eccleſiaſtici, fidem ipſam tangit, & neceſſe eſt à Catholicis omnibus contra hæreticos qui hujus libri authoritatem negant, defendi; atque ex ipſis verbis facile ſolutio deſumitur, precatur enim veniam Eccleſiaſticus, non de errore, ſed *De verborum compoſitione*, & elegantia, in quo nihil eſt quòd majeſtatem Scripturæ Sacræ dedeceat: ſicut

non

non dedecet quod Divus Paulus inquit, se imperitum esse sermone: ut enim diximus, assimilatur motio Divina Scriptorum genio, efficitque Spiritus Sanctus, ut ita loquerentur ac si seipsis secluſa Divina motione impulsi fuissent.

Addi hic plurima alia possent, nec minoris momenti, pro efficaci sua ipsi vi Divina gratia adstruenda, & stabilienda, argumenta: potissimum ex specialissima assistentia, Divinaque motione, qua SS. Pontifices, ac Concilia in definiendis rebus fidei reguntur, moventur, & impelluntur. Quot enim unquam definitiones editæ sunt, tot videntur Divinæ gratiæ prævenientis, & physicè præmoventis argumenta: cum & SS. Pontifices, & Conciliorum omnium Patres eam Divinæ gratiæ vim postulent, quæ omnia in ipsis efficiat: referatque Binius Tomo primo pag. 5. de ordine celebrandi Concilii: hanc in primis orationem à Patribus congregatis fieri: quæ hic etiam Romæ in Congregationibus fieri solitis, semper initio recitatur: *Adsumus Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem humanitate detenti sed in nomine tuo specialiter congregati. Veni ad nos, adesto nobis, & dignare inlabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quò gradiamur ostende, quid efficiamus operante. Esto solus, & suggestor, & effector judiciorum nostrorum... Junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero &c.* Hæc totius Ecclesiæ in Conciliis congregatæ catholicissima vox: An verò cooperantem solum gratiam postulare existimandi sunt, & non etiam verissimè prævenientem, cum dicunt, *Quid efficiamus operante?* Et de qua vere, ac propriè dici possit, *Junge nos tibi efficaciter solius gratiæ tuæ dono*, nisi ea verè per modum efficientis, & præmoventis causæ agat, & verè effectrix, & præmotrix sit? De ea enim dumtaxat rectè dici potest *Solius Divinæ gratiæ dono*: & ex solius Divina Spiritus Sancti assistentia, & illapsu infallibilitatem, certitudinem, ac rectitudinem, mentium, voluntatum, cordiumque oriri. Ut etiam olim à Christo Apostolis promissum est: *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis Matth.* 10. Quia ut explicat ibidem Divus Thomas. *Omnis actio quæ ex duobus causatur, quorum unum est principale agens, secundum verò instrumentale, debet denominari à principaliori.* At verò erant Apostoli instrumenta, ac Divini Spiritus organa: *Ideò tota actio debet denominari à Spiritu Sancto.* Sentiunt se Conciliorum Patres Spiritus Sancti organa, & instrumenta, ac esse etiam peroptant: Unde, & petunt *Junge nos tibi efficaciter solius gratiæ tuæ dono.* At verò si moralis dumtaxat esset motio, aut nullo modo aut impropriissimè, *Solius gratiæ dono* infallibilitas ac rectitudo cordium, mentiumque tribui posset: ut alias à nobis satis demonstratum est. Et demum ut etiam observatum est nec semel, quo pacto verum habeat, omni suppositione antecedenti libertatem extingui; cùm hic clarissima sit suppositio antecedens, cum qua libertatem conjungi necesse sit. Plurima Concilia esse quæ efficaci vi sua Divinæ gratiæ maximè faventia alias ostendimus: Sed verissimè dici potest nullum omnino esse, quòd sua ipsa infallibilitate, ac Spiritus Sancti singulari assistentia, Divinæ gratiæ, Divinæque motionis prævia, & effectricis clarissimum argumentum non exhibeat.

ARTICULUS VIII.

Altera Jansenii impugnatio Angelos indiguisse motione Divina, & gratia per se efficaci, ut converterentur ad Deum.

DE Adamo hactenùs satis diximus, pauca de Angelis dicenda sunt: cùm jam ea omnia principia, quæ hactenùs ex Sancto Augustino explicuimus, quid etiam de Angelis sentiendum sit, satis ostendant. Supponimus igitur quæ de Adamo dicta sunt, quæque non minus in Angelis locum habent,

Probatur igitur etiam Angelos Divina motione indiguisse. Prima verò ratio, & omnium apertior, ea est quam habet Sanctus Augustinus lib. 12. de Civit. cap. 9. ubi expressè inquirit; *An Sancti Angeli quem habent creatorem naturæ, eundem habeant bonæ voluntatis authorem per Spiritum Sanctum?* Qua vel sola epigraphe liquet, eandem quæstionem à Divo Augustino pertractari, quæ in controversia posita est, ne aliena quærere videamur. At verò expressè resolvit Sanctus Augustinus, Angelos non à seipsis, sed ab ipso Deo Authore habuisse bonam voluntatem. Atque id probat, quia alioquin seipsos effeciſſent meliores, quàm à Deo facti fuissent. *Si autem* inquit, *boni Angeli fuerunt, priùs sine bona voluntate, eamque in seipsis Deo non operante fecerunt: Ergo meliores à seipsis quàm à Deo facti sunt?* Ac deinde: *At si non potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam fecit; profectò & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris, habere non possent.* Hæc duplex clarissima ratio, qua funditus evertitur, quidquid in ea quæstione de Angelorum viatorum gratia à Jansenio assertum est. Unde ita in forma.

Probatur *Primò* ex Sancto Augustino. Nisi efficax per se fuisset ea gratia qua movebantur Angeli in statu viæ, & si fuisset ea gratia flexibilis; sequeretur quòd ea bona voluntas quam Angeli sub Divina gratia habuerunt, fuisset ab ipsis, non ab ipso Deo Authore: Atqui id planè adversatur Sancti Augustini principiis. Ergo.

Majorem ultrò concedit Jansenius lib. 2. de Gratia Christi Salvatoris capit. 6. 7. & 8. ubi expressè inquit, quòd ea gratia innocentiæ comes non do-

conaret meritum voluntati, *Sed hoc ipsa sibi voluntas pareret*: Unde contendit debere dici *humanum meritum non Divinum*, & quòd se se voluntas suis meritis discernere potuit: quod etiam jam docuerat Jans. Tom. 2. de Gratia primi hominis, & Angelorum à cap. 13. usque ad 20. & ultimum. Ubi præcipuè cap. 16. affirmare non dubitat, quòd *Perseverantia, & merita in statu innocentiæ humanæ, & Angelicæ, non fuerunt specialia dona*. Uno Verbo quæcumque à Semipelagianis olim, aut Pelagianis pro statu naturæ lapsæ admissa fuerant, quæ libertati faverent, ac extenuarent vim gratiæ; hæc omnia ultrò admittit Jansenius in statu innocentiæ, seu humanæ, ut loquitur, seu Angelicæ: quòd nimirùm non ex principiis ex ipsa natura, & conditione intrinseca gratiæ deductis, vim ipsius explorare voluerit: hæc enim omnia inquit ad Metaphysicam pertinent, ea ipsa ratione suspecta, quòd Aristotelicis principiis innixa sint: quamvis tamen reipsa fidei luminibus illustrata ad veram Theologiam pertineant. Unde his prætermissis, ex extrinsecis solùm, & adjunctis, scilicet conditione status, in quo homo Angelique reperti sunt, vim & efficaciam gratiæ molliendam, vel augendam esse existimavit.

Minor autem expressissima est Divi Augustini, ut retulimus: cùm expressè asserat quòd Angeli *Bonam voluntatem operante Adjutorio Creatoris* habuerunt. Ubi eadem planè phrasi usus est Sanctus Augustinus, quam ubique usurpavit cùm ea Divi Pauli verba explicuit: *Deus operatur in nobis velle, & perficere*. Ac deinde probat eandem Minorem Sanctus Augustinus, quia nisi fuisset ea gratia Angelorum viatorum efficax, & effectrix, seipsos meliores effeciissent Angeli quàm à Deo facti fuissent: Atqui id nulla ratione defendi potest, ac planè lædit verum pietatis sensum: Ergo &c. Utraque argumenti pars est Divi Augustini: neque ulla planè ratione hoc argumentum à Jansenio dilui potest; sed necesse est hoc quantumvis gravissimum, & durissimum incommodum vel invitus deglutiat, atque eam legitimam consequentiam admittat: *Ergo meliores à seipsis quam à Deo facti sunt Angeli*. Mirum est, non advertisse Jansenium, quòd Sanctus Augustinus subjungit: *Absit* à Viro scilicet fidei ac pietatis principiis imbuto, ut existimet, meliorem partem tribuendam esse Angelo quàm Deo. Et verò an non etiã, & Angelum dicere decuit: *Deus meus misericordia mea, totum quidquid sum, de misericordia tua est. Feciisti ut essem, & non feciisti ut bonus essem. Dedisti mihi ut sim, & potuit mihi alius dare ut bonus sim. Si tu mihi dedisti ut sim, & alius mihi dedit, ut bonus sim, melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quàm ille, qui dedit mihi ut sim.* Ita locutum fuisse Angelum dubitari non potest, cùm suam ipsius à Deo dependentiam clariùs agnosceret. Adde & illud D. Bernardi lib. de Gratia, & libero arbitrio, *Absit ut* voluntati *sui ipsius perfectionem, Deo autem creationem tantùm tribuamus, cùm longè nimirùm melius sit esse perfectam quàm factam: & dictu ipso nefas videatur, Deo quod minus, nobis* aut ipsis etiam Angelis, *quod excellentius est attribuere*.

Hoc sanè argumentum planè invictum est, quòd sicut impossibile est Angelum seipsum producere, cùm nondùm sit; ita & impossibile sit seipsum justum facere cùm nondum justus sit, eo principio rationi insito quod Sanctus Augustinus usurpat in Psalm. 61. v. 12. quòd *Nemo sibi dat quod non habet*. Atque eandem rationem ubique repetit idem Sanctus Doctor, quòd ipsa se se sponte ingerat. Unde in Psalm. 70. Concione 1. adilla verba: *Domine memorabor justitiæ tuæ solius*: inquit *O solius. Quid addit solius, rogo vos? sufficeret, memorabor justitiæ tuæ: Solius inquit prorsus, ubi non meam cogito. Quid enim habet quod non accepisti?* Ac deinde de ipsis Angelis loquens, *Potentiam tuam, & Justitiam Deus usque in altissima quæ feciisti magnalia. In altis cæli sunt, in altis Angeli sunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates tibi debent quòd sunt, tibi debent quòd vivunt, tibi debent quod justè vivunt, tibi debent quod Beatè vivunt.* Ubi hæc duo Sanctus Augustinus jungit quæ reipsà indivulsa sunt, *Tibi debent quòd sunt, tibi debent quòd justè vivunt.* Cujus insuper rationem egregiam, & ex naturæ principiis petitam refert Sanctus Thomas in 2. distinct. 27. quæst. 2. artic. 2. quia *Inconveniens est*, inquit, *ut quod à se esse non habet, à se agere possit; cùm etiam à se durare non possit, quod à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute. Unde cujus essentia ab alio est, oportet quòd virtus, & operatio ab alio sit*: Hæc enim omnia conjuncta sunt, & inter se ordinem servant, esse à se, conservari à se, agere ex se: Esse ab alio, conservari ab alio, agere ab alio, seu ab alio ad agendum moveri.

Plurima ejusmodi ex eodem S. Augustino referri possunt; sed quæ jam suprà retulimus satis superque probant, nedum ad statum naturæ lapsæ: sed & ad statum naturæ innocentis auxilia per se efficacia pertinere: sicut dubitari non potest, quin etiam ad eum statum Divina voluntas Cõsequens, & nedum Antecedens, se se extenderet. Verùm nolim prætermittere quæ habet idem Sanctus Augustinus eodem loco quem retulimus lib. 12. de civit. cap. 9. Ubi cùm expresse hanc quæstionem pertractet de qua agitur, verissima ipsius sententia desumi potest. Unde:

Confirmatur iterum ex D. Augustino Angelis bonis collata esse efficacia auxilia quibus ad beatitudinem pervenirent. Etenim postquam dixit, Angelos bonam à Deo accepisse voluntatem, quòd alioquin meliores à seipsis quàm à Deo facti fuissent. Probat iterùm à Deo Authore bonam voluntatem accepisse: quia si Angeli à se bonam habuerunt, & *Si boni Angeli in se fecerunt bonam voluntatem*, aut bona aut mala voluntate fecerunt. Non equidem mala, *Quomodo enim esse potuit mala voluntas bonæ volũtatis effectrix? Si bona, jam ergo habebant. Et istam quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, ideſt,*

cum

cum amore casto quo illi adherent creavit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Hæc ibi: Quæ ultima verba instar Oraculi à Theologis accepta, & celebrata sunt, quibus probant Angelos in gratia conditos fuisse. Igitur & habuerunt omnes bonam voluntatem, eaque à Deo accepta est.

At verò cùm omnes Angeli haberent bonam voluntatem, in qua conditi sunt: unde ortum est, quòd alii beatitudinem consecuti sint, & ab ea alii exciderint? hancquæstionem idem Sanctus Augustinus statim ita resolvit: *Isti omnes, qui cùm boni creati essent, tamen mali sunt . . . . . aut minoris receperunt amoris Divini gratiam, quàm illi qui in ea perstiterunt: aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem unde se unquam casuros certissimi fierent pervenerunt.* Hæc duplex ratio qua S. Augustinus eam quæstionem resolvit, quæ tamen duplex ratio in eandem recedit: quia si Angeli qui à beatitudine exciderunt, minoris amoris gratiam perceperunt: Ergo & majorem perceperunt qui perseveraverunt. Sed expressiùs id asserit, si supponatur, quòd omnes æqualiter boni creati sunt: tunc enim expresè inquit, quòd qui perseveraverunt, *Ampliùs adjuti sunt*: Atqui amplior majorque illa gratia non alia intelligi potest præter efficacem, & effectricem gratiam: Ergo.

Atque inde rejicitur Jansenii explicatio, quæ quàm longissimè à D. Augustini mente recedit. Contendit enim Jansenius de gratia primi hominis, & Angelorum cap. 18. alteram, & ab hac de qua hic agitur à Divo Augustino quæstionem pertractari: nimirum, unde ortum habuerit, quòd Angeli boni suæ permansionis certitudinem habuerint, Angeli autem mali sui casus præscii non fuerint: Atqui apertissimè constat ex ipso tum capitis Titulo, tum etiam contextu, quem consultò expressimus, minimè eam quæstionem à Divo Augustino pertractatam fuisse, sed hæsisse semper in hujus quæstionis resolutione quàm Titulo proposuerat. Utrùm scilicet Authore Deo, non à seipsis habuerint bonam voluntatem, qua permanserunt, & qua perseverarunt. Eam toto Capite quæstionem prosequitur, & quod consequens est, ea solùm ratione inquit, obtinuisse perseverantiam quòd *Ampliùs adjuti* fuerint. Sanè necesse fuit ut se se maximè premi eo D. Augustini loco Jansenius persentiret, cùm non aliam, quàm extortam adeò interpretationem reperire poterit.

Sed nec melior aliorum est explicatio, à quibus respondetur, fuisse quidem bonos Angelos ad consequendam beatitudinem magis adjutos, majoribus scilicet beneficiis, & auxiliis, sed tamen dumtaxat in suo genere sufficientibus, quæque voluntati subjicerentur. Verùm & eam solutionem contextus ipse refellit, quòd de eodem genere auxiliorum apertè Sanctus Augustinus intellexerit, cùm inquit, quòd Angeli boni *Ampliùs adjuti* ad beatitudinem pervenerunt, de quo locutus fuerat, cùm priùs dixit, non seipsis, sed Deo & gratiæ auxilio bonam accepisse voluntatem: neque enim vel levissima conjectura est, aut ratio suspicandi, aliter Sanctum Augustinum intellexisse, & ratio doctrinæ ita postulat, cùm dubio procul eadem esse debeat causa beatitudinis, & bonæ voluntatis: Atqui ut ex superioribus liquet non potuit Divus Augustinus non intelligere de auxilio vi sua efficaci, & gratia reipsa effectrice, quia alioquin meliores à seipsis quàm à Deo effecti fuissent. Ergo sanè apertissimum est, eam rationem non minùs locum habere ubi de consecutione beatitudinis agitur, quàm ubi agitur de bona voluntate. An verò existimandum sit Angelos, cùm non potuerint bonam sui tribuere voluntatem, potuisse sibi suam beatitudinem tribuere? Cùm è contrà, ut aliàs diximus, in eo fuerit Angeli superbia, quòd suis viribus se ad beatitudinem pervenire posse existimaverit. Aliud dubio procul Sanctus Augustinus suprà laudatus sensit, cùm inquit, *Tibi debent quod vivunt, tibi debent quòd beatè vivunt.* Et ut inquit in Psalm. 32. *Verbo Domini cæli solidati sunt, nam non à se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum: non habuerunt aliquid ex se, & tanquàm supplementum à Deo perceperunt. Spiritu enim oris ejus, non pars sed omnis virtus eorum.* Aliquin concedendum foret seipsos & meliores, & feliciores Angelos effecisse, quàm à Deo facti fuerint.

Confirmatur demùm quòd S. Augustinus ibid. eodem planè modo de Angelis, ac de hominibus, & quidem in statu naturæ lapsæ constitutis locutus fuerit: Atqui consentiente Jansenio, efficaci per se auxilio homines in statu naturæ lapsæ moveri necesse est, ut & bonam voluntatem habeant, & beatitudinem consequantur. Ergo &c. *Major* apud Divum Augustinum apertissima est, ita enim fermè post superiora inquit. *Confitendum igitur est cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus est eis; nec tantùm hominũ, sed primitùs præcipueq; Angelorum bonum esse, quod scriptum est, mihi autem adhærere Deo bonum est. Hoc bonum quibus commune est, habent & cum illo cui adhærent, & inter se societatem sanctã, & sunt una Civitas Dei.* Hæc ibi Sanctus Doctor: quibus clarissimè significat, communia fuisse omnia dona gratiæ Angelis hominibusque. Neque reponi potest, initam fuisse à Sancto Augustino inter homines, & Angelos comparationem quantùm ad habitualem dumtaxat gratiam: Si quidem de ea gratia agere statuerat toto capite, qua efficitur ut ipsi Angeli Deum habeant bonæ voluntatis Authorem. Et expresè etiam eodem Capite actualis gratiæ seu adjutorii meminit: cùm inquit, quòd *Bonam voluntatem qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent.* Neque enim de sola habituali gratia intelligendum est, aut intel-

telligit Sanctus Auguſtinus, quod ab Apoſtolo dictum eſt, *Diffuſam eſſe gratiam in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum*: Sed etiam de ipſa actuali gratia, quam ſolet Divus Auguſtinus charitatem vocare, ut & ipſius voluntatis actum bonam voluntatem vocat, quod non negabunt qui S. Doctoris phraſibus aſſueti ſunt, & obſervat etiam Janſenius tom. 3. de Gratia Salvator. lib. 6. cap. 1.

Hæc unica ratio ſatis ſuperque eſt, cùm omninò apodectica, & decretoria ſit, nec ulla veroſimili reſponſione excipi poſſit. Videnda tamen ſunt quæ ſupra diximus, cùm ea omnia non minùs in Angelo, quàm in homine locum habeant. Quòd enim ad ordinem ſupernaturalem pertinet, omninò pares ſunt, cùm eadem ſit *Menſura hominis quæ eſt Angeli*, Apocal. 10. & Divinæ Incarnationis beneficio, quâ Deus factus eſt homo non Angelus, etiam inter Angelos locum occupaturus ſit homo, immò & ad ſuperiores ordines Redemptoris gratiâ evectus pervenire poſſit. Adeò ut egregiè à Sancto Auguſtino dictum ſit, lib. de Viſit. Infirm. cap. 3. *Nollem habere locum Angeli ſi poſſem habere locum debitum homini*: ad quem ſcilicet homo Redemptoris gratiâ permotus pervenire poteſt. Hoc enim alterum eſt naturæ humanæ collatum privilegium, ut vel ipſos Angelos ſuperare poſſit, & de Eccleſia hominum non immeritò intelligi illud poſſit; *Operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei.* Quod de Eccleſia in Lege Nova reſpectu Synagogæ explicat Sanctus Auguſtinus Pſal. 79. Sed alterum etiam ſenſum habere poteſt, ut inter homines, quod nos nedùm in admirationem, ſed & in ſtuporem conjicere poſſit, tantùm aliqui Angelos ſuperent, ipſiſque ſuperiores ſint, *Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi*. Quòd quamvis omninò ſtupendum ſit: vix tamen, ut arbitror, Apoſtolo mirum viſum fuit, cùm dixerit, à ſe, aliiſque, Angelos fore judicandos, de quo alibi plurima diximus. Hactenus ex Sancto Auguſtino quem omninò pro ſe ſtare contendebat Janſenius.

Quòd verò ad Sanctum Thomam attinet, adeò res aperta eſt, ut probatione non egeat, cùm expreſsè docuerit, Angelos in primo ſuæ creationis inſtanti peccare non potuiſſe. Unde ſic ratio formari poteſt. Neceſſe eſt, auxilium illud quo Angelus in primo inſtanti à Deo movebatur, fuerit per ſe efficax, ſeu *Adjutorium quo*; ſub quo Angelus peccare non potuit: Atqui in primo inſtanti, & ſub eo auxilio quo Angelus movebatur in Deum, non potuit peccare: Ergo illud auxilium fuit efficax, ſeu *Adjutorium quo*. De *Majori* non eſt dubium, ſi enim ſub illo adjutorio Angelus peccare non potuit, neceſſe fuit ut hoc auxilium Angelum determinaret ad bonum, ſcilicet ad converſionem in Deum: nec potuit eſſe ſolùm moralis, & indifferens motio, relicta quoad uſum libero Angeli arbitrio, ut eam vel in bonum, vel in malum flecteret. *Minor* verò expreſsè eſt S. Thomæ 1. par. qu. 63. art. 4. ubi ſic habet. *Dicendum*, inquit, *quòd impoſſibile fuit, Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatũ actum liberi arbitrii.* Atque id probat hoc diſcurſu. *Quamvis enim*, inquit, *res aliqua in primo inſtanti quo eſſe incipit, ſimul poſſit operari, tamen illa operatio quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente à quo habet eſſe: ſicut moveri ſurſùm ineſt igni à generante. Unde ſi aliqua res habeat eſſe ab agente deficiente, quod poſſit eſſe cauſa defectiva actionis, poterit in primo inſtanti in quo incipit eſſe, habere defectivam operationem: Sicut ſi tibia, quæ naſcitur clauda ex debilitate ſeminis, ſtatim incipiat claudicare. Agens autem quod Angelos in eſſe produxit, ſcilicet Deus; non poteſt eſſe cauſa peccati. Unde non poteſt dici, quòd Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus.* Hæc ibi S. Thomas. Quæ ratio in hanc formam reduci poteſt. Unde

Probatur Angelum non potuiſſe in primo inſtanti peccare. Actio quæ ſimul cum ipſo Angelo incipit, non poteſt eſſe prava: Atqui prima illa ſimpliciter actio quam in primo inſtanti elicuit, ſimpliciter cum ipſo incæpit: Ergo prima illa actio non potuit eſſe prava, ſeu in primo inſtanti Angelus peccare non potuit. *Minorem* probaverat jam antea Divus Thomas ſuperioribus Articulis: Quia in ſumma perfectione, quæ infrà conſummatam beatitudinem eſſe poteſt, & veluti in rerum omnium culmine Angeli creati ſunt: unde & eodem momento quo creati ſunt, ſuas operationes elicuerunt, ſicut & Sol eodem inſtanti quo creatus eſt ſuum lumen emiſit. Unde dubio procul prima illa operatio quam elicuit, ſimul cum eo incæpit. *Majorem* verò probat Sanctus Thomas, quia actio quæ eſt à Deo authore, & agente, non poteſt eſſe prava, cùm Deus actionis pravæ cauſa eſſe non poſſit: Atqui illius primæ actionis, & quæ ſimul cum Angelo incæpit, Deus author, & cauſa fuit: Ergo &c. *Minorem* hanc probat Sanctus Thomas univerſaliori principio. *Quia illa operatio quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente à quo habet eſſe, ſicut moveri ſurſùm ineſt igni à generante*: Ergo etiam & illa operatio Angeli quæ cum ipſo incæpit, ſeu quam in primo inſtanti elicuit, Deum authorem habuit. Unde rectè inquit S. Thomas: *Si aliqua res habeat eſſe, & producta ſit ab agente deficiẽte, & quod eſſe poſſit cauſa defectiva actionis; poterit* etiã ea res *in primo inſtanti quo eſſe incipit habere defectivam operationem.* Nihil enim repugnat, defectum operationis in deficientem cauſam reduci. Sed ſi è contra res producta ſit ab agente, quod pravæ actionis cauſa eſſe non poſſit; repugnat quòd in primo inſtanti quo ea res eſſe incipit, pravam operationem habeat: cùm ea rei operatio ab eodem agente eſſe deberet, à quo res producta eſt. Quod eo Divi Thomæ exemplo penè ob oculos ponitur. Si tibia quæ naſcitur clauda, & curva, ex debilitate ſeminis ſtatim incipiat claudicare, dubio procul producenti tibiam claudicatio tribueretur. Et quis dubitet, quòd ſi Deus Adamum claudum produ-

xisset, ea claudicatio Adami in ipsum Deum authorem referri debuisset. Unde & pari ratione, si prima actio Angeli, & quæ cum eo incipit, prava fuisset, in Deum ipsum authorem, à quo Angelus productus est, ea actio refundi debuisset.

Confirmatur, & alio modo explicatur ea ratio. Actio quæ Deo specialiter non ut causæ communi, sed ut causæ particulari tribuitur, seu ad quam Deus specialissimè, & non solùm ut causa communis, movet, non potest esse actio prava: Atqui actio illa prima quam Angelus in primo instanti elicuit tribuenda est Deo ut speciali causæ, & non solùm ut universali motori, & authori: Ergo actio illa prima Angeli non potuit esse prava. *Majorem* probat Sanctus Thomas, quia si actio ad quam Deus specialiter, & non solùm ut causa communis, movet, esset actio prava; ea Deo tribueretur, ut nemo dubitat: sicut si Deus, ut mox diximus, Adamum claudum v. g. produxisset, nihil dubium quin hic defectus Deo etiam tribui potuisset, cùm illius esset & prima & particularis, & non solùm universalis causa. *Minorem* verò probat communi illo principio; quia omnis *Illa operatio quæ incipit cum esse rei, est ei ab agente à quo habet esse*. Atque hujus ratio est, quia, ut fert commune axioma, causa quæ dat esse, dat etiam quæ ipsum esse consequuntur: quæ scilicet sunt vel proprietates, vel instar proprietatum, & requiruntur ut effectus sit in statu completo, & connaturali, & capax agendi. Hoc enim videtur pertinere ad munus, & officium agentis, ut effectum suum promoveat, nec ante deserat, & veluti manum amoveat, ipsumque sibi relinquat, priusquàm ipsum constituerit in eo statu in quo sit agendi capax, sibique relictus omnem sui curam habeat. Atque id probatur exemplo quòd à D. Thoma refertur. In non viventibus motus gravium & levium, scilicet motus sursùm, aut deorsùm, est specialiter à generante: atque eadem ratione, in viventibus motus cordis, quamvis vitalis, est tamen à generante. quia pertinet ad perfectam constitutionem animalis, ut ad alios motus se se movere possit: Et in humanis etiam specialem semper curam habet Magister primæ actionis Discipuli: quòd tunc maximè in eo primo actu eluceat quid ab eo didicerit.

Confirmatur alia ratione ex Sancto Thoma desumpta ex qu. 16. de Malo art. 4. Actio ad quam Angelus magis à Deo movebatur, quàm se ipsum moveret, sive ad quam licèt moveretur physicè, moraliter tamen non se movebat, non potuit esse prava: Atqui in primo instanti, & in prima operatione magis à Deo movebatur Angelus, quàm se se ipsum moveret; & quamvis se se moveret physicè ac vitaliter, moraliter tamen non se movebat: Ergo prima illa Angeli actio non potuit esse prava. *Major* videtur esse aperta, quia non potest esse actio prava, ad quam Deus singulariter movet, & non solùm ut causa communis, sed etiam ut causa specialis. Quia, ut diximus, ea actio prava Deo authori tribueretur. At verò non potest Deus non movere singulariter, & ut causa specialis, Angelum ad eam actionem ad quam magis movetur, quàm se se moveat, sive ad quam physicè solùm, non moraliter se se movet. Unde ea actio non potest esse prava. *Minor* verò probatur: quia semper necesse est ut ad eam actionem, quæ veluti naturalis est, & quæ naturæ correspondet, creatura quælibet, etiam intellectualis, ac Angelus, magis moveatur à Deo authore, quàm se se ipsam moveat: quia eo ipso quòd actio veluti naturalis est, & ad naturam pertinet, necesse est ut magis sit ad unum determinata; quò autem magis determinatur, eò etiam specialiùs ad eam movetur, cùm ea motione determinetur: Atqui ita est, quòd prima illa Angeli operatio veluti naturalis fuerit, magisque ad naturam, & naturæ determinationem accesserit: Ergo ad primam operationem magis Angelus movebatur, quàm se se ipsum moveret. *Minorem* expressè docuit, repetiitque sæpiùs S. Thomas, & tanquam fundamentum statuit impeccabilitatis Angeli in primo instanti: Immò etiam id omninò manifestum esse existimavit; adeò verum est quod inquit Boëtius, quædam esse sapientibus veluti prima principia omninò manifesta, quæ vix cæteri longo licèt studio satis intelligunt. *Manifestum est*, inquit quæst. laudata 16. de Malo art. 4. *Quòd motus Angeli primò est in id quod est sibi connaturale*. Et deinde ad 4. inquit, *Dicendum quòd operatio quam Angelus habet in principio sui esse, congruit suæ naturæ; & ideò oportebat quòd retorqueretur in authorem suæ naturæ: Sed postmodùm poterat moveri ex his quæ sunt secundùm naturã in alia vel benè vel malè*. Addit præterea ad 5. *Dicendum quòd voluntas rationalis creaturæ determinata est ad unũ in quo naturaliter movetur; sicut omnis homo naturaliter vult esse, vivere, & beatitudinem; & ista sunt ad quæ primò movetur naturaliter creatura, vel intelligenda vel volenda; quia semper actio natturalis præsupponitur aliis actionibus: & ideò si Angelus in primo instanti suæ creationis peccasset, videretur hoc competere suæ naturæ; & ita aliqualiter referretur ad authorem naturæ*. Hactenus D. Thomas.

Ex quibus constat quàm egregiè omnia ista consentiant. Necesse est quòd prima illa actio cujusque naturæ, etiam intellectualis, sit veluti naturalis; tum quia congrua est, & consentanea naturæ; tum quia necesse est, quòd in illa prima operatione vis ipsa naturæ eluceat; tum quia etiam necesse est quòd ea prima actio sit aliarum omnium operationum origo, quia *Semper operatio naturalis præsupponitur aliis actionibus*. Cujus ratio est, quia per illam natura in actu constituitur, fitque omninò, & completè agendi capax: ante verò primam illam operationem, cùm nondùm natura sit in actu constituta, impossibile est quòd se se ipsam, & veluti ex se ipsa, ac moraliter se se moveat; id est ex præcedenti dictamine, volitione, & deliberatione, cùm nulla præcessisse supponatur; quamvis tamen semper se se

vita-

vitaliter, & phyſicè moveat: neque enim aliter fieri poteſt, cùm voluntas ſit potentia vitalis: Sed cùm nondum in actu conſtituta ſit præcedenti altera volitione, ac deliberatione, impoſſibile eſt, quòd ſe ſe moraliter moveat. Unde neceſſe eſt, quòd Deus, naturæ Author, ſpecialiſſimè illam moveat, ſuppleatque defectum illius deliberationis, & actualitatis, quæ nondum eſſe potuit. Unde jam primò naturam illam in actu primo conſtituit, ut jam diximus, ac ſpecialiſſimam illius curam habet. Ex quo ſit quòd ſi quis tunc defectus contingeret, ille defectus in ipſum naturæ Authorem refunderetur.

Confirmatur iterùm, & explicatur magis ea ratio ex eo quòd, ut docet Divus Thomas 1. par. tùm quæſt. 60. art. 1. & 2. tùm etiam quæſt. 83. art. 4. Et explicuimus aliàs fusè: neceſſe eſt, in ipſa voluntate duplicem rationem diſtingui. Eſt enim natura quædam, & inſuper libera eſt; ſed priùs natura eſt quàm libera; quia univerſim naturale antecedit liberum; ſiquidem natura cujuſcumque rei eſt ejus eſſentia, & eſt fundamentum aliorum: Ergo cùm in voluntate ea duplex ratio reperiatur, & ratio naturæ rationem liberi antecedat: neceſſe etiam eſt quòd prima operatio veluti ad naturam pertineat; & ut inquit Sanctus Thomas, *Naturæ congruat*, & conſentanea ſit: Ergo repugnat, actionem primam eſſe pravam, cùm impoſſibile ſit, actionem pravam eſſe naturæ conſentaneam; cùm econtra actio prava defectus naturæ ſit, & ut inquit Sanctus Dionyſius: *Ab eo quod eſt ſecundùm naturam prolapſio*.

Explicari, & confirmari iterùm poteſt, quia impoſſibile eſt, operationem voluntatis eſſe pravam in qua eliciendа voluntas eſt libera ſolùm quoad exercitium, non verò quoad ſpecificationem: Atqui in primo inſtanti voluntas Angeli libera ſolùm fuit libertate exercitii, & contradictionis, non verò ſpecificationis, & contrarietatis. Ergo &c. De *Majori* nulla lis eſſe poteſt, cùm neceſſe ſit, ſi voluntas peccet, quòd circa duo contrarie oppoſita, bonum ſcilicet & malum converſionem ad Deum, & averſionem à Deo, verſetur, quæ eſt libertas contrarietatis, & quoad ſpecificationem. *Minor* verò probatur. Quia cùm voluntas etiam Angeli utrumque habeat, quòd ſit natura, & libera, & propior ſit ratio naturæ, quàm ratio liberi; etiàm neceſſe eſt quòd prima operatio veluti ad naturam pertineat, ac majorem determinationem habeat, ſcilicet quoad ſpecificationem, & relinquat ſolùm indifferentiam quoad exercitium. Cumque nunquam ab extremo in extremum tranſitus fiat, niſi per medium quod de utroque participat; ideò neceſſe eſt, quòd inter voluntatem ut naturam, & voluntatem ut liberam prima operatio media ſit, partim naturalis partim libera. Quod aliundè etiam neceſſe eſt, ex eo quòd uniforme antecedere illud debeat quòd multis modis ſe habet, motuſque omnis in immobili fundari debeat: quæ omnia aliàs fusè proſecuti ſumus, Diſſertat. 2.

Plura addi poſſent potiſſimùm repugnare quòd actio ſit prava, niſi in ipſo dictamine quod voluntati prælucet, defectus aliquis ſit; cùm tamen nullus eſſe poſſit in primo dictamine, quod neceſſe eſt, à Deo ſpecialiſſimè immitti, ex doctrina Sancti Thomæ, & Ariſtotelis cap. de bona fortuna, de quo jam ſæpiùs egimus. Sed de his videnda ſunt quæ Theologi noſtri 1. par. ad quæſt. 62. pertractant, noſque etiam noſtra methodo, ex ſolis ſcilicet S. Thomæ principiis iu Tractatu de Angelis fusè explicuimus. Quibus omnibus compertiſſimum eſt, quid ipſe Sanctus Doctor ſenſerit, ut neceſſe ſit, eos qui in Angelis in primo inſtanti ſufficientem ſolùm gratiam ipſorum arbitrio ſubditam defendunt, hac vel unica ratione ex impeccabilitate Angelorum in primo inſtanti deſumpta fateantur, ſe quàm longiſſimè à D. Thomæ ſententia receſſiſſe. Quod obſervari ab his debet qui apud Divum Thomam diſcrimen illud gratiæ innocenti vel lapſæ naturæ collatæ, ſuo ſenſu intellectæ, ſe reperiſſe putant.

ARTICULUS IX.

Quæ fuerit in Angelis viatoribus, Authoribus canonicis, Prophetiſque, ac contemplativis libertas.

NEceſſaria omninò eſt hujuſmodi difficultatis reſolutio, de qua ſæpiùs meminimus, noſque ſæpiùs eam explicaturos polliciti ſumus: Ea enim potiſſima ratio eſt cur negetur ab adverſæ ſententiæ Theologis effectrix Dei phyſica præmotio, etiam ubi ſe ſe ipſam maximè prodit: ut cùm voluntas ex donis Spiritus Sancti vehementiſſimè movetur, & impellitur; cùm ſub Magiſterio Spiritus Sancti Scripturæ S. ſigillatim verba ex Divina inſpiratione ſcripta ſunt: cùm ſub Divina motione neque errare, neque peccare Adamus, aut Angeli in primo inſtanti docuerunt. Hæc enim omnia negant dumtaxat ſervandæ libertatis ſuſtio, & libertatis juxta notionem à ſe confectam, quam à D. Auguſtini, & D. Thomæ ſententia omninò alienam eſſe ſatis aliàs demonſtravimus: Sed ut hæc difficultas reſolvatur.

Dicendum eſt, perfectiſſimam fuiſſe in Angelis viatoribus, Authoribus canonicis, Prophetis, & Contemplativis libertatem, quamvis neque peccare, neque errare potuerint, aut poſſint, quod quantùm ad Contemplativos ſaltem intelligendum de potentia conſequenti ſeu conjuncta, cum actu, Sed cùm de Angelis de quibus hic agitur, expreſſiſſimè locutus fuerit Sanctus Thomas, cujus ſententiæ explicandæ incumbimus, de ea libertate Angelorum præſertim loquendum eſt. Inde enim veluti ex certa regula quid de aliis intelligi poſſit aut debeat, facilè deducemus.

Probatur igitur, etiam Angelum in primo instanti, cùm sub Divina motione peccare non posset, perfectissima libertate præditum fuisse, hac præclara D. Thomæ observatione, quam aliàs fusiùs retulimus ex 1. par. quæst. 62. art. 8. *Quòd liberum*, inquit, *arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad rationem libertatis ejus; sed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major libertas arbitrii est in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.* Et licèt ibi loquatur Sanctus Thomas de Beatis Angelis qui peccare non possunt: Attamen communis est regula, quam statuit ex verissima libertatis notione, ad quam pertinet solùm ut servato ordine finis media eligat; sicut & ad rationem pertinet, ut servato principiorum ordine conclusionem deducat. Unde rectè consequitur, quòd major sit perfectiorque libertas in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.

Et quidem quòd in Angelis major & perfectior sit, quàm in homine libertas arbitrii, expressè docet Sanctus Thomas in 2. distin. 25. quæst. 1. art. 4. quia *Omnis proprietas quæ consequitur naturam aliquã, quantò natura illa nobiliùs invenitur in aliquo, tantò etiam proprietas illa perfectiùs participatur ab eo; secundùm quem modum homo dicitur minùs intelligens quàm Angelus*: *Et ista etiam libertas à necessaria coactione* (seu necessitate) *nobiliùs invenitur in Deo quàm in Angelo, & in Angelo quàm in homine.* Quamvis enim libertas negationem adjunctam habeat, & à coactione, & à necessitate exẽptionem, & negationes in se se neque minui neque augeri possint; possunt tamen, ut ibidem inquit Divus Thomas, veluti per accidens, vel in suo fundamento; *Sicut dicuntur majores tenebræ quando est majus obstaculum*; Et sicut quamvis repugnet, vivum esse ullum animal, nisi negationem veluti mortis, aut exemptionem habeat; attamen firmius vitæ fundamentum esse potest, quò major est sanitas.

Verùm aliud & quidem majus addit S. Thomas, scilicet quòd *Major est libertas in Angelis qui peccare non possunt*, nimirùm ea ipsa ratione quòd peccare non possint. Siquidem certum est, & apud Divum Thomam indubitatum quòd ex Divo Anselmo refert in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quòd *Potentia peccandi secundùm Anselmum non est libertas arbitrii, nec pars libertatis, sed diminuit libertatem.* Notanda sanè verba, potentia peccandi minui libertatem. Ex quibus apertissimè colligitur: Ergo quo major est ea peccandi impotentia, ea perfectior libertas est: Ergo quò minùs errare possunt Authores canonici dum scribunt, aut Prophetæ cùm sibi revelata denunciant: quò magis à peccato alieni sunt Contemplativi dum in ferventissimos amoris actus prorumpunt, eò majori ac perfectiori libertate fruuntur.

Confirmatur aperta ratione quam habet Divus Thomas in 2. dist. 25. quæst. 1. art. ult. nimirùm quòd *Liberum arbitrium, quamvis possit in bonũ, & in malum, tamen per se in bonum ordinatum est: & ideò illud quod impedit ipsũ à bono simpliciter, impeditivum ipsius est, & corruptivum. Et propter hoc libertas ab eo quo impeditur à bono, simpliciter libertas dicitur quæ est libertas à peccato.* Egregia sanè, & planè convincens ratio. Per se libertas ordinatur in bonum: Ergo quod libertatem à bono retrahit, hujus inclinationi ejusque naturæ adversatur, eamque lædit: Ergo quod econtrà eam in bonum, virtutem, veritatem, Deumque ducit, servata semper indifferentia judicii, qua libertas arbitrii regitur, & quæ semper conjungitur cum indifferentia potentię in voluntate; perfectior erit, nobiliorque libertas. Hic constat quam longè absit à vera S. Thomæ sententia conficta hæc libertatis notio, qua constituta Divina motione lædi potest libertas etiam cùm à peccato retrahitur, & ad Deum impellitur. Econtrà enim Sanctus Thomas, peccato ipso libertatem lædi contendit, & Divina motione perfici: neque id intelligit de libertate quadam impropriè dicta, qualis est altera libertas à miseria, sed intelligit de libertate propriissimè dicta. Quia propriissimè dicta libertas in bonum, non in malum, ordinatur: Ergo quod eam à bono retrahit, eam reipsà lædit; quod autem eam ad bonum impellit, ipsam perficit.

Confirmatur iterùm, quòd minimè dubitari possit, hanc fuisse S. Augustini sententiam, à quo dictum est, quòd *Ipsa sanitas est ipsa libertas*: lib. de perfect. Justit. cap. 5. *Et quòd tantò liberior est voluntas quantò sanior, tantò sanior quantò Divinæ misercordiæ gratiæ quæ subjectior*: Epist. 89. *Et quòd voluntas humana non libertate consequitur gratiã, sed gratia potiùs libertatem*: de corrept. & Gratia cap. 8. Unde & eos qui putabant, *Auferri sibi liberum arbitrium si nec ipsam bonam voluntatẽ sine adjutorio Dei habere consentirent* graviter reprehendit Epist. 105. *Non* enim, inquit, *intelligunt non se firmare liberum arbitrium, sed impellere; ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur.* Et verò quæ potest esse libertatis perfectio, si libertatem pendulam, & in præcipitia devexam, & declivem esse necesse sit? Non potest non esse perfectior quæ firmior est. Quis autem dubitet, firmiorem esse libertatem, quò magis à peccandi potestate recedit, dummodo circa ea objecta versetur circa quæ libertas exerceri potest; & quòd repetendum est, dum manet vera indifferentia judicii. Unde verissimè à Divo Prospero dictum est, *Opitulationes Divinæ gratiæ esse stabilimenta voluntatis humanæ*: cont. Coll.

Verùm alterum addendum est. Si enim ad libertatem non pertineat, ut peccare possit, atque ea ratione perfectior libertas fuerit, & in Angelo in primo instanti, cùm peccare non potuit sub ea Divina motione, & in Authoribus canonicis cùm errare non poterant sub Spiritus Sancti Magisterio: in quo igitur ea libertas posita est? constat enim in primo instanti Angelos fuisse liberrimos, cùm de facto meruerint, nec ullum esse possit sine libertate meritum. Neque negandum

est,

eſt, meruiſſe olim Authores canonicos in ſcribenda Scriptura Sacra; & Prophetas dum revelata denunciarent; & mereri etiam Contemplativos dum in actus ferventiſſimos Divini amoris prorumpunt, cujus meriti fundamentum libertas eſt.

Explicandum igitur ſupereſt, in quo poſita ſit vera libertatis perfectio. Id quidem aliàs abundè præſtitimus: ſed quantùm hic neceſſe eſt, & ſatis eſſe poterit, addendum eſt ex S. Thoma in 2. diſt. 44. quæſt. 1. art. 1. *Utrùm potentia peccandi ſit à Deo?* Quòd ex Divo Anſelmo poſſe peccare neque libertas eſt, neque libertatis pars; *Quia non requiritur*, inquit Divus Thomas, *ad libertatem voluntatis ut in peccatum poſſit; ſed ſufficit ad rationem libertatis ut in utrumque contradictorium poſſit.* En igitur quid ad veram libertatis rationem pertineat, nimirùm ut poſſit agere, & non agere, quæ contradictoria ſunt. Et quidem in eo neceſſe eſt poſitam eſſe veram libertatis rationem: ſiquidem prætermiſſis aliis, hæc unica ſi adſit poteſtas, integra remanet libertatis ratio.

Sed hæc fuſiùs explicat Sanctus Thomas qu. 22. de verit. art. 6. *Num voluntas de neceſſitate velit quidquid vult?* Ubi cùm dixiſſet quòd indeterminatio voluntatis *Eſt reſpectu trium, ſcilicet reſpectu objecti, reſpectu actus, & reſpectu ordinis in finem.* Deindè hæc ſigillatim explicat, & oſtendit quænam indeterminatio, aut indifferentia, per ſe pertineat ad libertatem; Unde ſic habet. *Cùm voluntas dicatur libera, in quantum neceſſitatem non habet; libertas voluntatis in tribus conſiderabitur. Scilicet, quantùm ad actum, in quantum poteſt velle vel non velle; & quantum ad objectum, in quantum poteſt velle hoc vel illud, & ejus oppoſitum; & quantùm ad ordinem finis, in quantum poteſt velle bonum vel malum. Sed quantùm ad primum horum, ineſt libertas volùtati in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cujuslibet objecti: Secundùm verò horum eſt reſpectu quorundam objectorũ, ſcilicet reſpectu eorum quæ ſunt ad finem, & non ipſius finis, & etiam ſecundùm quemlibet ſtatum naturæ: Tertium verò non eſt reſpectu omnium objectorum, ſed quorundam; eorum, ſcilicet quę ſunt ad finem; nec reſpectu cujuslibet ſtatus naturæ, ſed illius tantùm in quo natura deficere poteſt. Nã ubi non eſt defectus in apprehendendo, & conferendo, non poteſt eſſe voluntas mali, in his quæ ſunt ad finẽ, ſicut patet in Beatis. Et pro tanto dicitur, quòd velle malum nec eſt libertas, nec pars libertatis, quãvis ſit quoddam libertatis ſignum.*

Hæc ibi Sanctus Thomas: quibus clariſſimè explicat, in quo poſita ſit vera libertatis creatæ natura, & perfectio. *Quantùm ad primum*, inquit, ex his tribus quæ diſtinxit, & circa quæ indifferentia verſatur: ſcilicet *Quantùm ad actũ, in quantum poteſt velle vel non velle, ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu, & reſpectu cujuslibet objecti.* In eo igitur poſita eſt vera, & inſeparabilis perfectio libertatis: ineſt enim omni, & ſemper: & prætereà, ut inquit Sanctus Thomas, *Primum* eſt, quod libertati ineſt, ipſi intrinſecum, & ab ea omninò inſeparabile. Et *Secunda* quidem indifferentia, ſcilicet *Velle hoc, vel illud, & hujus oppoſitum*, eorum quæ ſunt ad finem, & quæ ſervato ordine finis eligi poſſunt; etiam ad naturam libertatis pertinet, & voluntati convenit *Secundùm quemlibet ſtatum naturæ.* Verùm & hæc quædam ampliatio eſt primæ illius perfectionis: quamvis enim iſta deeſſet, nihilominùs integra eſſet perfectio libertatis ſi prima illa maneret: *Quia ſufficit ad rationem libertatis, ut in utrumque contradictorium poſſit.* Sed *Tertium*, manifeſtum eſt, omninò extra veram naturam, & perfectionem libertatis eſſe, & eſſe nævum, qui utinam nunquam libertatem deformaret, pulchrior enim ac venuſtior eſſet libertas, ut & ſanior. Etſi à Divo Auguſtino dictum eſt, *Quòd ipſa ſanitas eſt ipſa libertas*, dici non immeritò poteſt, hujus ſanitatis pulchritudinem in eo poſitam eſſe quòd illo nævo, & peccandi potentia non deformetur.

Ex his igitur clariſſimè demonſtrati arbitror, modò S. Thomæ principia admittantur, & in Angelo, & in aliis ſanctitatis gradibus, aut privilegiis, quæ enumerabimus, perfectiſſimam eſſe libertatem, ſi modò adſit perfecta indifferentia judicii: unde tantùm abeſt ut libertati motio Divina, ac Divina inſpiratio, etiam ex dono Spiritus Sancti ſingulariſſima; adverſa ſit; ut econtrà *Voluntas* libera, *tanto liberior* exiſtimanda ſit, *Quantò ſanior*, & à peccandi infelici potentia remotior; etſi revera cum ſingulariſſima illa motione ex dono Spiritus Sancti in juſtis ſtet potentia ad peccandum; potentia ſcilicet antecedens, & non conjuncta cum actu.

Objici hic plurima ſolent. Sed inter ea præcipuum eſt commune illud argumentum ex libertate meritoque Angeli deſumptum: quòd ſi Angelus in primo inſtanti perfectam libertatem habuit etiam & peccare potuerit. Quæ enim, inquiunt, laus eſſet, quòd quis ſcopum attingeret, à quo nunquàm aberrare poſſet? Ergo ſi quæ libertas ſit, ſi quæ laus, ſi quod meritum, neceſſe eſt quòd peccare potuerit. Unde hæ duæ aſſertiones de libertate Angeli in primo inſtanti, & de ipſius impeccabilitate invicem colliduntur.

Verùm ne novi aliquid à Recentioribus hìc afferri exiſtimetur, hoc idem Argumentum, & multò plura objecerat ſibi S. Thomas: ut fateri neceſſe ſit, ſi veritatem dies aperit, ac tempore ingenia veluti maturantur, & uſu multa docentur quæ ante diu latuerant; ſupra tempus fuiſſe Angelici Doctoris mentem, cui natura ipſa ſuum expanderat ſinũ, ut omnia penè momento ſimulque perluſtraret: cùm omnia hæc quæ nunc poſt quatuor ſæcula objici ſolent, D. Thomas præoccupaverit. Etenim

Primò, S. Doctor. 1. p. q. 62. ar. 4. num. 3. ita ſibi objicit. *Peccatum opponitur merito; ſed in primo inſtanti ſuæ creationis, aliqua natura intellectualis potuit merere, ſicut anima Chriſti, vel etiam boni Angeli; Ergo & Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis potuerunt peccare.* Idem habet q. 16.

de

de malo art. 4. ubi eandem qu. pertactat num.10. *Sicut aliquis peccat per liberum arbitrium, ita & meretur: sed aliqua creatura meruit in primo instanti suæ creationis, scilicet anima Christi: Ergo & Diabolus potuit peccare in primo instanti suæ creationis.* Sed cùm soleat in Quæstionib. disputatis ea ubertate difficultates explicare, ut eas exhaurire videatur, plura ibidem etiam sibi objicit, & argumenta veluti in omne latus vertit, ut eorum vis quanta esse potest, videatur. Unde

Secundò. Eadem q.16. num.5. addit: *Potentia Angeli quæ erat ei data divinitùs, se habet ad utrūlibet ad bonum & ad malum*: Ergo si in primo instanti potuit Angelus se se in bonum, Deumque, convertere, potuit etiam & à bono, Deoque se se avertere.

Tertiò. Addit num. 10. *Quicumque non agit ex necessitate*, (sed liberè) *potest vitare*, aut omittere, *Illud quod agit*: Sed Angelus in primo instanti non agebat ex necessitate, sed liberè: Ergo etiam si in primo instanti à Deo ad bonum moveretur, poterat illud omittere & peccare.

Quartò. Iterùm num.3. inquit: *Potestas quam* Angelus *habuit in primo instanti suæ creationis, non fuit nec augmentata nec diminuta per peccatū: sed potuit peccare, & peccavit* post primum instans suæ creationis: Ergo in primo instanti suæ creationis *peecare potuit*. Sed

Quintò. Prætereà ne quid intactum relinquat S. Thomas, aut quidquam dissimulet, eam ipsam rationem qua stabiliri potest ea impeccabilitas Angeli in primo suæ creationis instanti, & quam suprà explicuimus, nimirum quòd si in primo instanti Angelus peccare potuisset, peccatum illud potuisset Deo adscribi: hanc inquam rationem impugnat ipse D. Thomas, sibique ita objicit. n. 4. *Dices quòd si in primo instanti suæ creationis* Angelus *peccasset; peccatum illud retorqueretur in Deum, qui est causa naturæ ipsius. Sed contra*, inquit, *Deus operatur esse Angeli quandiu Angelus est, non solùm cum primò fuit creatus, ut patet per S. Augustinum 4. supra Genesim ad litteram. Unde Joan.15. dicitur: Pater meus usque modo operatur & ego operor: si ergo peccatum Diaboli in primo instanti suæ creationis commissum referretur in Deū, pari ratione referretur in Deū in quocumque alio instanti pecccaret, quod patet esse falsum*.

Sextò. Prætereà inquit num. 5. etiamsi peccaret Angelus in primo instanti, tamen determinaret seipsum: *Non enim poterat determinari ad malum à Deo, sed solùm à propria voluntate. Ergo si in primo instāti peccasset Angelus, non imputaretur Deo, sed propriæ voluntati*.

Septimò, Demùm num.6. *Effectus causę secundæ potest esse deficiens sine hoc quòd imputetur causæ primę; sicut claudicatio non imputatur virtuti motivę sed instrumento distorto: sed Deus comparatur ad actum Angeli, sicut prima causa: Ergo si Angelus peccaret in primo instanti creationis, non imputaretur Deo, sed libero arbitrio*.

Plura & usque ad viginti tria Argumenta objicit sibi ibidem Sanctus Thomas. Sed hæc quæ collegimus, hanc præsertim de libertate difficultatem attingunt. Et vide num omnia præoccupaverit S. Doctor, ut non immeritò in re scholastica unum sufficere D. Thomam dici posse videatur. Quis verò eos nodos majori solertia dissolveret, quàm qui eos astrinxit?

Respondet itaque ad hæc omnia argumenta Sanctus Doctor, & paucis ut solet, cùm positis principiis solutiones apertiores sint. Ad *Primùm* num.3. *Quòd quidquid est in merito, est à Deo; & ideò in primo instanti suæ creationis Angelus mereri potuit: sed non est similis ratio de peccato, ut dictum est*: ratione scilicet fundamentali, qua impeccabilitas Angeli probata est. Explicat id magis q. 16. de malo art.4. num. 20. *Dicendum*, inquit, *Quòd alia ratio est de merito, & de peccato: nam meritum procedit ex hoc quòd mens rationalis movetur à Deo, qui à principio potest movere, ad hoc quod voluerit: sed ad peccandum movetur mens rationalis creaturæ à seipsa, quæ non potest se movere nisi secundùm exigentiam naturalis ordinis*. Egregiè sanè: Constitutus est naturæ hic ordo, quòd prima actio naturæ consentanea sit, magisque immobilis, ut paulatim se se natura exerat & explicet & post illum actum, in quo se se voluntas vitaliter ac physicè solùm moveret, ad alterum progrederetur, quo jam constituta in actu, ad alios se se, etiam cum periculo aberrandi toto Cœlo, moraliter movere posset. Et verò quid mirum, quòd magis posset Deus quàm Angelus? Poterat Deus Angelum primò movere, & in primo instanti: non poterat verò se se primò movere Angelus. Quid etiam mirum, quòd sub specialissima Dei cura plus posset Angelus, ac tutior esset quàm sub Divina Providentia communi? Poterat sine periculo mereri in primo instanti, non poterat in secundo. Hæc sanè & naturali ordini & Divinæ potentiæ congruentissima sunt.

Ad Secundum. Respondet S. Thomas num. 5. *Quòd voluntas rationalis creaturæ determinata est ad unum in quod naturaliter movetur: &c. quia semper actio naturalis præsupponitur aliis actionibus*. Supponit solutio ea quæ anteà dicta sunt. In primo instanti non potuit esse voluntas quomodocumque ad utrumlibet; sed cùm actio nnturalis præsupponatur aliis actionibus, necesse fuit quòd in primo instanti voluntas esset determinata ad unum ad quod naturaliter movetur. Igitur in primo instanti ad utrumlibet ferri poterat inter contradictoria, velle & non velle, & quidem *Servato ordine finis*, quo servato ordine mereri poterat, sed peccare non poterat. Post primum verò instans, ad utrumlibet inter contraria ferri potuit, etiam & prætermisso ordine finis; ideoque Peccare tunc potuit.

Ad Tertium. Respondet num. 10. *Argumentum*, inquit, *Concedimus*: scilicet, quòd Angelus in primo instanti non ex necessitate ageret: Liber enim erat quoad exercitium. Unde etiam in primo instanti dum in Deum converteretur, poterat eam conversionem omittere. Necesse enim est, quòd libertas inter hæc duo versetur, posse

velle

velle & non velle, agere, & non agere. Sed negandum eſt quòd ideò peccare potuerit. Quin etiam nè difficultas ulla prætermittatur: Supponimus etiam in primo inſtanti fuiſſe præceptum & naturale & ſupernaturale Angelo impoſitum, quo ſe ſe in Deum convertere teneretur. Addimus etiam, ut jam diximus, potuiſſe omittere eam converſionem, ſed tamen *Servato ordine finis, non prætermiſſo*, eodem planè modo quo de libertate Chriſti ſub ipſo præcepto Divino aliàs diximus. Actus enim hic quo in Deum ferebatur, cùm ſingularis fuerit, non potuit totam potentiæ capacitatem replere, eamque ſibi ſubjicere: contra enim ipſa potentia conditione ſua ſuperior, & univerſalior, eum actum utpotè ſingularem, tanquam ſui dominii partem, ſua capacitate & poteſtate minorem ſibi ſubjiciebat, ipſique dominabatur, ab eoque independens erat. Unde ipſum ſecundùm ſe ſumptum & elicere, & omittere poterat. Verùm ſi conſideretur hic actus ut erat conjunctus cum præcepto Divino, & ſingulariſſimæ motioni Divinæ ſuberat, eo modo prætermitti non poterat. Atque hoc utrumque poſtulat ipſe ordo finis; & quòd actus ille tanquam ſingularis actus, veluti ſolitariè ſumptas, poſſit elici, vel omitti, ſed non poſſit omitti ut præcepto conjunctus. Solus enim ultimus finis & actus qui immediatè Deo clarè viſo conjungit, totam voluntatis capacitatem & potentiam replere poteſt: unde ſe ſe ab illo expedire voluntas nulla unquam ratione poſſet, aut vellet; quia non relinquitur locus alteri actui quo velle poſſet. Sed quiſquis actus ſit in particulari ſecundùm ſe, cùm ſatis amplum locum voluntati relinquat, ab illo ſe ſe expedire voluntas poſſet ſi vellet. Unde ratio ipſa finis poſtulat quòd actus ille ſecundùm ſe poſſet omitti. Verùm alia ex parte etiam ratio ipſa finis poſtulabat, quòd actus ille ut Divino præcepto conjunctus omitti non poſſet: quia ſi fuiſſet omiſſus, etiam ordo ultimi finis fuiſſet prætermiſſus, quem tamen ſervari illa ſpecialiſſima cura Dei poſtulabat. Idem eſt quod inquiunt alii, potuiſſe omitti *negativè* actum & *contradictoriè*, non autem *privativè & contrariè*, Vide quæ de libertate Chriſti aliàs diximus.

Ad quartum Reſpondet S. Thomas n. 3. *Dicendum quòd hoc quòd Angelus non potuerit in primo inſtanti peccare, non fuit neque propter defectum alicujus potentiæ, qui poſtmodùm fuerit ſuppletus; neque propter perfectionem quæ poſtmodùm fuerit ſubtracta ante peccatum; ſed propter ordinē actus: quia primò oportebat quòd conſideraret id quod pertinet ad ſuam naturam, & poſteà moveretur in ſupernaturalia per converſioncm & averſionem.*

Hæc D. Thomæ ſolutio mihi ſuadet, voluiſſe S. Doctorem quæſtionem reſolvere in omnium ſententia, & eorum etiam qui ſuo tempore arbitrabantur, Angelos in ſua integritate naturæ fuiſſe creatos, quòd major in ea ſententia difficultas eſſe videatur. Si enim altera ſententia ſupponatur, fuiſſe ſiilicet in gratia condltos Angelos, multò minor difficultas eſt, & ſingularis ea Dei motio faciliùs ſuaderi poteſt, & in primo ipſorum creationis inſtanti impeccabilitas. Si enim in primo inſtanti & intellectui fides, & voluntati charitas, aliique habitus infuſi ſint; ſi ut inquit S. Auguſtinus ſupra citatus lib. 12. de Civit. cap. 9. *Deus bonam voluntatem* (actualem ſcilicet) *fecit in Angelis.... ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam*: Si prætereà elicito primo Charitatis actu, & quidem omnium ardentiſſimo, & ſecundùm totam capacitatem naturæ & gratiæ, cùm primùm ſuas omnes vires exeruit, & quid cum Divino auxilio poſſet expertus eſt, ac ipſum experiri Deus voluit: *Si* inquam primo illo Charitatis actu ſe ſe ad ipſam gratiam recipiendam diſpoſuit, ut de Chriſto Domino docuit S. Thomas 3. p. Si inquam hæc omnia ſupponantur quomodò fieri potuiſſet ut ſimul etiam peccaſſet, aut peccare potuiſſet Angelus? Et ſanè aliquam in Angelo fuiſſe peccandi impotentiam, probari vel inde poteſt, quòd ex ea penè infinita & innumerabili Angelorum multitudine, nullus omninò peccaverit, ut ex S. Scriptura certum eſt, cùm de omnium primo Lucifero illud intelligatur: *In Paradiſi delitiis fuiſti, in medio carbonum ignitorum ambulaſti.* Quomodò enim fieri potuiſſet ut ex ea innumerabili multitudine & omnes peecare potuiſsēt, & tamen nullus reipsà peccaſſet? Eſſe debebat dubio procul aliqua peccādi impotentia. Faciliùs igitur impeccabilitas Angeli ſuppoſita infuſione gratiæ, & difficiliùs ſuppoſita ſola integritate naturæ probari poterat.

Unde nè difficultatem ullam effugere videretur Sanctus Thomas, ſed eam quanta eſſe poterat exhauriret; ſuppoſita etiam ea ſententia, quæ infuſionem gratiæ negabat, etiam impeccabilitatem Angeli in primo creationis ſuæ inſtanti probare voluit. Atque hoc pacto alia etiam ex parte quàm ſolida ac neceſſaria eſſet ſuæ demonſtrationis ratio, probavit, quâ impeccabilem, & fuiſſe, & eſſe debuiſſe Angelum in primo inſtanti probavit; cùm etiam ſolius dumtaxat exigentiæ, & integritatis naturæ ratione habita, ordo naturæ exigeret quòd primò ad Deum Angelus moveretur. Ita jam ſupra quæſt. 2. de Malo art. 12. ad 9. probaverat, nullum nocumentum potuiſſe Angelis inferri, etiamſi in ſola integritate naturæ conditi fuiſſent: ſed poſteà ita expreſsè monet idem Sanctus: *Et tamen non eſt verum, quòd Angeli in principio ſuæ creationis gratiam non habuerint: ſimul enim Deus in eis condidit naturam, & largitus eſt gratiam, ut S. Auguſtinus dicit* 12. *de Civit.* Quin etiam & 1. par. quæſt. 62. art. 6. ubi quærit, utrùm fuerit aliqua mora inter creationem, & lapſum Diaboli, reſolvit dupliciter, ſuppoſita utraque ſententia, quòd fuerit creatus in gratia, vel in ſola natura: quòd ita etiam ſuo tempore ab aliquibus defenderetur. Hæc pro explicatione eorum quæ in fine ſolutionis addidit S. Thomas.

Igitur Reſpondet Sanctus Doctor, impeccabilitatem Angeli in primo inſtanti, non fuiſſe ortam, ex eo quòd vel decrementum, vel incrementum

in

in potentiis factum fuerit; *Sed propter ordinem actus*, qui in primo instanti naturæ consentaneus esse debuerat; & quia actio naturalis aliis anteponi debuerat, ut uniformior esset, tanquam naturæ ex una parte propinquior, & ultimo fini ex altera parte conjunctior; ut perfectior regula esset, qua cæteros actus regere ac derigere debuerat.

Ad alia verò argumenta quæ sibi objicit Divus Thomas, ut suam ipsam rationem impugnaret.

Ad Quintum Respondet num. 4. *Dicendum quod operatio quam habet res in principio sui esse, cõgruit naturæ ipsius, & ideò oportebat quòd retorqueretur in authorem naturæ: sed postmodùm poterat moveri ex his quæ sunt secundùm naturam in alia vel benè, vel malè, & hoc non oportebat referri ad authorem naturæ, sed in voluntatem Angeli peccantis.* Priùs enim necesse erat quòd in actu constitueretur, idque factum est in primo instanti: Et tunc mereri quidem poterat, quia per ipsum Divinum donum, ipsamque Divinam operationem in actu constituebatur. Cumque non aliud sint creaturæ merita, quàm Dei munera; nihil prohibebat quominùs eadem prima operatione qua in actu primo constituebatur, mereretur, eaque operatio à Deo esset, & in Deum referretur. Sed tunc peccare non poterat, cùm nondum esset in actu constitutus, non defectu pleniſſimi luminis, nec defectu pleniſſimæ actualitatis, quantùm attinebat ad naturæ ipsius constitutionem, & ut ad Deum, ultimumque finem referretur: Sed quantùm attinebat, ut ad alia ferretur, quia necesse erat, quò pleniſſimum illud lumen, & pleniſſima illa actualitas in operationem suæ naturæ consentaneam se se primo exereret, ac veluti effunderet, eaque operatione se se veluti expediret, ut in alia deinde progredi posset, Unde in primo illo actu nondùm erat plene, ut ita dixerim, omninò sui juris, sed erat sub speciali cura, & tutela sui Authoris, quæ periculum omne, & errandi, & peccandi arcebat. Post illum verò actum, quo sibi omnia quæ quodam jure naturæ deberi poterant, concessa sunt; sibi ipsi veluti dimissus est; & ut Tertulliani verbis utar, lib. 2. adversùs Marcion. cap. 6. *Adscripta est illi quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrii.* Tuncque cæpit periculum illud primum peccandi experiri, gravisque incubuit illa tentatio, qua pulsati etiam boni Angeli, nisi *Magis adjuti* fuissent, quid valeat liberum arbitriùm sine Deo, suo ipso experimento agnovissent.

Ad Sextum Respondet Divus Thomas num. 5. *Quòd volũtas rationalis, & intellectualis creatura determinata est ad unũ, in quod naturaliter movetur; sicut omnis homo naturaliter vult esse, & vivere, & beatitudinem; & ista sunt ad quæ primò movetur naturaliter creatura, vel inteiligenda, vel volenda; quia semper actio naturaliter præsupponitur aliis actionibus. Et ideò si Angelus in primo instanti suæ creationis peccasset, videretur hoc cõpetere suæ naturæ; & ita aliqualiter referretur in Deum.* Negandum est igitur quod in Majori propositione supponitur, scilicet quòd potuerit Angelus in primo suæ creationis instanti se se determinare, moraliter scilicet, nec solùm physicè, & vitaliter. Erat enim in primo illo instanti determinatus ex ipso ordine naturæ, quantùm ad specificationem ratione sæpiùs explicata. Quæ quidem universalissima ratio est: adeò ut nedùm voluntatem Angeli, sed & voluntatem hominis comprehendat. Ideoque consultò dictum est à Sancto Thoma, quòd voluntas rationalis creaturæ est determinata ad unum. Unde & in primo instanti, & quoad primum rationis dictamen, & quoad primam volitionem finis, nullus unquam error vel defectus contingere potest: quòd in eo primo instanti, cùm utraque potentia nondùm supponatur constituta in actu, necesse sit speciali jure à Deo constitui, & moveri ad ultimum finem, ea ratione quæ ex Aristotele cap. de bona fortuna, sæpiùs explicata est.

Ad ultimum denique Respondet Sanctus Thomas, num. 6. *Dicendum quòd defectus proveniens ex causa secunda non imputatur primę in illis quę causa secũda non habet ex prima: sicut tibia non habet curvitatem ex virtute motiva: sed oportet quòd prima actio Angeli sit secundùm naturalia ejus quæ habet ex Deo: & ideò ratio non sequitur.* Discrimen igitur est, quòd cùm sui juris omninò factus sit Angelus post primum instans seque ipsum moraliter determinare potuerit; non fuit necesse quòd à Deo moveretur nisi motione communi, & generali. Unde cùm ejusmodi operationes non sint specialiter à Deo ut à causa singulari, etiam si qui sint defectus in Deum refundi non debent; quia *Defectus proveniens ex causa secunda non imputatur primæ in illis quæ causa secunda non habet ex prima*, nisi ut ex causa communi, quod exẽplo curvitatis tibiæ liquet. *At verò cùm prima operatio Angeli sit secundum naturalia ejus*, & necesse sit eam specialissimo modo fieri à Deo, si quis defectus in ea accidisset, debuisset adscribi Deo, ut de Adamo, si claudus conditus fuisset, dictum est suprà.

ARTICULUS X.

Explicatur vera mens Sancti Augustini quantùm ad discrimen naturæ innocentis, & peccato infectæ.

HÆC una difficultas resolvenda superesse videtur quæ prætermittenda non est: quæ scilicet vera fuerit D. Augustini de statu innocentiæ mens, veraque sententia. Difficilem hanc quæstionem nonnulli arbitrantur, nec minùs iis gratulandum putant, qui nullam difficultatem experiuntur, quàm his qui nec media hyeme frigus, nec inter ipsos urentis Caniculæ dies Solis ardo-

res

res perſentiunt. Verùm ut qui febribus corripiuntur, etiam media æſtate rigent, & hyeme uruntur; ita planè interdùm, cùm res admodùm apertæ ſint, magnas ſibi quidam difficultates fingunt. Ipſe, ut fatear, principiis S. Thomæ inſtitutus, ac in ejus operum lectione aliquandiu verſatus, nullas in explicanda Divi Auguſtini ſententia, anguſtias paſſus ſum; cùm apertam multis in locis apud Divum Thomam, interpretationem repererim; & alioquin mihi compertum ſit, quam ſæpiſſimè Sanctum Auguſtinum neque fundamenta ſolùm jeciſſe illius ſententiæ, quam Sanctus Thomas deinde amplexus eſt, & quæ omnia ad Divinæ voluntatis Divinæque motionis efficaciam refert; ſed ipſam eandem ſententiam ſæpiùs proſecutum fuiſſe; neque ab ea communi dependentiæ lege innocentem Adamum exemiſſe; ſed ſtatuiſſe è contra, Deum ſumma ſollicitudine, cura, & poteſtate Adamum innocentem excoluiſſe: Unde nunquam in animum inducere potui, aliter deinde Sanctum Auguſtinum ſenſiſſe, nulla habita ratione principiorum quæ toties ſtabiliverat, & graviſſimam fieri injuriam *Excellentiſſimæ authoritatis Viro* putarem, ſi quod à Caligula in Sveto. nio de Seneca dictum eſt, de Sancto Auguſtino exiſtimaretur: quæ anteà ſcripſerat, *eſſe arenam ſine calce*, aut ut D. Irenæus in eos conjicit, qui omni vento Doctrinæ circumferuntur, ipſum *de arena reſticulas texuiſſe*.

Unde in primis obſervandum eſt, videri factam reipsà à Janſenio injuriam non levem, nedum ipſi Sancto Auguſtino, aliiſque Patribus, qui ipſum ſecuti ſunt, ſed & univerſæ Eccleſiæ, coactiſque adverſus Pelagium, alioſque Divinæ gratiæ hoſtes, Conciliis; cùm inquit, eam diſtinctionem utriuſque ſtatus naturæ dupliciſque *Adjutorii quo, & ſine quo*, eſſe *Clavem* totius Doctrinæ Divi Auguſtini, qua prætermiſſa, neceſſe eſt toto oſtio aberrent, qui ad ipſius Sancti Doctoris veram ſententiam perdiſcendam accedunt. *Hæc*, inquit lib. de Gratia Chriſti cap. 17. in fine, *Vera clavis, qua aditus inſcripta ejus aperiendus eſt; & ſine qua. qui ea molitur ingredi, velut cæcus palpabit in meridie, ac tot tantiſque difficultatibus implicabitur, ut quaſi monſtris occurrentibus terreatur &c.* Contra verò ἀντικλεῖδα & *adverſam clavem*, ut loquitur Clemens Alexandrinus, adhibuiſſe Janſenium aliàs advertimus, *Per quam non revelato oſtio, ut nos ingredimur, per Domini traditionem ſed exciſo oſtio, & muro Eccleſiæ* fideique *perfoſſo* in Divi Auguſtini doctrinam irrumpere voluerit. Et verò qua ratione intelligi poſſet, præfatam utriuſque ſtatus naturæ diſtinctionem, *Clavem* eſſe, aut etiam ut idem Janſenius inquit, *Baſim ac fundamentum*, cui tota Sancti Auguſtini doctrina incumbat, cùm certum ſit, & obſervet etiam ibidem Janſenius ſtatim referendus, librum de Correptione, & gratia in quo dumtaxat eam diſtinctionem utriuſque *Adjutorii ſine quo, & quo* ſtatuit; in fine ſolùm vitæ ſuæ à Divo Auguſtino ſcriptum fuiſſe; & tamen, ut inquit Sanctus Proſper Præfatione contra Collatorem, *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ, Dei Catholica acies, hujus Viri ductu pugnat, & vincit. Vincit, dico, quia non patitur reſpirare quod vincit.* At verò quæ victoria tot annis eſſe poterat, cùm nondùm arma, quibus dumtaxat victoria cõparari poterat S. Auguſtinus exeruiſſet? Quibus armis *Bellum Confectum* eſſe potuit, ut ibidem Sanctus Proſper inquit, ſi ea nondum in acie hujus certaminis primarius Dux Auguſtinus protuliſſet? Vanus igitur tot annis fuiſſet Eccleſiæ de proſtrata hæreſi Pelagiana triumphus, & reſpiraſſet adhuc ſaltẽ hęreſis, quæ nondum eo ultimò ictu confoſſa fuiſſet.

Secundò: Sed præterea deceptus etiam erit Divus Proſper, cum ad Rufinum ſcripſit Epiſt. de Libero Arbitrio, quòd ſi vellet *De his quæſtionibus* Divinæ gratiæ *inſtrui ipſis* inquit *B. Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatiſſimam, ac ſaluberrimã Evangelicæ, Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris*: Cùm inquit Carmine de ingratis, quòd *De iſtius ore flumina librorum mundum efluxere per omnem.* Deceptus inquam eſt S. Proſper: ſi vera Janſenius referat, cùm hæc ingens laus in unicum de Gorreptione, & gratia librum Divi Auguſtini coarctanda ſit, cæterique ipſius libri prætermittendi ſint, & ſine commendatione jacere debeant: ſiquidem in eo dumtaxat libro ea duplicis adjutorii diſtinctio tradita eſt. Quãvis enim utrumque naturæ integræ, & læſæ diſcrimen ſæpiùs aliàs Sanctus Auguſtinus expenderit; non in eo tamen poſita difficultas eſt; quis enim de eo diſcrimine dubitet? Sed in eo controverſia verſatur, quodnam auxilium cuilibet ſtatui collatum fuerit, de quo Sanctus Auguſtinus in eo dumtaxat libro de Corrept. & grat. pertractat. Et tamen ipſe Sanctus Doctor, cui magis credendum eſt, eodem libro de Corrept. & grat. cap. 1. alterum librum, ſcilicet de gratia, & libero arbitrio quàm maximè commendat. Unde inquit, *Non opus eſt omnia identidem retractare, quæ ſufficienter, vobis pleno libro diſputata tranſmiſimus*. Ideoque etiam ut cum ſæpiùs legant hortatur. *Si ergo*, inquit, *eum fructuoſiſſimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notiſſimum; ut dilucidiſſimè ſciatis, quibus & qualibus quæſtionibus ſolvendis atque ſanandis, non ibi humana, ſed Divina occurrat authoritas*. Et Epiſt. 47. ad Valentinum, & Monachos Adrumetinos ſcripta, cùm hunc librum de Gratia, & libero arbitrio ad ipſos tranſmitteret, inquit: *Scripſi ad vos etiam librum, quem, ſi, adjuvante Domino diligenter legeritis, & vivaciter intellexeritis, nullas exiſtimo inter vos de hac re diſſenſiones ulteriùs jam futuras*.

An verò clauſum obſeratumque librum mittebat ipſis Divus Auguſtinus, nondum miſſa ſuæ doctrinæ clave: falſoque commendabat opus, in quo *Dilucidiſſimè* non ſolum humana; ſed & Divina authoritas occurreret ſolvendis de Divina gratia quæſtionibus opportuna? Nondum enim librum de Correptione, & gratia Sanctus Doctor ediderat, neque eam duplicis *Adjutorii quo, & ſine*

ne quo celebrem divisionem, & distributionem pro variis statibus docuerat; qua incognita necesse erat, eos, quos *sufficienter* se docuisse arbitrabatur Divus Augustinus, tanquam cæcos in meridie palpare, si vera foret observatio Jansenii.

Tertiò refert ipsemet Sanctus Augustinus lib. 2. Retractat, cap. 50. *Posteaquam Pelagiana hæresis cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Aphricanorum litteris, convicta atque damnata est scripsi*, inquit, *duos libros adversus eos, unum de gratia Christi, alterum de peccato originali.* Atque hic liber de gratia Christi, primus est quem Sanctus Augustinus contra Pelagianos scripsit, longo tempore antequam librum de Correctione, & gratia scriberet, qui omnium ultimus est ex his quos in libris Retractationum se scripsisse memorat. Nondum igitur liber hic scriptus erat, cùm jam anteà ipsomet Augustino referente, Pelagiana hæresis damnata fuerat: & tamen in hisce Conciliis maximam habuit partem Sanctus Augustinus, ut refert Divus Prosper. An alium, inquit Carmine de Ingratis: *In finem posset procedere Sanctum -- Concilium, cui Dux Aurelius ingeniumque -- Augustinus erat, quem Christi gratia cornu uberiore rigat.* An verò, ut ita dixerim, Dux ipse Conciliorum Augustinus, tunc in meridie palpabat, cùm nondum præfatam distinctionem duplicis auxilii *Quo*, & *sine quo*, propalasset? Igitur & profligari hæresis Pelagiana potuit, & reipsà prostrata jam erat, cùm tamen nondum propalata fuisset ea distinctio, quæ à Sancto Augustino in vitæ suæ fine solùm tradita est. Sine ea igitur distinctione vinci potuit, victaque est hæresis Pelagiana, & vera de Divina gratia fides stabilita.

Quartò: his addè; quòd nemo unquam inter Theologos, neque etiam ipse Sanctus Thomas in tradenda de Divina gratia doctrina, eam distinctionem eo sensu intellectam usurpaverat, aut in eundem usum cum Jansenio adhibuerat: Neque tamen sua basi, & fundamento tot sæculis de Divina gratia doctrinam caruisse existimandum est, aut fuisse veluti hortos pensiles Babilonios. Neque sanè temeritate carere videretur, si quis diceret, cæteros omnes Theologos Jansenio priores, veluti cæcos in meridie palpasse, & expectasse Jansenium à quo ducerentur.

Quintò: Unde non satis attendit Jansenius quæ scriberet, cùm citato supra cap. 17. de gratia primi hominis, postquam illud discrimen statuum naturæ innocentis, & lapsæ, & eam utriusque status auxiliorum distinctionem dixit esse *Clavem, basim, & fundamentum* totius doctrinę Sancti Augustini, posteà in fine inquit: *Quæ sanè ratio est, cur eam* distinctionem auxiliorum Divinorum *insinuatam quidem sæpiùs, nunquam tamen apertè traditam, tandem in fine vitæ suæ luculentissimè declaraverit.* Quis in his Jansenii verbis Paralogismum parùm Theologo dignum non advertat. Quia, inquit, ea distinctio basis est, ac fundamentum totius doctrinæ Augustinianæ; ideò, *Eaque ratione tam tandem in fine vitæ suæ Sanctus Augustinus luculentissimè declaravit*: Absit ut tam præpostero ordine suam doctrinam nobis Divum Augustinum tradidisse arbitremur; & tunc solùm de ponenda basi, & jaciendo solido fundamento ipsum cogitasse, existimetur, cùm colophonem imponere voluit.

Sed hac observatione præmissa ad veram Sancti Augustini sententiæ explicationem deveniendum est, & eam, ut spero, non adeò obscuram esse intelliget, quisquis D. Thomam interpretem audire voluerit.

Dubium non est, quin aliquod discrimen sit, & quidem ingens inter innocentem Adamum, & posteros in statu naturæ corruptæ, in quo versamur ac gemimus: sed in quo positum sit discrimen, dissidium est. Convenit uterque status, etiam & discrepat. Convenit quòd in utroque homo Divina motione eguerit, ac multis ex capitibus, quæ jam prosecuti sumus: discrepat verò quòd singulari, & speciali ratione homo infirmus ea motione aut gratia egeat, ob quam Adamus innocens gratia illa non egebat. Atque hæc omnia Sanctus Thomas nos docuit 1. 2. quæst. 109. art. 2. Ubi inquirit, utrùm homo possit velle, & facere bonum absque gratia? Affirmat nullum sine gratia fieri bonum posse. Idque statim probat ex ipso Sancti Augustini libro, de Corrept. & gratia, de quo libro præcipua est hic difficultas, & quem tamen præ oculis habebat Sanctus Thomas, dum hæc scriberet. *Ex Divo Augustino*, inquit, *libro de Corrept. & grat.* scilicet cap. 2. *Sine gratia nullum prorsus sive cogitando, sive volendo, sive amando, sive agendo faciunt homines bonum.* Deinde ita quæstionem hanc resolvit Sanctus Thomas: *Respondeo dicendum: quòd natura hominis potest dupliciter considerari; uno modo in sui integritate, sicut fuit in primo Parente ante peccatum; alio modo secundùm quòd est corrupta in nobis post peccatũ primi Parentis*, En distinctionem utriusque status clarissimè explicatam, in quo quibus conveniant, quibus dissimiles sint, controversia est. Prosequitur verò Sanctus Thomas: *Secundùm autem utrũque statum natura humana indiget auxilio Divino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, sicut primo movente, ut dictum est*, Articulo scilicet præcedenti. Ubi universalissimum principium statuit, quòd nulla natura quantumlibet perfecta sit, potest in actum prodire, nisi moveatur à Deo, sicut nec ullum inferius corpus motum aliquem ederet, nisi recepto motu, & influxu à corpore cælesti; quia motus cæli in Universo est sicut motus cordis in animali, ut aliàs etiam ex Sancto Augustino fusè prosecuti sumus. Communis igitur est utrique statui ea dependentia, à qua nulla unquam natura eximi potuit. *Sed in statu naturæ integræ*, prosequitur Divus Thomas, *quantùm ad sufficientiam operativę virtutis, poterat homo per sua naturalia velle, & operari bonũ suæ naturæ proportionatũ, quale est bonũ virtutis acquisitæ; non autem bonum excedens, quale est bonum vir-*

virtutis infuſæ. Sed in ſtatu naturæ corruptæ, etiã deficit homo ab hoc quòd ſecundùm ſuam naturam poteſt, ut non poſſit totum hujuſmodi bonum implere per ſua naturalia.

Hoc præcipuum, & clariſſimum utriuſque ſtatus innocentis, & lapſæ naturæ diſcrimen. Unitæ erant in homine integro partes, unde una alteriùs motum, & operationem non retardabat; ſed unita virtus fortior adæquatum ſuæ virtuti bonum, & proſequi, & aſſequi poterat. Sed jam fatali pomo diſcordia injecta eſt inter ipſas hominis partes: una perpetuò inſidiatur alteri, eam pugna fatigat, ac ipſius motum, & operationem retardat. Unde nec ipſe homo, aut præcipua in ordine morali hominis pars, voluntas ſcilicet, etiam adæquatum ſibi bonum aſſequi unquam poteſt; eò quòd altera parte impedita, non niſi languidè, & remiſsè proſequi illud poſſit. Et adverti etiam hic non immeritò poteſt, de ſola naturæ integritate Sanctum Thomam locutum hìc fuiſſe, nec ullam aut gratiæ, aut innocentiæ Adami rationem habuiſſe; quòd nimirùm innocentia non aliud quàm integritatis donum ſuprà communem gratiam afferre videatur. Unde cùm gratia Adami eadem, & communis fuerit, quamvis tamen abundantior, & ſanctitatis privilegiis omnibus, veluti floribus ornatior, & lætior, ſola verò integritas diverſa fuerit; de ea integritate ſolùm rationem habet Sanctus Thomas, in cujus amiſſione poſitum eſt diſcrimen præcipuum quod utrumquè ſtatum diſtinguit, ex quo cætera omnia conſequuntur. Attamen cùm amiſſa ea integritate, & partium omnium temperie ac valetudine, infirma natura ſit, non tamen omnino deſtructa; ideò etiam aliquid jam poteſt, quamvis languidè, quòd ad virtutem pertinet. Sed cùm de his nulla ſit difficultas; ea quæ in hanc rem habet hìc Sanctus Thomas prætermitto; & quæ habet in fine, quibus utrique ſtatui quid commune, quidue ſingulare ſit, concludit, ſubjungo.

Sic igitur, inquit, *virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ, indiget homo in ſtatu naturæ integræ, quantùm ad unum, ſcilicet ad operandum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantùm ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulteriùs ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur ad agendum.*

Hæc abſolutiſſima totius quæſtionis reſolutio. Conveniunt ambo ſtatus, quòd *In utroque indiget homo auxilio Divino ad bene agendum.* Conveniunt iterum quòd in utroque *Virtute gratuita, ſuperaddita virtuti naturæ, homo indiget ad operandum bonum ſupernaturale.* At verò diſcrepant, quòd *in ſtatu naturæ corruptæ, homo indiget gratia, etiam ut ſanetur.*

Eadem habet Sanctus Thomas ſingulis fermè Articulis ejuſdem quæſtionis. Ex triplici enim Capite indiget homo virtute ſuperaddita, ſeu Divino auxilio: *Primò* ratione communiſſima, ut ſcilicet convenit cum cæteris omnibus cauſis ſecundis: quia *Semper complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi* 3. cont. Gent. cap. 66. Et quia uſus formæ nunquam eſt ab ipſa forma 1. 2. quæſt. 109. art. 1. Et ad Rom. 9. lect. 3. Et ex Sancto Auguſtino *Bonus liberæ voluntatis uſus virtus eſt, & in magnis numeratur bonis*, & à Deo eſt, lib. 1. Retractat. cap. 9. *Voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium motionum*, lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Secundò*: Altera verò ratione indiget homo ſpeciali auxilio, quòd homo evectus ſit ad ordinem ſupernaturalem: cùm enim media fini conſentanea eſſe debeant, ſuperetque finis, ad quem homo vocatur, ſcilicet Dei in ſe viſio cujuſque creatæ naturæ vires; ideò neceſſe eſt, virtutem naturæ ſuperaddi ad operandum donum ſupernaturale, ut inquit hic Sanctus Thomas, & fuſiùs 3. cont. Gent. cap. 147. & Divus Auguſtinus loco à Divo Thoma laudato: & lib. de dono perſever. cap. 13. ubi obſervat, quòd *In Sacramentis fidelium dicitur, ut ſurſum corda habeamus ad Dominum quod* inquit *munus eſt Domini: De quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere à Sacerdote poſt hanc vocem quibus hoc dicitur admonentur; & dignum, & juſtum eſſe reſpondent. Cùm non ſit in noſtra poteſtate cor noſtrum, ſed Divino ſublevetur auxilio ut aſcendat*: Sed *Tertiò*: Altera demum ratione homo eget Divino auxilio veluti medicina: Et hæc ratio ſingularis eſt pro ſtatu dumtaxat naturæ infirmæ. Atque hanc potiſſimùm rationem ubique proſequitur Sanctus Auguſtinus, ubi contra Pelagianos agit, iis de cauſis quas ſtatim infrà expendemus.

Atque hinc obvia eſt ac certiſſima eorum omnium quę variis in locis ſcripſit Divus Auguſtinus, interpretatio, & concordia. Certum eſt, admiſſa eſſe à Sancto Auguſtino principia, quibus Divina motio in omni omnino ſtatu, ac in omnibus cauſis, & in tota natura, admittenda ſit. Divinam operationem cum Divina immenſitate conjunxit: unde nos facilem ex Sancto Thoma motionis Divinæ motionem, ex eo communi fideique principio, de Dei in rebus inexiſtentia, penè ob oculos poſuimus. Utramque Sanctus Auguſtinus, præter loca jam ſæpiùs citata, connectit lib. de præſentia Dei, ſeu Epiſt. 57. ad Dardanum de quo opere lib. 2. Retractat. cap. 48. ita inquit: *De præſentia Dei ſcripſi librum, ubi noſtra intentiò contra hæreſim Pelagianam maximè vigilat non expreſsè nominatam: ſed in eo etiam de præſentia Dei naturæ, quem verum, & ſummũ dicimus, & de templo ejus operosè ac ſubtiliter diſputatur.* Et verò quamvis eo libro aliqua miſceat de peccato originali, quo purgati parvuli, & regenerati baptiſmo Chriſti, etiam pertinent ad regnum Dei; attamen totus eſt, ut probet quòd *Subſtantialiter Deus ubique diffuſus eſt: ſed ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas mundi, ſed ſubſtantia creatrix mundi, ſine labore regens, & ſine onere continens mundum.* Ac deinde *ſubtiliter* advertit, quod eſt *multò mirabilius, quòd cùm Deus ubique ſit totus, non tamen in omnibus habitat: non*

enim omnibus dici potest quod ait Apostolus: nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis. Unde inquit deinde, *fatendum est, ubique esse Deum per Divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam.* Hæc duplex Dei præsentia, qua duplex ordo, & naturæ, & gratiæ constituitur: non enim *substantialiter* Deus ubique præsens est, nisi quia sua operatione res constituit, quibus præsens sit. Unde hæc duo jungit Sanctus Augustinus, quòd Deus *Sit substantia creatrix*: *creatrix* quæ producit; *substantia* quæ inexistit: hæc pro ordine naturæ. Idem pro ordine gratiæ. In altero est *Per Divinitatis præsentiam*: in isto *per habitationis gratiam*. Unde cùm hæc utraque præsentia sit per illapsum qui nihil omnino supponit, sed omnia efficit; sicut in ordine naturæ ea Divina, & primaria operatio actionem omnem naturæ antevertit, causamque omnem applicat ad operationes quas elicit: Ita in ordine gratiæ etiam ea operatio primaria omnia in eodem ordine supernaturali efficit, nihil supponit, omnia antevertit, & voluntatem in eodem ordine in quo operatur, movet, & ad suas operationes inclinat, & flectit. Unde non potest ea operatio, seu Divina motio, non esse & prævia, & effectrix. Atque id habet etiam idem Sanctus Augustinus ibidem. Etenim inquit paulò post medium, *Habitare autem ideò, & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, ut sint templum ejus, idque in proficientibus, & proficiendo perseverantibus perficit.* Et infra: *Agit ergo in quibus mortalibus adhuc habitat, ipsam ædificationem habitaculi sui.* Nihil enim supponit, sed omnia prior efficit, & *Lapides vivos* ipse etiam movet, aptat, & conjungit, ut sint ipsius templum; ac deinde in eis pro cujusque captu, aut veriùs prout ipse vult, in eis operatur: neque enim otiosus manet. Dividit singulis prout vult: *Dividens*, inquit Sanctus Augustinus, *non divisus.* Hæc ibi Sanctus Doctor, quibus similia quàm plurima, magnaque copia adjungi possent, cùm hoc argumentum sæpiùs prosecutus fuerit.

Admisit igitur Sanctus Augustinus necessitatem prævenientis gratiæ ex eo triplici capite quod Sanctus Thomas eodem articulo conjunxit, ubi eam necessitatem ut data opera explicaret, ipsi incumbebat. Verùm non omnem eam rationem ubique prosequitur Divus Augustinus. Interdum enim unam, interdum aliam pertractat; siquidem non omnia ubique opportuna sunt; & ut dicebat olim, nescio quis, cum varient animi, *Et nos variabimus artes.* Ovid. Atque inde plures hallucinatos fuisse non semel advertimus. Plurimi enim, cùm unam à Sancto Augustino, vel etiam à Sancto Thoma rationem urgeri animadvertunt, eam esse unicam arbitrantur: quod plurimùm à verò, atque etiàm à vera scribendi arte, & methodo alienum est. Ubi Divus Augustinus contra Academicos, vel Stoicos, de Fato, Divina providentia, ac Divina præscientia agit; omnibus omnia factus, Philosophum ipse agit, rationem omnem advocat; & tunc omnia principia, quæ recta ratio fide illustrata, suggerere potest, usurpat, ac maximo acumine in omnem partem versat, Libris de libero arbitrio, de Trinitate, de Civitate Dei, de Genesi ad litteram; in quibus cum sibi scopum constituisset, ut quæstionem quamlibet, ex ipsis visceribus causæ eductis rationibus explicaret; neque in animo haberet, ut singularem aliquam hæresim exagitaret; eadem omnia principia advocat, quibus deinde Sanctus Thomas immoratus est, quòd res omnes in seipsis, nudatis visceribus introspiceret, & perscrutaretur. At verò deinde cùm libros contra Pelagianos scriberet Sanctus Augustinus, quos majori, & graviori authoritatis pondere urgere ac contundere oportebat, eam fermè unicam, sepositis cæteris, rationem urget, quam perpetuò Scriptura Sacra, Patres, ipsumque genus humanum inclamant petitam scilicet ex infirmitate naturæ, gravissimis tentationibus quibus exposita est eaque quotidiana lucta, in qua voluntas victa succumberet, nisi *Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.*

Unde cùm negat Divus Augustinus, *Adjutorio quo* eguisse innocentem Adamum; non negat absolutè, sed attenta solùm infirmitate naturæ; seu negat, illud ex eo capite requiri, scilicet ob naturæ infirmitatem: & si non ex alio capite ea effectrix gratia necessaria fuisset, quàm ad reparandas fractas vires, & infirmas roborandas; nulla dubio procul effectrice gratia, & *Adjutorio quo* Adamus integer, sanus, & innocens eguisset. Cùm iterùm Sanctus Augustinus ita adjutoria distribuit, ut dicat, *Adjutorium sine quo* ad statum innocentis naturæ pertinuisse: *Adjutorium* autem *quo*, ad statum naturæ infirmæ; solius integritatis, & naturæ infirmitatis rationem habet, & utriusque status conditionem inspicit. Atque ita est: nisi altera ratio effectricem motionem postularet; nulla majori gratia quàm sufficiente firma jam robustaque voluntas indigeret. Cùm denique inquit Sanctus Augustinus, relictum fuisse Adami arbitrio ut perseveraret, si vellet; sed electis jam dari, etiam ut perseverare velint hæc aliaque similia comparativè dicta sunt, & significant solùm illud inter utrumque statum discrimen; quòd cum ea jam sit naturæ infirmitas, ut vix homo pedem efferre possit: si sibimet relicta esset natura, ut in *Adjutorio* Dei *sine quo* perseverare non posset, maneret, si vellet, neque in ea efficeret major, & validior gratia ut vellet; ipsa natura sua infirmitate succumberet: cùm tamen ex ea parte, si nulla esset ea naturæ infirmitas, magis & faciliùs homo sanus perseverare posset. Demum eò recurrunt omnia, in hac re argumenta, quod solius infirmitatis naturæ rationem habuerit Sanctus Augustinus, aut utriusque status conditionem respexerit: & ex eo capite negaverit necessarium fuisse innocenti Adamo *Adjutorium quo*. Non negavit tamen, neque produci unquam locus ullus poterit, ubi ex aliis capitibus requiri majorem gratiam, & *Adjutorium quo* negaverit, aut retractaverit unquam quæ de Fa-

to,

to, & providentia aliis in locis ſtatuerat.

Plura deinde in ſingulari, cùm varia D. Auguſtini loca explicabimus, adjungemus. Primò enim veriſſimam eſſe eam interpretationem, & locorum hujus Sãcti Doctoris concordiam oſtendendum eſt, quamvis ex ipſa ſola expoſitione, ut arbitror, id ſatis compertum eſſe videatur.

Confirmatur igitur in primis, quòd ita Sanctum Auguſtinum fidiſſimus ejus interpres Sanctus Thomas explicuerit, atque præcipuum Sancti Auguſtini locum, & in quo aut major, aut fermè, tota difficultas poſita eſt ſcilicet de perſeverantia, ita intellexerit, ut dumtaxat ſolius infirmitatis rationem habuiſſe Divum Auguſtinum animadvertat. Etenim 1. 2. quæſt. 109. art. 10. ad 3. expreſsè inquit, *Quòd ſicut Auguſtinus dicit in libro de natura, & gratia*, ſcilicet cap. 44. & apertiùs libro de Correct. & gratia cap. 12. *Homo in primo ſtatu accepit donum per quod perſeverare poſſet, non autem accepit ut perſeveraret. Nunc autem per gratiam Chriſti multi accipiunt, & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ut ulteriùs eis datur quòd perſeverent*. Accepit igitur Adamus *Adjutorium ſine quo*, ſive donum quo perſeverare poſſet: at verò electi recipiunt etiam donum, & *Adjutorium quo* perſeverantes ſint. Verùm addit ſtatim Sanctus Thomas. *Et tamen faciliùs homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu Innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quàm nunc poſſimus, quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantùm ad mentem, nondum tamen eſt conſummata quantùm ad carnem, quod erit in patria*. Igitur ex D. Thoma quamvis Adamus non perſeveraverit, *Faciliùs tamen perſeverare poterat* potentia etiam cum actu conjuncta, cùm nulla erat rebellio carnis, & naturæ infirmitas, quàm nunc poſſimus propter eam infirmitatem naturæ. Totum igitur utriuſque ſtatus diſcrimen, cujus rationem habet Sanctus Auguſtinus, interpretes S. Thoma, ad hoc revolvitur, ut propter naturæ infirmitatem homo in hoc ſtatu majori, & validiori gratia egeat, quàm in altero naturæ innocentis, & integræ eguiſſet.

Atque id enucleatiùs, & diſtinctiùs expreſſit idem Sanctus Thomas ibidem quæſt. 114. art. 2. ubi inquit, quòd duplex hominis ſtatus conſiderari poteſt: *Unus quidem naturæ integræ, qualis fuit in Adam ante peccatum; alius autem naturæ corruptæ*. At verò *Si loquamur de homine quoad primum ſtatum ſic una ratione non potuit mereri vitã æternam*; nec quidquam agere, quod ad eam conduceret, aut in accepta etiam ſemel juſtitia perſeverare; cùm ea ad altiorem ordinem ſpectent, ad quem homo ſuis viribus aſſurgere non poſſit: ſed ſi loquamur de homine in ſtatu naturæ corruptæ, *Additur*, inquit Divus Thomas *cum hoc ſecunda ratio*, ſcilicet naturæ infirmitas cum indignitate conjuncta. Duplex igitur ratio eſt neceſſitatis gratiæ in eo ſtatu in quo verſamur, altera ex dignitate ſupernaturalis operis: altera ex infirmitate naturæ. At verò ita in omni omnino ordine conſtitutum eſt, ut ſublato poſteriori, remaneat adhuc prius. Sublata ergo naturæ infirmitate, ex qua *Secunda ratio* petitur neceſſitatis gratiæ; remanet altera, & *Prima ratio* ex nobilitate operis. Unde intempeſtiva eſt omnino ea conſecutio, qua colligitur Sanctum Auguſtinum in totum denegaſſe Adamo *Adjutorium quo*, quia nulla erat infirmitas naturæ, qua exigeretur: alia enim ratione exigi potuit; quam rationem aliis etiam in locis, & cùm res ipſa poſtulabat, Divus Auguſtinus expreſſit.

Sed multò adhuc apertiùs Sancti Auguſtini mentem explicat Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 137. art. 4. ubi medullam exprimit eorum quæ habet Divus Auguſtinus cap. 10. 11., & 12. hujus libri de Corrept. & grat. Cùm enim ſibi objeciſſet Divus Thomas, quòd ante peccatum ſic fuit conditus homo, *Ut poſſet perſeverare per id quod acceperat, ſicut Sanctus Auguſtinus dicit lib. de corr. & gratia*. Ergo & per eam gratiam quam homo juſtificatus accepit, perſeverare poterit ſine nova gratia. Reſpondet Sanctus Thomas: *Dicendum quod, ſicut Auguſtinus dicit in lib. de corr. & gratia, primo homini datum eſt, nõ ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium; quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perſeverandi difficultatem præberet; ſed nunc prædeſtinatis per gratiam Chriſti, non ſolùm datur ut perſeverare poſſint, ſed etiam ut perſeverẽt. Unde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate: Iſti autem ſæviente mundo ne ſtarent, ſteterunt in fide*. Hæc Sanctus Thomas: quæ non in uno eodemq; loco S. Auguſtinus repoſuit, ſed ea ex triplici, ut diximus, capite collegit D. Thomas, in quibus tota medulla eſt. Igitur ex Divo Auguſtino *Datum eſt primo homini, ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium*. Cur verò? *Quia*, interprete D. Thoma, *Nulla corruptio tunc erat in natura, quæ perſeverandi difficultatem præberet*. Hæc *ſecunda ratio* eſt ſuperiùs annotata, quę majus in nobis adjutorium requirit, eò quòd nunc etiam natura infirmior ſit.

Et quidem ita dictum eſſe à Sancto Auguſtino advertit idem Sanctus Thomas; nec dubium, quin expenderit, quam vim ea verba haberent: Primò homini datum eſſe *Ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium*: Et tamen ipſe Divus Thomas perpetuò Divum Auguſtinum ſecutus, ea nihilominus principia conſtituit, quibus probetur, etiam indiguiſſe Adamum majori auxilio ut reipſa perſeveraret: nimirùm animadvertit Sanctus Thomas conſtitui à Sancto Auguſtino his verbis diſcrimen inter utrumque naturæ ſtatum, neque de his loqui eo loci, quæ utrique communia ſunt. At verò ſi hujus diſcriminis dumtaxat ratio habeatur; rectè & veriſſimè dicitur, non indiguiſſe Adamum validiori auxilio, quo indiget homo infirmus, & relictum eſſe ipſius arbitrio ut perſeveraret ſi vellet: *Faciliùs* enim ut loquitur Sanctus Thomas, potuiſſet Adamus perſeverare, & ſtare ſeu non peccare per liberum arbitrium, quàm nunc infirmus homo poſſit. Nam alioquin

cer-

certissima regula est, à Divo Thoma constituta, in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. ut quamvis dicere liceat posse hominem per se, seu per liberum arbitrium bene agere; attamen ita semper intelligendum sit: *Ut ly per se non excludat Divinam causalitatem, secundum quod ipse Deus in omnibus operatur, ut universalis causa boni, ut dicitur Isai 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* ,,

Atque eodem iterum sensu explicat S. Thomas quæst. 27. de verit. art. 5. ea D. Augustini verba, quæ omne alterum adjutorium præter sufficiens excludere videri possent. Cùm enim probandum suscepisset, præter gratiam gratum facientem, alteram gratiam requiri: Objicit sibi, quòd *Homo in statu naturæ integræ potuit stare per se, in eo quod acceperat, ut dicitur dist. 24. secundi libri*: Non ergo necesse est, alteram gratiam admitti. Respondet quòd *Quantumcumq; homo habeat habitum gratiæ, semper tamen indiget Divina operatione, quæ in nobis operatur modis prædictis*; operando scilicet & cooperando. *Et hoc propter infirmitatem nostræ naturæ, & multitudinem impedimentorum; quæ quidem non erant in statu naturæ conditæ: unde magis tunc poterat homo stare per se ipsum, quàm nunc possint habentes gratiã; non quidem propter defectum gratiæ, sed propter infirmitatem naturæ: quamvis etiam tunc indigerent Divina providentia eos dirigente, & adjuvante.*

Hæc igitur ex S. Thomæ sententia, germana Divi Augustini doctrinæ interpretatio. In quocumque statu reperiri homo unquam possit, etsi habeat habitum gratiæ; *Indiget tamen Divina operatione*, quæ & operando & cooperando omnia in nobis efficiat: & sine ea operatione non potuit homo, etiam in statu innocentiæ, *Per se in eo stare quod acceperat*. Verùm altera, & *Secunda ratio* est, ob quam in eo statu, in quo versamur, major & abundantior gratia requiritur, scilicet *Propter infirmitatem naturæ, & impedimentorum multitudinem*. Et cùm ea infirmitas, eaque impedimenta ab ea status innocentiæ felicitate abessent, *Magis tunc poterat homo stare per seipsum*, inquit Sanctus Thomas. Et scitè quidem, ac confederatissimè inquit, quòd *Magis* poterat, sicut & suprà dixerat, quòd potuerat perseverare & stare *Facilius*; ut innueret, ex aliis quidem capitibus ad perseverandum etiam in primo homine novam gratiam requiri; sed tamen cùm ex eo capite minimè necessaria fuissent, comparativè *Magis* & *Facilius* potuisse Adamum stare, & perseverare in eo quod acceperat quam nunc homo perseverare possit. Hæc vera sinceriissima, & absolutissima hujus loci Sancti Augustini interpretatio, & quæ totam ipsius doctrinam, conjunctis, non aversis ac pugnantibus invicem partibus exhibet; & quæ nisi adhibeatur, omnia in Divi Augustini sententia ita perturbata sunt, ut nec pes, nec caput uni reddantur formæ, sed malè compactæ veluti ægri somnia, species fingantur.

Confirmatur, quòd verissimam esse hanc Divi Augustini explicationem satis significarent, quæ ipse Sanctus Doctor duplici illo capite 11. & 12. perpetuò, ac per singulas fermè lineas inculcat. Etenim ipsum in primis capitulum undecimum ita inchoat. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? immo verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat quæ bonitate sui conditoris acceperat; neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum,* ,, *libera nos à malo* ,, . . . *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod imploraut isti, cum dicunt,* ,, *Video aliam legem in membris meis* ,,. Ac deinde: *Ille nulla tali rixa à seipso adversùs seipsum tëtatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, verum tamen potentiore indigent isti.* Hactenus ibi Sanctus Augustinus: quibus primarium, & veluti essentiale discrimen Sanctus Doctor refert, unde cætera omnia quantùm ad variam gratiæ efficaciam, & sortem conditionemque hominis in utroque naturæ statu oriri necesse est.

Idem adhuc discrimen, & multò etiam validiùs explicat Sanctus Augustinus sequenti capite 12. ubi duplex illud genus adjutorii distinguit, *Sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit*. Etenim constituta illa distinctione, ita ea auxilia distribuit: *Primo itaque homini*, inquit . . . . . *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Cur verò ita necesse sit? rationem ferè statim his verbis subjungit: *Major quippe libertas*, gratiaque *necessaria est adversùs tot & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atq; firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus: hoc Sanctorũ Martyria docuerunt. Denique ille Adam terrente nullo; & insuper contra Dei terrentis imperium, libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tãta non peccandi facilitate; isti autem, non dico terrente mundo, sed sæviente ne starent, steterunt in fide.* Ac demùm cùm fusè prosecutus fuisset hoc inter utrumque naturæ statum discrimen, in quorum altero possibilitas, in altero voluntas ipsa perseverandi datur; tandem ita habet Sanctus Doctor: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum; ut ideò possint, quia sic volunt; ideò sic volunt, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus . . . . ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tãtas tentationes, infirmitate sua voluntas ipsa succũberet; & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent; aut ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur*

infir-

infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua frangeretur.

Hæc ibi Sanctus Augustinus. Quid verò apertiùs exigi unquam possit? Clamant singula verba discrimen à Sancto Doctore inter utrumq; constitui. Discrimen in aperto est, ipsumque etiam nemo non sentit: inde cætera metienda sunt neque ultra extendi necesse est quàm ipsa originalis culpa petat. Ea est status innocentiæ conditio, non equidem si hujus à Deo dependentia spectetur, non si privilegia quibus ornatur, inspiciantur: hæc enim omnibus communia sunt. Sed si cum statu naturæ infirmæ, & peccato corruptæ conferatur, ea innocentis naturæ conditio est, ut iisdem, cum infirmo homine auxiliis non egeat. Major gratia necessaria est adversùs tot & tantas tentationes quæ in Paradiso non fuerunt. Hoc Sancto Augustino discrimen ob oculos versabatur, atque ea ratione verissimè statuit innocentis naturæ statum, ut à naturæ lapsæ statu distinguitur, exigere ut minori auxilio, dum natura integra, sana, & illæsis viribus robusta est, à Deo adjuvetur.

Confirmatur, quòd consultissimè à Sancto Augustino prætermissis cæteris rationibus quas olim Philosophum agens explicuerat, hæc una quæ ex infirmitate naturæ desumpta est, in medium adducta fuerit, & cur ut solidiori fundamento, quod sanè nemo convellere poterat immota fide, cætera omnia superstruxit. Etenim cùm necesse foret, ut Pelagianorum, aut aliorum etiam pervicaciam majori quàm solius rationis pōdere contunderet, authoritatem Scripturæ advocat, & ad ipsius tribunal eos compellit & sistit. Etenim certum est, Divinæ gratiæ necessitatem à Scriptura Sacra inde maximè repeti, quòd natura infirma sit, tentationibus undique jactetur, perpetua sit inter spiritum, & carnem lucta, & nisi insuperabili adjutorio voluntas juvaretur, sua infirmitate deficeret. Unde consultissimè Sanctus Doctor prætermissis, & sequestratis cæteris rationibus, huic uni urgendæ immoratus est, & hac una invictissima Pelagianos confutavit; quòd si naturæ infirmitatem, quam nemo non persentit, fatentur, cogerentur etiam fateri, medicinæ opem quærendam esse. Et quidem authoritati Scripturę Sacrę, fideique innixum perpetuò fuisse Sanctum Augustinum cum adversùs Pelagianos, & Pelagianorum reliquias ageret, paginę hujus librorum omnes etiam ob oculos ponunt; sed ita etiam debuisse, & egisse constat, cùm Divus Hilarius posteà Epistola ad ipsum scripta, adhibendam potissimùm esse Sacræ Scripturæ authoritatem ipsum monuerit. *Tuæ*, inquit versus finem, *prudentiæ est, despicere quid facto opus sit, ut taliũ & tantorum superetur, vel temperetur intentio: Cui ego parùm prodesse existimo, te reddere rationem, nisi & addatur authoritas, quàm transgredi infatigabiliter contentiosa corda possint.* Atque id jam satis perspexerat Sanctus Augustinus, & voluisse Apostolum, subjungendam esse rationem, non semel aliis in locis observaverat. Etenim Sermone 14. de verbis Apostoli, cùm regenerantis gratiæ necessitatem, quæ originalem culpam abluеret, eamque culpam ex totius naturæ infirmitate, & pœnis parvulorum probaret; sola Sacræ Scripturæ authoritate munitus Pelagium aggreditur, quem ratio delectabat. *Responde*, inquit Sanctus Doctor, *si potes, sed rationem affer; hac enim te gloriari delectat. Ego istam quæstionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. Libet hic exclamare quod Paulus, O altitudo!.... ubi non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare Divinam authoritatem... Ego infirmitatem meam his verbis munio, & hac cautela circumspectus, adversùs sagittas ratiocinationum tuarum muratus assisto. Sed tu bellator, hoc est fortis ratiocinator responde &c.* Ubi enim de Religionis Christianæ mysteriis agitur, quæ naturam superant, adhibenda est in primis fidei regula; quæ si prætermittatur, nullus error est, in quem corrupta ratio, & vanæ Philosophiæ præstigiis delusa, præceps non feratur, potissimùm cùm propriæ libertatis amor adversùs Divinæ gratiæ imperium erigitur

Idem iterùm observat Sanctus Augustinus Sermon. 24. ubi eadē Apostoli verba usurpat, quibus ad suæ infirmitatis recordationem homo revocatur. *O homo tu quis es? Melior est enim*, inquit, *fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia*: ac deinde in fine. *Quæris tu rationem, ego expaveſcam altitudinem: O altitudo! Tu ratiocinare, Ego mirer; Tu disputa, Ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio.* Et alia ejusmodi plura, quibus non longè à casu, & errore abesse monstrat velle scrutari inscrutabilia. Igitur hæc cùm perpetuò ob oculos Divo Augustino versarentur, & parùm prodesse rationem satis animadverteret, quæ semper cavillationibus opportuna est relictis communibus rationibus, quas olim contra Stoicos adhibuerat, hanc unam urget quæ ex Sacra Scriptura apertior est, & quæ necessitatem gratiæ ex naturæ infirmitate probat, eaque munitus Pelagianam hæresim ad solidam fidei petram allidit.

Confirmatur iterùm quòd ex ipsa dispositione cum Pelagio in eam rationem S. Augustinus pertractus sit. Etenim cùm inter errores Pelagii, hi omnium primi essent, ut constat ex Divo Augustino Epist. 106. Paulino scripta, quòd *Adam, sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset; & quòd peccatum ejus ipsum solum læserit, & non genus humanum; & quòd infantes nuper nati, in illo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationē, &c.* Hos Pelagii errores ut everteret Sanctus Doctor, è contra naturæ infirmitatem, varioſque defectus, quibus subjacet humanum genus, recenset, & exaggerat, à quibus liber, suaque innocentia tutus Adamus fuisset, si innocens permansisset, & quos persentire cæpit cùm primùm prævaricatus est; ac tunc cæpit ipse mori:

ac deinde in omnes posteros suos mors pertransiit. Unde contra Pelagianos agens Sanctus Augustinus hoc unum perpetuò discrimen inter utrumque statum versat; huic uni fermè rationi explicandæ immoratur, qua solùm contra hæreticos bellum confici poterat, nullum alioquin finem habiturum, si aliis dumtaxat rationibus egisset, quas nisi iis Scripturæ Sacræ authoritatis pondus accessisset, Pelagiani ut leviores rejecissent. Ita etiam aliàs advertimus, pertractum aliquando fuisse Sanctum Augustinum, ut ad Divinam vocationem totius prædestinationis, & gratiæ œconomiam referret, quòd scilicet à Divo Paulo prædestinationis mysterium ad eam vocationem fuisse revocatam animadvertisset, qua *à vocante dictum est; Jacob dilexi Esau autem odio habui*. Quamvis deinde huic vocationi effectricem vim Sanctus Augustinus concesserit, cùm ea vocatio sit qua Deus mortuos ad vitam excitat, & vocat etiam ea quæ non sunt, ipsaque vocatione efficit ut sint.

Confirmatur iterùm quòd etiam alia ratione, scilicet ipsius disputationis serie, & ordine, quam in eo libro de Correp. & gratia Divus Augustinus instituerat ad illud discrimen explicandum, ac promovendum pertractus fuerit. Agebat enim contra Adrumetinos Monachos, inter quos aliqui in eum errorem lapsi fuerant, neminem esse corripiendum, si Dei præcepta non impleat, sed pro ipso orandum esse, ut ipsi à Deo gratia, qua ea impleat conferatur. Etenim post multa reponit Sanctus Augustinus cap. 9. in fine, & ita concludit: *Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum, & perseverantiam à Domino tantùm esse poscendam nemo prudens, & fidelis hoc dicat: si enim secundùm propositum vocatus est iste, proculdubio illi etiam quòd corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem si sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum: scit enim talem esse corripiendum, facturo Deo aut misericordiam, aut judicium; misericordiam quidem si à massa perditionis ille qui corripitur gratiæ largitate discretus est ..... judicium verò si ..... in his non est prædestinatus*.

Summa igitur gravissimæ hujus disputationis S. Augustini, hæc fuit: nunquam esse prætermittendam correptionem, quia si secundùm propositum vocatus est qui corripitur, & filius est promissionis, *Strepitu correptionis forinsecùs insonante*, ut dixerat cap. 6. *Deus in illo intrinsecùs occulta inspiratione operatur*. Quòd si jam filius perditionis sit, magis etiam corrigatur qui magis correctionem meretur. Nec prætereà etiam ulla conquerendi causa est his qui corripiuntur, si rectè non agant. *Tuum quippe*, inquit cap. 5. *vitium est quòd malus es, & majus vitium corripi nolle quia malus es*. Nec conqueri etiam quisquam potest, si gratia denegata fuerit, qua rectè operetur; cùm hæc in pœnam præcedentis, & corruptę originis denegetur. *Attendant* enim, inquit c. 6. necesse est, *Primam esse causam cur objurgati, quòd sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ creaturæ ..... ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine in qua eum Deus primitùs fecit, sua mala voluntate decidens, pravus effectus est. An verò ideò pravitas ista corripienda non est in homine, quia non ejus propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Immo verò corripiatur, & in singulis quod est omnium*. Atque ex his quæ utroque hoc capite 5. & 6. moxque retulimus, colligit Sanctus Thomas 2. 2. qu. 2. art. 5. Posse hominem credere mysteria fidei *Cum auxilio gratiæ*: *quod quidem auxilium quibuscumque Divinitùs datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex Justitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, ut Sanctus Augustinus dicit in lib. de corrept. & gratia*.

Verùm inde advertit sagacissimus gratiæ Doctor Sanctus Augustinus, alteram de ipso Adamo difficultatem emergere, cui negari ob culpam gratia non potuit. Unde cap. 10. ita statim exorditur. *Hinc*, inquit, *exoritur alia quæstio non sanè contemnenda, sed in adjutorio Domini, in cujus manu sunt & nos, & sermones nostri, aggredienda atque solvenda. Quæritur enim à nobis quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus; qui certè sine ullo vitio factus est rectus?* Atque ut hanc difficultatem magis premat, addit posteà. *Porro si propterea* perseverantiam *non habuit quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? neque enim dici potest, ideo non accepisse quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate. Nondũ quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequã peccasset, ex quo tracta est origo vitiata*.

Hæc ibi Sanctus Augustinus. Ex quibus liquet, qua occasione, & causa, ut eam difficultatem pertractaret veluti pertractatus sit. Et quidem cũ jam denegationis auxilii ac doni perseverantiæ in cæteris causam attulisset, quòd causa sit *Prima pravitas*, qua Deo non obeditur, quæque non minus *corripiẽda est quia non est propria ejus qui corripitur, sed communis omnibus*: seù ut clariùs posteà dicit, quia *non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate* is cui perseverantiæ donum non conceditur: Inde consequens fuit, ut cùm de Adamo ageret, à quo tracta est origo vitiata, oppositam viam iniret. Et cùm non eadem causa esset de qua tunc agebatur, scilicet ex originis vitio, qua denegari perseverantiæ donum posset; ut faciliùs promptiùsque res expediretur, ne novas difficultates intexeret, consequens erat ut statueret, non negatum fuisse Adamo hoc donum perseverantiæ, sed ipsius arbitrio relictum ut perseveraret si vellet. Et reipsa hanc viam Sanctus Augustinus iniit, & discrimen illud ingens quo, uterque innocentis, & lapsæ naturæ status discernitur, constituit. Unde statim subjicit, *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbi-*

arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficiū, juſtitiæque judicium.

Et quidem quod maximè obſervari velim, unde explicando Sancto Auguſtino maxima lux acceſſura eſt; Reſpondere hic etiam Sanctus Auguſtinus poterat, quod in lib. 12. de Civitate Dei cap. 7. reſpondit, ubi de miſeria Angelorum qui in veritate non ſteterunt, agebat: nimirùm non aliam cauſam eſſe cur non perſeveraverint, præter ipſorum malam voluntatem. At verò ſi quis quærat unde mala voluntas ſit? *Inveniet, voluntatem malam non ex eo incipere quia natura eſt, ſed ex eo quòd de nihilo natura facta eſt.* Nemo enim, ut inquit ſeq. cap. 7. *Quærat efficientem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio . . . . . Cauſas porro defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, ſed deficientes, velle invenire, tale eſt ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium.* Hinc enim meritò retundi ea querimonia Adrumetinorum Monachorum poterat, aut eorum qui gratiam denegatam ſibi conqueri vellent: nemo enim ideò peccat quòd ipſi gratia deſit, ſed ſua ipſa voluntate, cujus non alia cauſa quærenda eſt, niſi quòd ſit ex nihilo. Unde nemini Deus facit injuriam ſi gratiæ beneficium, donumque perſeverantiæ deneget, cùm Divinæ providentiæ legibus conſtitutum ſit, ut creaturam juxta eorum conditionem regat, & creaturam natura ſua mutabilem, & quæ ex regione venit quæ dicitur *Nihil*, ut inquit Sanctus Cyrillus in Joannem, & quæ etiam ſemper versùs ſuam originem, ac *Nihil*, tendit, eam aliquando in nihilum peccati labi permittat. Et poteſt ſemper querulorum ac moroſorum querimonia his verbis Evangelii contundi, *Tolle quod tuum eſt, & vade.* Hæc enim duo propriè ad creaturam pertinent, ut etiam Sanctus Thomas in 2. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 1. ex Avicenna obſervat, quia *Quod convenit rei ſecundùm ſe*, ſeu quod à ſe ſe ipſa habet; *non cauſatur in eo ex alio. Res autem ſi ſibi relinquatur, nihil eſt.* Et quid ſi Deus conceſſa ſine ullo merito ex ſola ſua bonitate dona gratiæ retraheret, creaturæ ſupereſſet præter peccatum & nihil? Non aliud igitur habet de ſuo creatura præter hæc duo: Ipſum eſſe, omniſque gratia, Dei dona ſunt, quæ ad ipſum Deum pertinent; & ſi aliquando gratiam creaturæ deneget, adhuc *Miſericordiæ* ipſius eſt *quòd non ſumus conſumpti*, ut etiam alibi Sanctus Thomas obſervat.

Ita reſpondere S. Auguſtinus poterat, ut L. de Civit. Dei, & de libero arbitrio reſpondet. Ut enim vitiata origo ad Divinam juſtitiam; ita origo ex nihilo ad Divinam providentiam comparatur; utque exercetur Divina juſtitia, ſi ob vitiatam originem, & naſcentis indignitatem gratiam Deus deneget: ita & ſi propter eam ex nihilo originem, ac creaturæ mutabilitatem etiam gratiam neget, ſuæ providentiæ legum Deus rationem habet, quibus mundum regit, & creaturas ad earum naturam, & conditionem conſentaneè adminiſtrat. Quin etiam interdùm ea principia advocari ne-

ceſſe eſt, cùm quæritur unde ortum habet malum? Si ex voluntate? & ipſa opus Dei eſt. An verò ex opere Dei oriri poteſt opus Diaboli? hoc enim argumento nullum eſſe originis peccatum Julianus contendebat. Cui reſpondet Sanctus Auguſtinus comparatione actualis peccati lib. 2. de nuptiis, & concupiſcent. cap. 18. *Non potuit*, inquit, *ex bono oriri volantas mala, quia bonum factum eſt à Deo bono, ſed quia de nihilo factum eſt, non de Deo.* Atque eam fuiſſe Manichæorum hæreſis originem obſervat ſequenti cap. idem Sanctus Doctor. ubi eos exiſtimaſſe refert, quòd *Si natura per Deum eſt, non poteſt in ea oriri ullum malum . . . . Hoc Manichæi*, inquit, *aſſerere voluerunt, & non creaturam Dei factam de nihilo.* Quæ omnia etiam lib. 1. contra Julianum fuſiùs proſequitur Sanctus Auguſtinus, quem ſuffragari Manichæis inquit, eorumque partes agere; cùm utrique eodem principio convenirent, ſcilicet malum ex bono eſſe non poſſe. *Laborat Manichæus, ut oſtendat ex bono Dei opere malum oriri non poſſe, ut, quod ipſe vult, malum niſi ex malo eſſe non poſſe credatur. Hic tu mirabilis ejus adjutor . . . . . per opus inquis Dei, malum tranſire non ſinitur; ut ille tota facultate concludat; multò minus inde oriri non poſſe per quod nec tranſire permittitur.*

Et verò ea Quæſtio de origine mali Divum Auguſtinum vehementer olim excruciaverat: & me *Fatigatum*, inquit, *in hæreticos impulit atque dejecit* lib. 1. de libero arbitrio cap. 2. Verùm ex magnitudine ingenii, longaque ratiocinatione, & illucente Divina luce, ex eo errore emerſit, conſtituto eo principio, quòd omnis *Defectus ex nihilo eſt*, ut inquit cap. 10. Et ut inquit lib. 1. contra Julian. cap. 3. quia naturæ *Ex nihilo creatæ ſunt, ideò* etiam *mutabiles ſunt.* Etenim, ut poſteà inquit, *Mutabilis creatura non eſſet, ſi de Deo eſſet, non ab illo de nihilo facta eſſet.*

Atque ea vel ſola ratione poſſe à Deo denegari creaturæ gratiam egregiè oſtendit Sanctus Thomas tùm alibi, tum in 2. diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. Cur Deus hominem tentari, & peccare permiſerit? *Dicendum*, inquit, *quòd ad providentiam Divinam pertinet, ut unumquodque in ſua natura relinquatur; quia, ut Dionyſius 4. de Divinis Nom. dicit providentia non eſt curruptiva naturæ, ſed ſalvativa. Cujus ratio eſt, quia bonum Univerſi excedit bonum particulare cujuſque naturæ creatæ, ſicut etiam bonum gentis excedit bonum hominis, ut in 1. Ethic. dicitur. Si autem aliqua natura à ſuo gradu tranſlata in altiorem per providentiam mutetur, quamvis aliquod bonum illi naturæ excreſceret; tamen bonitati Univerſi aliquid detraheretur, dum non omnes gradus bonitatis impleti eſſent, illo gradu, ex quo natura illa translata erat, vacuo remanēte. Dico ergo, quòd ſi peccatum omnino impediretur, per hoc multi gradus bonitatis tollerentur. Tolleretur enim natura illa quæ poteſt peccare & non peccare, quę quidē bonū eſt: tolleretur etiā hoc quod eſt de peccato poſſe reſurgere; & multa ejuſmodi; quibus ablatis, bonitati Univerſi multùm detraheretur. Et*

ideò ad providentiam Divinam pertinet, & hominem tentari permittere, & peccare si velit. Hæc Divus Thomas: quibus nec solidius quidquam, nec majori acumine dici potuit. Si enim homo concesso perseverantiæ, & confirmationis dono statim ad tantum felicitatis fastigium evectus fuisset; equidem fuisset *Natura è suo gradu in altiorem translata*: sed tamen bonitati Universi aliquid defuisset, dum non omnes gradus bonitatis impleti essent, *Illo gradu ex quo naturæ translata fuisset vacuo remanente*. Atque idem Argumentum sæpissimè prosequitur S. Augustinus ea qua eloquentia valebat; opportunus enim locus est: lib. 3. de libero arbit. cap. 20. ac fusiùs lib. 22. de Civit. c. 24. ac etiam in Psal. 58. *Deus ostendit mihi in inimicis meis*: Quis scilicet *eorum usus sit*.

Hæc igitur constituta probataque principia advocare S. Augustinus potuerat, ubi contra Monachos Adrumetinos, ac deinde contra Massilienses seu Pelagianorum reliquias disputabat, neque succubuisset argumento, si prætermissa infirmitate naturæ quam vitiata origo induxit, solam naturæ mutabilitatem, & ad peccandum infelicem potentiam, quæ naturæ adhæret, ut est ex nihilo, ipsis ob oculos posuisset, quæ causa esse potuit, ut gratia à Deo donumque perseverantiæ denegaretur, neque justa ulla querimonia esse possit, si in bonum malumque creaturas vertibiles in malum Divina Providentia labi permittat; atque æquo jure suppositâ sola mutabilitate naturæ, ut est ex nihilo, dici ab Augustino potuit, quod ad comprimendam querulorum pervicaciam, aut explicandam mysterii profunditatem toties dixit: *Qui liberatur gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat*. Lib. de dono perseverant. cap. 8. Utraque enim seu vitiata origo, seu origo ex nihilo causa non immeritò esse potest, (quamvis tamen diversa utriusque ratio sit:) cur gratia denegetur.

His paululùm expendendis immorati sumus, quòd ex ea observatione clarissima lux ad explicandam veram Divi Augustini mentem affulgeat. Inde enim liquet, non esse unicum, & omninò necessarium eum explicandi modum, quem Adrumetinis responsurus S. Augustinus adhibet, cùm communiorem, & universaliorem alterum, quo toties aliàs usus est, adhibere potuisset. Et verò quid habet hic explicandi modus fidei, aut rationi, & veræ Philosophiæ, aut Theologiæ adversum? Atque à Jansenio ipse petam, si à D. Augustino hic modus quem diximus usurpatus fuisset: an putet, eversa fuisse omnia principia quæ libris de libero arbit. aliisque constituerat S. Doctor? hæc omnia invicem mirè consentire existimavit ipse S. Augustinus, & defendit etiam in Lib. Retractionum contra Pelagianos qui eos invicem collidi arbitrabantur, ut mox dicemus. Unde liquet, immeritò dictum fuisse à Jansenio, eum modum quem usurpat D. August. Lib. de Corrept. & Grat. qui naturæ infirmitatem ex origine vitiata supponit, ipsique innititur, *Clavem* esse totius Augustinianæ doctrinæ, cùm alterum usurpare potuisset, quo communem inter Philosophos, qui Divina Providentia humanas res administrari fatentur, difficultatem, aliis in locis resolvit. Et dubio procul S. Thomas veram S. Augustini mentem assecutus est, qui hujus principiis imbutus, hominem dixit suo relinqui arbitrio, ipsique gratiam denegari, ob duplicem eam causam quam commemoravimus.

Confirmari demùm superiora possunt; atque hìc tandem ipsemet D. Augustinus sui ipsius interpres exhibendus est. Ipse nos doceat, cur eam rationem ex infirmitate desumptam cæteris antepoſuerit; aut utrùm crediderit ipse, hanc cæteris rationibus quas aliàs prosecutus est adversari. Quare demonstrandum hìc est frequentissimè S. Augustinum ex pluribus rationibus quæ suppetebant, interdum unam, interdum alteram, prout varia occasio postulabat, prosecutum fuisse, quod plurimis exemplis adductis de ea re, D. Augustinum nos monuisse ostendendum est.

Primò & quidem jam observatum est Differt. 1. q. 4. art. 1. pag. 76. quòd cùm Massilienses Augustinum Augustino opponerent, ut patet præsertim Ex Epist. S. Hilarii ad Augustinum; & cum ea quæ contra Prophyrium scripserat se *acceptare & probare testarentur*, quibus adversa deinde ipsũ scripsisse objicebant: Respondet ipse Lib. de Prædestinat. SS. cap. 9. *Illud autem quod in Opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo de tempore Christianæ Religionis me dixisse recolitis; ita dixi, ut hanc diligentiorem & operosiorem disputationem de gratia præterirem*. Ac cùm multa ex eo libro retulisset, addit: *Cernitisne, me sine præjudicio latentis cõsilii, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæstionem sufficere videretur*. Ac deinde etiam utraque licet diversa, non tamen adversa esse ita statim explicat. *Quid enim*, inquit, *est verius, quàm præscisse Christum, qui, & quando, & quibus in locis in eum fuerant credituri, sed utrum prædicato sibi Christo, à seipsis habituri essent Fidem, an Deo donante sumpturi; ideſt, utrùm tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putavi*. Ergo ex ipso S. Augustino liquet, non fuisse ipsi insolitum, ut unam pro re nata rationem urgeret, prætermissis aliis quæ ipsum à suscepto argumento longiùs avocassent.

Secundò: alterum exemplum desumi potest ex eodem Sancto Augustino Lib. de Libero Arbit. ubi potissimùm contra Manichæos originem mali inquirit: quædam enim S. Doctor inseruerat, quæ Pelagianorum causam juvare videri poterant; de quo etiam Lib. 1. Retract. cap. 9. monet. *Quapropter*, inquit, *novi hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt volũtatis arbitrium, ut gratiæ Dei non relinquant locum . . . non se extollant, quasi eorũ egerim causam; quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quę illius disputationis causa poscebat*. Ac deinde in fine observat, dictum fuisse aliquando à se, quòd *Quamvis ignorantia & difficultas essent*

sent primordia hominis non sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro disputamus, scilicet cap. 20. Atque ita sibi agendum fuisse inquit, quòd Manichæis probari originale peccatum non posset. *Quæ disputatio*, inquit, *contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturas Sanctas veteris instrumenti, in quibus originale peccatum narratur.... Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur.*

Hæc ibi S. Augustinus: quæ fermè repetit lib. de Dono perseverantiæ cap. 9. ubi inquit. Aliter sibi agendum fuisse contra Manichæos: cum *Suo quodam privilegio, immo sacrilegio, quod volunt ex Divinis Scripturis sumant, quod noluut rejiciant: contra quos agebam*, inquit, *in lib. de Libero arbitrio, unde nobis illi præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes enucleatè solvere nolui, ne nimium longũ opus esset, ubi me adversùs tam perversos testimoniorum Divinorum non adjuvabat authoritas. Et poteram sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certa tamen ratione concludere.* Hactenus S. Augustinus. Quibus liquet, varia se commutasse arma, prout varia occasio pugnandi occurrebat, variique hostes impetendi erant: non enim omnia semper opportuna sunt.

Tertiò. Alterum exemplum suppeditat idem S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 10. ubi observat, quòd cùm in libro de Genesi, adversùs Manichæos dixisset, posse omnes homines Dei præcepta implere *Si velint*. Addit posteà: *Non existiment novi hæretici Pelagiani, secundùm eos esse dictum. Verum est enim omninò omnes homines hoc posse, si velint: sed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere charitatis ut possint. Quod hic ideò dictum non est, quoniam præsenti necessarium non erat quæstioni.* Ita postulabat tunc præsens quæstio, ut quæ libertati stabiliendæ favere poterant explicarentur: quæ verò Divinam gratiam commendabat, in aliud opportunius tempus differrentur.

Quartum exemplum ex ejusdem S. Augustini Epist. 7. ad Marcellinum scripta sumi potest, ubi S. Doctor refert, quòd cùm existimassent aliqui, ipsum libro de Lib. Arbit. huic opinioni favisse, quòd anima *Vel ex parentibus per propaginem veniat, vel in actibus vitæ superioris atque cælestis peccaverit, ut corruptibili carni mereretur includi.* Hanc de se habitam cogitationem statim his verbis depellit: *Videant, sic à me verba fuisse perpensa, ut retento eo quod certum habeo, post peccatum primi hominis natos esse atque nasci cæteros homines in carne peccati, ita omnia sonarent ut nulli præjudicaretur opinioni.* Cùm enim scilicet nondum certa animo sederet sententia, aut vellet consultũ à se D. Hieronymum priùs de origine animæ respondentem audire, ut refert lib. 2. Retractation. cap. 45. Ita verba omnia temperabat, ut nulli vellet sententiæ præjudicium inferre, sed pro rerum opportunitate, diversa, etsi non contraria, & quæ causam susceptam juvarent, afferre.

Quintum exemplum opportunius forsitan esse poterit, cùm ex eo constet, interdum à Sancto Augustino rationem, quæ magis obvia erat, explicatam fuisse prætermissis aliis, quæ vel remotiores erant, & quæ ut explicarẽtur majorem operam requirebant. Etenim lib. 2. de Peccator. meritis, & remissione cap. 17. cùm inquireret, *Cùm voluntas humana, gratia adjuvante Divina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit?* Respondet, ac veluti per gradus, proximiores rationes in medium adducit; *Possem*, inquit, *facillimè respondere, quia homines nolunt.* Hæc dubio procul proximior veraque ratio est. Sed addit deinde: *Sed si ex me quæritur, quare nolint? Imus in longum; Verumtamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam; Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum est, sive quia non delectat.* Hæc iterum verissima ratio, cur homo, cùm possit esse sine peccato in hac vita, tamen non sit. *Ignorantia* enim, *& infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum.* Verùm, an non etiam altera ratio est remotior quidem, sed tamen validior? etiam & altera ratio est. *Ut* enim *innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntatem.* Sed demùm an non etiam altera ratio altior reddi potest, unde cætera velut à prima origine deriventur? Etiam & altera est, scilicet Divina voluntas, Divinaque providentia, quæ, cùm libuerit dat legem simul, & benedictionem, & immissa suavitate docet homines justitiam. Atque eam rationem sæpissimè advocat Sanctus Augustinus, ut & Divinam prædestinationem; cùm ab Apostolo dictum sit, omnia cooperari in bonum *His qui secundùm propositùm vocati sunt.* Hæc omnia verissimè à Divo Augustino dicta. Unde non immeritò revocari huc potest quod ipsemet observat Sanctus Augustinus lib. 3. de Trinitate capite 1. licuisse Philosophis ea quæ ad ordinem universi pertinent, *Quorum nihil fit nisi voluntate Dei*; attamen *etiam causis aliis ea tribuere, vel veris, sed proximis; cùm omninò videre non possent superiorem cæteris omnibus causis, id est voluntatem Divinam.* Et quamvis ad Divinam ac supremã omnium causam Divinam voluntatem, quæcumque in Universi ordine accidunt, referenda esse non dubitassent; attamen licuisset etiam ut ea *Causis veris, & proximis* tribuissent. Ut etiam rectè solidèque docet Sanctus Thomas qu. 1. de Potent. artic. 4. *Si duæ sunt scientiæ, quarum una considerat scientias altiores, & alia minùs altas: judicium in utraque non eodem modo sumetur: sed secundùm causas quas utraque considerat, ut patet in Medico, & Astrologo: quorum Astrologus considerat causas supremas, Medicus autem causas proximas. Unde Medicus dabit judicium de sanitate, vel morte infirmi, secũdùm causas proximas, id est virtutem naturæ, & virtutem morbi; Astrologus verò secundùm causas remotas, scilicet secundùm positionem siderum.* Nec vero inter eas scientias, ejusdemque dumtaxat ordinis eam com-

comparationem iniri posse obsevat idem Sanctus Thomas; sed etiam inter creatam scientiam Divinamque sapientiam. *Est enim*, inquit, *duplex sapientia, scilicet mundana, quæ dicitur Philosophia, quæ considerat causas inferiores, scilicet causas causatas, & secundùm eas judicat; & Divina, quæ dicitur Theologia, quæ considerat causas superiores, ideſt Divinas, secundùm quas judicat.*

Quin etiam cùm varia motiva distinguant scientias; ipsa Philosophia, ut circa Divina versatur, ac Theologia naturalis est, ut eam ex Varrone Sanctus Augustinus vocat, toto libr. 6. de Civitat. Dei, ipseque jam Aristoteles nuncupaverat lib. 6. Metaphys. cap. 1. ac ipsa Theologia supernaturalis, quæ sola Fide dirigitur, distingui possunt. Solo enim naturali lumine, rectaque ratione, quæ de Fato, Deique providentia, ac Divina scientia fermè sciuntur, cognosci possunt. Sed alia sunt quæ sola nos Fides docet, ut v. g. vitiata origine nascentibus pueris maculam inspergi, & defectus quos patitur humanum genus habere veram ratinoem pœnæ, quæ peccatum supponit, ut expressè docet Sanctus Thomas 4. cont. Gent. cap. 52. ubi advertit, ea omnia momenta, quibus Sanctus Augustinus probat, peccato originali infici naturam, esse quidem probabilissima, suppositа tamen fide; quæ si deesset, nullam ea argumenta vim haberent; quæ tamen argumenta demonstrationis vim habere existimavit Jansenius. Unde & negavit possibilem esse puræ naturæ statum: qua in re hallucinatum fuisse dubitari non potest, cùm alioquin necesse foret, existentiam originalis peccati ratione demonstrari, quòd à principiis veræ Theologiæ alienissimum est, de quo alibi plura à nobis dicenda sunt.

Igitur cùm alioquin certum sit ex Lateranensi Concilio sess. 8. ubi rationalem animam esse formam humani corporis definitur, quòd *verum vero minimè contradicat*, neque Medicinæ Astrologia, neque humana sapientia Divinæ, neque recta ratio Fidei adversetur; licuit Sancto Augustino scientiis omnibus armisque instructissimo, varia pro variis rerum eventibus argumenta depromere: nunc quæcumque Philosophia rectaque ratio docet de Divina providentia, quæ res omnes ad earum conditionem, & naturam consentaneè regit, advocare; nunc iis argumentis prætermissis, *Adversùs sagittas ratiocinationum*, ut inquit, *muratum*, ac fide munitum assistere, & solius Sacræ Scripturæ authoritatis pondere Adversarios dejicere. Atque ita variis in locis egisse in dubium revocari non potest. Libris de Libero Arbitrio, & de Civit. Dei, & de Trinit. communissima de Divina providentia ac scientia principia constituit, quæ status omnes naturæ, nec minùs innocentem Adamum, quàm posteros fœda labe peccati originalis inspersos complectuntur; cujusmodi sunt, quòd *Universas creaturas, non quia sunt, ideò Deus novit: sed ideò sunt, quia novit*: l. 15. Trinit. cap. 13. *Occurrit* enim *animo quiddam mirum, sed tamen verum, quòd iste Mundus nobis notus esse non posset nisi esset; Deo autem nisi notus esset esse non posset*. Lib. 11. de Civitate cap. 10. Atque alterum etiam ex causalitate, & efficacia Divinæ voluntatis desumptum sæpissimè magno ingenii acumine versat, potissimùm lib. 3. de Trinit. cap. 1. ubi supremam illam omnium regulam statuit, quòd *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum atque motionum*: quæ tamen cæteras omnes causas ita adhibet, iisque utitur, ut effectus ad eas quidem ut causas proximas referri possint ac debeant; sed tamen ad Divinam voluntatem, & operationem omnium effectricem etiam referenda sint. Idque egregio hoc exemplo manifestat, quod ita fermè explicat, plura enim prætermitto. Si quæ, inquit, *Anima rationalis particeps incommutabilis æternæque veritatis, quam de omnibus actionibus suis consuleret, in aliquo officio misericordiæ corpus labore fatigaret, ægritudinemque contraheret; consultisque medicis, alius diceret, causã morbi esse siccitatem; veram quidem causam diceret, sed tamen solùm proximam. At si illius siccitatis causa quæreretur, & inveniretur voluntarius labor: jam ventum esset ad superiorem causam; sed nec ipsa prima esset: illa enim proculdubio superior erat in ipsa incommutabili sapientia, cui anima in Charitate serviens voluntarium laborem susceperat: Ita non nisi Dei voluntas causa prima illius ægritudinis veracissimè reperiretur*. Hæc ibi S. Augustinus, quæ quàm similia iis sint quæ ex S. Thoma retulimus nemo non videt.

Ea igitur argumenta Sanctus Augustinus prosequebatur, cùm sola ratione, de Divina providentia, & voluntate, difficillimas quæstiones explicare vellet, neque tunc Fdei principia adhibebat. Aliud est enim credere, aliud verò quæ creduntur intelligere, ut inquit lib. 1. de Libero Arbitrio c. 4. Unde cùm interrogatus ab Augustino Evodius authoritate responderet. *Rursus*, inquit S. Doctor, *me ad authoritatem revocas; sed meminisse te oportet, id nunc à nobis esse susceptum, ut intelligamus quod credimus: &c. Tentandũ itaque nobis si quomodo possumus intelligere quod credimus*. Et necesse etiam erat quòd ita ageret S. Augustinus, cùm interdùm Manichæos revincere vellet, qui, ut inquit lib. de dono persever. c. 11. *Suo quodam privilegio, immò sacrilegio quòd ex Sacra Scriptura volebant, sumebant, quod nolebant rejiciebant*. Et qui, ut dictum est supra, *Non accipiunt Scripturas Sacras, in quibus originale peccatum narratur*. Atque tunc argumenta urgebat; quæ ad solvendam quæstionem sufficere viderentur: diligentiorem verò, & operosiorem disputationem quæ ex Sacra Scriptura tractari solùm, & resolvi poterat, in aliud opportunius tempus reservabat.

At verò cùm adversùs Monachos Adrumetinos, alioquin eximiæ virtutis magnique meriti Viros ageret lib. de Corgept. & Grat. circumscripta paululùm ratione, iisque principiis prætermissis quæ olim adhibuerat, Scripturam Sacram adhibet, eaque principia quæ originale peccatum,

corru-

corruptionis maſſam, naturæque infirmitatem ſupponunt; quæ nedùm quæſtioni ſolvendæ ſufficere videbantur, ſed quæ etiam maximè neceſſaria erant adversùs eos qui Scripturas Sacras recipiebant. Quòd ſi alia etiam principia non advocavit, id procul dubio factum eſt, *Quoniam præſenti neceſſarium non erat quæſtioni*, cùm ipſum *ſatis Scripturæ Sacræ adjuvaret authoritas*: quam cùm Viri religioſiſſimi ſummè, ut par erat, venerarentur, ea obtinere ab iis facilè poterat, quòd nulla ratio, quamvis acutiſſima, & ſolidiſſima obtinuiſſet; cùm etiam authoritati Divinæ Scripturæ nulla unquam ratio comparari poſſit.

Sed tamen ea omnia principia, ſi quis intendat animum, agnoſcet mirum in modum conſentire. Et ſanè potuiſſet aut omnia ſimul, aut ea etiam quæ prætermiſit adhibere. *Et poteram*, inquit, *ſicut feci*, quodlibet horum verum eſſet, *certa ratione concludere, in omnibus Deum eſſe laudandum*: Ita enim contra Adrumetinos concludere poterat, nemini relictam eſſe conquerendi cauſam, ſi ex conſtitutis, vel Divinæ juſtitiæ, vel providentiæ legibus regatur: Nec minùs omnia conſentirent quàm in eo exemplo quòd ex ipſo S. Auguſtino ſupra retulimus, conſentiant. Si quis infirmitatem, quam aliquis Vir Sanctus ardentiore meditatione contraxiſſet, in nimiam ſiccitatem referret: *Frequens enim meditatio afflictio carnis eſt*, ut expertus forſitan aliquando Salomon dixit: veram procul dubio cauſam afferret. Et ſi in nimiam animi contentionem, & medi ationem referret, etiam & veram afferret cauſam: utraque enim cauſa vera eſt, altera tamen propinquior, altera verò remotior. Ita etiam cùm S. Auguſtinus lib. de Corrept. & Gratia denegationem gratiæ, & doni perſeverantiæ in vitiatam originem refundit; veram quidem, ſed proximam rationem affert, quæque in Adami poſteris ea originali labe infectis locum habet. Cùm verò aliis in locis eandem gratiæ, donique perſeverantiæ denegationem ex ipſa origine creaturæ ex nihilo, ac Divina providentia derivat; ea remotior quidem, ſed prior etiam cauſa eſt, ac in Angelis, & Adamo potiſſimum locum habet, ac etiam in ipſis Adami poſteris: ea lege quòd priora etiam in poſterioribus remanent.

Atque ex his omnibus, quæ fusè ſatis proſecuti ſumus, reſolvi nullo negotio poſſunt, quæ tum Janſenius objicit, tum alii eidem conſentientes in ea quæſtione, de qua nullum Eccleſia judicium tulit. Ultrò enim concedimus, traditum à Sancto Auguſtino diſcrimen lib. de Correpț. & Gratia in eo fuiſſe poſitum, quòd Adamo innocenti ſolùm fuerit conceſſum *Adjutorium ſine quo* perſeverare non poſſet, & quocum etiam perſeveraret, ſi vellet: Sed id dictum eſt à Sancto Auguſtino *Sine præjudicio aliarum cauſarum*, & ſi ſolius integritatis naturæ ratio habeatur. Et reipsà ſi ex alio capite Divina motio, efficaxque gratia neceſſaria non eſſet, ſi ſola integritatis ratio habenda ſit; ſola in Adamo innocente fuiſſet ſufficiens gratia, cùm nulla infirmitate premeretur, ob quam modò potiſſimùm gratia nobis neceſſaria eſt.

Unde ſi quis diligentiùs hæc expendat, advertet reipsà longè alio ſenſu pertractatam fuiſſe eam quæſtionem à Sancto Auguſtino quàm nunc à Theologis pertractetur. Solam integritatem in Adamo Sanctus Auguſtinus eo loco reſpexit, ſolam verò in poſteris infirmitatem. Atque utriſque conſentaneum adjutorium conceſſum fuiſſe inquit. Adami quidem poſteris, utpotè infirmis, validius, quòd infirmitatem ipſorum ſanaret, & debilitatas, ſeu attenuatas originali peccato vires ſanaret, quòdque eorum arbitrio non relinqueretur, cùm jam vires, ſeu vigorem quem anteà habuerat etiam utendi amiſiſſent: unde neceſſe fuit, quòd & uſum, & vires utendi tribueret. At verò Adamo innocenti, & integris adhuc viribus ſano, cùm benè valentibus nondum opus ſit, & Medico, & medicina; conceſſum ipſi fuiſſe, inquit Sanctus Doctor, diſſimilis rationis auxilium, quod libero ejus arbitrio relinqui potuit, cùm vires utendi quantùm ad *Sufficientiam virtutis* haberet, ut inquit S. Thomas ſupra laudatus. At verò nunc à Theologis alio ſenſu hæc quæſtio pertractatur, num ſcilicet ex quocumque capite ea Divini Adjutorii neceſſitas oriri poſſit, Divina motione, & efficaci gratia quam pro hoc ſtatu S. Auguſtinus *Adjutorium quo* nuncupavit, Adamus indiguerit. At verò eo ſenſu docuit Sanctus Thomas, quem Ducem alii ſecuti fuerant, etiam Adamum innocentem Divina motione aliis de cauſis quas enumeravimus eguiſſe: quod etiam Sanctum Auguſtinum docuiſſe jam ſatis demonſtravimus.

His demùm pro coronide celeberrimi Eſtii judicium ſubjungam Viri in Divo Auguſtino, & SS. Patribus verſatiſſimi, ſed à Theologis Scholaſticis minùs alieni. In primo enim Sententiar. diſtinct. 41. §. 14. Authoritatem D. Auguſtini explicare aggreſſus, principia D. Thomæ advocat, quibus dumtaxat quæ ſuperficie tenùs in Auguſtino invicem opponi videntur conciliari poſſe arbitratur. *Quocirca*, inquit, *ut quoad Divinum adjutorium benè diſtinguamus inter ſtatum Angeli hominiſque integri, & ſtatum hominis lapſi; retinenda eſt omnino doctrina S. Thomæ quam tradit* 12. *quæſt.* 109. ac deinde tradita ea doctrina, quam nos jam ſupra explicuimus, indiguiſſe ſcilicet hominem in ſtatu naturæ integræ virtute gratuita, quantùm ad unum ſcilicet ad operandum, & volendum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ requiri quantùm ad duo, ſcilicet ut ſanetur, & ulteriùs ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur: quod diſcrimen multis ex D. Thoma confirmat: deinde addit. *Et ſanè niſi hæc à S. Thoma inſinuatam intelligentiam verborum Auguſtini recipiamus; difficillimum erit, ac ne poſſibile quidem Auguſtinum ſibi ipſi conciliare: id eſt, oſtendere quemadmodùm ea quæ objecta ſunt*, ſcilicet ex lib. de Correpț. & Gratia, *non contrarientur iis quæ priùs in diverſum ex eodem Auguſtino fuerunt allata, præſertim ex lib.* 12. *de Civit. cap.* 9.

*cap.*9. Ac tandem eum conciliandi modum ex Divo Thoma adhibitum omninò usurpandum esse inquit, ea vel ipsa ratione, quia apud *D. Thomam in hujusmodi rebus exactissimum Doctorem expressior reperitur : maximè propter rationes in eam partem gravissimas, & ut nobis videtur insolubiles, & clarè in Scriptura fundatas*. Hactenus Estius: quem Jansenius ipse lib.3.de Gratia Christi Salvator. cap.20. Doctissimum inter recentiores Pauli Interpretem nuncupavit : & cùm etiam eam D. Thomæ ingentem sanè commendationem concesserit Jansenius, ut ipsius Summa Theologica non aliud sit quàm *Augustinus contractus*; non immeritò de D. Thoma, aut post D. Thomam de Estio dici poterit quod de Divo Ambrosio olim Augustinus ipse contra Julianum inquit: *Possumne tecum largiùs beneficientiùs, liberaliùs agere quàm ut ipsum inter nos constituamus Judicem de quo tuum jam tenemus judicium.* Libro 1. Operis ultimi cap. 48.

QUÆSTIO III.

Utrùm cum erroribus Jansenii Sententia Scholæ Divi Thomæ conveniat.

EGIMUS jam satis contra Jansenium, quem fatentem audivimus, longiùs à Divo Thoma se recedere voluisse. Agendum modò cum aliis, qui nos invitos ac omninò repugnantes in partes Jansenii conjicere vellent, & communem D. Thomæ Scholæ sententiam consensionis cum ipsius erroribus insimulant. Diu altera in Scholam nostram accusatio jactata fuerat fœderis cum erroribus Calvini : Sed ea penè jam antiquata est, & cùm vix suaderi potuisset hujus Scholæ doctrinam Tridentino Concilio fuisse suspectam, quod selectis ex ea Schola Viris componendi Catechismi curam demandaverat, in quo de motione prævia, id est, efficaci sua ipsa vi gratia, sententia, ut alibi probavimus, continetur: altera modò conflata est accusatio quâ nobis Jansenii errores affinguntur. Verùm depelli etiam facilè ea accusatio poterit, & à plurimis jam Scholæ nostræ Theologis depulsa est : eòque faciliùs, quòd inter eos qui motionibus prævиis omninò adversantur, nihil esse commercii inter tutissima Divi Thomæ, & ejus Scholæ dogmata, & proscriptas propositiones Jansenii plurimi libris etiam integris editis demonstraverint.

ARTICULUS I.

Objecta Thomistis cum Jansenii erroribus consensio depellitur: Doctrinam Scholæ nostræ & principiis, & propositionibus in Jansenio damnatis omninò adversam esse demonstratur.

PLurima prætermitto, quæ fusè juxta ac solidè prosecutus est P. Gonet in Apologia Thomistarum ; & hanc unam rationem attingo, quæ majoris momenti ponderisque existimanda est, antequàm vera discrimina inter D. Thomæ Scholam, & Jansenium prosequar. Fieri enim non posse videtur, quòd idem Summus Pontifex, à quo Jansenii quinque propositiones damnatæ sunt, D. Thomæ dogmata tanquam certissima laudaverit, si in iis errores, quos in Jansenio configebat, reperiri existimasset, aut si quæ fuisset Divi Thomæ sententiæ cum erroribus Jansenii consensio: Atque ea quâ pro communi Ecclesiæ bono SS. Pontifices perpetuò invigilant solicitudo postulasset, ut si ea quæ in Schola D. Thomæ de Divina gratia sententia defenditur, quam D. Thomæ Discipuli veram esse ipsius sententiam cõtendunt, & quam ut D. Thomæ Doctrinam defendi Alexandrum VII. latere non poterat, quidquam suspectum, aut Jansenii erroribus proximius habuisset : postulasset inquam ea solicitudo, ut juberet SS. Pontifex, aut modum aliquem adhiberi, aut aliquid immutari, ne in Schola celeberrima malum foveretur ac serperet, cujus vel minimas fibras evellere peroptabat. Atqui idem Alexander VII. qui propositiones quinque ex Jansenii libris extractas proscripsit, & damnavit, idem inquam Summus Pontifex deinde scripto ad Lovanienses Brevi 6. Novembr. Anno 1660.

Præ-

Præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis tanquam inconcuſſa tutiſſimaque dogmata laudavit: *Quorum profectò*, inquit, *ſanctiſſimorum Virorum penès Catholicos univerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina novi præconii commendatione planè non egent.* Neque immutari quidquam in Schola D. Thomæ, aut modum ullum adhiberi præcepit; cùm tamen nec ipſum latere poſſet à D. Thomæ Diſcipulis communem nihilo ſeciùs de gratia per ſe ſe efficaci, tanquam veram D. Thomæ ſententiam defendi, etiam poſt confixos Janſenii errores; cùm ab Alexandro VII. Cenſura in Janſenium Pontificatus ſui anno ſecundo innovata fuerit; anno verò ſexto Apoſtolicum deinde Breve ad Lovanienſes miſerit: Ergo nec exiſtimavit Summus Pontifex ullam eſſe Doctrinæ S. Thomæ, ejuſque Scholæ conſenſionem cum erroribus Janſenii, nec ſenſit communem eam doctrinam, quæ palàm in Schola D. Thomæ Orbeque Chriſtiano, eſſe Divi Thomæ doctrinam defendebatur, quidquam habere periculi, aut commercii cum erroribus Janſenii, alioquin non ſatis graviſſimo malo, quod exſcindere voluerat, remedium attuliſſet. Hæc unica nobis ratio ſatis ſit, inter plurimas quas noſtri fusè referunt, quæque Adverſariis ipſis probantur, & quibus noſtram Scholam ab ea calumnia vindicatur: quamvis nec omnes quas ipſi referunt nobis probari poſſint, ut deinde obſervabimus. Verùm

Objicit P. Honoratus Fabri in ſuo Apologetico Doctrinæ Moralis impreſſo Lugduni pag. 141. dixiſſe *Alexandrum VII. Teſte P. Franciſco Wanderche, nunquam ſe Breve illud privatum vidiſſe: & quòd idem Alexander ſubjunxerit, per ea verba nihil aliud intellexiſſe, niſi ſententias Dogmaticas ad Fidem pertinentes, ab Eccleſia definitas &c.* Hæc ibi quæ dubio procul ſi vera eſſent aut nutaret, aut concideret omninò ea commendatio, & quod ex eo argumentum deſumimus. Verùm non immeritò mirum videri poſſit repertum fuiſſe Theologum, qui rem in omnium oculis poſitam, toto Orbe celebratiſſimam in dubium revocare potuerit. Sed huic alterum Theologum oppono, qui etiam Romæ ſcripſit, ne quidquam ex me referam. Reſpondet igitur P. Gabriel à Sancto Vincentio Carmelita Diſcalceatus, qui opere de Remediis Ignorantiæ hìc Romæ excuſſo Diſputatione 14. dubio 9. §. 3. num. 149. & 150. ita habet.

„ In primis non video, quomodò in his verbis non ſit contradictio. Nam ſi Pontifex iſte non legit hoc Breve, quomodò per ea verba: *Inconcuſſa tutiſſimaque dogmata &c.* intellexit *Sententias dogmaticas, ad Fidem pertinentes, ab Eccleſia definitas.* Deinde parva laus eſt, pro qua Univerſitas Lovanienſis adeò mota eſt, ut Miſſam ſolemnem celebraret cum interventu omnium de Univerſitate, quòd horum Doctorum Doctrina ſolùm ſit inconcuſſa, & tutiſſima quoad *Sententias dogmaticas, ad Fidem pertinentes. ab Eccleſiæ definitas.* Sententiæ dogmaticæ ad Fidem pertinentes, ab Eccleſia definitæ, non ſunt inconcuſſæ, nec tutiſſimæ per hos Doctores, ſed quia Deus revelavit ex Divina veritate, quæ nec falli, nec fallere poteſt. Nec illa Univerſitas ſequitur dictos Doctores ſolùm quoad dogmata Fidei, ſed etiam quoad omnia dogmata theologica, ſive ſint principia Fidei, ſive concluſiones &c. Nec verum eſſe poteſt, quòd exeat aliquod Breve, quod Annulo Piſcatoris firmatur, & non videatur à Pontifice, niſi ſit ſubreptitium, aut obreptitium. Unde Cardinalis Nerlius tunc temporis Secretarius Brevium dixit cuidam Viro graviſſimo, quòd hoc Breve ipſe compoſuit ex Commiſſione dicti Alexandri VII. & quod Pontifex illud attentè legit, & ſigillum dedit, ut eo ſignaretur, & ad dictam Univerſitatem Lovanienſem mitteretur. Et iſte Vir graviſſimus ſic tacto pectore teſtificatus eſt. Vide Patr. Magiſt. Capiſucchum (nunc Cardinalem Eminentiſſimum) in ſua Appendice, qui teſtatur ut ſupra. „ Hactenus Gabriel à S. Vincentio, à quo etiam præter ea aliqua addita erant, quæ ſciens, & volens prætermiſi. Quod verò ad Eminentiſſimum Cardinalem attinet, hæc habet in fine Appendicis, ubi poſtquàm plurima in defenſionem, & laudem Angelici Præceptoris doctiſſimè ſcripſit, hæc ſubjungit.

Quæ autem in hoc Opuſculo, & in alio opere diximus, in defenſionem doctrinæ S. Thomæ dicta ſint; ut conſtet, eam nullis artibus aut machinis arietari: indèque apparet veritas Oraculi Alexandri VII. Summi Pontificis, inconcuſſa, tutiſſimaque aſſerentis Sanctorum Auguſtini, & Thomæ dogmata, in ſuo ad Lovanienſes Theologos Diplomate: quod quidem Diploma ab eodem Alexandro perlectum, obſervatum, commendatum, & probatum fuit, cùm ſibi Annulo Piſcatoris ſignandum exhiberetur à Franciſco Nerlio Brevium ad Principes tunc Secretario, poſtmodùm S. R. E. Cardinali, ut idem Cardinalis Nerlius mihi teſtatus eſt. Hactenus ibi.

Gravius alterum eſt quod refert Lupus in Epiſtola Apologetica de Attritione, & Contritione cap. 5. pag. 9. auſum fuiſſe quondam dicere, *Laudatum Breve per diabolicam machinam fuiſſe impetratum.* Adeò quoſdam reverētiam quam Chriſtianus Orbis, ac potiſſimùm Theologorum omnium cœtus SS. Doctoribus, & Magiſtris Auguſtino, & Thomæ exhibet, minuendi, ac deprimendi ſtudium tranſverſos agit, ut nec ipſi ſupremæ Sedi, à quibus hi SS. Doctores laudantur, parcere velint.

ARTI-

ARTICULUS II.

Demonstratur sigillatim de prima Jansenii Propositione confixa: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant, à D. Tho. prædamnatam esse.

EAM Propositionem in Jansenio reperiri dubitari non potest: totidem enim verbis ita scripsit Jansenius lib. 3. de Gratia Christi Salvatoris cap. 13. paulò post medium, ubi sic habet. *Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam quâ fiant possibilia: hoc enim S. Petri exemplo aliisque multis quotidiè manifestum esse, qui tentantur ultrà quam possint sustinere.* Hæc Jansenius.

Ubi in primis observandum est, non potuisse exactiùs, & majori fide eam propositionem, quæ deinde proscripta est, excerpi; cùm eadem omninò verba, quæ damnata propositione referuntur, etiam & locus ex Jansenio citatus contineat. Sed

Prætereà etiam observatione dignissimum est: quòd ex his omnibus quæ Jansenius simul conjunxerat; quædam à Summo Pontifice prætermissa sint, de quibus noluit Summus Pontifex judicium ferre, ut sola comparatione, & propositionis damnatæ, & Jansenii loci satis liquet. Atque inde compertissimum est, minimè ad errorem Jansenii pertinere, si quis obduratis, & excæcatis denegari à Deo gratiam contenderet, quâ præcepta impleant. Cùm enim in eodem Jansenii loco universalissima hæc propositio referatur, *Infidelibus, excæcatis, obduratis, justisque* etiam interdùm deesse gratiam, quâ præcepta possibilia fiant; ultimam de justis partem Sanctus Pontifex dumtaxàt proscripsit; alteram verò intactam reliquit. Quæ observatio prætermittenda non fuit, ne quis ultrà quàm debeat, immò & ultra quàm Summus Pontifex voluerit, Pontificiam Censuram extendat.

At verò meritò confixam fuisse Jansenii propositionem, & gravissimâ Censurâ debuisse perstringi, nefas esse dubitare. Et sanè mirari subit, quid in mentem Jansenio venerit, ut ea verba usurparet, *Impossibilia esse Dei præcepta*; cùm ut ab his Catholici omnes abstinerent, Concilium Tridentinum jussisset sess. 6. cap. 11. *Nemo*, inquit, debet *temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Ut enim Concilium subjicit, *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Unde

Probatur jam olim à D. Thoma prædamnatum fuisse eum errorem, eamque propositionem Jansenii D. Thomæ principiis adversari. *Primò*: quia ut ex S. Thoma 1. par. quæst. 62. art. 2. aliàs advertimus, quod alterius ope, additisque viribus fieri potest, dici quidem potest difficile esse, sed nunquam absolutè impossibile dici debet. *Difficile enim est quod transcendit potentiam. Sed hoc*, inquit D. Thomas, *contingit dupliciter; uno modo quia transcendit potentiam secundùm suum naturalem ordinem; & tunc si ad hoc possit pervenire aliquo auxilio, dicitur difficile*: (ut v. g. grave aliquando pondus ferre. (*Si autem nullo modo, dicitur impossibile; sicut impossibile est hominem volare.* A potentia enim res possibiles dicuntur: unde quæ intrà objectum potentiæ continentur, possibilia sunt. Verum quidem est, quòd cùm desunt superaddendæ vires, vel conditio aliqua necessariò requisita deest, non perperàm dicitur, rem illam fieri non posse; *Necessarium enim est*, ut advertit S. Thomas, *sine quo res non potest fieri.* Verùm non ideò impossibilis res dici potest: quia, ut ex D. Thoma diximus, *Impossibile dicitur quod nullo modo fieri potest.* Tantùm scilicet interest exactam locutionem usurpare, ut ea prætermissa quod alioquin verum esset, quamvis simillimum videretur, error sit. Unde constat, nulla unquam ratione, nulloque vero, & germano sensu dici unquam posse, *Præcepta Dei esse impossibilia.*

Secundò: & confirmatur, quia ut D. Thomas observat Quodl. 12. a. 4. *Utrùm omnia subsint Fato*: aliquo equidem sensu Fatum admitti potest si referatur *Ad causam supercælestem, scilicet in providentiam Dei, à quo omnia sunt prædeterminata, & ordinata*: Adverte hìc utrùm *Prædeterminationis* nomen adeò novum sit, ut nec per somniũ in mentem venerit D. Thomæ, ut quidam parùm in D. Thoma versati dicere non dubitarunt. *Unde Fatum erit quidam effectus providentiæ, quia providentia nihil aliud est, quàm ratio ordinis rerum prout est in mente Divina; Fatum verò est explicatio illius ordinis. Sic ergo accipiendo Fatum, potest dici, quòd omnia subjiciuntur Fato.*

Verùm egregiè subjicit S. Thomas, quòd quamvis & Fatum, & Providentia idem significent, nefas tamen est Christiano homini Fati nomen usurpare, quòd ea voce Gentiles uterentur, cum quibus nec ipsa nomina communia habenda sunt: Etenim, inquit, *Dicitur Osee 2. super illud, non vocabit me ultra Baalim, sed Vir meus, quòd idem est utrumque*: *sed Deus voluit hoc, quia nomen Baalim erat nomen cujusdam Idoli Gentilium, & ideò sunt vitanda nomina Gentilium, cum quibus nec nomina convenit habere communia.* Et quidem certum est, ut observat etiam Sanctus Hieronymus in eum locum, hebraicè בעלי *Baali*, aut ut alii scribunt, ad vim gutturalis expri-

primendam, *Banghali*, idem esse ac *Vir meus*, alioque modò hebraicè ישׁי *Ischi*, ac græce ἐμὸν *habens me*, scilicet in conjugio. Unde & apud hebræos Uxor Maritum vocabat *Baali Vir meus*. *Quod ergo dixit Dominus*, inquit Sanctus Hieronymus: *Cùm idem significet, & Baali, & Vir meus: tantùm odi Idolorum nomina, ut etiam quod bene dici potest, propter ambiguitatem, & verbi similitudinem nequaquàm velim dici, sed appellari me Vir meus, quam Baali: ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, & Virum nominans, Idolum cogitet.*

Igitur ut hæc Sancti Hieronymi, & Sancti Thomæ observatio huc etiam contra Jansenium advocetur: certum est, apud hæreticos solemne esse, præcepta Dei impossibilia dici, cùm Calvinus ipse hoc uni suarum Institutionum capiti titulum præfixerit, *Legis Dei implementum esse impossibile*. Nefas igitur est, à viro Catholico impossibilia Dei præcepta dici; cùm ea verborum similitudo etiam erroris consortium significare posset. Quod si sub ambiguo verbo latere verum aliquem sensum quis existimet, alis mentem suam verbis explicet, ac tunc usurpari poterit: quod ibidem Divus Thomas ex Divo Augustino addit, & monendus erit, *ut sententiam* quidem *teneat, sed tamen linguam corrigat*. Licet quòd attinet ad Jansenium, errasse non solùm in Verbis, sed in sententia, & in sensu certum sit, ut ex dicendis erit perspicuum.

Tertiò: Sed reprehendi prætereà meritò debet, quòd citato loco addidit in fine Jansenius; impossibilia esse aliqua Divina præcepta, idque *Sancti Petri exemplo, aliisque quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quàm possint sustinere*. Cùm enim à S. Paulo expresè dictum sit, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*: 1. ad Cor. 10. quis ferat eum loquendi modum, *Plurimos tentari ultra quàm possint sustinere*. Ut enim ad ea verba, *Quoniam potestas Dei est. & tibi Domine misericordia*, Psalm. 61. observat Sanctus Augustinus: *Ad mensuram permittitur tentare Diabolus: & potabis nos in lacrymis in mensura*. Ac deinde in fine: *Noli mirari, permittit Deus, & judicio permittit, permittit ac mensura: numero, mensura permittit*. Nimirum ideò aliis in locis Scripturæ Sacræ *tendere funiculum* Deus dicitur: & *habere in manu mensorium funiculum*; & quòd *dolorem ac laborem* veluti attentè *considerat*, ac vires consulit, ne quemquam ultrà quam possit sustinere tentari patiatur.

Verùm equidem est, non eas esse corruptæ naturæ vires; cùm hominis nati iræ filii, & cui jam malitia naturalis infixaque medullis, ac ingenita est, gravis tentatio vires superet, & alioquin ut ibidem discurrit S. Augustinus, *Nemo sibi dat quod non habet*, nec injustus homo justitiam sibi conferre potest. Verùm cùm ut inquit Divus Paulus *Faciet Deus cum tentatione proventum ut possitis sustinere* ac nisi se homo indignum exhibeat, quo major tentatio ingruit, majores Deus suppeditet vires dici nunquam debet, tentari homines ultrà quàm possint sustinere. Unde Sanctus Thomas ita hunc Apostoli locum explicat. *Cùm dicit: fidelis Deus, ostendit paratum esse adjutorium in tentatione. Verè fidelis Deus qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus. Unde S. Augustinus ait: qui dat Diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentatis misericordiam.* Quæ ultima verba etsi paululùm immutata, habet idem Sanctus Augustinus loco prælaudato in psalm. 61. Ut enim ibidem observat: *Diabolo potestas quædam est, plerumque tamen vult nocere, & non potest, quia potestas ista sub potestate est: nam si tantùm posset nocere Diabolus quantùm vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Ipse pervasa sua impellit quasi parietem inclinatum; sed tantùm impellit, quantùm accepit potestatem. Ut autem non cadat paries, Dominus suscipiet, quoniam qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet misericordiam*. Igitur cùm certùm sit, nunquam hominem deseri in necessitatibus; sed e contrà Deum in opportunitatibus cùm homo tentatione premitur, adjutorem veluti occurrere ut opem ferat, nisi ipse homo prior Deum deseruerit; ferri nunquàm potest, quod à Jansenio dictum est, interdùm homines ultrà quam possint sustinere, tentari à Deo permittit.

Quartò: sed & alius Jansenii gravis error est, & alterius origo, quòd hominem à Deo deseri existimaverit, antequam à Deo deseratur; quem errorem jam olim sæpiùs etiam Divus Thomas prædamnavit. Et in primis mirum est ita dictum à Jansenio, cùm à Concilio Tridentino definitum sit sess. 6. cap. 11. quòd *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi priùs deseratur*. Quod enim Jansenius contendit, à Concilio fuisse intellectum de subtractione justitiæ, & gratiæ sanctificantis, non verò actualis auxilii; planè & Concilii, & Divi Augustini menti, à quo ea verba desumpta sunt, hæc interpretatio repugnat; cùm universalissima regula à Tridentino constituta sit. Et

Deinde probat Divus Thomas ipsum Divinæ providentiæ ordinem exigere, ut toties ex Sancto Dionysio refert, quòd naturis à se conditis necessaria nunquam deneget: eaque ratione voluntatis defectum in Deum Authorem reduci nunquam debere, probat multis in locis Divus Thomas: ut 1. par. qu. 49. ar. 2. *Utrum Deus sit causa mali*. Ubi cum sibi objecisset *ex 2. Physic. quod idem est causa salutis navis, & periculi: sed Deus est causa salutis omnium rerum: ergo & ipse est causa mali*. Respondet: *Quòd submersio navis attribuitur nautæ ut causæ, ex eo quòd non agit quod requiritur ad salutem navis; sed Deus non deficit ab agendo omne quod est necessarium ad salutem*. Quod idem aliis in locis ibidem in margine notatis docet. Atque id etiam nos alio in loco fusiùs explicuimus. Ubi quod Sanctus Thomas ex Divo Anselmo refert observavimus, nimirùm quòd *Causa quare aliquis non habet gratiam, non est quia Deus non vult eam dare; sed quia homo non vult*

eam recipere. Quod etiam refert quæst. 24. de veritate art. 15. Unde advertimus, quòd cùm eodem temporis momento hæc duo conjungantur, scilicet inordinatio actus pravi, seu actus ipse pravus, & subtractio gratiæ; non ideò actus pravus fit, & culpa est, quia gratia subtrahitur; sed ideò gratia subtrahitur, quia homo spontè ac liberè actum pravum efficit, quo tanquam obice Divinæ gratiæ via præcluditur. Cujus rei triplicem egregiam rationem ex Sancto Thoma retulimus, *Primò* quia nulla datur privationis propria causa; sed omnis privatio ut & defectus ex positione alterius effectus consequitur; sicut adventu novæ formæ vetus expellitur. At subtractio gratiæ privatio est, ac defectus, qui per se se nunquam fieri potest: antecedit ergo suo modo actus pravus quo collatio gratiæ impeditur. *Secundò* quia pœna supponit culpam: subtractio gratiæ pœna est. *Tertiò* quia quod est à voluntate ut agente, antecedit illud quod est à voluntate ut patiente; cùm necesse sit actionem esse priorem passione, ut causam effectu. At verò culpa actusque pravus à voluntate est ut agente; subtractio autem gratiæ est à voluntate ut patiente: nemo enim est, qui se privari gratia vellet, ut nemo cùm dulcedine vini fruitur, vellet se usu rationis privari. Quæ omnia fusè aliàs ex Divo Thoma prosecuti sumus, & quæ totidem in Jansenium validissimè conjecta tela sunt, & apertissimè demonstrant, neminem unquam nedùm quod ad gratiam sanctificantem attinet, sed etiam quantùm ad ipsum auxilium actuale à Deo deseri, nisi priùs Deum ipse deserat.

Quintò: & verò quid aliud sentire Sanctus Thomas potuit, cùm toties idem etiam apud Sanctum Augustinum legisset, iis etiam locis quorum aliqua refert ipse Jansenius lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 9. ut illud quod habet Sanctus Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 26. *Non deserit Deus, si non deseratur, ut piè semper justeque vivatur*. Non enim verùm habet, quod inquit Jansenius, de sola subtractione gratiæ sanctificantis id debere intelligi. *Primò*: Textus enim ipse reclamat: cùm ibi agat Sanctus Augustinus contra Pelagianos, quibuscum nulla de sanctificante gratia, sed de Divinis auxiliis concertatio erat; & discrimen affert Sanctus Doctor inter sanantem medicum, & Deum opitulantem; quòd medicus sanitate restituta hominem sanum veluti deserat sibique relinquat: at verò necesse sit, Deum perpetuò servare hominem etiam post sanitatem restitutam. *Secundò*: Ideoque altera comparatione oculi corporei explicat. *Sicut enim oculus corporeus etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere. Sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ Divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere. Sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*. Quem locum de auxiliis actualibus intellexit Divus Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 9. quibus necesse est hominem veluti perpetua luce perfundi: atque de his inquit, quòd *Deus non deserit, nisi priùs deseratur*. *Tertiò*: Idem intellexisse Sanctum Augustinum de actuali gratia, aliis in locis apertiùs est quàm ut Jansenius cavillari possit. Sermone enim 88. de tempore, cùm illud Exodi 9. explicat, *Induratum est cor Pharaonis*. Hoc in primis tanquam solidissimum principium statuit: *Primò*, inquit, *hoc fideliter & firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam priùs Deus deserit hominem, nisi priùs ab homine deseratur. Cùm enim & semel, & secundò, & tertiò unusquisque gravia peccata commiserit, expectat illum Deus &c.* Unde inquit posteà *obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione, vel indulgentia generatur; ac sic Pharaonem non Divina potentia, sed Divina potentia credenda est obdurasse*. Hæc ibi. Quæ sanè à Sancto Augustino de ipsa subtractione Divinorum auxiliorum, unde oritur obduratio, intellexisse apertiùs est quàm ut in dubium revocari possit. Universalissima enim regula eò loci ab Augustino traditur, & quæ non minùs, imò priùs de subtractione auxilii, quàm de subtractione sanctificantis gratiæ, verum habet. *Quartò*: Et eadem est communis regula, quam refert Sanctus Augustinus lib. 4. confess. cap. 9. *Te nemo amittit* Domine, *nisi qui te dimittit*. Et deinde cap. 11. *Verbum ipsum clamat ut redeas, & ibi est locus quietis inperturbabilis, ubi non deserit amor non deseratur*. Quæ verba quamvis à Jansenio relata prætermittere nolui, quòd suavissima sint. *Quintò*: Sed demùm quid ad illud reponi possit quod à Sacro Concilio Tridentino dictum est sess. 6. de justificat. cap. 14. ubi cùm de perseverantia ageret inquit quod *Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*. Quod sanè nisi de Divinis, & actualibus auxiliis intelligi nulla ratione potest. Atque ideò forsitan hic à Jansenio prætermissus est Tridentini locus, quòd nulli tergiversationi opportunum esse satis animadverterit.

Sextò: ut id quod propiùs damnatam propositionem attingit, non omnino prætermittatur, jam observatum est, ex Sancto Augustino desumpta esse prælaudata Sacri Concilii Tridentini verba, de natura, & gratia cap. 43. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo movet, & facere quod possis, & petere quod non possis*; quibus Tridentinum addit, *& & adjuvat ut possis*. Inde enim homini præcepta Divina possibilia sunt, quia cum Divino auxilio impleri possunt. Unde & exactissimè ad eadem veræ Philosophiæ principia, quæ Sanctus Thomas usurpaverat; deinde idem Sanctus Augustinus cap. 69. & penult. totius libri inquit: *Eo quippe ipso quo firmissimè creditur Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere: hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus*. Egregiè enim difficilia vocat, non impossibilia Divina præcepta: cum ea auxilio Divino impleri possint, & ut dixit Divus Thomas transcendant quidem potentiam secundum naturalem ordinem quem habet, non tamen absolutè, cum ad ea potentia evecta possit extendi.

Septimò: sed demùm quantùm ab eo errore abhorreret Augustinus satis significavit, cum inquit serm. 191. ubi præcipua fidei capita recensèt deinde versus finem. *Execramur etiam illorum blasphemiam, qui dicunt aliquid homini à Deo præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune, posse servari.* Quamvis observandum sit, hæc eadem verba tribui D. Hieronym. Neque tamen vel Augustini, vel Hieronymi esse, ut jam dudum observatum est: Sed tamen poterant ab utroque usurpari, cùm certissimam fidei regulam contineant: neque iis injuria fit si iis tribuantur. V. Tom. 1. dissert. 1. quæst. 8. art. 8.

Octavò: Atque idem etiam fuit D. Thomæ sensus. Et consuli facilè possunt ea loca, ubi eandem ex professo quæstionem versat, *Utrum scilicet homo sine gratia præcepta Divina implere possit.* Refert enim, illud idem quod Sancti Hieronymi esse longo tempore existimatum est, *Illos esse maledicendos qui Deum præcepisse homini aliquid impossibile dicunt.* Sed hujus rationem reddit D. Thomas, & ad eam possibilis vel impossibilis notionem quam ex ipso retulimus omnino consentaneam: nimirùm quia *Quod possumus cum auxilio Divino, non est nobis impossibile, secundùm illud Philosophi 3. Ethic. quæ possumus per amicos, aliqualiter nos possumus.* Eadem ut ex Sancto Hieronymo verba refert, quamvis paululùm immutata in 2. dist. 28. art. 3. *Utrum homo possit implere præcepta Dei sine gratia. Hieronymus dicit; qui Deum dicit præcipere impossibilia, Anathema sit. Præterea non est Deus crudelis sicut homo; sed homini imputatur ad crudelitatem; si obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non posset.* Iterum quæst. 24. de veritate art. 14. *Num liberum arbitrium possit in bonum sine gratia.* 1. arg. *Præceptum non datur de impossibili. Unde S. Hieronymus dicit. Maledictus qui dicit, Deum homini aliquid impossibile præcepisse.* Quod responsione ad 1. approbat, & confirmat. Et deinde ad 2. *Quòd rectè homo corripitur qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia est, quòd gratiam non habet per quam potest servare mandata.* Eadem refert Sanctus Thomas in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 2. & habetur quæst. 13. suppl. art. 1. ubi in singulari agit de præcepto satisfactionis. Plura apud Thomistas passim reperiri possunt. Unde non est in re admodùm facili diutiùs immorandum.

Sed demum possibilia esse homini præcepta homini à Deo imposita, centies asseruit Divus Augustinus potissimùm ubi contra Manichæos mali, & peccati originem inquirit. Non enim aliam quærendam esse causam inquit præter voluntatem. *Quis* enim *erit* inquit lib. 3. de libero arbitrio cap. 17. *quærendi modus, quis finis percunctandi, ac differendi cùm te ultra radicem quærere nihil oporteat.* At verò peccati causam esse voluntatem probat, quòd peccatum non aliud sit quàm voluntas vel retinendi, vel amittendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Unde necesse fuit, ut statueret, posse hominem servare quod justitia jubet; & vitare, quod fieri vetat. Atque ea omnia prosequitur potissimùm cap. 18. & sequentibus: unde cap. 22. cùm dixisset ignorantiam veri, & difficultatem recti pœnam esse rationalis animæ non culpam: addit, *Quod ergo ignorat, quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit: Sed hoc accipiet, si hoc quod accepit, bene usa fuerit. Accepit autem ut piè, & diligenter quærat si volet. Et quod agnoscens quid sibi agendum sit, non continuò valet implere, hoc quoque nondum accepit. Præcessit enim quædam pars ejus sublimior ad sentiendum quod rectè faciat bonum: sed quædam tardior atque carnalis non consequenter in sententiam ducitur; ut ex ipsa difficultate admoneatur eundem implorare adjutorem perfectionis suæ, quem inchoationis sentit authorem.* Prætereà lib. de actis cum Felice Manichæo idem principiũ urget Augustinus: oriri peccatum ex voluntate liberoquæ arbitrio, quod cùm possit servare Divinam legem, eam non servat: unde c. 5. hanc ab ipso Manichæo nesciente veritatem confirmatam fuisse observat: cum dixisset, eos non purgari *Qui legem sibi à Deo liberatore datam plenius servare noluerint: Vides* pergit Augustinus *in his verbis confirmatum à nesciente quid loqueretur liberum arbitriũ. Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est si velit. Non enim dixit non potuerint, sed noluerint.*

Atque ex his omnibus clarissimè constat, eam primam Jansenii propositionem constitutis à Divo Thoma principiis omnino repugnare; jamque ab Angelico Præceptore prædamnatam fuisse: tum quia nemini unquam à Deo denegantur sufficientia auxilia ad præcepta Divina implenda necessaria: tum quia, quod ex altero consequitur, neminem Deus unquam deserit, nisi priùs ab ipso deseratur. Unde fit nunquam reipsa impossibilia esse Divina præcepta, cùm Divino auxilio nulli volenti, & conanti unquam denegando, sed tantum priùs Deum deserenti, impleri possint; & quamvis aliquo sensu non posse impleri concedi posset; nunquam tamen dicendum est ea impossibilia esse: eaq; vox ut impia, semper rejicienda est, cùm nec ipsa nomina cum infidelibus liceat communia habere.

ARTICULUS III.

De vero sensu Jansenii in prima propositione damnata: Longissimè à principiis Scholæ Divi Thomæ abesse ostenditur.

HÆc potissima difficultas est, pro cujus resolutione: Dicendum in primis arbitror certissimum esse damnatum fuisse, & censura dignissimum hujus primæ propositionis sensum, quem in Jansenio SS. Pontifices agnoverunt, & damnatum esse voluerunt. Neque ea de re ulli Theologo dubitare licet, cùm ea SS. Pontificum definitio cũ cæteris definitionibus paris authoritatis sit, quas nefas esset in dubium revocare. *Causa finita est: utinam aliquando finiatur error*, ut inquit August. serm. de Verb. Apost.

Dicendum præterea est sensum illum singularem in Jansenio proscriptum, eum existimandum esse, quem ipsa series verborum, ipsaque verba pleniſſimo sensu intellecta exhibent: & frustra eos laborare qui reconditum aliquem sensum ut reperiant, aut aliunde quam ex ipsa propositione eruant, ingenia sua torquent. Atque id.

Probatur hac apertissima ratione. Cùm enim necesse sit ab omnibus Catholicis Theologis quotquot in orbe sunt, eam propositionem ut damnatam in proprio Jansenii sensu defendi, & aliunde iis interdicta sit libri Jansenii lectio; non alia via supereſt nisi, ut is proprius Jansenii sensus intelligatur quem ipsa propositio exhibet. Atque idem olim à Suare observatum est Prologom. 6. cap. 2. num. 12. in causa simili, cum de propositionibus Baji à Summis Pontificibus proscriptis ageret. *Cum enim in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento* damnatæ fuissent Baii plurimæ assertiones, necesse est inquit illas in proprio verborum sensu esse censura dignas, & illum sensum fuisse ab assertoribus intentum; quoniam aliàs unicuique liberum erit proprium sensum tanquam ab Authore intentum illius verbis affingere, & illis accommodare judicium Pontificis, ut propriam opinionem verbis magis consentaneam ab illa censura liberet: & ita declaratio illa Pontificis inutilis fiet, quia non ad certam doctrinam confirmandam, sed ad excitandas novas verborum contentiones deserviet. Enim verò, prosequitur idem Author, si sensus omnium illarum sententiarum ab assertore intentus, non posset ex verbis ipsis à Pontificibus relatis satis colligi sine operum ejusdem assertoris integra lectione, & antecedentium & consequentium nova collatione; consequenter etiam ipsa Pontificis decisio sine eadem diligentia certò colligi non posset, quia nescimus quo sensu illas sententias Pontifex damnaverit.

At verò lectio illorum librorum nobis est prohibita, ut ex eodem Brevi in quo talia scripta damnantur constat. Ergo intercluſa est nobis via & ratio assequendi proprium sensum ab illo Authore intentum, & à Pontificibus damnatum: & sic non possumus ex illa Bulla firmum argumentum contra aliquam opinionem sumere, etiam si in illis assertoribus, & proprio eorum sensu contineri videatur. Quod absurdum est, & scopo & gravitati tanti decreti repugnat. Hæc omnia ac iisdem verbis citatus Author refert, quæ hic etiam eandem omninò vim habent: cùm eadem causa sit ubi de Propositionibus à Summis Pontificibus in Jansenio proscriptis agitur.

Igitur hæc prima via est indagandi & eruendi Jansenii sensum scilicet si proprius in rigore ac germanus is esse intelligatur quem ipsa propositionis verba significant. Unde ut hic magis in singulari sensus explicetur hujus propositionis; *Aliqua Divina præcepta justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, esse impossibilia*: non alius verior & germanior sẽ. sus esse potest, nisi hic unus; nimirùm nullam verã sufficientem gratiam in justis conantibus & volentibus adesse, qua Divina præcepta implere possint. Si enim hæc sufficiens gratia admissa fuerit, contrà erit affirmandum, *Justis conantibus, & volentibus adesse* ex sufficiente gratia *præsentes vires, qua Divina præcepta ipsis possibilia fiant*.

Atque eum esse legitimum horum verborum sensum altera pars propositionis confirmat, scilicet *Deesse quoque illis gratiam qua possibilia fiant* Divina præcepta. Clarissimè enim ea verba significant, quod cùm efficax gratia deest, possibilia etiam sint præcepta Divina. Adeoque non aliam existimasse Jansenium esse sufficientem gratiam præter efficacem. Ac subindè in eo positum esse Jansenii errorem quòd verè sufficientem gratiam à gratia per se & ab intrinseco efficaci distinctam non admiserit.

Unde in eo errore versatus esse Jansenius videtur, quem Aristoteles olim in Megaricis ut jam suprà advertimus reprehendit, qui existimabant, tunc solum actionem posse fieri, cùm fiebat. Quod sanè perinde est ac si diceretur, tunc solùm intellectum posse intelligere cum intelligit; & voluntatem posse velle cum vult. Utinam minùs fuisset ab Aristotelis doctrina alienus Jansenius. Reperisset, non *Lacunas* ex quibus S. Thomę sententiam de Divina motione haustam fuisse improperat, sed limpidissimum fontem, unde verissimam potentiæ & actus notionem hausisset: & didicisset, potentiam actum antecedere, nec nisi ex potentia, in suo ordine, ut loquitur D. Thomas, constituta, actum prodire & produci. Non erat adeò Sanctus Augustinus ab Aristotele alienus, quem *Virum ingentis ingenii* in Libris de Civitate Dei nominat, à quo, ut & ab ipsa rerum natura didicerat, aliud esse potentiam, & aliud actum; aliud sufficientem gratiam, aliud efficacem; & cum deest efficax gratia, posse ab homine servari Divina man-

mandata antequam ea ſervet. De quo aliàs egimus. Verùm ne quid à nobis prætermittatur unde verus Janſenii ſenſus erui poſſit.

Altera prætereà ratio eſſe poteſt indagandi ſenſum Janſenii; nimirum ſi ea loca expendantur, ubi de poſſibilitate implendi Divina præcepta data opera mentem ſuam explicat. Qua enim ratione ſecuriùs & apertiùs quæ mens ipſi fuerit indagari poſſet? At verò Janſenius Lib. 3. de gratia Chriſti Salvatoris, poſtquam cap. 13. exertè eam propoſitionem protulit: Etiam *Juſtis impoſſibilia aliquando eſſe Divina præcepta: &c.* Deinde cap. 15. apertiùs ſuam mentem explicaturus, aſſerit quidem, non uno modo, ſed multis poſſibilia dici Divina præcepta, ſed ita tamen ut præcipuum, & qui maximè expetebatur modum prætermiſerit. Unde huic etiam capiti titulum præfigit, *Multis modis præcepta dicuntur poſſibilia ſine gratia ſufficiente.* Quo ſane titulo ſatis ſe ſufficienti dumtaxat gratiæ bellum indixiſſe profitetur. Recenſet verò *eos omnes modos, & ad quatuor reducit. Primò*, inquit, *poſſibilia* ſunt Divina præcepta, *Remotiſſimè per ſolam liberi arbitrii flexibilem facultatem ad bonum & malum.* Quo ſenſu à S. Auguſtino dictum eſt, Lib. de Prædeſtinat. SS. cap. 5. *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum.* Sed præterea inquit: *Secundò paulò propinquiùs dicimur poſſe benè vivere per fidem.* Quo iterùm ſenſu à D. Auguſtino dictum eſt, epiſt. 107. *Per quam fidem ſcit diabolus eos poſſe mundari, poſſe ſervari &c.* Verũ *Tertiò* inquit, *dicitur multò pleniùs propinquiuſq; poſſe per charitatem per quam homo juſtificatur*: Atque ea in S. Auguſtino frequentiſſima locutio eſt, ut lib. de gratia & liber. arbitr. cap. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam; poterit autem cum magnam habuerit & robuſtã. Quãdo martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt magna charitate fecerunt.*

Sed tandem *Quarto* inquit, *completiſſimè dicitur poſſe, quando Sancti Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur, ut non nudè poſſit, ſed etiam velit; Tali gratia non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum agere adjuvatur.* Atque ut eo ſenſu, de ea poſſibilitate cum effectu conjuncta, multa ex S. Auguſtino congereret, non erat admodùm laborandum, cùm ea ubique obvia ſint: ut lib. de corrept. & grat. cap. 11. *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam non ſolùm poſſe quod volumus, ſed etiam velle quod poſſumus.* Et deinde *Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint quia ſic volunt, ideoque ſic velint, quia Deus operatur ut velint.*

Hæc omnia ex ipſo Janſenio ſumma fide retulimus. Sed ubinam ulla vel minima ſufficientis auxilii & gratiæ ſufficientis mentio? Quid igitur egemus teſtibus, ipſe ſuum velut exerto digito errorem demonſtrat, in eo poſitum, quòd præter habitum Divinæ gratiæ nullam ſufficientem gratiam admiſerit. Fatetur quidem dari tum ſufficiens auxilium, tum etiam efficax, ſed utrumque veluti mixtum non diviſum, ita ut idem quod efficax eſt, ſimul ſit ſufficiens; neque ullum propriè ſufficiens dici poſſit niſi ſimul ſit efficax.

Igitur fatentem Janſenium audivimus; nullum dari actuale ſufficiens auxilium, atque eo ſenſu intellexit, juſtis eſſe quidem poſſibilia Divina præcepta remotiſſimè ex ipſa libertate qua hujus capaces ſunt: paulò propinquiùs ex fide & charitate, quæ ut cæteri habitus ad actus ordinantur, ſed non eſſe poſſibilia proximè ex ſufficiente ullo auxilio actuali ab efficaci diſtincto, quod nullum agnovit.

Sed prætereà ut magis explicetur Janſenii ſententia, & ea quæ jam diximus confirmentur: certum eſt ipſum quidem voluiſſe negare flexibile ad omnem voluntatis nutum ſufficiens auxilium ſed tamen deinde ultrà quàm par erat progreſſus ſufficiens omne auxilium negaſſe. Unde lib. 3. de gratia Chriſti Salvator. cap. 3. hunc Capiti titulum præfigit. *Quàm monſtruoſa ſit gratia ſufficiens prout à recentioribus explicatur.* Atq; eo, quod ipſi perpetuò menti obverſabatur, veluti ſpectro territus, eò devenit, ut nedùm ſufficiens illud auxilium quod extra Scholam Sancti Thomæ defenditur, unicum negaverit; ſed etiam negaverit temperatum illud & efficacis per ſe auxilii amicum, quod etiam Schola Divi Thomæ admittit. Ita verò Janſenius caput inchoat.

Jam verò quid monſtruoſius proferri poteſt, quã quoddam diſtinctum à cæteris adjutorii genus, quod nunquàm ab initio lapſus humani uſque ad Judicii diem ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habiturum eſt? Defendit quidem aliquando S. Auguſtinus illud adjutorium partim in Angelis, & hominibus primis ante peccatum, partim in lapſorum quoq; hominũ poſteritate, quando eã tali gratia adjutã ſaltem credere poſſe cũ Semipelagianis errando opinatus eſt. Sed nunquã eo abſurditatis venit, ut illud vel ſemper effectu ſuo carere propter quem datur, vel id auxilium quod reipsà influeret cum voluntate, ab eo quod non influeret ita ſeparandum eſſe decerneret, ut illud efficax, hoc ſufficiens vocaretur, &c. Hæc ibi Janſenius.

Videant hi qui Janſenium Thomiſtam efficere vellent, quo pacto hæc jungi poſſint, cùm his quæ primo capite dixerat, quòd auxilium ſufficiens præter quod requiritur illud, non ægrè Sanctus Auguſtinus admiſiſſet. Sed de his poſteà.

Proſequitur verò deinde Janſenius. *Itaque à Recentioribus propalatum gratiæ ſufficientis genus, quo adjuvante nallum nuquam opus factum eſt, aut fiet unquam; ſi eſt verum diſtinctumque à gratia efficaci membrum; videtur monſtrum quoddam ſingulare gratiæ ſolummodò peccatis faciendis majorique damnationi accerſendæ ſerviens; ideoq; lapſis hominibus citrà Dei invidiam damnandis excogitatum* Hæc Janſenius.

In quibus equidem mirum in primis eſt adeò debili argumentatione convinci potuiſſe. An verò potentiæ naturæ congenitę ipſi monſtra videantur? & tamen ut ex Sancto Auguſtino & S. Thoma ſuprà retulimus; *Oculus corporis pleniſſimè ſa-*

nus

nus nisi candore lucis adjutus non potest cernere. D. Aug. lib. de Natura & Grat. cap. 26. D. Tho. 1. 2. qu. 109. art. 9. An verò etiam infusi habitus instar otiosæ & inutilis supellectilis habendi sint? & tamen *Homo etiam perfectissimè justificatus nisi aterna luce justitiæ Divinitùs adjuvetur, rectè non potest vivere.* SS. August. & Tho. ibidem. Cui in mentem veniat, solummodò peccatis faciendis & accersendæ majori damnationi eos habitus servire, etsi ab efficaci gratia sejuncti nunquam ab initio lapsûs hominis usque ad diem Judicii ullum habituri sint effectum? sunt quidem habituri suo tempore, sed cùm aderit efficax auxilium; neque ideò negandum est vires roburque iis habitibus voluntati conferri, ac suo in ordine sufficere. Maxima enim est in virtutibus, & auxiliis, quibus roboratur voluntas latitudo, ut non semel explicuimus. Ira verò est de sufficienti auxilio actuali, quo voluntas adhuc multò validiùs quàm habitibus roboratur: suo tempore habiturum est effectum, sed cùm aderit auxilium quo voluntas ad actum applicetur. Atque interim voluntatem disponit, & adeò disponit ut infallibiliter cùm aderit tempus præceptum implendi, voluntas habitura sit efficax auxilium, nisi ipsa impedimentum apponat, quia qui incipit, ipse perficiet Deus. Vide dicta de sufficienti auxilio.

Sed ut ut sit de argumentis Jansenii: ex dictis manifestè constat negatum esse à Jansenio auxiliũ omne sufficiens ab efficaci distinctum, etiam quale Sanctus Thomas admittit, quo roboretur & compleatur in suo ordine potentia, præter quod alterum necessarium est quo applicetur. Verùm quãvis ex ipsis Jansenii verbis satis demonstratum sit, germanum damnatæ propositionis sensum esse, justis volentibus, & conantibus non aliquandò possibilia Divina præcepta ex sufficiente gratia ab efficaci distincta: id etiam ex ipsius principiis facilè evinci potest.

Primum itaque veluti principium est, ex quo filo ducto nullam sufficientem gratiam admitti posse deduxit, nec semel suprà jam animadvertimus, nimirum quod pravè distinctionem voluntatis Antecedentis & Consequentis intellexerit, Primam enim dumtaxat ad statum naturæ innocentis refert alteram verò ad statum naturæ corruptæ: itaut pro hoc statu voluntas Antecedens *In sola præcisione mentis nihil gratiæ causante posita sit.* Integrum Jansenii locum suprà retulimus ex lib. de Grat. Christi Salv. cap. 20.

At verò inde sibi viam omnem ad veram sufficientem gratiam admittendam præclusit. Cùm enim ex communi Theologorum consensu certum sit, Divina voluntate Antecedente parari, & conferri sufficientia auxilia, quæ ordinantur v. g. ad conversionem, quam tamen non efficiant: ex voluntate verò Consequente oriri auxilia efficacia, quæ reipsà eam conversionem efficiant: hinc necesse fuit, ut ad hanc voluntatis Divinæ distinctionem ita auxilia divideret; ut ad naturam innocentem cui voluntas Antecedens prospiciebat, sufficientia dumtaxat pertinerent, ad naturam verò lapsam cui prospicit voluntas consequens pertinerent dumtaxat efficacia.

Atque hoc præcipuum principium est totius illius systematis, quod de Divina gratia Jansenius constituit. Sola, inquit, *Primaria* voluntas, & *Bonitatis* statui innocentiæ præsidebat; atque huic statui blanda dumtaxat auxilia conferebat, quæ voluntatem demulcerent, & allicerent, non tamen flecterent. At verò in hoc statu naturæ lapsæ sola est, inquit, *Voluntas Consequens secundaria & Justitiæ*, quæ erga lapsos homines, & quandiu massa corruptionis involvuntur, summo rigore agat; nihil veluti amoris servet quo justitiam temperet, nulla sufficientia auxilia conferat: & si efficacia deneget, omninò nihil tribuat, quo sibi quidquam vel minimùm bonitatis & voluntatis erga eorum salutem supereſſe demonstret. Adeò enim primo illo hominis peccato Deum offensum Jansenius putat, adeò naturæ corruptionem aversari, ut si quando gratiam neget, in hujus peccati pœnam omnem omninò neget. Neque enim altera est, ut putat, præter efficacem. Unde si Jansenii principia usurpentur, necesse est ab homine lapso quandiu efficacia auxilia non recipit, dici; *Deus memorabor justitiæ tuæ solius.* Denegatis enim efficacibus auxiliis nullum supereſt quod conferri possit. Etenim in communi Theologorum sententia, etiam cùm homo reipsà v. g. non convertitur, ipsi tamen Deus confert sufficientia auxilia ex Antecedente & vera voluntate, & sincero etiam ipsius salutis amore, quibus sufficientibus auxiliis homo converti possit, & ad conversionem perfectam disponi. Neque enim ut Jansenius existimat, *In sola præcisione mentis* putandum est, positam esse voluntatem Divinam Antecedentem; sed existimandum est, esse instar v. g. voluntatis qua Abrahamus olim afficiebatur erga dilectissimum Isaac, quem equidem servare illæsum, & à morte eripere voluisset, verissimo & sincerissimo parentis affectu, nisi jussio Divina obstitisset. Atque ejusmodi etiam existimandum est fuisse Deiparæ Virginis voluntatem erga Christum Dominum patientem. Voluisset enim, & quis dubitet? ex tenerrimo & sincerissimo affectu ipsum ab his crudelissimis tormentis, omnique pœna fuisse immunem: Etsi tamen voluntate consequente Christum & pati & mori vellet: cùm summa esset hujus voluntatis cum Divina voluntate conformitas, & necesse sit creatam voluntatem ut recta sit, Divinæ voluntati conformem esse: etsi non quantùm ad rem ipsam secundùm se. Ut enim inquit S. Augustinus Enchirid. cap. 10. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, tanquam si bonus Filius Patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori*: quo exemplo utitur S. Thomas. Sed necesse est, voluntatem creatam Divinæ voluntati conformem esse quantùm ad rationem volendi: id est, necesse est eam volitam esse eo modo quo à Deo volita est. Qua sanè comparatione facilè & egregiè ea distinctio voluntatis in Antecedentem & consequentem explicari potest.

Igi-

Igitur ſinceriſſima eſt Divina voluntas, ſinceriſſimus Dei erga omnes amor, ex quo amore omnibus hominibus ſufficientia auxilia confert, & nedum præparat & offert, ſed & applicat, etſi variis modis: quibus auxiliis majora ſemper accipere, & ſaltem conſequi homo poſſit, niſi ipſe his majoribus auxiliis impedimentum apponat.

At verò ſi Janſenii principia obtineant, quiſquis vel peccato originali maculatus, vel gravatus actualibus, in pœnam efficacibus auxiliis privatur; neceſſe eſt exiſtimet nihil ſibi relictum eſſe quo Divinum erga ſe amorem perſentiat & experiatur: cùm ſola Divina voluntas Conſequens circa ipſum verſetur, quæ nulla auxilia ſufficientia confert aut etiam offert. Unde ut fuſiùs ad 5. propoſitionem confixam dicendum eſt, eadem ratione negat Janſenius Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus, *Animo ipſos redimendi*: quòd ſcilicet cùm eſſet Chriſti voluntas Divinæ voluntati conformis, ac in Deo nulla ſit Antecedens voluntas qua omnium hominum ſalutem vellet, etiam nec omnes Chriſtus vellet redimere.

Sed alterum præterea principium errorum Janſenii eſt, quo ſcilicet nullum temperamentum ſe admittere velle ſignificavit, & quo infinito pene intervallo à D. Thomæ Schola ſejunctus eſt: quòd nimirum exiſtimaverit non omnibus offerri gratiam, neque aliam quærendam eſſe cauſam cur homo deſeratur, niſi quia Deus gratiam nec vult dare, neque etiam offert. Unde iterum lib. 3. c. 14. tanquàm deſertæ penè fidei crimen recentiori cuidam Scriptori, quem non nominat, affingit, quòd dixerit, ideò imputari homini ſi Divina præcepta non impleat, quòd in poteſtate ipſius ſit habere Divinam gratiam qua impleantur, quia nemini eam Deus deneget, niſi ſcilicet ea ſe indignum exhibeat. Ita verò Janſenius habet paulò poſt medium, magni enim momenti hic locus eſt ad hujus mentem rectè intelligendam. *Ex quibus*, inquit, *Profectò vides quàm procul à Sancti iſtius Doctoris cogitationibus recedat recentior quidam Scriptor, quando fidenter* (hic eadem hujus Scriptoris verba ita refert) *Communem Sanctorum doctrinam vocat, qui Pelagio interroganti quomodo ſumus liberi ad opera ſupernaturalia præſtanda, ſi ad illa eſt gratia Dei neceſſaria, & nobis non datur; vel quomodo nobis imputetur horum operum omiſſio; Reſpondet quia in poteſtate noſtra eſt habere hanc gratiam quam Deus nemini denegat.* Hæc innominato Authore refert.

Quis hic fuerit Scriptor non vacat quærere: Alvarem tamen eſſe exiſtimo. Sed certum eſt Diſcipulorum Sancti Thomæ eſſe hanc Sententiam: non enim arbitramur Divina præcepta impleri ſola gratia ſufficienti, quæ accedente conſenſu efficax fiat; id enim Divi Auguſtini & D. Thomæ principiis omnino repugnare arbitramur: ſed efficacem præterea ſufficienti ſuperadditam neceſſariam eſſe contendimus. Ac verò cùm objicitur, ſi hæc efficax gratia neceſſaria ſit ad agendum, qua ratione imputari homini poteſt ſi non agat, cùm ea gratia ad agendum neceſſaria deſit. Communis reſponſio eſt, meritò imputari homini, quòd in hujus poteſtate ſit habere hanc gratiam, quam nemini unquam Deus deneget, niſi ipſe impedimentum, obicemque opponat. Quæ verba non dubito eſſe apud eum Authorem, & quæ Janſenius prætermiſit. De qua ſolutione multa aliàs diximus.

Attamen eam ſententiam ita impugnat Janſenius, & ita proſequitur: *Nihil enim captatiùs Auguſtino adverſatur, nihil directiùs ab eo deſtruitur quàm quòd Deus nemini poſt lapſum gratiam deneget, vel in hominis lapſi de quo ſermo eſt, poteſtate ſit habere hanc gratiam, quam à Dei ſolius poteſtate & voluntate tanquam veram gratiam pendere, juſtoque propterea judicio denegari multis inſtantiſſimè docet.* Hæc Janſenius.

Verùm immeritò Janſenius eum Authorem carpit, à quo nihil dictum eſt quod à Divo Thoma dictum priùs non fuerit. Etenim Divus Thomas in 1. diſt. 40. q. 4. art. 2. ubi inquirit. *Utrum Deus ſit cauſa obdurationis*, argumento ſed contra, ita ſtatim inquit. *Contra eſt quod dicunt Sancti communiter, Dionyſius, Auguſtinus & Anſelmus ſcilicet quòd cauſa quare iſte non habet gratiam, eſt quia ipſe noluit accipere, & non quia Deus non vult dare, quia lumen ſuum omnibus offert, quod lumen ab omnibus non percipitur, ſicut nec lumen Solis à cæco.* Majorem Divo Thoma quam Janſenio Fidem habeo, ita communiter à Sanctis & Doctoribus dici. Et ſane hic fidelium omnium, & ipſius ut ita dixerim pietatis ſenſus eſt ideò denegari à Deo hominibus gratiam, quòd obicem gratiæ ponant.

Atque id probat deinde Sanctus Thomas egregia ac ſolidiſſima ratione. *Iſtum* inquit *carere gratia ex duobus contingit, tum quia ipſe non vult recipere, tum quia Deus non ſibi infundit, vel non vult ſibi infundere. Horum autem duorum talis eſt ordo, ut ſecundum non ſit niſi ex ſuppoſitione primi: cùm enim Deus non velit niſi bonum, non vult iſtum carere gratia niſi ſecundùm quod bonum eſt: ſed quòd iſte careat gratia non eſt bonum ſimpliciter. Unde hoc abſolutè conſideratum non eſt volitum à Deo.* Hæc ibi S. Thom.

Nihil apertius, nihil Divo Auguſtino cæteriſque omnibus Patribus conformiùs. Offert Deus omnibus gratiam: ſi qui nolint eam recipere, eam denegat. Et quid juſtius? quo autem modo iſta explicari poſſint aliàs fusè expendimus: nimirùm eodem momento homo convertitur ad commutabile bonum & peccat, ac tum ſimul privatur gratia. At verò hæc duo ſi inter ſe ſe comparentur: culpa ſcilicet & privatio gratiæ, antecedit culpa ipſaque inordinatio actus; privatio verò gratiæ poſterior eſt: quia cùm privatio nunquàm per ſe cauſam habere poſſit qua directè fiat, neceſſe eſt poſitionem alterius conſequatur, ſicut corruptio veteris formæ novæ generationem ſupponit. Atque ea communiſſima Thomiſtarum doctrina eſt, qua, inquiunt, denegari gratiam propter impedimentum concomitans.

At-

Atque eandem D. Thomas Doctrinam tradit & explicat in ad Annibaldum eadem dist. 40. art. 4. ubi de obduratione tractat:& cum eadem ex Divo Anselmo verba retulisset, *Quod causa quare aliquis gratiam non habeat, non est quia Deus dare nolit sed quia ipse non vult accipere*. Addit posteà ad 1. *Quòd Anselmus non est intelligendus quasi Deus non ex judicio suo judicet aliquem esse à participatione gratiæ repellendum:sed quia illud judicium semper habet voluntatem hominis concomitantē,quæ gratiæ repugnat, & per hoc gratia caret.* En apertissime impedimentum concomitans,pravam scilicet hominis voluntatem quæ gratiæ repugnat, unde privatio gratiæ oritur. Idem docet Sanctus Thomas lib.3.cont.Gent.cap.150.ubi expresè probat,*Quod rationabiliter homini imputatur si ad Deum non convertatur, quamvis hoc sine gratia non possit.* Locum integrū aliàs retulimus.

Nec verò aliud sentire D. Thomas potuerat, cùm ita à Divo Augustino didicisset, quod Deus *Lumen suum omnibus offert.*Ita enim ipse Sanctus Augustinus Tract.1. in Joan.expresè docet ad ea verba: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ergo*, inquit, *fratres, quomodo homo positus in Sole cæcus præsens est illi Soli;sed ipseSoli absēs est.Sic omnis,stultus,omnis iniquus, sic omnis impius cæcus est in corde. Præsens est illi Sapientia,sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est. Quid ergo faciat iste? mundet unde possit videre Deum. Quomodo? Si propterea videre non possit, quia sordidos & saucios oculos haberet irruente pulvere, pituita, vel fumo; diceret illi medicus, purga de oculo tuo quidquid mali est, ut possis videre lumen oculorum tuorum; pulvis, pituita, fumus, peccata & iniquitates sunt.* Hæc Sanctus Augustinus,quibus apertè significat,offerri quidem omnibus Divinum lumen, ac gratiam Divinam; sed ea privari homines, qui vel irruente pulvere, vel defluente pituita, vel fumo obvolvente, saucios, vel impeditos habent oculos. Qua triplici comparatione ut alicuibi D. Bernardus observat triplex amor divitiarum, voluptatum, & honorum significatur.

Eadem fermè habet Sanctus Augustinus sequenti Tract. 2. in hæc verba. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: & deinde, *in mundo erat .... Ecce hic est & modo & hic erat, & semper hic, & nunquam recedit, & nusquam recedit. Opus est ut habeas unde videas, quod tibi nunquam recedit;opus est ut tu non recedas ab eo, qui nusquam recedit: opus est ut tu non deseras,& non desereris. Noli cadere, & non tibi occidet. Si tu feceris casum, ille tibi facit occasum; si tu autem stas, præsens est tibi ... si malo non consentires, stares, illuminatus manneres.* Hæc ibi.

Ex quibus meritò existimari potest, collegisse Divum Thomam,quod *Dicunt communiter Sancti*, atque inter eos Sanctus Augustinus Deum lumen suum omnibus offerre, ideoque deseri à Deo hominem, quia priùs ipse deserit Deum, si staret enim, illuminatus maneret.

Atque id observare solent tum Patres tum Interpretes ad ea Psam. 17. verba *Cum perverso perverteris*: ubi S. Thomas, perversum eum esse inquit qui Divinæ voluntati non obsequitur: *Ergo*, inquit, *tu contra voluntatem Dei, Deus contra voluntatem tuam: Quæris beatitudinem,Deus dat tibi miseriam.* Unde & illud conjungit Levit.16. *Si ambulaveris contra me ex adverso, & ego contra vos adversus incedam.* Quem eundem locum refert Sanctus Hieronymus in eundem Psalm.versum;sed ex 70. vertit *Si incesseritis perversè coram me,& ego ero perversus vobis.*Simile est illud quod observat Origenes homil. 1. in Cant. apud Sanctum Hieronymum, ad ea verba, *Decoloravit me Sol*: ubi hebræum habet *Aspexit, aut contuitus est me Sol*. Græcè verò dici potest quasi *Prætereundo respexit, aut despexit me*; ac si diceret, inquit Origines: *Non putetis ò Filiæ Jerusalem quòd naturalis sit ista nigredo, sed scitote quoniam despectu Solis est facta; Sol enim justitiæ quia me non invenit rectè stantem, nec ipse rectos direxit oculos*. Et alia ejusmodi quæ fusè prosequitur.Ubi & illud etiam quod ex Levit. 16. retulimus componit, alteramque lectionem refert, scilicet, *Si incesseritis mecum obliqui, & vobiscum obliquus ero*.

Ex quibus omnibus liquet, verissimè dictum à Divo Thoma, ac posteà ab eo Theologo, quòd *Dicunt communiter Sancti*, quòd Deus lumen suum omnibus offert, ac gratiam, ex ea scilicet Voluntate Antecedente, qua Deus sinceriissimè vult omnium salutem; atque eam omnibus conferret nisi homo se se Divina clemeutia indignum exhiberet.Unde causa cur iste non habet gratiam, non est quia Deus eam ipsi dare non vult,sed quia perversùs homo non vult eam accipere; ideoque in potestate hominis est gratiam habere eo sensu, quòd nunquam eam Deus deneget, nisi homo ipse objecto obice aditum occludat.

At verò cum ea omnia principia Jansenius negaverit, & existimet, non aliam esse causam cur homo privetur gratia, nisi quia Deus eam dare non vult; ac neget, Deum pro hoc statu naturæ lapsæ, velle ullo pacto eorum salutem quibus actu gratiam non confert; necesse est ut neget, ulla auxilia sufficientia à Deo homini conferri: negata enim Divina voluntate, omnia ut ita dixerim sufficientia auxilia in sua origine extinxit.

Hoc duplex veluti principium, quo omnino convincitur, Jansenium neque admisisse sufficientem gratiam, neque ullam admittere potuisse; ex quo duplici principio nullum est quod cum D. Thomæ, & hujus Scholæ doctrina recta fronte non pugnet. Primum est, quòd cùm Antecedentem Dei voluntatem dumtaxat statui innocentiæ prospicere vellet, sola sufficientia auxilia huic statui concessit, eaque à statu corruptæ naturæ ablegavit,cui prospicit sola voluntas Consequens. Secundum est, quòd negaverit à Deo omnibus auxilia gratiamque offerri: neque etiam desertionis causam quærendam esse existimaverit

rit cur Deus deneget gratiam niſi quia eam dare non vult: hinc enim conficitur, nullam eſſe in homine potentiam, neque intrinſecam ex ſufficienti auxilio collato, & recepto, ſed neque etiam extrinſecam ex auxilio ſaltem oblato, ad implenda Divina præcepta: quæ omnia adeò à D. Thomæ doctrina aliena ſunt, ut priùs Cælum terramque miſceas, quàm ea Janſenii placita cum puriſſimis Divi Thomæ dogmatibus conjungantur.

ARTICULUS VI.

Variæ objectiones ſolvuntur, tum eorum qui Thomiſtas Janſeniſmi incuſant; tum eorum qui Janſenium excuſare voluerunt: Nullam verè ſufficientem gratiam à Janſenio admiſſam fuiſſe: Non eſſe excitantis gratiæ nomen loco ſufficientis uſurpandum.

HIc nobis inſtar Aod utraque manu pugnandum eſt, cum utraque ex parte impetamur. Alii enim cùm tutiſſimam, & ſecuriſſimam Scholæ D. Thomæ ſententiam eſſe non dubitent, ea conſenſione Janſenium ad nos pertrahere voluerunt, ut in tuto reponeretur: arbitrati, eſſe quidem prohibitas quinque famoſas propoſitiones, non tamen in ſenſu Janſenii. Alii cum etiam in ſenſu Janſenii propoſitiones proſcriptas certò ſciant, nihilominus affirmare non verentur, ſententiam Scholæ noſtræ quantùm ad ſenſum cum Janſenio conſentire, ut in eadem navi, quæ fracta eſt, verſari exiſtimemur.

Verùm ſeſe facilè Schola noſtra ab utriſque expediet, & ſola explicatione ſuæ ſententiæ cadent & à dextris, & à ſiniſtris quotquot in eam inſiliunt. Cùm verò hac una parte omnes conveniant, quòd eam nobis conſenſionem objiciant, eadem fermè ſunt utriuſque partis argumenta.

Objiciunt igitur in primis, *Nugacem hanc ſufficientem gratiam Janſenius admiſit*, quæ ſcilicet actum imperfectum efficit, ac præter quam altera neceſſaria eſt, & tamen damnatus eſt: Atqui ea ſufficiens gratia omninò eadem eſt quam Thomiſtæ admittunt: Ergo, inferunt alii, in eodem errore verſantur Thomiſtæ cum Janſenio, Ergo, contra deducunt alii, in tuto Janſenii ſententia eſt, ſi ſenſus ſpectetur, cùm eandem ſufficientem gratiam lubens Janſenius admiſerit quam Thomiſtæ admittunt. *Minor* propoſitio aperta eſſe videtur: quid enim aliud Thomiſtæ velint? affirmant ſufficiente gratia actuali actum aliquem imperfectum effici, non effici tamen perfectiorem actum ad quem ordinatur, & quem nunquam niſi efficax ſolùm vi ſua gratia efficiat. *Major* verò multis probari poteſt: admiſiſſe ſcilicet Janſenium eam gratiam quæ imperfectum actum efficiat, & præter quam requiritur alia major ad efficiendum actum perfectum. Et quidem in primis lib. 2. cap. 27. ubi duobus, ut inquit, ſcrupulis occurrit, quomodo nulla Chriſti gratia effectu careat; & cur Sanctus Auguſtinus de ſola efficaci gratia, non ſufficiente loquatur, ita enim ſtatim caput inchoat: *Nec verò moveat quemquam: quòd conſtet, multos divinitùs mente colluſtrari, immo verò & in ipſa voluntate motibus Divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione, & inclinatione diſſentiunt; ut propterea falſum putet, gratiam in eo cui datur ſemper operari effectum ob quem datur. Conſiderandum eſt enim multiplices eſſe Divinæ gratiæ effectus quemadmodum voluntatis. Eſt enim velle perfectum, quod Auguſtinus poſſe vocat, eſt & imperfectum quod velleitatem appellare ſolent: & hoc ipſum diverſos gradus habet, donec ad ipſam primam tenuiſſimamque boni complacentiam veniatur. Hæc ergo primus eſt cæleſtis iſtius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur quibus eum diffundit Deus.* Hæc ibi. En ipſiſſimam Thomiſtarum ſententiam, ac iiſdem verbis expreſſam: aliam eſſe minorem veluti gratiam quæ actum imperfectum efficit; quæ enim ea tenuis, & remiſſa gratia eſſe poſſit, præter ſufficientem Thomiſticam gratiam?

Secundò, quia inter alia diſcrimina quę Janſenius recenſet inter prædeterminationem à Thomiſtis admiſſam, & victricem delectationem, in qua efficacem gratiam repoſitam eſſe ex Sancto Auguſtino arbitratur, hoc etiam tertium diſcrimen ſtatuit lib. 8. de gratia Chriſti Salvat. cap. 2. *Tertiò*, inquit, *prædeterminatio Phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis herebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum eſt, &c.* Hæc Janſenius: Quid verò apertius dici poſſit, ut in Schola Thomiſtarum audiviſſe Janſenium demonſtretur, ab iiſque eundem ſufficientis gratiæ ſenſum hauſiſſe? Cùm non poſſit ea gratia ſub qua in ſolis inefficacibus deſideriis animus hæret, non eſſe ſufficiens gratia qualem Thomiſtæ defendunt.

Tertiò: Sed quid demum variis argumentationibus aut locis longiùs petitis opus eſt, cùm ipſam ſufficientem gratiam à ſe minimè rejectam expreſsè aſſerat Janſenius, ſeque eam non ægrè admiſſurum fateatur ſtatim initio, cùm de ipſa ſufficiente gratia tractare aggreditur lib. 3. cap. 1. Sic enim ibi habet *Quapropter ſufficientem illam gratiam quā Scholaſtici multi in Theologiam velut adjutoriū Salvatoris intulerunt, ab Auguſtino deſtructam funditùſque everſam eſſe libens fateor. Hæc enim principia hactenùs ex eo tradita, cū quibus*

bus illa gratia subsistere nullo pacto potest, perspicuè probant. Vocamus autem illam sufficientem gratiam, seu sufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessariũ est, ut homo velit aut operetur; sic enim à multis Recentioribus, & vulgò ferè accipi solet. Quòd si verò sic accipiatur ut sufficiens dicatur, sicut à quibusdam dicitur, quod satis est ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit ut de facto operetur: de hujusmodi sufficienti gratia non est hìc nostra controversia. Talem enim sufficientem fortasse non difficulter Sanctus Augustinus admitteret; quamvis esse veram illam Christi gratiam, de qua quæstio est, pernegaret. Nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens juxta primum sensum, quin sit simul efficax; in Augustini principiis exploratum est. Hæc ibi Jansenius: non ergo infensus ipse fuit sufficienti gratiæ, qualem admittunt Thomistæ: sed dumtaxat bellum indixit Molinisticæ sufficienti gratiæ præter quam non requiritur alia. Quod etiam facilè præfata verba quæ subjungit convincunt. *Nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens juxta primum sensum, quin sit simul efficax, in Augustini principiis exploratum est.*

Quartò: Quin etiam se in ea re Jansenius assentiri nobilioribus Thomistis, palàm profitetur. Unde iterum prosequitur: *Viderunt hoc etiam tradideruntque non pauci Recentiores; & in primis Didacus Alvarez, Cumel, Navarrete, Sylvius: denique omnes illi Doctores, qui tenent, præter adjutorium sufficiens, quod dat nudum posse, necessarium esse aliud auxilium efficax, quo Deus efficiat ut actualiter operetur. Hoc ipso enim apertè sentiunt, nullum dari adjutoriũ ita sufficiens, ut nihil aliud ex parte Dei ad actu operandum requiratur, quin sit simul efficax.* Hæc ibi Jansenius. Igitur si sensus spectetur, nulla inter Jansenium, & Thomistas, ubi de sufficiente gratia agitur, controversia versatur: si quæ sit, ea solum controversia verborum est, quibus detineri Theologos veritatis cupidos non deceret.

Respondeo *Primò*, non omnia quæ à Jansenio dicta sunt ad hujus errorem pertinere; *Impossibile* enim *est* ut inquit Divus Thomas 2. 2. qu. 172. art. 6. *esse aliquam cognitionem quæ sit totaliter falsa absque admixtione alicujus veritatis: unde & Beda dicit, quòd nulla est falsa doctrina quæ nõ aliquando vera falsis intermisceat.* Quæ deinde multis confirmat. Plurima etiam egregiè Jansenius dixit, in quibus nullum erroris periculum est, & quæ ab omni censura Ecclesia libera esse voluit. Cujus argumentum evidentissimum suprà retulimus, quòd cùm Jansenius hæc omnia miscuisset, *Obduratis excæcatis, & justis esse impossibilia aliqua Divina præcepta*; de obduratis, & excæcatis nihil Sanctus Pontifex definivit; qua exceptione satis significavit, se existimasse, longè aliam esse rationem de obduratis, & de justis. Unde negandum est ideò damnatum esse Jansenium quòd eam gratiam admiserit, quæ efficit actum imperfectum. Et sanè nullum in eo errorem esse facilè probari potest. Definit enim Sacrum Concilium Tridentinum, non momento, nisi miraculosè fiat, sed veluti per gradus, hominis justificationem fieri, timore aliquo concuti, spe erigi, conceptaque de Divina bonitate fiducia, Deum tanquam omnis justitiæ fontem, imperfectè licet, diligere incipere, sess. 6. cap. 5. Hi sunt imperfecti motus qui paulatim peccatorem ad justificationem disponunt, ut Judæorum populum longo detentum itinere ad suscipiendam Legem Deus disposuit ut interea pravos ex Ægyptiorum commercio inductos mores exueret. Et expressè inquit Divus Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 10. quòd *Communis, & consuetus cursus justificationis est ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat: quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ut Augustinus dicit.* An verò Augustinus, & Thomas nugacem gratiam admiserunt? Eos enim motus, actusque imperfectos ex Divina gratia, & Spiritu Sancto *Nondùm quidem inhabitante*, sed tamen *movente*, excitante, & præveniente oriri definit idem Concilium sess. 14. cap. 4. Non igitur in eo positus est aut esse potest Jansenii error, quòd existimaverit, gratia Divina hos imperfectos motus excitari, & immisso cælesti rore, veluti florem aliquem etsi nondùm maturum fructum produci. In quo igitur positus est Jansenii error? multiplex est, ut ex dictis jam satis colligi potest. Unde majoris distinctionis gratia.

Respondeo *Secundò* positum in eo esse Jansenii errorem, quòd nullam verè sufficientem gratiam agnoverit: unde quamvis non negaverit varios esse gradus Divinæ gratiæ; attamen nullam sufficientem esse existimavit, de quo iterùm dicendum erit infrà in secunda propositione. Ideò enim interiori gratiæ nunquam resisti existimavit, quòd nullam nisi efficacem agnoverit. Atque id planè liquet ex his quæ anteà dixerat. Etenim eodem cap. 25. hunc etiam titulum præfigit, *Divinæ gratiæ efficacissima natura declaratur, ex eo quod nulla prosùs effectu caret; sed eum in omnibus quibus datur infallibiliter operatur*, Ac deinde cap. 27. *Duobus*, ut loquitur, *scrupulis occurritur quomodo nulla gratia effectu careat. Itemque cur Augustinus loquatur de sola efficaci gratia, non sufficiente.*

Atque eo loco ea refert quæ objecta sunt, *Nec quemquam moveat &c.* Unde inquit, si vehementior sit gratiæ inundatio, ea totam hominis voluntatem instar torrentis rapit: si autem tenuis dumtaxat sit Divinæ hujus auræ afflatus, tunc complacentiam quandam immittit: sed semper totum effectum quem potest operatur, neque unquàm ut sufficiens in ordine ad ulteriorem actum attendi potest. Unde statim posteà inquit. *Hæc igitur, quamvis nullo modo sufficiat ut homo Dei mandatum operetur. . . . ad hoc tamẽ facit aliquid ut istarũ, vel alterius cujusdam cælestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates, vel compla-*

placentias excitet. Quibus clariſſimè inquit, hanc equidem gratiam efficacem eſſe ad actum imperfectum, ſed nullo planè modo ad Divinæ dilectionis præceptũ implendum ſufficientes vires conferre.

Atque eodem modo Janſenius reſolvit, cur Sanctus Auguſtinus de ſola efficaci gratia, non de ſufficiente loquatur; nimirùm quòd *Nullam agnovit aliam*, præter efficacem, *actualem Chriſti gratiam, nec agnoſcere potuerit, niſi regulas omnes fundamẽtales, quibus hujus naturam gratiæ medicinalis tradidit, & explicuit, vellet interimere.*

Hinc manifeſtum eſt diſcrimen quo Thomi- nunc communis totius Eccleſiæ ſenten- Janſenii errore ſejungitur. Cùm juſti volunt, & conantur Divina mandata implere ea ipſa gratia quæ ejuſmodi conatum efficit, veriſſimè ſufficiens eſt ad mandata implenda; neque dumtaxat ut efficax exiſtimanda eſt, ſed utrumque munus eſt admittendum, & efficacis in ordine ad eum conatum quem efficit; & ſufficientis in ordine ad impletionem mandatorum, ad quam tantùm vires confert, & quam non efficit.

Reſpondeo *Tertiò*: alterum diſcrimen eſſe: ſcilicet quòd apud Janſenium hæc minor ac invalidior gratia quæ actum aliquem efficit, in ea dumtaxat efficientia ſiſtat, neque ad alium perfectiorem actum ordinetur; aut ex ipſa rei natura, aut ex ipſa Dei ordinatione, & intentione. Enimverò ſi reipsà cùm juſti, & volunt, & conantur implere Divina mandata, ea auxilia quæ eos conatus excitant, ordinetur ex Divina intentione ad impletionem Divinorum præceptorum, quæ tamen nondùm implentur: Ergo neceſſe eſt conferri ex Divina voluntate inefficaci, & Antecedente, non autem conſequenti, & efficaci: Ergo etiam admittenda eſt etiam pro ſtatu naturæ lapſæ voluntas Divina Antecedens: quod Janſenii de Divina gratia ſyſtema evertit. Unde in ipſius ſententia ea auxilia quibus juſti conantur implere Divina mandata, nulla ratione ex Divina voluntate ad ea implenda ordinantur. Quod ſanè quàm parùm rationi conſentaneum ſit, inde ſatis liquet, quòd ex ipſa rei natura ſemper imperfectum ad perfectum ordinetur: arborum flores, & immaturi fructus, ad fructus maturos ex natura ſua tendunt, & referuntur; embrio ad fœtum; demùm omnis alteratio ad generationem, & formæ productionem; quo exemplo naturam, dignitatem, conditiones omnes ſufficientis auxilii aliàs explicuimus: ex Divo Thoma 1. 2. ubi de juſtificatione differit. Quare cum juſti ad implenda Divina præcepta conantur, aliter fieri non poteſt, quin illi & iidem conatus ad impletionem præceptorum ordinentur: ſicut conniſus gravidæ mulieris ad partum ex naturaſua perducunt. Fiunt enim, ut ex Sancto Auguſtino aliàs retulimus, *Inchoationes quædam Fidei conceptionibus ſimiles, non tamen ſolùm concipi, ſed etiam & naſci neceſſè eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.* Quæſt. 2. ad Simplic. Quòd ſi dubitari non poſſit quin ii motus naturæ ſua ad præceptorũ impletionem diſponant, & tendant: Ergo neceſſe eſt, ipſa actualia auxilia quibus hi conatus fiunt, ex Divina voluntate, & Divina intentione, ad ipſam præceptorum Dei impletionem ordinẽtur. Quis enim putet, naturam aliò tendere, quàm providentia Divina, & Divina voluntas dirigat? Cùm natura ſit inſtar ſagittæ quàm Divina manus ad finem à ſe intentum veluti ad Scopum dirigit 1. 2. quæſt. 1. Unde & illud opus naturæ opus eſt intelligentiæ qua regitur. Quòd ſi ex Divina voluntate hæc auxilia ad impletionẽ mandatorum, quam tamen non efficiunt, ordinentur: Ergo neceſſe eſt eam Divinam voluntatem eſſe Antecedentem, non verò Conſequentem. Et ſanè ſi rationem Janſenius audire voluiſſet, aut Divum Thomam *Rectè tractantem*, vel ut Græcum habet *Secantem* has Theologiæ fideique difficultates, animadvertiſſet facilè, etiam pro ſtatu naturæ lapſæ voluntatem Dei Antecedentem conſtituendam eſſe, & admittenda eſſe ſufficientia auxilia.

Reſpondeo *Quartò*: ex altero diſcrimine. nimirum quòd quamvis Janſenius admiſerit imperfectos eos motus, exiliaque auxilia, quibus producantur hi tenues conatus in juſtis volentibus, & conantibus: aliunde tamen admiſiſſe juſtis volentibus, & conantibus impoſſibilia eſſe præcepta Divina; quòd ſcilicet non ſit in ipſorum poteſtate habere auxilium ipſum efficax quo reipsà impleantur. Id enim, ut vidimus ſuprà rejicit lib. 3. cap. 14. ubi inquit, *Nihil capitalius Auguſtino adverſatur... quàm in hominis lapſi, de quo ſermo eſt, poteſtate ſit habere hanc gratiam.*

Et ſanè debiliſſima ratione id rejicit Janſenius, quòd ſcilicet ex ſola Divina Miſericordia gratia Divina conferatur, denegetur verò ex juſtitia. Sed quid ea ratio probat? An non etiam cum denegatur homini eò quòd impedimentum apponat, etiam ex juſtitia denegatur? Quid enim juſtius, quàm, quòd homini nolenti gratiam accipere, gratia denegetur?

Atque id etiam Divus Auguſtinus reſpondit olim Adrumetinis Monachis, quos inter neſcio quis eò devenerat ut negaret quemquam eſſe corripiendum. *Ergo*, inquiebat apud S. Auguſtinum lib. de Corrept. & Gratia cap. 3. *Præcipiant tantummodò nobis quid facere debeamus, qui nobis præſunt, & ut faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant, & arguant ſi non fecerimus.* Atque eo Apoſtoli loco abuſus 1. ad Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti: Cur ergo*, inquiebat, *corripimur qui non accepimus? Quid itaque corripimur quaſi nos eam nobis dare poſſimus, & noſtro arbitrio dare nolimus?* Ibidem c. 6. craſſa ſcilicet cogitatione. Quaſi neceſſe foret ut ſibi ipſis gratiam conferre deberent. At verò Reſpondet Divus Auguſtinus. *Si jam regeneratus, & juſtificatus in malam vitam ſua voluntate relabitur, certè iſte non poteſt dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.*

Et cùm inſtaret iterum: *Poſſem, quando me arguit quòd ex bona vita in malam mea volũtate relapſus ſum, dicere adhuc quid ego feci qui non accepi? accepi Fidem quæ per dilectionem operatur,*

ſed in illa uſque ad finem perſeverantiam non accepi. Reſpondet iterùm Sanctus Auguſtinus capite 7. Etſi dubitari non poſſit maximum eſſe Dei donum perſeverantiam ; *Corripimus tamen eos, juſtèque corripimus, qui cum benè viverent, non in eo perſeveraverunt ; ex bona quippe in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt, & ideò corripiuntur*.

Inde igitur juſta increpatio eſt, inde juſta correptio : quiſquis peccat, ſe ſe Divina gratia privat, neque ſanctificante ſolùm, *Sed & actuali auxilio cui impedimentum apponit*. Id enim ſemper præ oculis habendum eſt quod ex S. Thoma jam diximus; quòd iſte non habeat gratiam, cauſam eſſe, non quòd Deus nolit dare, ſed quòd ille nolit accipere. Et ut inquit iterùm Divus Thomas: Cùm hoc ſit *In poteſtate liberi arbitrii impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire ; non immeritò in culpam imputatur ei qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim quantùm in ſe eſt paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. S. Thomas 3. cont. Gent. cap. 159. Quamvis tamẽ non eadem ſit utriuſque ratio: quia ſi impedimentum apponat, malitiæ ipſius adſcribendum eſt; ſi verò non apponat, Divinæ gratiæ tribuendum. Nam *Defectus gratiæ prima cauſa eſt à nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundùm illud Oſee 12. Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum* 1. 2. q. 11. a. 3. ad 2. Vide quæ ſupra diximus.

Reſpondeo *Quintò* : iterum ex altero diſcrimine quo longiſſimè S. Thomæ Scholæ ſententia à Janſenii ſententia ſejungitur : nimirùm quòd ut exiſtimavit Janſenius, auxilium dumtaxat efficax, & adjutorium quo proximè compleat potentiam, atque eo ſecluſo potentia completa dici non poſſit. Atque ut ipſe ſe explicat lib. 2. de Gratia Chriſti Salvatoris capite 1. §. *Hoc igitur*. *Quòd medicinali gratia, & adjutorio, niſi vires priſtinæ reſtaurentur, tam eſſe impoſſibile voluntati ut benè velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, quantumvis ei, & lux, & ſpecies, & ſcipiones, & omnia cætera ſanitatis adjumenta ſuppetant*.

Atque eodem ſenſu jam ſuprà eodem cap. dixerat : *Quid adjuvat ad cernendum cæcam aciem, vel valdè debilitatam lux? Quid fractas tibias, manuſque ſcipio ad ambulandum? Quid adjacentes rerum diverſarum ſpecies phreneticum ad intelligendum niſi ut deliret furioſiùs?* Exiſtimavit ſiquidem Janſenius, auxilium ſufficiens quod uſui eſſe poterat in ſtatu innocentiæ, non niſi perniciem afferre in ſtatu naturæ lapſæ, & ut alibi dixit, majori damnationi accerſendæ opportunum eſſe. Atque ut erat Janſenius acris ingenii, paris *fatuitatis eſſe*, inquit, homini ſufficiens auxilium conferre, *Quàm cibum offerre mortuo*.

At verò in ſententia Scholæ Sancti Thomæ vires conferunt ſufficientia auxilia, adèò ut antequam auxilium efficax conferatur, & per ſolùm ſufficiens compleatur omninò potentia in ratione potentiæ, ita ut nihil omninò deſit quod ad potentiam in ratione potentiæ pertineat, in qua obligatio fundatur ſervandi Divina præcepta : ſed deſit ſolùm applicatio, eaque motio, quæ ad actum efficiendum neceſſaria eſt, quæque nunquàm conferri poteſt niſi cum actus efficitur, cùm omninò ab actu inſeparabilis ſit.

Unde alieniſſima ſunt quæ Janſenius congerit exempla : ſed opportuniſſima eſt comparatio ſufficientis gratiæ, *Primò* : cum medicina ; quæ licet integram perfectamque ſanitatem non reſtituat, confert tamen aliquas vires, & tum ex natura ſua, tum maximè ex intentione medici, ad perfectam ſanitatem ægroto conferendam ordinatur. *Secundò* cum ipſis habitibus, aut acquiſitis, aut infuſis. Quis enim dixerit, nihil majus à Deo conferri dum habitus ſupernaturaliter infundit, quàm ſi mortuo cibum offerret? Certum eſt nunquam exerendos in actum eos habitus, niſi accedat Divina motio, & efficax auxilium ; quis tamen negaverit maximas vires voluntati ex iis habitibus accedere? *Tertiò*: Sed opportunior adhuc eſt comparatio ſufficientis auxilii, cum vi activa cuique naturali cauſæ indita, v. g. ignis calore: quis enim dubitet completiſſimam eſſe eam vim activam *In ſuo ordine*? quæſt. 3. de potent. art. 7. & tamen nunquam ignis aget, niſi & Cæleſtis Corporis, ac potiſſimùm primi agentis motio accedat, ut fusè aliàs explicuimus. Ejuſmodi eſt ſufficiens auxilium : complet enim omninò potentiam in ratione potentiæ : nihil deeſt, niſi quod ad actum efficiendum pertinet, & ab actu inſeparabile eſt.

Hæc communiſſima veraque ſolutio eſt, qua clariſſimè diſcrimen inter ſententiam Thomiſtarum, & Janſenii ob oculos ponit ; & qua conſtat veriſſimè apud Thomiſtas, & propriiſſimè dici, juſtis volentibus, & conantibus eſſe poſſibilia Divina præcepta : quia ſufficiens auxilium ita potentiam complet : ut non aliud quam ipſa applicatio, & reductio ad actum, aut ut ita dixerim, ipſa effectio actus deſit.

Verùm hanc ſolutionem, ultimo loco refero, quòd vix ea uti ſolitus ſim ; ac multis quidem de cauſis. *Primò* : quia deceptioni opportunior videri poteſt, eaque abuti ſoleant adverſæ ſententiæ Authores, ac ſi ubicumque auxilium ſufficiens eſſe conceditur, completiſſimum illud eſſe debeat, ita ut cùm peccatori v. g. vitiis immerſo, *Et omnis notæ*, ut Tertullianus loquitur, auxilium aliquod ſufficiens ad reſurgendum non deſit, contendant ſufficiens illud eſſe debere proximè, & completiſſimè ad perfectiſſimam converſionem : Quod tamen impoſſibile planè eſſe exiſtimo, niſi miraculo Deus hominem convertat : neceſſe enim eſt per gradus veluti aſſurgere, multiſque auxiliis diſponi. Unde & naturæ rerum, & providentiæ Divinæ legibus repugnat, ut primum illud, & veluti infimum auxilium, quo primò excitari incipit ad perfectiſſimam converſionem, completiſſimum ſit. Poteſt igitur etiam flagitioſiſſimus

homo

homo converti, ſed eo ſenſu quòd ſi cùm à Deo *movetur* motioni obicem non ponat, *ipſe qui incæpit* Deus perficiat, ipſumque ad perfectam converſionem promoveat.

Secundò. Minùs eam ſolutionem adhibeo, quòd eam minimè neceſſarium arbitrer, cum triplex alia ſolutio abundè ſatias ſit. Poſſibilia enim ſunt Divina præcepta juſtis volentibus, ex ſufficienti auxilio actuali omninò diſtincto ab efficaci, quod neque admiſit, neque admittere Janſenius potuit juxta principia ab eo conſtituta. An verò ſufficiens illud auxilium ultimò potentiam compleat, ſitque vel non ſit complementum potentiæ, deceptio, ut dixi, eſſe poteſt in ea complementi notione quam ſibi fingere quiſque poteſt. Unde ad amovendam deceptionis omnis cauſam, triplici altera ſolutione, ut dixi, uti ſoleo, quæ ſatis eſſe poteſt: ſcilicet poſſibilia eſſe juſtis Divina præcepta, *Primò* ex ſufficiente auxilio diſtincto ab efficaci. *Secundò*: quod ex Divina ordinatione ad impletionem præceptorum ordinetur. *Tertiò*, & quo etiam ſit, ut in eorum poteſtate ſit habere auxilium efficax quo reipsà impleantur. Quæ tria certiſſimè negat Janſenius neque aliud ſentire potuit niſi principia ſua ipſe everteret.

Tertiò: quia admiſſa ea ſolutione potentiæ etiam completiſſimæ, ſupereſt difficultas quam urgere ſolent adverſæ ſententiæ Authores: nimirùm non eſſe juſtis Divina præcepta poſſibilia, ſi ad ea implenda requiratur efficax auxilium: quia quantumvis ipſa motio Divina ſit ſolùm applicatio potentiæ ad actum, niſi, inquiunt, in mea poteſtate ſit eam motionem habere, etiam neque in mea poteſtate eſſe poteſt habere ipſum actum. Atque hoc argumentum ſpeciem aliquam difficultatis habere videtur. Ut enim dictum eſt ſuprà ex Sancto Thoma, quodlibet. 2. art. 6. *Nullus tenetur ad id quod eſt ſupra vires ſuas, niſi per hunc modum quod eſt ſibi poſſibile.* Atqui non eſt poſſibile habere actum, niſi in quantùm poſſibile eſt habere ipſam Divinam motionem, qua reipsà fit actus, quia per hunc dumtaxat modum poſſibile eſt habere actum: quotieſcumque enim duo inter ſe eſſentialiter connexa ſunt, intantùm haberi poteſt ſecundum, inquantùm poteſt haberi, & primum: Atqui Divina motio, & actus ſecundus eſſentialiter ex ipſa etiam rei natura per modum prioris, & poſterioris connectuntur, quomodocumque motio intelligatur, cùm maximè certum ſit motionem non eſſe quomodocumque applicationem, ſed pertinere etiam ad cauſam efficientem, unde propriè per modum cauſæ, & effectus connectuntur. Quin etiam etſi non eſſet niſi ſola conditio, cujuſmodi eſt proximatio ignis ad lignum, niſi ea conditio in mea poteſtate ſit, dici non poſſe videtur, eſſe in mea poteſtate lignum comburere; quo pacto enim poſſim ſi non ſit in mea poteſtate ligno ignem applicare. Non me latet equidem, quo pacto hæc diſſolvi poſſint, & ſoleant, neque enim nova eſt iſta objecto in Schola S. Thomæ. Verùm apertior mihi, clarior ac compendioſior ea ſuperior ſolutio mihi eſſe videtur, qua etiam omnia argumenta intercipiuntur. Reſpondeo enim eſſe in mea poteſtate, non ſolùm habere actum qui continetur in virtute potentiæ ſufficienti auxilio roboratæ, ſed etiam habere ipſam Divinam motionem: quia ea nunquàm denegatur, cùm urget præceptum implendum, niſi propter impedimentum quod in mea poteſtate eſt non ponere, ut diximus ex D. Thoma. Atque ea ſolutione difficultates omnes planè exhauriuntur. Sed de ea iterum re aliquid erit infra dicendum.

Reſpondeo *Sextò*: præcipuè ad ultimum locum ex Janſenio objectum lib. 3. de Gratia Chriſti Salvatoris capite 1. ubi quatuor expendenda ſunt, quæ ſe admittere inquit, *Primò*. Se nomine ſufficientis *illud ſolùm intelligere præter quod non requiritur aliud*. *Secundò* quòd ſi illud intelligatur præter quod aliud requiritur; *Illud fortaſsè non difficulter admitteret Divus Auguſtinus*. *Tertiò* illud tamen ſi admitteret, negaret eſſe *Veram illam Chriſti gratiam* de qua agebatur, aut, ut inquit alibi, negaret eſſe *Gratiam medicinalem*. *Quartò id vidiſſe nobiliores Thomiſtas*, qui exiſtimant, nullum dari ſufficiens auxilium, quod etiam non ſit efficax.

Reſpondeo inquàm, nihil ex his quatuor excuſare poſſe Janſenium, aut ipſum in Scholam Divi Thomæ pertrahere. Ad *Primum* fatemur quidem, ipſam toto impetu aggredi voluiſſe auxilium illud ſufficiens Molinæ, præter quod non requiritur aliud: Verùm non ſatis ſibi temperaſſe omninò compertum eſt; ſed ultrà quàm par eſſet progreſſum fuiſſe, & omne prorſus ſufficiens auxilium actuale ab efficaci diſtinctum negaſſe: quin etiam principia omnia rejeciſſe, quibus ſtabiliri poterat; adducta in Scholam, & in Theologorum cætum *Sufficientis* illa notione, quam à vulgo ſe accepiſſe inquit Janſenius, & quam prætereà dubitare non poterat à Schola Sancti Thomæ jam diu rejectam, aut temperatam fuiſſe; ac prætereà negata Divina voluntate Antecedente quæ fons eſt auxiliorum ſufficientium. Quòd ſi aliquando ſufficiens auxilium Scholæ Divi Thomæ admiſiſſe videretur: quid aliud dici poſſet, niſi Janſenium contraria locutum fuiſſe, ſibique parùm conſtare, & voluiſſe penſile ſufficiens auxilium admittere, nulli nixum fundamento. Atque inde.

Ad *Secundum*. Reſpondeo, hæc quæ in objectione referuntur, dixeratque Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 1. ipſi excidiſſe è memoria, cùm deinde caput Tertium ſcriberet; ubi de ſufficiente auxilio inquit, quòd *Nunquàm eò abſurditatis* S. Auguſtinus *venit, ut illud vel ſemper effectu ſuo carere propter quē datur; vel id auxilium quod reipsà influeret cum voluntate, ab eo quod non influeret, ita ſeparandum eſſe decerneret, ut illud efficax, hoc ſufficiens vocaretur*. Adeo enim rejectum à Divo Auguſtino hoc ſufficiens auxilium cenſet, *Quod effectu propter quem datur careat*; ut non exiſtimet ab Auguſtino admitti potuiſſe, niſi ad ſummam abſurditatem deveniſſet. Et tamen

men hoc idem sufficiens auxilium Schola Sancti Thomæ amplectitur. Censet enim, sufficiens auxilium, nisi efficax accedat effectu carere propter quem à Deo voluntate Antecedenti datur. Quo pacto igitur diei potuit à Jansenio, quòd illud auxilium sufficiens præter quod aliud requiritur, scilicet efficax à sufficiente distinctum, *Non difficulter Augustinus admitteret*? Cùm illud scriberet c. 1. nondum mediatus fuerat quid cap. 3. scriptus esset; cumque caput Tertium scriberett, jam exciderat è memoria, quæ primo capite scripserat. Sed prætereà hæc admodum diversa sunt, auxilium sufficiens *Non difficulter admitteret Augustinus*, atuqe ipse post Augustinum Jansenius admitteret? & reipsà post Augustinum Jansenius ipse admisit. Sanè si non difficultet Jansenius auxilium hoc sufficiens admisisset; etiam & hujus sententia potuisset non difficulter defendi: & quia certò non admisit, certò ejus sententia proscripta est.

Ad *Tertiùm*. Respondeo iterùm, Jansenium illud quod concessisse *Non difficulter* videbatur, iis quæ subjungit omninò corrupisse. Fatebor quidem, aut nullam, aut saltem non præcipuam de ea sufficienti & possibilitatis gratia controversiam inter Augustinum, & Pelagianos fuisse; sed quod addit, & repetit fermè singulis capitulis Jansenius, eam sufficientem gratiam non esse *Medicinalem & gratiam Salvatoris Christi* omninò: falsum est, *Multa* enim *medicamenta habet Medicus noster*, inquit Sanctus Ambrosius; & quamvis non omnia perfectam sanitatem restituant; quis dubitet omnia usui esse posse & vires aliquas conferre, & ad integram sanitatem ordinari & disponere? Quin etiam inde inchoandum est, cum natura subitas & ingentes mutationes non ferat: atque de sufficienti auxilio dici non immeritò potest quod de Divina Lege olim Sanctus Augustinus dixit in Psal. 57. ubi inquit esse scilicet *Medicamenta non meditata*, ut aliàs fusiùs explicuimus. Ibi enim Divus Augustinus ejusmodi plura fusè prosequitur ex quibus constat, etiam & in ipsa lege medicamenta fuisse, & debilissima quidem, & quæ nisi addito validiori pharmaco, salutem conferrre non poterant: vera tamen medicamenta erant, & quidem prima; mali enim cognitio prima curationis causa est: ideò enim data lex est ut malum detegeret, cui medendo Cælestis Medicus gratiam adhiberet, ut toties à Divo Augustino dictum est, potissimùm lib. de Spiritu & littera, & à Divo Thoma 1. 2. q. 106. de lege veteri & nova; & in Epist. ad Rom. ad ea verba: *Per legem cognitio peccati*; Et *peccatum non cognovi nisi per legem*. Quæ verò de lege, doctrinaque dicta sunt, multò potiori ratione de sufficienti auxilio dici possunt, esse scilicet *Medicamentum non medicatum*: inchoat scilicet curationem animæ, ad eamque & ex natura sua, & ex Divina voluntate ordinatur. Neque tamen eam unquàm integram perfectamque conferret, nisi medicamentum hoc sufficiens altero validiori & efficaci esset medicatum. Ex quo constat, etiam sufficiens auxilium ad gratiam Christi medicinalem pertinere, quæ *Purgationem peccatorum* ut loquitur D. Paulus saltem inchoet, & ad perfectam sanitatem restituendam ordinetur. Quamvis ultrò fatear non esse hanc specialem medicinalem gratiam de qua Augustinus frequentiùs loquebatur.

Ad *Quartum*. Denique Respondeo: etsi patrocinium Thomistarum hoc loco inclamasse videatur, certum tamen est, nunquam in eorum sententiam concessisse. Neque enim eodem modo sufficiens auxilium quod etiam simul esse secundùm quid, & ad actum imperfectum efficax Thomistæ contendunt, Jansenius defendit; cùm ita apud ipsos sufficiens gratia efficaciam aliquam habeat, ut etiam verissimè in ordine ad actum, ad quem à Deo ordinatur merè sufficiens sit: neque unum alteri munus opponi arbitrentur, à quibus Jansenius longissimè recessit.

Sed dices: Et si sufficientis auxilii nomen, si legitimo & Thomistico sensu explicetur, non ægrè admitti & ferri possit; cur non hujus loco excitantis gratiæ nomen usurpatur, cùm sufficiens nomen omninò SS. Patribus, veteribusque etiam Theologis incompertum fuerit, & à nullo Concilio potissimùm Tridentino usurpatum, licet tunc maximè de Divina gratia ageretur: ac demùm sæpissimè gravissimæ deceptionis occasio esse possit, eoq; adversæ sententiæ Authores abutantur? Et quis titulum pixidi affixum ferat, qui non minùs venenum, quàm medicamentum monstrare possit?

Respondeo veterem fuisse querelam, qua Patres olim ab Eterodoxis gravabantur, quòd nova & inaudita nomina usurparent, quæ nullibi in sacris paginis reperiuntur, & pravum sensum generare possent: qua ratione etiam Calvinus ipsum liberi arbitrii vocabulum aboleri voluisset. At verò iis semper responsum est, ipso lumine rationis esse compertum, necesse, semper fuisse *Inditiis monstrare recentibus abdita rerum*; cùm primùm in lucem prodeunt; & licuisse semper *Signatum præsente nota producere nomen*. Quod in omnibus scientiis, & in omnibus artibus, immò & in omnibus vitæ humanę officiis videre est: quot enim in dies nomina usurpantur ut nitidiùs ac expressiùs res significentur: de quo plura alibi dicta sunt, cùm de nomine præmotionis ageremus.

Sed ut apertius fiat, quàm levis ea ratio sit, quæ ex ambiguitate vocabuli, quòd gratiæ sufficientis nomine adversæ sententiæ Authores alio sensu utantur. Quæ major ambiguitas est aut esse potest quam in ipso efficacis gratiæ nomine? Nemo negat efficacis gratiæ nomen, & sanctè, & verissimè usurpari, atq[ue] [illegible]ine significari omnium consensu, eorum mùm cum quibus hic agimus, auxilium, quod indeclinabiliter, & insuperabiliter creaturæ voluntatis consensum efficit, neque unquàm effectu caret. At verò apud plures Theologos eo nomine significatur auxilium quod quantùm ad entitatem, & veluti in actu primo efficax est, si modò accedat consensus voluntatis: Quàm longè verò ea notio diver-

verſa eſt ab ea, quàm in ipſo auxilio efficaci nos Thomiſtæ intelligimus, ipſeque Janſenius intelligit? Enimverò non negant alii, à Deo conferri *Vires efficaciſſimas* voluntati, cùm id à Divo Auguſtino expreſsè dictum fuerit. Sed quæ ſint ejuſmodi efficaciſſimæ vires? Cujuſmodi ſunt eloquentiæ vires, quæ flectere animos dicuntur, moraliter ſcilicet, ut cùm in populo coorta ſeditione faces, & ſaxa volant, ſi fortè Virum pietate gravem conſpexerint, omnes ſilent arrectiſque auribus adſtant, *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet*. Nihil enim majus quod ad eam efficaciam prævenientis gratiæ pertinet, ſi genus motionis ſpectes, Deo quàm Viro gravi tribuitur. Quæ igitur major ſub ea gratiæ *efficacis* nomine æquivocatio latere poſſit. Idem nomen eſt, res ſignificatæ diverſiſſimæ ſunt, & quantùm à terra cælum diſtat, aut à voluntate creata Divina omnipotentia. Et tamen nihil ea æquivocatione territi, pleniſſimo ore efficacis gratiæ nomen uſurpant, qui vix ſufficientis nomen ferre poſſunt.

Prætereà ſi vis ipſa nominis ex vulgo accipiatur, quis non etiam cavillari poſſit, non aliud gratiæ efficacis nomine ſignificari præter illud idem quod ſufficiẽtis nomen ſignificat? Et ſanè aliquando etiam ita uſurpari negari non poteſt. Unde etiã, ut obſervatum eſt aliàs, à D. Thoma ſufficientis aut efficientis aut efficacis gratiæ nomen pro eodẽ uſurpatum eſt ad Rom. 1. lect. 6. ubi inquit, *Probat*, Apoſtolus, *quod dixerat, virtutem Evangelicæ gratiæ, eſſe omnibus ad ſalutem. Et primò oſtendit, quòd eſt neceſſaria ad ſalutem: ſecundò quod eſt efficax ſive ſufficiens*. Quis de remedio aliquo loquens non dixerit efficaciſſimum eſſe ad valetudinem reparandam? Sed qua efficacia? Scilicet in actu primo, ex natura ſua, & veluti in ſuo ordine. Et tamen nihil eam vulgi ſolitamque etiam ſignificationem morati, ii potiſſimùm cum quibus hìc agimus, nullo ſcrupulo anguntur, cùm efficacis gratiæ nomen uſurpant: Communi enim Theologorum omnium placito, & veluti inſtituto, efficacis gratiæ ſignificatio determinata eſt, ut auxilium cum effectu conjunctum ſignificet, quãvis, ut dictum eſt, gravis in eo æquivocatio & ſenſuum ſive ſententiarum diverſitas eſſe poſſit. Quæ igitur cauſa eſt, cum uſurpandum non ſit ſufficientis gratiæ nomen? Et verò quamvis à Sac. Concilio Tridentino non fuerit uſurpatum ſufficientis gratiæ nomen, uſurpandi tamen anſam dedit, aut neceſſitatem impoſuit. Cùm enim quod jam Eccleſiæ Fides habebat expreſſiùs definiret, non impoſſibilia Dei præcepta; Inde Theologi quibus incumbit res Fidei ratione defendere & explicare; ſufficientis auxilii nomen uſurparunt, ut oſtenderent quo pacto, aut quo auxilio Divina præcepta impleri poſſint, & quo auxilio impleantur. Inde enim utrumque auxilium diſtinguendi, aut ſaltem frequentiùs uſurpandi occaſio fuit. Et cur à Theologis ſufficientis gratiæ nomen uſurpari non poſſit, cum ſibi à Deo etiam dictum Paulus referat *Sufficit tibi gratia mea*? cur non dicatur quod gratia ſufficiens eſt, ſi dicatur quòd ſufficit gratia?

Sed prætereà & à Trideutino, & à Conciliis & à Patribus ſufficientis auxilii nomen eodem planè modo uſurpatur, quo in Schola D. Thomæ, ſcilicet quòd ſit ſufficiens *in ſuo ordine*, aut vi ſua, quamvis interdùm aliud requiri poſſit, ut ſuprà ſatis oſtenſum eſt. Et demum cur ex eo Apoſtoli loco *Sufficit tibi gratia mea*: ſufficientis gratiæ nomẽ uſurpare, & celebrare non licuerit? cum etiam plurima uſurpata fuerint, quæ minus habeant in Scriptura fundamentum unde deduci poſſint.

Dices, tamen ſatis eſſe poſſe excitantis gratiæ nomen quod à Patribus potiſſimùm Sancto Auguſtino toties uſurpatum eſt. Contra enim reponi poteſt! quia licet reipsà idem utrumque auxilium ſit, quod dicitur excitans, & ſufficiens; attamen apertum eſt, majorem addere vim ſufficientis nomen, cùm de impletione præceptorum agitur. Excitat Deus hominem ad implenda præcepta; ſed adhuc dubium utrùm vires conferat, & ita conferat ut culpa hominis ſit quòd ea non impleat. At verò id apertiùs ſignificat ſufficientis nomen: quia cauſa ſufficiens ea eſt cui nihil in ſuo ordine deeſt, niſi ea quæ ad actum ſecundum pertinent: unde ſufficiente auxilio roborato, nihil aliud deeſt ex parte potentiæ; neque deinde quod ad actum ultimum pertinet denegabitur, niſi ipſemet homo impedimentum apponat.

Fatemur equidem celeberrimas Academias & Lovanienſem & Duacenſem quas ejuſdem temporis ſapientiſſimus Lemos cum laude referebat, aliquando ſufficienti nomen eo ſenſu uſurpaſſe, præter quod non requiritur aliud. Sed non dubito, quin præſertim hac tempeſtate, & poſt confixas Janſenii propoſitiones, pleno ore ſufficientem gratiam, Scholæ noſtræ Theologorum more, & ſenſu nuncuparent; ut non immeritò dici poſſit quòd à D. Auguſtino dictum eſt lib. de prædeſt. SS. cap. 14. *Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquàm hæc hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari: quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur*. Remanet igitur ex hactenus dictis non ſolũ quòad rem ipsã, ſed etiã quòad nomẽ auxilii ſufficientis: cùm alioquin ſingularitatis alicujus vitio non carere videatur, nolle iis vocibus uti, quas toties Theologi innoxiè uſurpant.

ARTI-

ARTICULUS V.

De ſecunda propoſitione Janſenii Interiori gratiæ nunquam reſiſtitur: Longiſſimè ab eo errore doctrinam Scholæ D. Thomæ abeſſe.

FAciliùs nos de cæteris expediemus, cùm in prima propoſitione omnium potiſſima difficultas verſetur. Igitur quod ad ſecundam propoſitionem ſpectat, illam ſin minus iiſdem, æquipollentibus tamen verbis, nec non quantum ad ſenſum reperiri dubitare non licet, & ex principiis à Janſenio conſtitutis certum eſt ſponte fluere. Ut enim oſtendimus ſuprà, nullam ſufficientem gratiam Janſenius agnovit, ſed dumtaxat efficacem; unde cùm certum ſit, efficaci Divinæ gratiæ nunquam reſiſti; conſequens eſt ex ſententia Janſenii nulli unquam interiori gratiæ reſiſti.

Et quidem efficaci Divinæ gratiæ, ſicut & *Divinæ voluntati conſequenti nunquam reſiſti* extra controverſiam eſt in omnium ſententia; neque enim alio ſenſu intelligi illud poteſt, *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Et alia ſimilia quæ Sacra Scriptura habet. Ita enim, ut inquit Sanctus Auguſtinus lib. de Corrept. & Grat. cap. 14. *Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium; ſic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Atque eo pacto, ut idem Divus Auguſtinus jam ſupra dixerat cap. 12. *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur: & ideò quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate ulla vinceretur.* Et quo pacto rejici efficax Divina gratia contingeret; cùm hujus propriiſſimus effectus ſit, ut cor ipſum hominis aperiat, ſibique aditum faciat, & ſui uſum tribuat. Ut enim inquit idem Sanctus Auguſtinus lib. de prædeſt. SS. cap. 8. Gratia hæc à *Nullo duro corde reſpuitur: ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*, Quem locum refert ipſe Janſenius lib. 2. de Gratia Chriſti Salvat. cap. 24. & 25. ut & alia plura loca quæ clariſſimè probant efficaci Divinæ gratiæ nunquam reſiſti.

Et ſi hìc ſtatuiſſet Janſenius, conſentientes habuiſſet quotquot de Divina gratia cum Sancto Auguſtino, & S. Thoma ſentiunt. Sed ultrà progreſſus eſt, & cùm ſufficientem omnem gratiam negaret, neceſſe fuit ut nulli interiori gratiæ unquam reſiſti concederet.

Et quidem hæc omnia, ſcilicet interiori gratiæ nunquam reſiſti, & nullam eſſe niſi efficacem in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ex eodem principio ab ipſo jam conſtituto, & diſcrimine inter utrumque ſtatum colligit ipſe Janſenius lib. 2. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 25. ubi hunc etiam titulum capiti inſcribit, quo cettè dubitari non poteſt, meritò Janſenio adſcriptam fuiſſe eam propoſitionem confixam: *Decimò*, inquit, *ejus gratiæ medicinalis efficaciſſima natura declaratur ex eo quòd nulla prorsùs effectu careat: ſed eum in omnibus quibus datur, infallibiliter operetur.* Deinde verò hanc aſſertionem operoſiùs pertractandam eſſe, inquit, quòd ad eam perturbandum fore auditorem, ut ad rem planè novam, hactenusque in Scholis inauditam non dubitaret. Amovenda enim erat in primis ea novitatis, in rebus Theologicis ſemper periculoſæ, ſuſpicio. *Operæ pretium eſt*, inquit, *diſertis confirmare teſtimoniis; ne quaſi ad rem à me recenter excogitatam trepidet, aut perturbetur auditor.* Primam verò hujus hactenùs inauditæ aſſertionis radicem aperit detegitque ſtatim initio. *Cur nulla omninò medicinalis Chriſti gratia effectu ſuo careat, ſed omnis efficiat ut voluntas velit, & aliquid operetur*; nimirùm id oriri inquit: *Ex ipſo eſſentiali diſcrimine jam aſſignato, juxtà quod prima gratia juſtitiam dabat homini ſi vellet, ſecunda ut vellet.* Hæc igitur prima corruptaque radix, quam ita Janſenius excoluit, ut germen erroris alterum progerminaret, nempe æternum eſſe inter utramque gratiam ſufficientem, & efficacem diſſidium, quod nec innocentiæ ſtatus ſopire potuit.

Et ſanè ne hanc ſingularem Janſenii ratiocinationem prætermittam, qua probari facillimè poteſt, quantùm ſe ſe à D. Thomæ ejuſque diſcipulorum conſortio, & à cætu Theologorum ſejunxerit; ita ex S. Auguſtino ſuam aſſertionem probare nititur, nullam eſſe in hoc ſtatu gratiam niſi efficacem, nullamque ſuo effectu carere: *Ex eo quòd apud Sanctum Auguſtinum gratia, & opus bonũ ita reciprocentur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet; ita vice verſa ex defectu operis gratiam non eſſe datam; quo ratiocinandi modo indicatur gratiam tanquam cauſam, & operationem voluntatis bonam velut effectum, eſſe, ut Philoſophi loquuntur, convertibiles, & à ſe mutuò inſeparabiles.* Hæc ibi Janſenius.

Sed quò abit hæc adeò ſingularis ratiocinatio. gratiam & opus bonum elicitum res eſſe convertibiles? ſed quid ſi quis efficaci equidem gratiæ hanc connexionem inſeparabilem concedat, & ſufficienti neget? hac enim unica diſtinctione tota illa argumentatio in fumos evaneſcet. Certum enim eſt, quæcumque habet Janſenius citato cap. 24. de octo proprietatibus, quas ex Divo Auguſtino refert, ut probet medicinalis gratiæ efficaciam; dumtaxat efficaci gratiæ convenire. De ea enim ſollicitus fuit Sanctus Auguſtinus, de qua cum Pelagianis concertatio erat. Eandem etiam vim habent quæ idem Janſenius refert ſequenti capite 25. quibus efficaciam gratiæ probat. Sed nihil hæc efficiunt, ut probent, nullam aliam eſſe præter efficacem gratiam, cui voluntas reluctetur.

Atque hanc reſponſionem ipſe Janſenius vidit, poſſe ſcilicet ipſi reponi, quæcumque ex Sancto

Augu-

Auguſtino congeſſerat, ut probaret, gratiam non carere effectu, explicari commodè poſſe de gratia efficaci. Sed eam reſponſionem ipſemet Janſenius rejicit, quòd nulla ſit ſufficiens gratia. Unde ſequenti cap. 17. ita inquit. *Reſpondebit fortaſſis aliquis, magis in Scolaſticorum ſcriptis, quàm Auguſtini excolendis, exercitatus; hæc omnia quæ produximus, eum de gratia tantùm efficaci tradidiſſe; nihil verò impedire, quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem effectu careant.*

Verùm hanc reſponſionem ſtatim rejicit. *Reſpondeo*, inquit, *nihil verius dici, quàm quòd omnia quæ hactenùs protulimus, de gratia efficaci Auguſtinus dixerit atque intellexerit: cujus rei cauſa eſt quòd nullam agnovit aliam actualem Chriſti gratiam, nec agnoſcere potuerit, niſi regulas omnes fundamentales quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit, & explicuit, vellet interimere.* Hæc ibi. Quibus egregiè confirmantur ea quæ ſuprà tradidimus, in eo eſſe poſitum errorem Janſenii quòd nullam veram ſufficientem gratiam ab efficaci diſtinctam admiſerit.

Igitur dubitari non poteſt, quin ea propoſitio veriſſimè Janſenio adſcribi potuerit, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Cùm enim ea propoſitio indeterminata ſit quæque univerſali æquivaleat: ſenſus eſt, nulli unquã interiori gratiæ reſiſtitur. At verò aliud Janſenius ſentire non potuit, cùm ſufficientem omnem actualem gratiam ab efficaci diſtinctam negaverit.

Quòd autem ea propoſitio graviſſimam etiam cenſuram meruerit, clariſſimè liquet; cùm omnino Scriptura adverſa ſit. In primis *Quod ad Scripturam Sacram attinet*: certum eſt eam propoſitionem huic rectæ fronte opponi. *Primò* enim 2. ad Corinth. 6. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; Ideſt ut explicat Sanctus Thomas ibidem lect. 1. *Ne receptio gratiæ ſit inutilis & vana; quod tunc contingit*, inquit, *quando ex perceptione gratiæ quis non ſentit fructum*. Et ut poſteà ſubdit; *Quicumque gratia percepta non utitur ad vitanda peccata, & conſequendum vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit.* Quid verò eſt percepta gratia non uti, eam inutilem efficere, eamque in vanum recipere, niſi Divinæ gratiæ reſiſtere?

Secundò. Iterùm 1. ad Theſſalonic. cap. 5. *Spiritum nolite extinguere*: ut enim explicat D. Thomas lect. 2. *Dicitur quis extinguere ſpiritum fervorem ejus extinguendo in ſe vel in alio, ad Roman. 12. ſpiritu ferventes. Cùm enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus Sancti vult facere; vel etiã cùm aliquis bonus motus ſurgit, & ipſe impedit; extinguit Spiritum Sanctum. Actor. 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Hæc Divus Thomas. Interdum enim bonus aliquis motus ſurgit, dubio procul Authore Spiritu Sancto, qui tamen motus impeditur ne effectum habeat. Quid verò aliud eſſe poſſit Spiritui Sancto reſiſtere? Sed demùm quid apertius ea D. Stephani increpatione, qui Judæos acriter reprehendebat, quòd Spiritui Sancto reſiſterent. Neque enim exiſtima i poteſt, reprehenſos fuiſſe à D. Stephano Judæos, quòd dumtaxat Spiritui Sancto per os ipſius loquenti, ac vocationi dumtaxat exteriori reſiſterent. Neque enim intelligi poteſt, neminem inter Judæos fuiſſe, quem vehementiſſimè prædicante D. Stephano, Spiritus Sanctus interiùs non moveret. Et certũ eſt neminem eſſe ex veteribus qui de interiori inſpiratione, & impulſu Spiritus Sancti non intellexerit, ut Divus Thomas quem retulimus intellexit.

Tertiò: Addi & aliud poteſt ad Hebræos 12. *Contẽplantes ne quis deſit gratiæ Dei*. Quæ de externa aliqua gratia, & vocatione ſi quis vellet intelligere, à ſcopo Apoſtoli quàm longiſſimè aberraret. Dixerat enim Apoſtolus, *Pacem ſequimini, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*. Cui verò gratiæ, niſi gratiæ illi quæ ſcilicet efficit ſanctimoniam, & quæ beatitudinem promeretur. Plurima ejuſmodi alia ex Scriptura colligi poſſunt: ſed illud prętermittendũ nõ eſt Prov. 24. *Vocavi, & renuiſtis: extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis*. Cujus tremendam pœnam ſubjungit: *Ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Ita ſpretam miſericordiam juſtitia vindicat, & vicem rependit.

Quod verò ad Sanctum Auguſtinum attinet. Etſi frequentior fuerit in adſtruenda efficaci gratia adversùs Pelagianos, quòd conceſſa poſſibilitatis gratia quæ ſui uſum non tribueret, Pelagius dumtaxat gratiam actionis negaret; ſupponit tamen Divus Auguſtinus hanc poſſibilitatis gratiam actualem, eamque concedit, quæ cum actum ipſum non efficiat, conſequens eſt ut ipſi voluntas reſiſtat. Unde lib. de gratia cap. 47. ſic inquit Sanctus Doctor. *Si ergo conſenſerit nobis, non ſolam poſſibilitatem in homine, etiamſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, ideſt ut benè velimus, & benè agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando benè vult, & benè agit: Si: ut dixi, conſenſerit etiam ipſam voluntatem, & actionem Divinitùs adjuvari, & ſic adjuvari ut ſine illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus, eamque eſſe* gratiam Dei *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adjutorio gratiæ Dei quantùm arbitror inter nos controverſiæ relinquetur*. Hæc ibi. Quibus facilè ineundum fœdus cum Pelagio Sanctus Auguſtinus promittit, ſi gratiam actionis Pelagius admittere vellet: gratiam enim poſſibilitatis ultrò ipſe Auguſtinus admittebat. *Secundò*: ſed expreſſiùs eam gratiam cui reſiſtitur admiſit Divus Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplician. ubi fermè ſtatim initio inquit, *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles; non tamen concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitã perveniatur æternã.* Hæc ſanè propriiſſimus ſufficientis gratiæ effectus eſt; primò enim vocatione Divina, & motione interna, ſpiritus

ſalutis veluti concipitur, nec dubium quin augeatur ea motio niſi intercipiatur, donec formetur in homine Chriſtus : ſed interdùm voluntas veluti gravida ad partum non pervenit, quòd deſit efficax ea Divina Gratia, qua obſtetricante voluntas parturiat.

Tertiò : Atque ibidem etiam Sanctus Auguſtinus duplicem vocationem diſtinguit, alteram qua veniunt qui vocantur, alteram qua venire recuſant. *Multi vocati pauci verò electi. Illi enim electi qui congruenter vocati; Illi autem qui non congruebant neque contemperabantur, vocati non electi, quia non ſequuti.* Quæ verba aliàs explicuimus. Atque eandem duplicem vocationem explicat lib. de corrept. & grat. cap. 7. & alibi ſæpiùs.

Quartò : Præterea L. de gratia, & libero arbitrio ut liberum arbitrium ineſſe ſemper homini adſtruat, plura refert, quæ ſatis ſignificant, eam libertatem, & poteſtatem Divinæ Gratiæ reipſa reſiſtendi, ut illud cap. 2. quod inquit Apoſtolus Timotheo; *Noli negligere gratiam Dei quæ in te eſt*: Unde inquit poſteà : *Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cùm peccat*; nimirum quòd gratiam Dei negligat, qua deſertus in peccatum labatur. Quæ verba ex Salomone refert Proverb. 19. 3. *Inſipientia viri violat vias ejus, Deus autem cauſatur in corde ſuo.* Sed veriſſimè, ut obſervat Sanctus Bernardus ſerm. de triplici cuſtodia : *Omnes nobis cauſamur deeſſe gratiã, ſed juſtiùs forſitan ipſa ſibi quæratur gratia deeſſe nonnullos.* Atque idem Sanctus Auguſtinus deinde eodem lib. cap. 5. hæc ex D. Paulo verba refert; ad Corinth. *Rogamus ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis*, quibus ſtatim ſubjungit: *Ut quid enim eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperant, ut propriam perderent voluntatem?* Significant enim ea verba, aliquando in vacuum gratiam recipi, aut *Vacuam* eſſe, ut loquitur idem Apoſtolus 1. Corinth. 15. ideſt ut explicat D. Thomas, *Otioſam* relinqui.

Quintò addi poteſt ex actis cum Felice Manichæo lib. 2. quòd cùm D. Auguſtinus cap. 7. probaſſet *Quæ ſcripta ſunt in libris Sanctis de peccatoribus, & de juſtis non ad diverſitatẽ naturarum, ſed ad diſtinctionem meritorum pertinere, in quibus meritis non natura neceſſitatem facit, ſed voluntas culpã*: & crudelitatis eſſe quòd quis *In æternum damnetur quod purgari non potuit, & nihil ſua ſpontè commiſit*, ut Manichæi docebant: Reposuit Felix *Crudelem aſſeritis Manichæum hæc dicentem : de Chriſto quid dicimus, qui dixit, ite in ignem æternum?* ſed reponit Auguſtinus : *Peccatoribus hoc dixit.* Objicit Felix. *Iſti pecatores quare purgati non ſunt?* Reſpondet Auguſtinus *Quia noluerunt.* Reponit Felix veluti admirabundus: *Quia noluerunt: hoc dixiſti? Hoc dixi*, repetit Auguſtinus, *Quia noluerunt.* Urget Felix. *Quare noluerunt? eſt qui non vult curari? eſt qui non vult illuminari? quis infirmus eſt, qui non vult ad ſalutem venire?* Sed hæc aliaque retundit Auguſtinus : *Si ea quæ jam dixi vel intellexiſſes, vel te intelligere fateris : iſta non diceres. Jam enim diximus, & probavimus per Divinas Scripturas, eſſe liberum arbitrium; Deum autem eſſe liberi arbitrii juſtum judicem, remuneratorem fidelium, & volẽtium ſanari, damnatorem ſuperborum, & impiorum*: ac cum his plura addidiſſet tandem ſubjicit, *Non eſt ergo indignum ut Deus dicat.* „ *Ite in ignem æternum eis, qui ejus miſericordiam per liberum arbitrium reſpuerunt.* Plurima ex iis libris quos contra Manichæos edidit Auguſtinus, iis ſimillima colligi, & referri poſſunt : cùm enim libertatem negarent Manichæi, quòd à natura mali voluntas peccare cogeretur; contra totus incumbit Auguſtinus, ut probet è contra, non aliam eſſe mali cauſam, & originem præter ipſam voluntatem, quæ propter libertatem in utramque partem flecti poterat, & quæ etiam interdum Divinam miſericordiam reſpuebat.

Demum : *Quod ad Sanctum Thomam attinet*, quæ jam ſuprà retulimus ſatis ſignificant, ab ipſo admiſſam eſſe gratiam interiorem, cui interdùm homo reſiſtat.

Primò : Sed multò expreſſiùs ea docuit Sanctus Doctor in quibus poſita eſt omnium in ea quæſtione difficultatum reſolutio. Tria enim 1. 2. quæſt. 106. art. 2. ad 2. docet : 1. dari ſufficiens auxilium. 2. interdum auxilio ſibi dato hominem non uti, ſed ipſi reſiſtere; & 3. hujus reſiſtentiæ rationem eſſe, quòd nondùm liberum hominis arbitrium in gratia confirmatum ſit. *Gratia*, inquit, *novi Teſtamenti etſi adjuvet hominem ad non peccandum, non tamen confirmat in bono, ut homo peccare non poſſit : hoc enim pertinet ad ſtatũ gloriæ : & ideò ſi quis poſt acceptam gratiam novi Teſtamenti peccaverit, majori pœna eſt dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio ſibi dato non utens. Nec tamen propter hoc dicitur quòd Lex nova iram operatur, quia quantùm eſt de ſe, ſufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Nihil apertiùs dici potuit ad errores omnes in hac de ſufficiente gratia quæſtione confutandos. Vide quæ aliàs diximus.

Secundò : Sed prætermittere nolim ſingularem locum quem habet idem S. Thomas quodlib. 2. art. 6. ubi inquirit, *Utrùm homines credere debuiſſent Chriſto non faciente viſibilia miracula?* Principium enim ſtatuit quo etiam magna pars ſyſtematis Janſenii deſtruitur, à quo exiſtimatum eſt, impotentiâ ſervandi Divina præcepta hominem non excuſari. At verò adverſum omninò principium ſtatuit S. Thomas, & ita quæſtionem reſolvit. *Reſpondeo, dicendum, quòd nullus tenetur ad hoc quod eſt ſupra vires ſuas, niſi per hunc modum quod eſt ſibi poſſibile. Credere autem eſt ſupra potentiam hominis naturalem, unde ex dono Dei provenit &c. Homo ergo tenetur credere ſecundùm hoc quòd adjuvatur ad credendum : adjuvatur autem aliquis ad credendum tripliciter, 1. per interiorem vocationem; 2. per doctrinam, & vocationem exteriorem; 3. per miracula. Si autem Chriſtus viſibilia miracula non feciſſet, adhuc remanebãt alii modi attrahendi ad Fidẽ, quibus homines*

mines acquieſcere tenerentur &c. Tenebantur enim interiori vocationi non reſiſtere: ſicut Iſaias de ſe dicit : Dominus Deus aperuit mihi aurem , ego autem non contradico . Sicut de quibuſdā dicitur Actor. 7. vos sēper Spiritui Sancto reſiſtitis. Hęc ibi. Quibus ſatis liquet ex D. Thomæ ſententia interdùm Homines interiori vocationi Divinæ reſiſtere: quando ſcilicet ea vocatio , ut loquitur Sanctus Auguſtinus ex Apoſtolo, non eſt ſecundùm propoſitum , neque neceſſe eſt in re compertiſſima immorari, de qua nemo eſt qui ſibi conſcius non ſit , ſeque reum non habeat : ut mirum ſit potuiſſe in dubium revocari quod quotidianis experimentis, heu nimium quiſquam perſentit , ſe interiori Divinæ gratiæ reſiſtere .

ARTICULUS VI.

Oſtenditur tertiam propoſitionem in Janſenio proſcriptam : ſcilicet ad merendū vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ nō requiritur libertas à neceſſitate ſed ſufficit libertas à coactione : principiis à Divo Thoma conſtitutis repugnare .

ITa ſanè ſenſiſſe Janſenium adeò certum eſt , ut planè otioſi eſſet hominis in re compertiſſima immorari; neque enim in uno dumtaxat obſcuro, abditoque alicujus capitis loco ita ſe ſentire ſignificavit , ſed tribus libris integris 6. 7. & 8. Tertii Tomi de gratia Chriſti Salvatoris , nervos omnes intendit, ut probent hanc fuiſſe Sancti Auguſtini ſententiam , veterumque Patrum , libertatem omnem in ſola ſpontanei ratione poſitam eſſe . Atque ut in particulari quædam referamus, lib. 6. cap. 6. hunc capiti Titulum præfigit : *Duplex neceſſaria Auguſtino coactionis , & ſimplex ſeu voluntaria ; illa non hæc , repugnat libertati.* Quod adeò Scholaſticos latuiſſe exiſtimat , ut non dubitet , mirum ipſis futurum , & inſtar paradoxi quod refert : *Mira* , inquit eodem cap. 6. circa medium , *mira videbitur Scholaſticis iſta doctrina, & tamen in Auguſtini principiis eſt indubitata .* Sed tamen nihil authoritatem Theologorum moratus, aut eorum multitudine perterritus Sanctos Patres , veteresque Theologos quos Recentioribus opponat , in ſuam defenſionem advocat uſque ad caput 24. nec prætermiſſo etiam Sancto Thoma : ne graviſſimum ſibi præjudicium afferre videretur , ſi Divum Thomam , & Theologorum principem , & ſui ævi redivivum Auguſtinum, ſuæ Sententiæ adverſarium haberet .

Ab his verò Eccleſiæ Patribus , & Theologis uno ore aſſertum putat, libertatem in ſola voluntarii , & ſpontanei ratione poſitam eſſe , voluntatem eò liberam eſſe quò vult , quæcumque tandem neceſſitas accedat, quæ tamen non ſit hujuſmodi , ut invitam , & reluctantem voluntatem ipſi ſubjici neceſſe ſit , qualis eſt neceſſitas moriendi. Unde jam antequam Patres longa ſerie recenſeret , idem probaverat cap. 7. comparatione libertatis Divinæ & cap. 8. libertate Beatorum hominum, & Angelorum , quorum amorem beatificum liberrimum eſſe exiſtimat , & cap. 9. libertate Chriſti , & lib. 7. cap. 4. contendit , *Quòd libertas Auguſtino maximè verſatur circa finem .* Quo nihil tamen alienum magis à vera Sancti Auguſtini ſententia dici poteſt , & veriſſimum eſt in Divi Thomæ principiis paradoxum , ut aliàs fusè oſtendimus.

Atque ejuſdem lib. 7. cap. 12. probat Janſenius , & rectè quidem , indifferentiam contrarietatis per ſe non pertinere ad libertatem , quia ex Sancto Thoma 1. par. quæſt. 62. art. 8. ad 3. quòd *Liberum arbitrium diverſa eligere poſſit ſervato ordine finis hoc pertinet ad perfectionē libertatis ejus ; ſed quòd eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod eſt peccare; hoc pertinet ad defectum libertatis: unde major eſt libertas in Angelis qui peccare non poſſunt , quàm in nobis qui peccare poſſumus .* Hæc ex D. Thom. Janſenius. Ubi cùm occaſio ſe ſe offerat, obſervari poteſt quàm parum ſincera fide Janſenius agat , & Sanctum Thomam in ſui patrocinium advocet; ſiquidem jam eodem loco eademque reſponſione ad 3. Divus Thomas dixerat: *Dicendum quòd liberum arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea quæ ſunt ad finem , ſicut ſe habet intellectus ad concluſiones .* Quibus verbis principium illud ſtatuit Sanctus Thomas quod fuſiùs deinde quæſt. 88. proſequitur , intellectum verſari circa principia , rationem verò circa concluſiones ; ac pari modo voluntatem ut naturam quæ regitur intellectu , verſari circa ultimum finem , & eam eſſe libertatem non arbitrii ſed voluntatis , in ſola ratione voluntarii poſitam : ut verò ſpecialiter , & propriè liberam quæ regitur ratione , verſari circa media , & eam eſſe libertatem non ſolius voluntatis , ſed arbitrii ; quia ratio in diverſa ferri poteſt . Quo principio funditùs evertuntur quæcumque Janſenius de libertate ſtatuit . Et tamen ea præmittit Janſenius , quamvis ipſi ob oculos verſarentur , cùm aliqua verba ex iis decerperet . Et poſt hæc , ſuam , inquit doceri à Sancto Thoma ſententiam , in his etiam locis ubi evertitur . Verum de his alibi multa à nobis dicta ſunt .

Sed prætereà cap. 14. ſequenti , ultrà progreſſus negat , etiam indifferentiam contradictionis pertinere ad libertatem . Unde ſtatim initio inquit; *Et ſanè ſi non eſt alia libertas vera voluntatis quàm agendi, ſeu faciendi & abſtinendi ab eo quod facis, graviſſima abſurda vitari nequeunt, quibus non ſolùm tota doctrina S. Auguſt. funditùs evertitur, ſed etiam ſenſus Chriſtianæ pietatis leditur, & communis offenditur.* Atque inter ea abſurda primo loco recenſet, quòd *Effectus gratiæ ſit, delectando voluntatem , facere ut actu velit , & faciat id quod ante languore vel tēpore quodam non volebat*

neque faciebat; & ita diametraliter repugnat philosophicæ libertati seu indifferētiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinatè facit agere vel non agere, velle vel non velle. Hæc ibi & alia ejusmodi plura, quæ si recensenda aut impugnanda forent, in longum eundum esset.

Ex quibus constat, in sententia Jansenii nullo planè modo ad libertatem pertinere libertatem contradictionis, & quòd sub motione gratiæ Divinæ voluntas possit agere, & non agere, sed determinationem repugnare cuicunque indifferentiæ libertatis.

Objiciunt qui vellent Jansenium à conjecta in eum censura subducere, aut Scholæ nostræ causam cum ipso communem efficere. Falsum est inquiūt negatam fuisse à Jansenio pro hoc statu naturæ lapsæ libertatem, & libertatis indifferentiam omnem, tum contrarietatis, tum contradictionis.

Etenim *Primò* eodem libro 6. cap. 34. cum illud retulisset Eccles. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui &c. appositi tibi ignem & aquā, ad quod volueris, porriges marum tuā: Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit dabitur ei.* Quæ verba dubio procul significant, homini potestatem in esse, ut contraria omninò si velit, eligat; idest in esse homini indifferentiam contrarietatis: eam omnem indifferentiam pro hoc statu admittit: unde inquit, *Respondeo argumentum esse verissimum, quod ab ipso Augustino, Damasceno, Bernardo, & cæteris, non solùm admittitur, sed velut catholicæ Fidei immobilis basis adversùs Manichæos, aliasque pestes veritatis, & libertatis inimicos, invictissimè defenditur, & defendi debet.*

Secundò: Et verò distinguit Jansenius expressè inter naturam, & statum libertatis. Si libertatis natura sola spectetur, non aliud exigit quàm à coactione exemptionem, & in sola spontanei ratione posita est. At verò si status libertatis inspiciatur, utramque indifferentiam compatitur. Unde nunquam à Jansenio negata est utraque indifferentia libertatis pro statu naturæ corruptæ, neque bona Fide agunt Scolastici qui adversam doctrinam ipsi imponunt, neque reipsa ipsius mentem sunt assecuti. Ita enim expressè inquit loco superiùs citato. *Inter actum quippe liberum, & statum libertatis permagna differentia est. Aliter Deus, aliter Angeli viatores, & primus Homo, aliter Beati, aliter damnati, aliter homines reparandi, aliter Christus Dominus in via constitutus liber fuit; nec ullo pacto quæ in uno statu libertatis adsunt, aut etiam requisita sunt, ad alterum extendenda sunt. Hominum igitur viatorum non solùm coactionis expertem esse libertatem, sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est eam ad utrumque indifferentem, esse cum Scripturis, Augustino, & Patribus, Catholica Fide fatemur perlibenter; sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrii libertatem, iidem Patres pernegarunt.*

Tertiò: Quin etiam lib. 8. cap. 20. probat quòd *Agnovit Augustinus sub gratia, & ante gratiam, indifferentiam contrarietatis; & contradictionis quodam sensu, non tamen tanquam libertatem, aut partem ejus.* Ubi & illud à Sacro Concilio Tridentino definitum sess. 6. cap. 5. & Can. 4. *Recipiens inspirationem illam objicere potest; & liberum arbitrium à Deo motum potest dissentire si velit;* pronis ulnis ut fidei dogma amplectitur.

Quartò: Sed demum quid aliud optari possit, cùm perlubenter à Jansenio admissa, & adoptata fuerint quæcumque ad conciliandam Divinam gratiam cum libertate creata, ab authoribus physicæ motionis, ideſt D. Thomæ Discipulis referuntur. Etenim lib. 8. de gratia Christi Salvatoris c. 4. cùm dixisset, communem sibi aliisque esse difficultatem, qui efficaciam Divinę gratię defendunt, ita inquit: *Quapropter quidquid physicæ prædeterminationis defensores pro sua sententia protulerunt, ut liberum arbitium sub ea salvum esse persuadeant: quidquid etiam ad dissolvenda oppugnantium argumenta telaque repercutienda moliti sūt, pro hac sententia dictum puta. Nam ferè quidquid ab adversariis obiici potest unica illa distinctione sensus compositi & divisi, quam isti prædeterminationis physicæ defensores adhibent, solvi ac dissipari potest. Non enim necesse est, ajunt, ut cum omnibus illis ad agendum requisitis, inter quæ etiam cælestis delectatio est, stet simul ut non agat voluntas sed solùm ut possit non agere. In libero enim arbitrio, quantumcumque ad agendum præparato, immo determinato, & actu operante, reperitur, ut ipsi docent, simultas potentiæ ad operandum, & non operandum; non potentia simultatis, ut videlicet simul agat, & non agat: hoc est ut clariùs dicatur, in libero arbitrio est potestas ad oppositа, non tamen potest ad oppositа simul habenda.*

Hæc omnia à Thomistis dicta adoptat Jansenius: quæ si vera sint, inquiunt, quid in Jansenio jure reprehendi potest. Alterum necesse est cum jam in eadem navi Jansenius cum Thomistis versetur, aut cum Thomistis Jansenium salvum incolumēque à naufragio eripi, aut cum Jansenio Thomistas iisdem vorticibus absorberi.

Verum Respondeo nihil ex his in tuto reponere Jansenium posse. Nec nos sanè latet quid penitius reconditumque magis sit in ea sententia Jansenii. Fatemur ipsum inter statum, & naturam libertatis distinxisse. Fatemur ipsum admisisse, aut simulasse aliquando se admittere, quæ pro concilianda libertate cum Divina gratia Authores physicæ prædeterminationis admittunt: neque ea scripsisse Jansenium, negamus quæ ex ipso retulimus. Verùm quantum ad istud ultimum caput spectat ex cætera dependent: Utinam non abjisset retrorsum: in veritate stetisset, eumque suo scuto veritas protexisset. Sed in veritate non stetit; & quæ in Thomistis se probare jam scripserat statim: & sequenti capite rejecit, quasi hujus cum Thomistis consensionis pœniteret. Statim enim sequenti cap. 5. hunc etiam Titulum inscribit. *Conciliatio genuina gratiæ cum libero arbitrio secundùm Augustini mentem profertur.* Nimi-

mirum eam quam præcedenti capite ex Thomiſtis acceperat, & adoptaſſe videri poterat, omnino aut ſpuriam, aut à vera Divi Auguſtini Theologia alienam arbitrabatur. Unde ſtatim ita inchoat.

Verumtamen meritò dubitari poteſt, utrùm Auguſtinus eo modo intellexerit, incolumem permanere libertatem, atque ita ſenſerit, influxum gratiæ cum libero arbitrio conciliandum eſſe, quatenùs ſub ejus efficacia determinante voluntatem ut velit, & agat, ſimul poteſtas maneat ut non velit, & agat. Quamvis enim, inquit, ſæpiſſimè D. Auguſtinum Pelagiani pulſarent, quòd liberum arbitrium deſtrueret, & eam calumniam retunderet, nervos omnes ingenii Sanctus Auguſtinus intenderet; nunquam tamen, inquit, *Nec ſemel, nec ex profeſſo tradit, nec per tranſeunam inſinuat, ſalvam hactenus manere ſub gratia libertatem ejus quatenus actum volendi ſic exerit, ut eum poſſit ſuſpendendo continere.* Sed neque putat Janſenius, Divum Auguſtinum uſquam Pelagianis de violata per gratiam libertate conquerentibus, *Iſtum conciliandi modum tetigiſſe, quòd voluntas ita per gratiam velit, ut poſſit non velle, ſed ſemper illum, quòd operante gratia non inſtar trunci quem Deus moveat, feramur ad bonum; verum quòd gratia non alium quempiam, ſed nos ipſos faciat velle quod bonum eſt.* Ideſt, idcircò gratia effectrice non auferri lædique libertatem; quia ea ipſa ratione qua voluntas vult, etiam liberè vult; quod nedum toto capite, ſed deindè toto libro proſequitur.

Ex quibus manifeſtum eſt, quam primum receſſit Janſenius à Thomiſtarum ſententia, in errorem lapſum eſſe, quòd ſcilicet exiſtimaverit, ad meritum vel demeritum nullam indifferentiam requiri; quod cenſura à Summis Pontificibus lata directè proſcribitur. Ac præterea quòd, ut diximus, arbitratus ſit, ipſam gratiæ Divinæ efficaciam *Diametraliter* indifferentiæ libertatis repugnare. Quod neque de indifferentia contrarietatis ferri poteſt: & multò minus de indifferentia contradictionis, quæ perpetuò eadem remanet.

Et mirum eſt, tam citò oblitum eſſe Janſenium hujus quod dicere animo deſtinaverat, diſtinctione ſenſus compoſiti, & diviſi facilè argumenta omnia retundi poſſe. Quo pacto enim iſta jungi poſſunt; alterum quod jam retulimus, & ex Divi Thomæ Schola acceptum conceſſit: libro 8. cap. 4. *In libero arbitro quantumcumque ad agendum præparato, imo & determinato, & actu operante, reperitur, ut ipſi* (Thomiſtæ ſcilicet) *docent, ſimultas potentiæ ad operandum, & non operandum*: & alterum quod etiam retulimus ex lib. 7. cap. 14. ubi indifferentiam contradictionis exagitat, & contendit, efficaciam Divinæ delectationis *Diametraliter repugnare indifferentiæ libertatis?* quo pacto enim iſta jungi poſſunt: ſub ipſa determinatione Divinæ gratiæ ſtat potentia ad operandum, & non operandum; & determinatio Divinæ gratiæ diametraliter repugnat indifferentiæ contradictionis, de qua eo loco agit? tam facilè cælum terræ miſceas quàm hæc duo conjungas. Sanè nihil difficilius quàm novum ſyſtema conſtituere; in quo neceſſe eſt quod partes omnes invicem conſentiant. Obſervarunt jam multi, parùm Janſenianæ doctrinæ partes invicem cohærere, cum ſæpiſſimè uno loco evertat, quod altero ſtatuerat; cujus rei argumentum ſatis evidens eſt quod mox retulimus.

Ex his igitur conſtat, quòd quamvis Janſenius inter libertatis ſtatum naturamque diſtinxerit; attamen in eo ſemper errore verſatus eſt: ſcilicet, nihil ad meritum vel demeritum conferre quamcumque libertatis indifferentiam. Et ſi quidem in ea ſolùm metaphyſica quæſtione verſatus fuiſſet, utrum ſcilicet ad naturam libertatis indifferentia pertineat, parum forſitan ea quæſtio ſpectaſſet ad Fidem. Sed ultra progreſſus eſt; ſcilicet etiam ad meritum, & demeritum pro hoc ſtatu nullam indifferentiam requiri. Et quidem hi qui partes Janſenii libris editis egerunt: iſta confundunt, & permiſcent; ſed nos ea ſedulò diſtinguimus. Conſenſerit quidem Janſenius etiam pro hoc ſtatu naturæ lapſæ voluntati ineſſe omnem indifferentiam agendi, & non agendi, verùm exiſtimat indifferentiam omnem veluti nævum voluntati pro hoc ſtatu adhærere, qui nævus ſi abſit perfectior erit libertas nihilque laudis & meriti: deperibit unde exiſtimat quòd etiam ſi nulla indifferentia remaneat ſub dominante gratia, & victrice delectatione; nihilò tamen minus integrum erit perfectumque meritum libertatis. Atque id erroneum Pontifices exiſtimarunt. Unde & adverti poteſt ſapientiſſimè à Summis Pontificibus fuiſſe in Janſenio confixum, non quòd ad naturam libertatis indifferentia pertineret, ſed quòd ad meritum, vel demeritum in ſtatu naturæ lapſæ indifferentia non requireretur. De ea verò libertatis indifferentia eam nedum reperiri, ſed etiam neceſſariò requiri aliqua ſequenti artic. dicemus.

* * * *
* *
*

ARTI-

ARTICULUS VII.

Quarta Jansenii Propositio: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare: Adversam esse doctrinæ Scholæ Divi Thomæ demonstratur.

Quoad utramque partem desumpta est ex his, quæ Jansenius habet lib. 8. de hæresi Pelagiana cap. 6. ubi probandum suscipit, *Quòd gratia generalis Massilienſium est actualis interna, & sufficiens ad credendum*: ac deindè post medium inquit: *In hoc ergo propriè Massilienſium error situs est, quòd aliquid premevę libertatis reliquum putant, quo sicut Adam si voluisset poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset si vellet; neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate*. Hic omnium eorum quæ referri possunt expressior locus est.

Quod ad primam verò partem spectat nihil attinet dicere in præsenti, cùm ea per se ad fidem non pertineat, sed purè historica sit, quæ Verbo Divino neque scripto neque tradito resolvi potest: sed ex historia humana ervenda est, & ex libris ipsorum Massilienſium, ac in primis ex duplici Epistola SS. Prosperi, & Hilarii ad Divum Augustinum de erroribus Massilienſium scripta. Nec Thomistarum Schola consensionis cum sententia Jansenii jure hic accusari potest.

Quod ad secundam verò partem, ex his quæ mox retulimus constat, existimatum esse à Jansenio, Massilienses in eo fuisse hæreticos quòd eam gratiam admisissent, cujus usus, & abusus relictus esset libero arbitrio. In quo dubio procul Jansenius ipse erravit, cum ad fidem pertineat, quæcumque gratia ad agendum necessaria sit, eam ejusmodi esse, ut possit libertas vel obtemperare vel refragari, quamvis, ut aliàs observatum est, non eadem sit ex utraque parte potestas.

Prætereà cum existimaverit libertatem positã esse in sola ratione spontanei, existimavit etiam non requiri necessario ad meritum veram libertatem indifferentiæ: & è contrà errori tribuebat quòd necesse esset in statu naturæ lapsæ sub ipso auxilio Divino servari libertatem indifferentiæ, in quo iterum constat, ipsum Jansenium, non Massilienses erraſſe.

Et sanè ità existimabat Jansenius, ad libertatem non pertinere hanc potestatem vel obtemperandi vel refragandi, ut etiam inter errores Pelagii reposuerit, quòd existimaret utramque indifferentiam contrarietatis, & contradictionis ad libertatem pertinere. Etenim lib. 2. de hæresi Pelagiana cap. 2. postquam retulisset Jansenius definitionem libertatis quam refert ex lib. 1. Adversus Julianum imperfecti operis, qua dicitur, quòd libertas *In admittendi peccati, & abstinendi à peccato possibilitate consistit*. Hanc definitionem ut explicet Jansenius, inquit: *Possibilitas, seu potestas liberi arbitrii* (ex Juliano) *consistit essentialiter in quadam indifferentia ad plura*, quod Jansenio monstrum videtur: post pauca verò inquit, *Et quidem in actionibus indifferentibus, ut sunt loqui, videre, ingredi, & similibus, indifferentiam contradictionis quam vocant ad agendum, & non agendum, censebant ad rationem libertatis sufficere &c. Cum verò ad virtutem ac vitium erat, prorsùm necessariam statuebant iudifferentiam contrarietatis, quæ est ad agendum bonum, & malum*.

Quæ omnia inter Pelagianæ hæreſos præcipua capita Jansenius recenset. Unde mirum non est Massilienſibus vitio vertisse quòd utramque indifferentiam admitterent, & existimarent, posse voluntatem Divinæ gratiæ vel resistere vel obtemperare. Quia in re dubium non est, errasse ipsum Jansenium. Etsi enim meritò Massilienses ac Pelagiani reprehẽdi potuerint, quòd eandẽ utrinque potestatem admitterent, *Parique momento animum se ad vitia vel virtutes movere* posse existimarent, ut refert S. Prosper Epist. ad D. Aug: de quo aliàs diximus; attamen nulla ratione reprehendi potuerunt, quòd sub Divino adjutorio utraque voluntatis indifferentia integra illæsaq; maneret. Atque hæc quidem Jansenius consentaneè ad sua principia, sed falsa; nullam scilicet indifferentiam etiam contradictionis ad libertatem pertinere: de quo dictum est supra.

Sed demum cum existimaverit Jansenius, efficaciam gratiæ *Diametraliter* libertatis indifferentiæ opponi, mirum non est quòd Massilienſibus errori tribuerit, quòd admitterent eam libertatẽ quæ indifferentia prædita esset. Ita autem sensisse Jansenium suprà retulimus ex lib. 7. de gratia Christi Salvatoris cap. 14. ubi probat, efficaciam gratiæ *Diametraliter* repugnare indifferentiæ libertatis, quia libertatem extrahit ab indifferentia agendi. *Quæ*, quidem subjicit, *contradictio tanta est, & tam præcisa, ut si perfecta cælestis gratiæ delectatio voluntati tribuatur, indifferentiam illam Philosophicæ libertatis funditùs interimit, sicut hoc in animabus sua beatitudine fruentibus manifestum est. Hoc enim*, paucis interjectis addit prætereà, *Certissimum signum est directæ repugnantiæ etiam in infimo gradu: nam si perfecta gratia perfectè indifferentiã libertatis tollit, imperfectior imperfectè tollet*. Ita ut ex Jansenio libertas Divinaque gratia sic invicem opponantur, ut duo in orbe Poli, quorum unus tantum deprimitur, quantùm alius attollitur; cum tamen ho-

hominis libertas maxima hominis perfectio, cum altera quæ ex Divina gratia accedit jungi debeat: nulla enim perfectio alteri opponi potest. Dolendum est, Janſenium adeò Philoſophiæ infenſum fuiſſe; alioquì enim facilè hæc ſimul jungere potuiſſet. In eo deceptus est, quòd indifferentiam paſſivam ſeu ſuſpenſionem potentiæ à vera indifferentia activa non diſtinxerit: primam enim ſolvi minuique, aut etiam omninò aboleri per ipſam determinationem dubium non est. Etſi de ea determinatione dixiſſet, *Diametraliter* opponi libertatis indifferentiæ, nihil mirum fuiſſet, nec potuiſſet meritò reprehendi: ſed mirum aliquid dicere voluit, ſcilicet efficaciam gratiæ indifferentiæ activæ libertatis diametraliter opponi. At nos cum D. Auguſtino *Miraſtupemus*, & reprehendimus. Sed demùm hæc qua ratione jungi poſſint cum his quæ ex Thomiſtarum ſententia ſe amplecti ſimulaverat; manere ſub ipſa Divinę gratiæ determinatione potentiam integram ad oppoſitum ab actu præciſum, & diviſum, id est in ſenſu diviſo. Hæc ſanè diametraliter opponuntur, neque ullo unquam conatu ullaque arte jungi poſſunt.

Et verò ad libertatem indifferentiam pertinere ſenſiſſe D. Auguſtinum conſtat ex libro de duabus animabus cap. 11. ubi inquit, quòd *Peccatum est voluntas amittendi quod Juſtitia vetat, & unde liberum est abſtinere*. Neque verò rationem tacet ibid. lib. de duabus animabus, cur voluntati ea poteſtas agendi, & non agendi, id est indifferentia ineſſe debeat; nimirum quia alioquin nullus eſſet vel laudi vel vituperio locus. Unde ſubjicit Sanctus Doctor: *Nec hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem, neminem vituperatione ſupplicioque dignum, qui aut id velit quod juſtitia velle non prohibet, aut id non facit quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in Orbe Terrarum genus humanum*. Et alia ejuſmodi: plurimaque ibid. contra Manichæos proſequitur D. Auguſtinus, ut probet, peccatum in voluntate, & quidem omninò libera ut poſſit agere, & non agere, poſitum eſſe.

Addi & illud poteſt toties decantatum ex lib. 3. de libero arbitrio, ubi cum plurima Evodio ſuo diviſſet, ut explicaret unde ortum habeat mala voluntas, & quæ ſit peccati cauſa, ita colligit: *Sed ſi laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene: Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis*, ſeu volitionis, *ſi non poteſt ei reſiſti, ſine cauſa ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caveat nè fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? ſi ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt*. Quo teſtimonio, inquit ipſe D. Auguſtinus lib. 1. de Retract. cap. 9. *Pelagius uſus eſt*, quòd ſuo errori ſtabiliendo opportunum eſſe arbitraretur. Verùm ipſi reſpondet D. Auguſtinus oſtenditque prædicatione Divinæ gratię non induci neceſſitatem, nec libertatē auferri: ac ibid. colligit ipſe plurima ex libris de libero arbitrio, quibus libertas omnis indifferentię ſtabilitur, & quo pacto cum ipſa Divina gratia cōciliari poſſit debeatque.

Quod ad S. Thomam attinet, ſatis Diſſertatione ſecunda multa colligimus. Hoc unum referre licet ex q. 6. de Malo, ubi inquirit utrùm homo habeat liberam electionem, aut ex neceſſitate eligat? & ita ſtatim quæſtionem reſolvit. *Dicendum, quòd quidam poſuerunt, quòd voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium eſt violentum, ſed ſolùm id cujus principium eſt extra: unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarii, non tamen violenti. Violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario: quia utriuſq; principium eſt intrà, volenti autem principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt hęretica; tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritoriū vel demeritoriū quòd aliquis ſic ex neceſſitate agat quod vitare non poſſit. Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophię opiniones: quia non ſolùm contrariatur Fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim nox ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quæ moralis Philoſophia conſiſtit: hujuſmodi autem opiniones quæ deſtruūt principia alicujus partis Philoſophię, dicuntur poſitiones extraneæ; ſicut nihil moveri, quod deſtruit principia ſcientiæ naturalis. Ad hujuſmodi autē poſitiones ponēdas inducti ſunt aliqui homines partim propter proterviā, partim propter rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerūt*. Utinam veram Philoſophiam Janſenius coluiſſet, *Rationes ſophiſticas* quibus ſe invitus implicuit facilè ſolvere potuiſſet. Addi prætereà & illud poteſt ex eod D. Tho. qu. 2. 2. de Ver. art. 6. ubi expreſsè præpoſteram illam naturæ & ſtatus libertatis diſtinctionem rejicit quantùm attinet ad libertatem contradictionis. *Cùm voluntas*, inquit, *dicatur libera in quantùm neceſſitatem non habet: Libertas in tribus conſiderabitur, ſcilicet quantùm ad actū in quantūm poteſt velle & non velle: & quantùm ad objectum, in quantùm poteſt velle hoc vel illud, vel ejus oppoſitum: & quantùm ad ordinem finis, in quantùm poteſt velle bonum vel malum. Quantùm ad primum horum: ineſt libertas voluntati in quolibet ſtatu naturæ reſpectu cujuslibet objecti. Secundum verò horum eſt reſpectu quorundam objectorum, ſcilicet reſpectu eorum quæ ſunt ad finem & non ipſius finis, & etiam ſecundùm quemlibet ſtatum naturæ. Tertium verò non eſt reſpectu omnium objectorum, ſed quorundam; eorum ſcilicet qui ſunt ad finem; nec verò cujuslibet ſtatus naturæ, ſed illius tantùm in quo natura deficere poteſt*. Hactenus D. Tho. & hæc exactiſſima & Theologi & Philoſophi res in ſuos ordines & claſſes *rectè ſecantis* diviſio: Qua docet in primis D. Tho. voluntatem liberam dici *in quantùm neceſſitatē non habet*:

habet: & eam libertatem *Quantùm ad actum in quantum potest velle & non velle*, quæ est libertas & indifferentia contradictionis; inesse *voluntati in quolibet statu naturæ*. Quod de indifferentia contrarietatis dici solet, docuitque primùm D. Anselmus, à quo D. Thomas cæterique Theologi usurparunt; de ipsa contradictionis indifferentia dici posse existimavit Jansenius: sed planè deceptus est & à D. Thoma discere potuerat, hanc quæ potissima est quantùm ad actum scilicet indifferentiam agendi & non agendi, seu contradictionis, omnino à natura voluntatis divelli non posse, & inesse libertati voluntatis in *Quolibet statu naturæ & respectu cujuslibet* objecti: sed alteram quę est *Quantum ad ordinem finis*, seu indifferentiam contrarietatis, & agendi benè vel malè nævum esse ipsius voluntatis, nec esse *cujuslibet status naturæ, sed illius tantùm in quo natura potest deficere*. Sed de his alibi satis à nobis dictum est, ubi de libertate egimus, nec necesse est ea huc advocare.

ARTICULUS VIII.

Quinta Jansenii propositio, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse: Ab ea remotissima est Scholæ D. Thomæ doctrina.

NUlla in Jansenio propositio est, quæ magis à communi pietatis sensu abhorreat, & majorem in ipsum invidiam concitaverit, quàm hæc quinta propositio, qua negat Christum pro omnibus hominibus mortuum fuisse. Excerpta illa est ex lib. 3. de gratia Salvatoris cap. 20. & ult. ubi cũ sibi opposuisset argumentum quo sufficientia auxilia omnibus conferri probatur, nimirùm ex eo quòd pro omnibus Christus mortuus sit.

Respondet statim fermè initio: *Et hoc argumentum sicut omnia præcedentia, jam olim ad nauseam usque à Pelagianis, præsertimque Massilienſibus inculcatum fuisse*. Explicat verò deindè quo sensu dictum sit ab Apostolo 1. ad Timoth. 2. Christum *Redemptionem se ipsum dedisse pro omnibus* Et communem in primis illam explicationem refert ex D. Prospero ad primam objectionẽ Vincentian. *Quoad magnitudinem, & potentiã pretii, & quoad unam causam pertinet generis humani Sanguis Christi redemptio est totius mundi: ... Cum tamen non omnes à captivitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est de quibus Princeps mundi missus est foras, & jam non Vasa Diaboli, sed membra sunt Christi*, Ac deindè. *Poculum immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostra & virtute Divina, habet quidem in se ut omnibus: sed si non bibitur non medetur.* Quibus ex D. Prospero plura subjicit, quæ cũ communi omnium Theologorum sententia mirum in modum consentiunt; pro omnibus à Christo sufficientissimum paratum fuisse remedium, ex quo cùm non omnes æqualem partem sumant, non omnibus æqualiter prodest. Et sane nullus est ad quem aliqua saltem & quoq; modo hujus Sanguinis effusi, & veluti *Aspersionis Sanguinis Christi*, (ut loquitur Divus Petrus Epist. 1. cap. 1. & Divus Paulus ad Hebr. 12.) stilla non pervenerit. Atque ea ratione forsitan Divino consilio dispositum est, ut Adamus hominum caput in Calvarię Monte sepultus jaceret, ut eo pretioso Sanguine, tum ipse, tum in ipso universum humanum genus aspergeretur. Refert enim Sanctus Augustinus serm. 71. feria sexta post primam Dominicam in Quadragesima de Immolatione Isaac D. Hieronymum *Ab antiquis & senioribus Judæis se certissimè cognovisse, quòd ibi immolatus sit Isaac ubi posteà Christus Crucifixus est*. Ac deindè inquit. *Hoc antiquorum revelatione refertur, quòd Adam primus homo in ipso loco ubi Crux fixa est, fuerit ali. quando sepultus: & ideò Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum. Et verè fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus ubi jacebat ægrotus; & dignum ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret Divina Misericordia, & Sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur*. Igitur & pro universo humano genere quod Adamus referebat, ut omnium parens & caput sacro illo cruore aspersus est, ut nullus hominum esset, ad quem aliqua hujus stilla non perveniret, & qui non aliquem hujus fructum & sufficiens auxilium perciperet, inæqualiter tamen ut Sancti Thomæ Schola explicat.

His si immoratus fuisset Jansenius consentientes habuisset omnium Scholarum Theologos, nec poterat non probari, quod post D. Prosperi verba subjicit. His *Conformiter* dicere Scholastici solent, *Christum omnes redemisse sufficienter non efficienter*. Verùm hæc cùm retulisset, satis deindè significavit, nihil secum ipsis commune habere velle: immo & D. Prosperum ex quo ea desumpserat apertè deserit: Unde statim subjicit: *Sed quia in istis verbis apertè profitetur Prosper Redemptionis proprietatem haud dubiè penes illos esse qui sanctificantur in Sanguine Christi: & quia ista phrasis qua dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videatur redemptionem ex redimentis animo in usum ac libertatem captivorũ offerri ac dirigi, quæ oblatio & directio Christi inanis esse nõ potest; & quia alioquin etiã pro Dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium Sanguinis ejus est sufficiens; ac denique quia Prospero Antiquior & doctior Aug. nunquàm in scriptis suis fatetur, Christũ pro omnibus nullo excepto se dedisse redemptionẽ, vel Crucifixũ esse, vel mortuũ, sed tantummodò pro illis quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi & omnes*

nes ſunt: hinc genuimus veriùſque reſpondemus, Chriſtum dici ſe dediſſe redēptionem pro omnibus, hoc eſt pro univerſa ſua Eccleſia toto orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus hominum generibus, Regibus, privatis, nobilibus ignobilibus, &c. prout ſuperiori capite ex S. Auguſtino declaravimus.

Hæc omnia Janſenius, in quibus plurima ſunt quæ reprehendi à Theologis meritò poſſint: *Primò* enim apertè ſe à Divi Proſperi ſententia recedere fatetur, quem toties aliàs, & quidem meritò, ut fideliſſimum D. Auguſtini diſcipulum & interpretem commendat. *Secundò*: Ipſum Divum Proſperum cum D. Auguſtino committit, tanquam ea in re quæ ſummi momenti exiſtimanda eſt, invicem ſibi adverſos, & quaſi S. Auguſtini mentem S. Proſper minimè aſſecutus fuiſſet. *Tertiò*: Quod mirum eſt, magis ſibi credi vult Janſenius D. Auguſtinum interpretanti quam D. Proſpero; quod neſcio quis æquis auribus & pacato animo ferre poſſit? *Quartò*: Eam interpretationem affert de omnibus hominum generibus, ac ſi ea unica admittenda foret, cæteriſque omnibus adverſaretur: quod quam falſum ſit ex D. Thoma ſatis addiſcere potuerat. *Quintò*: Sed quod potiſſimùm quæritur, his clariſſimè ſuum ſenſum aperuit, ſcilicet *Ex redimentis animo, & ex oblatione & directione Chriſti*, non eſſe Chriſtum pro omnibus mortuum. Et quidem ut rectè advertit poſteaquam ex Eccleſia Lugdunenſi aliqua retuliſſet, quòd *Chriſtus ſe redemptionem dediſſe, vel propitiatorem eſſe pro omnibus referatur, plus aliquid dici quàm nudè pretium ſufficiens obtuliſſe, quod eis applicari uolit, illud enim indicat intentione morientis pretium pro illis oblatum eſſe*. At verò id certè negat Janſenius: cum tamen expreſſiſſimè ab Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. dictum ſit, *Chriſtum redemptionem ſemetipſum dediſſe pro omnibus*. Et verò quæ levior ratio eſſe poſſit, quam quod inquit aliquin inanem fuiſſe orationē Chriſti; quaſi etiam inanis petitio fuerit, qua ut à ſe calix tranſiret, à Patre in horto petierat.

Sed tandem in fine capitis ita concludit: *Quæ ſanè cùm in Auguſtini doctrina perſpicua certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur ... Ex quo factum eſt ut juxta ſanctiſſimum Doctorem, non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diaboli deprecatus ſit*. Ex quibus verbis ſimul cum his quæ habet initio capitis, ut ſupra retulimus, confecta eſt quinta propoſitio confixa.

Ex his quæ hactenùs ſumma fide ex Janſenio retulimus, quæ fuerit vera ipſius mens ſatis liquidò conſtare poteſt, & in quo error ſit poſitus: nimirum in eo quòd exiſtimaverit, Chriſtum *Animo redimendi* omnes, & æternam ſalutem omnibus conferendi minimè mortuum fuiſſe.

Atque eam fuiſſe Janſenii mentem magis poteſt intelligi ex duplici potiſſimum principio quo ſuam ſententiam ſtabilit. Primum, quod in Deo volnntatem Antecedentem negaverit, cui eſſet conformis Chriſti voluntas. Unde & initio capitis inter Maſſilienſium errores recenſet, quòd *Ex generali volūtate ſalutis omnium, vocationem quoque generalem ſufficiētemque omnibus gratiam derivarunt*. Ac in fine ejuſdem capitis inquit, quòd Ideò *Nunquam locum illum Apoſtolicum Deus vult omnes ſalvos fieri* (unde probatur Antecedens voluntas Dei (S. Auguſtinus *Ad omnes omninò homines extendi paſſus fuerit; ſed ſemper ita, quamquam per diverſas interpretationes, intelligendam eſſe contenderet, ut in ſolis prædeſtinatis effectum ſuum voluntas illa ſortiretur*. Nimirum hæc duo invicem connexa ſunt, Deum voluntate Antecedente velle ſalutem omninò; & Chriſtum voluntate conformi Divinæ voluntati, Divinoque conſilio ſemetipſum redemptionem pro omnibus obtuliſſe. Unde cùm primum negaſſet Janſenius, conſequens fuit, ut etiam alterum negaret.

Alierum Janſenii principium eſt, nullum eſſe auxilium ſufficiens præter ipſum efficax, neque ipſum efficax intelligendum eſſe unquam ut ſufficiens, & ex Divina voluntate ad ulteriorem finem ac ſalutem eſſe ordinatum. Unde circa medium §. *Ex quibus omnibus*, inquit: *quod omnibus illis pro quibus Sanguinem fudit* Chriſtus, quique æternam ſalutem conſequuntur, *etiam ſufficiens auxilium donat, quo non ſolum poſſint, ſed etiam reipſa velint, & faciant id quod ab eis volendum; & faciendum eſſe decrevit*. At vero pro his qui æternam ſalutem non conſequuntur, & in iniquitatibus moriuntur; *In tantum mortuus eſt, & in tantum propitiatio peccatorum eſt, & in tantùm rogavit Patrem, in quātum temporalibus quibuſdam Divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt*. Non negat enim Janſenius, quin ex meritis, & morte Chriſti auxilia Divina recipiant quotquot ad fidem perveniunt, vel charitate Divina exornati in ea non perſeverant; ſed negat, ea auxilia ad eorum ſalutem ordinari: quia nullum aliud in auxiliis munus agnoſcit, præter illnd unicum efficacis munus, quo actum efficiunt. Unde ut in fine capitis §. *Quæ ſanè* inquit *ſi quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam Juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum*: non autem pro æterna eorum ſalute. Hæc ſatis de mente Janſenii, ejuſque principiis.

Verùm quam à vero pietatis ſenſu hæc abhorreant, quam à genuina Sancti Auguſtini ſententia, & mente aliena ſint, facillimè demonſtrari poteſt: nec dubito quin etiam Sanctus Auguſtinus dixiſſet, *Non diſputationibus refellendos, ſed Sanctorum orationibus revocandos eſſe* qui ita ſentiunt cap. 2. de dono perſeverantiæ.

Ac in primis expreſsè inquit Apoſtolus 1. Timoth. 2. *Chriſtum ſeipſum dediſſe redemptionem pro omnibus*: quo loquendi modo ut fatentem Janſenium audivimus, ſignificatur ipſa voluntas redimendi: Ergo ex voluntate redimendi homines Chriſtum ſemetipsū pro omnibus redemptionem

obtulit. Sed plura ibidem addit Divus Paulus quæ egregiè expendit Sanctus Thomas, & prætermittenda non sunt. Inquit enim Apostolus, *Obsecro primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus ... hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Hoc omnia Divus Paulus, quæ ita explicat S. Thom. informat Apostolus Timotheum de his quæ pertinent ad cultum fidei, & vitæ Christianę officia, inter quæ præcipua est oratio: Docet autem orandum esse *Pro omnibus hominibus*; & hujus rationem affert, *Primò ex parte, & specie operis, hoc enim bonum est*: ad charitatem enim pertinet orare pro aliis. *Secundò ex parte ipsius Dei*; est enim etiam *acceptum cora Salvatore nostro Deo*. At verò id Deo esse acceptum probat Apostolus, inquit Sanctus Thomas quia *Deus vult omnes salvos fieri, & ad aguitionem veritatis venire*, quæ est salutis via.

Sed statim objici potest, inquit Divus Thomas, *Omnia quęcumque* Deus *voluit fecit: Ergo omnes salvat si velit omnes salvos fieri: si dicis quòd non, quia homo non vult; videtur inconveniens quòd Omnipotens impediatur per voluntatem non omnipotentem*: Hoc unicum fermè Jansenii argumentum, quia voluntas Divina est efficacissima, neque potest esse inanis oratio Christi. Verum Respondet Sanctus Thomas, etiam de *Voluntate beneplaciti*, & non solum de voluntate signi, quod observandum est, quatuor modis intelligi posse, Deum velle omnes salvos fieri. *Primò ut sit locutio causalis*: illud enim Deus dicitur facere, quod facit ut alii faciant; sicut *Spiritus Sanctus postulat*, quia postulare nos facit. Vult igitur Deus, quia efficit ut Sancti velint omnes salvos fieri: Et hanc explicationem desumpsit Sanctus Thomas ex Divo Augustino lib. de Correpț. cap. 15. *Potest*, inquit, *etiam sic intelligi quòd omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle* &c. *Secundò* intelligitur *ut sit distributio accommoda*: scilicet, ex his qui salvantur, neminem nisi ex voluntate Dei salvum fieri; sicut cùm in Civitate Schola aperta est, nemo nisi à Magistro docetur: Et ea explicatio à Divo Augustino accepta est, lib. de Prædestinatione SS. cap. 8. ubi ut illud Divus Augustinus explicet, *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me* subjicit: *Sicut ergo integrè loquimur, cùm de aliquo litterarum Magistro, qui in Civitate solus est, dicimus, omnes iste hic litteras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicumque litteras discit. Ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.* Ea explicatione eoque exemplo usus est Divus Thomas ut alterum ex Apostolo locum similem explicaret. *Tertiò* Intelligitur, inquit Divus Thomas, *ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum*: id est, nullum hominum genus, nullus status, nulla conditio excipitur. Et ea etiam à Sancto Augustino interpretatio accepta est in Enchirid. ad Laurent. cap. 103. Ubi cùm superiorem retulisset, hanc etiam refert, *Ut per omnes homines, omne genus humanũ intelligamus per quascumque temporũ differentias distributũ, Reges, privatos, nobiles, ignobiles &c. Quartò.* Verum post eam triplicem interpretationem, alteram addit Sanctus Thomas secundùm Damascenum, ut intelligatur *De voluntate antecedente non Consequente*; *Et exemplum est*, inquit *de mercatore*, qui vult equidem absolutè servare merces, sed ut conjunctæ sunt cum submersione maris, eas projicit: Sic enim inquit Sanctus Thomas, *Salus omnius hominum secundùm se considerata volita est, & hæc est voluntas Antecedens; sed si consideretur bonum justitiæ, & quòd peccata puniantur, non vult voluntate Consequente salvari omnes homines.*

Hæc Divus Thomas, ex quibus manifestum est, alteram præter superiores interpretationem minimè superioribus adversam esse, quam etsi iisdem terminis non expresserit Sanctus Augustinus; hujus tamen principiis omninò consentanea est, ut dicetur posteà. Vide Sanctum Thomam 1. par. quæst. 19. ar. 6. aliisque in locis ibidem in margine citatis.

Sed explicatis iis Apostoli verbis prosequitur Divus Thomas, & ita explicat quæ sequuntur. Cùm subiungit Apostolus: *Unus enim Dominus*, probat *per rationem* quod dixerat, Deum velle salutem omnium, *& sunt tres probationes, Prima Ex parte ipsius Dei. Unus enim Deus* creator omnium hominum. Enim verò an suarum manuum opera Deus projiciat? an velit tenerrima mater sùffocari pusionem quem nutrit? Quis artifex suum odit opus? Atque inde oritur ordo Divinæ providentiæ, *pusillum* enim, *& magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus*, Sapient. 6. hinc tenerrimæ illæ, & toties repetitæ objurgationes, querelæ, exhortationes in Prophetis. Hinc Philo observat Deum in singulari semper locutum, cùm legem populo daret: ut significaret non minus illi de uno quàm de omnibus curam esse, atque unicum etiam instar totius multitudinis illi esse. Quod etiam à Divo Augustino dictum est lib. 2. Confess. cap. 11. *O Tu bone Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, tanquàm solum cures, & sic omnes tanquàm singulos.*

Secunda: Probatio est, inquit Divus Thomas ex parte ipsius Christi, *Unus enim mediator Dei, & hominum*: nec verò mediator quorundam, sed omnium quorum caput est, quorum causam agit, quorum Judex futurus est, & quorum salutem ita deperit, ut sibi de passione sua gratulandum esse voluerit Luc. 15. *Congratulamini mihi omnes quia inveni drachmam quam perdideram.* Ut enim explicat Sanctus Thomas Opusc. 63. in fine, *Drachmæ invẽtio fuit totius humani generis per passionẽ recuperatio. Et notabile est quod etiam omnes Angelos cõvocat ad congratulãdum nõ drachmã, non ho-*

homini, ſed ſibi; quaſi homo Dei Deus eſſet, & tota ſalus Divina ex ipſius invētione dependeret, & quaſi ſine ipſo beatus eſſe non poſſet. Hæc ſinceriſſima Chriſti de omnium ſalute voluntas, hoc vehementiſſimum deſiderium, hæc ardentiſſima ſitis de qua tot apud SS. Patres, & apud D. Thomam in Joan. Sed demùm cùm Divus Paulus ſuperioribus addit: *Cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt, Tertiam* probationem ſubjicit, inquit Sanctus Thomas. Poſtquam enim Apoſtolus probavit, Deum velle omnes ſalvos fieri. *Ex parte Dei qui eſt unus omnium, & ex parte Chriſti qui eſt mediator omnium; idem probat ex parte teſtimonii*: hujus enim rei *temporibus ſuis quibus prædeterminatum erat fieri*; infinita hujus ſinceriſſimæ voluntatis Deus ab initio mundi, argumenta exhibuit. Atquè in ipſis voluminibus temporum, & elementorum paginis, hujus Divinæ ſuæ providentiæ, & ſui erga homines amoris argumenta inſcripſit, de quo Sanctus Proſper lib. 2. de Vocat. cap. 15. & ſeqq. Ex quibus omnibus concludit Divus Thomas ibidem lect. 1. in fine, Chriſtum eſſe mediatorem, & propitiatorem pro peccatis omnium, *Pro aliquibus efficaciter, pro omnibus ſufficienter, quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium, ſed non habet efficaciam niſi in electis propter impedimentum mundanorum.*

Quibus omninò conſentanea ſunt quæ definit Tridentinum Seſs. 6. cap. 7. *Etſi ille* (Chriſtus ſcilicet) *pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Quibus omnibus præiverat Apoſtolus, cum inquit, *Chriſtum eſſe Salvatorem omnium, maximè autem fidelium.* Hæc enim ſignificant, ad omnes quidem Salvatoris beneficia ſufficientia pertinere; ad fideles verò, & Electos præcipua, & efficacia etiam derivari.

Addi iterum ex D. Paulo plura argumenta poſſunt. Ad Rom. 14. inquit de nullo unquam judicandum eſſe: quid enim, inquit, ad te attinet de alieno ſervo judicare? Domino ſuo ſtat aut cadit: At omnes Chriſti Domini ſumus, *Quia in hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit ut vivorum, & mortuorum dominetur*: Atqui certum eſt Dominium Chriſti ad omnes omninò extendi. Ergo & pro omnibus omninò mortuus eſt: Sanguine enim ſuo nos emit, ſuumque in nos Dominium acquiſivit. Ac deinde probat Apoſtolus, cavendum eſſe ne ciborum diſcretio cuiquam offendiculo ſit, *Noli*, inquit, *cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Cui loco alterum ibidem Lect. 2. jungit Divus Thomas ex 1. ad Cor. 8. 11. *Et peribit infirmus in tua ſcientia frater propter quem Chriſtus mortuus eſt*: Atqui inde potiſſimùm apertè colligitur, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus, & *Animo redimendi*, & voluntate conferendi æternam ſalutem, & non ſolùm temporalia quædam beneficia. Etenim quem ſenſum haberet hæc D. Pauli objurgatio, *Peribit infirmus in tua ſcientia frater propter quē Chriſtus mortuus eſt, non tamen animo redimendi aut æternam ſalutem conferendi.* Parùm dubio procul hæc objurgatio ſublime D. Pauli ingenium deceret, abſurdum enim planè ſenſum efficeret.

Quod verò ad Divum Auguſtinum attinet, certum eſt nunquam de ea ſinceriſſima Dei, & Chriſti Domini voluntate de ſalute omnium dubitaſſe: & quæ ſuprà retulimus ex 1. Tract. in Joan. id ſatis manifeſtant, ubi Chriſtum Servatorem cum Sole confert: quam etiam comparationem uſurpat Divus Ambroſius in Pſal. 118. Serm. 8. ad ea verba, *Miſericordia tua Domine plena eſt terra*; *Quomodo* enim, inquit, *miſericordia Domini plena eſt terra, niſi per Paſſionem Domini Noſtri Jeſu Chriſti &c. Super omnes ſol oriri jubetur ... Myſticus autem Sol ille juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt ... Si quis autem non credit in Chriſtum generali beneficio ipſe ſe fraudat, ut ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat &c.* Atque ibidem plura: inter quæ etiam quærit, qua ratione non dictum eſt, *Miſericordia Domini plenum eſt cælum*: & Reſpondet, *quia ſunt ſpirituales nequitiæ in cæleſtibus, ſed non illæ ad commune jus indulgentiæ, remiſſionemque pertinent peccatorum.* Quibus etiam ſatis colligi poteſt, quàm abſurdè à Janſenio dictum ſit, non magis pro infidelibus quàm pro Dæmonibus, Chriſtum moruum fuiſſe.

Sed expreſſiora loca ſunt, in quibus Sanctus Auguſtinus inquit, à multis beneficium mortis Chriſti quod ad ipſos pertinebat amitti: & ſerm. 67. feria 2. poſt Dominicam 1. Quadrageſimæ de extremo Judicio cogitando: Ubi Chriſtum inducit, qui *Severitate Judicis contemptæ miſericordiæ reos accuſat*: ubi inter plurima inquit, *Ut tu eripereris morti, animam in tormentis demiſi: en clavorum veſtigia, quibus affixus pependi: en perfoſſum vulneribus latus; ſuſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem; ſuſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres; conditus jacui in ſepulchro, ut tu regnares in Cælo: cur quod pro te pertuli perdidiſti? cur ingrate redemptionis tuæ munera renuiſti?* &c.

Atq; ejuſmodi plurima apud SS. Patres reperire eſt; à quibus obſervatum eſt à Chriſto Domino vulnerum veſtigia ſervata fuiſſe quę abolere potuerat, ut in judicio ingratos homines, & tanto beneficio indignos objurgaret. Unde S. Auguſtinus iterum lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 8. ubi de adventu Chriſti ad judicium, & facta ea obſervatione innuit, Chriſtum ita objurgaturum impios: *Ecce hominem quem crucifixiſtis, ecce Deum, & hominē in quem credere noluiſtis: videte vulnera quæ inflixiſtis; agnoſcite latus quod pupugiſtis; quoniam, & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.* Et notat Sanctus Thomas in Matthæum, ideò futurum ultimum judicium in valle Joſaphat vicina monti Calvariæ, ut vel ipſum etiam locum poſſit oſtendere Chriſtus, in quo pro his quos judicabit ſanguinem fuderat.

Adde quòd ſicut ſupremum in omnes creaturas Dominium ſua morte acquiſivit, ut diximus ſuprà, ideoque & principatus ejus ſuper humerum

rum ejus, & gustata, ut Divus Paulus loquitur, morte, summa scilicet suavitate percepta propter fructus inde nascituros, dixit datam sibi omnem potestatem; eaque ratione *Princeps admirabilis* dictus est, ut observat Sanctus Thomas, quòd admiratione dignissimum sit, ut explicat lib. 3. de Regimine Principum cap. 13. & sequentibus, ex summa humilitate indigentia, & morte dominium oriri: etiam & judicandi potestatem sua morte sibi comparavit. Unde Sanctus Augustinus in psalmum 95, ad ea verba, *Judicabit orbem terrarum in æquitate. Non partem*, inquit, *quia non partem emit; totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*. Novus enim Adam veteris Adæ dominium, & potestatem in universum orbem suscepit. Unde Adam etiam suo ipso nomine, & quatuor litteris, quibus ipsum nomen componitur, quatuor orbis partes complectitur, ut pia, & ad captum populi accõmodata meditatione explicat ibi Divus Augustinus. Nam alioquin Hebraico nomini Adam hæc meditatio adaptari non posset, cùm eæ dictiones quæ orientem, & alias mundi partes significant, non inchoentur ab his litteris quibus constat nomen Adam, ut contingit in græco.

Ad Sanctum Thomam quod attinet jam satis multa diximus. Videri etiam potest 3. par. ubi de Passione Christi, potissimùm quæst. 49. de Passionis ipsius effectibus, & in 3. distinct. 20. quæst. 1. art. 1. Utrùm humana natura fuerit reparanda: ubi quæst. 1. ad 2. *Ita*, inquit, *Quod omnes homines non reparentur, non est ex insufficientia medicinæ reparantis, cum sit sufficiens quantùm in se est ad reparandum omnes, qui naturã humanam habent, aut habere possunt: sed ex defectu eorum qui reparationis effectum in se impediunt*. Quo pacto autem sufficiens medicina esse possit, si neque applicetur, neque etiam offeratur.

Hæc satis superque sufficiunt: sed tamen hic in fine observari velim quod à Jansenio dictum est in fine vigesimi, & ultimi capituli lib. 3. ex quo multa desumpsimus; utrumque enim principium quòd advertimus suprà ipse repetit. *Illa extensio*, inquit, *tam vaga*, scilicet Passionis Christi, *modernorum Scriptorum non alio ex capite quàm ex ista generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit*. Ac deinde subjungit. *Quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & Antiqua Ecclesia velut Machinam à Semipelagianis introductam repudiavit*. Mirum sanè. An non etiam Divum Prosperum, cùm eam eandem ipsam de qua agimus quæstionem versat, & Christi Passionis virtutem, & sufficientiam, ad omne humanum genus extendit, ut suprà retulimus, ipse Jansenius hoc eodem capite tanquam Divi Augustini mentem minus assecutum repudiavit? Qua ratione igitur huc Divum Prosperum invitum advocat, & eam extensionem nedùm à Divo Augustino, sed etiam à Divo Prospero rejectam fuisse inquit? Hæc scilicet Jansenii Fides, ac in dictis constantia: quam advertì necesse est, ut nemo putet Jansenio injuriam fieri, si aliquando dictum sit, malè ab ipso suum systema compactum fuisse, ipsique sæpius scribenti ardore arrepto, ea, quæ jam præmiserat, è memoria excidisse.

ARTCULUS IX.

Solvitur quorundã objectio mutatam esse à Thomistis Sententiam, & condemnatione Jansenii inutilia effecta esse argumenta quæ anteà usurpaverant.

INter modos, quibus Thomistarum sententia à consensione cum Jansenio defendi solet, ille frequentissimè usurpatur, quod Thomistæ constituant, Divina motione dumtaxat applicari potentiam, nullam autem quocumque modo virtutem voluntati conferri; sed ipsam voluntatem in ratione potentiæ ex solo sufficienti auxilio esse completissimam; adeò ut nulla omninò, & quomodocumque nova virtus voluntati ex efficaci auxilio accedat, sed sola applicatio. Hæc equidem verissima defensio est si rectè intelligatur: Sed inde alii novum argumentum conficiunt, ut nostram sententiam impugnent.

Objicitur igitur Thomistas recessisse à sua antiqua, & avita sententia, atque ea arma omnia quibus anteà pugnaverant, Jansenii condemnatione inutilia effecta esse. Inutile enim est inquiunt, quod olim ex Sancto Augustino toties Thomistæ jactabant, efficaci auxilio conferri *efficacissimas vires* voluntati; meliùs non sentiunt, & nullas conferri posse tandem perviderunt: quia si nova virtus voluntati ex Divino efficaci auxilio accederet, non esset completa omninò potentia ex sufficienti auxilio, quod post damnatum Jansenium, licet olim Thomistę defenderint, modo ut non satis tutum abjiciunt. Inutile est iterum, inquiunt, & illud ex Sancto Thoma desumptum: quòd Divina motio est instar virtutis artis, & ut explicabant alii, quòd est motus virtuosus. Quin etiam inutilia sunt ea omnia principia quæ ex eodem Divo Thoma se desumpsisse Thomistæ putabant, superaddendam esse potentiæ virtutem ad attingendam rationem entis, rationem actualitas, & rationem existentiæ quæ in actu secundo reperiuntur, Inutilia sunt ac falsa hæc omnia principia, cùm rebus tandem meliùs perspectis Thomistæ animadverterint, efficaci auxilio nullam voluntati conferri virtutem: ex quo quid non colligi possit ad evertendam prædeterminantem gratiam? Verùm

Respondeo sententiam à nobis mutatam non esse, sed fortè à nonnullis hactenus non bene intellectam. Fatemur siquidem modò, sicut & antea fatebamur sufficienti adxilio completissimam

esse

eſſe potentiam in ratione potentiæ veluti ſolitariæ, & ut ab actu ſecundo ſejungitur; neceſſe enim eſt ut etiam cùm voluntas non agit, reipsà poſſit, & verè poſſit agere, quantùm attinet, ad ea omnia quæ potentiam etiam quando non agit complent: atque in hoc ſenſu dicimus, ſicut & ſemper diximus, efficax gratiæ auxilium non eſſe aliquam virtutem additam potentiæ; nempè, quæ eam compleat in actu primo ſive in ratione principii potentialis, ſeu in ratione potentiæ ab actu ſecundo ſejunctæ, quæ omnia idem ſignificant. At verò quòd ipſa efficax gratia ſeu auxilium quod reipſa confertur, & veluti adæquatè ſumptum ſit aliqua virtus addita potentiæ, ideſt vigor, & quæ potentiam cum actu ſecundo conjungat, neque negavimus nec negamus? Licet fortè eodem modo non omnes explicent: unde aliud ſentire exiſtimati ſunt.

Et ſanè adeò res ipſa in S. Thoma mihi comperta eſt, ut de ea dubitare nulla ratione poſſim. Et ut quædam ex ſuperioribus colligam.

In primis Divina motione virtutem conferri, aut etiam eſſe ipſam virtutem cauſis ſecundis collatam probat Sanctus Thomas quæſt. 3. de Potent. art. 7. Quatuor enim modis, inquit, Deus dicitur eſſe cauſa agendi. *Primò*: quia virtutem nativam agendi, ſeu vim activam contulit; *Secundò* quia eam conſervat: *Tertiò*: quia eam applicat; *Quartò*: quia vim confert ad attingendam rationem entis, & actualitatem quæ in actu. Igitur & quartum modum à tertio ſejunctum Divus Thomas admittit. Deus equidem eſt cauſa agendi cauſis omnibus quia eas applicat; atque in eo modo explicando quidam immorantur, quòd impugnandæ Adverſæ ſententiæ ſatis ſit; non enim ex uno ſolùm capite ambæ ſententiæ ſibi adverſantur: Atque huic adnectunt, quod habet Divus Thomas 1. 2. quæſt. 80. art. 1. quod *Aliquis eſt directè cauſa alicujus actus per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum*. Sed præterea addit alterum, & quartum modum Sanctus Thomas, quo Deua eſt cauſa agendi, quia vim confert, qua cauſa ſecunda proprium cauſæ primæ effectum attingat, de quo alibi plura.

Secundò: Sed præterea idem Sanctus Thomas 3. cont. Gent. cap. 66. ubi reſolvit, *Quòd nihil dat eſſe niſi in quantùm agit virtute Divina*: Num. 4. expreſsè habet: quòd *Ultimum in bonitate, & perfectione inter ea in quæ poteſt agens ſecundum, eſt illud in quod poteſt ex virtute agentis primi: nam complementum virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi: quod autem eſt in omnibus agẽtibus perfectiſſimum; eſt eſſe*. Atque inde ſumpta eſt communis hæc ratio, quòd antequam agens agat, neceſſe eſt ut conſtituatur in ratione principii activi, & effectivi in actu ſecundo; quia actio non oritur niſi à principio effectivo jam in actu ſecundo conſtituto. Non enim oritur à principio ſolùm potentiali, & in actu primo conſtituto: quia nihil producit aliquid ſeipſo perfectius, neque potentiale ut potentiale producit actum; nam imperfectum non continet actum perfectum: *Nihilque dat quod non habet*, quo interdùm principio uſus eſt Sanctus Auguſtinus in Pſal. 61. At verò principium non conſtituitur in ratione principii effectivi per ipſam actionem, quam producit, ita enim conſtituitur in ratione principii formalis: neceſſe igitur eſt addi virtutem aliquam quæ conſtituat agens in ratione principii effectivi, & quæ contineat actualitatem actus, & cujus vi ratio entis producatur; Et verò quo pacto intelligi poſſit conſtitui in ratione principii effectivi, niſi addatur vis aliqua activa, & effectrix, & quæ ad rationem lineamque principii pertineat? Atqui ea virtus non alia eſſe poteſt præter Divinam motionem, quæ ideò eſt *Complementum virtutis* agentis ſecundi, ad producendum illud *In quod ultimò poteſt agens*, & quod eſt *perfectiſsimum in bonitate, & perfectione*, ſcilicet actus ſecundus, in quo eſt, & ratio actualitatis, & ratio exiſtentiæ &c. Igitur Divina motio eſt aliqua virtus ſuperaddita cauſis ſecundis, ex principiis Sancti Thomæ.

Tertiò iterum Sanctus Thomas expreſsè docuit quæſt. 3. de Potent. art. 7. ad 7. *Quòd virtus naturalis quę eſt rebus naturalibus inſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens quoddam eſſe incompletum, per modũ quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento Artificis*.

At verò quod de Divina motione dictum eſt eadem ratione eſt etiam de gratia efficaci dicendum. Quia ſicut motio ſupponit virtutem activam. quæ *ſufficit*, ſive eſt ſufficiens *Ad agendum in ordine ſuo*, ibidem quæſt. 3. de Potent. artic. 7. ad 1. ita efficax gratia ſupponit voluntatem conſtitutam per auxilium ſufficiens, quod etiam ſufficit in ordine ſuo, ſcilicet per modum principii in actu primo conſtituti: & tamen præter virtutem activam cauſæ requiritur motio Divina ad conſtituendum principium effectivum in actu ſecundo: Ergo etiam præter ſufficiens auxilium requiritur efficax, quod addat virtutem ſuperadditam, aut veriùs quod ſit ipſa virtus ſuperaddita, ideſt vis quædam, & actualitas, quæ conſtituat principium effectivum in actu ſecundo. Et quidem quantumvis ſupponatur auxilium ſufficiens: eo tamen non conſtituitur completurque potentia, niſi in ratione principii in actu primo, quodque adhuc principium potentiale eſt: ſupereſt igitur addenda aliqua virtus, quæ principium in actu ſecundo effectivum conſtituat: & cùm imperfectum ſe ſolo non poſſit producere perfectum niſi nova virtus accedat, & cùm ratio potentiæ, vel actus primi ſe ſola non contineat actualitatem actus ſecundi; neceſſe eſt ſuperaddi virtutem ad attingendam rationem actualitatis, exiſtentiæ, entis &c. Quæ omnes rationes Metaphyſicæ æquè locum habent in ordine ſupernaturali &c. Ergo &c.

Quartò. Et verò ſi ſuperiora recolantur, ubi

de

de vera Divinæ motionis notione egimus : fieri non potest, quin etiam sit virtus aliqua superaddita, in sensu explicato, etiam si sola applicatio esse dicatur. Neque enim existimandum est motionem esse formam aliquam, aut voluntati, aut causis superadditam, ut plurimi extra S. Thomæ Scholam existimare videntur : non aliud est quàm ipsa applicatio passiva, ipse usus causæ secundæ ; qua Deus veluti instrumento utitur, quam movet, quam applicat : unde ea motio eaque applicatio ut est à Deo, est ipsa *Virtus artis*, ut eam vocat Divus Thomas, seu ipsa virtus superaddita, eo modo quo superaddi potest ; eoque planè modo, quo in instrumentis ea virtus quæ à causa principali confertur, non aliud est quàm ipsa applicatio passiva, ipse usus, aut ipse motus impressus, qui per modum intentionis ipsam artis virtutem involvit. Unde licet ratione hæc duo distingui possint, & virtus, & applicatio : reipsa tamen nunquam possunt sejungi ; cùm aliter fieri non possit, quin ipsa applicatio ut est à Deo virtutem involvat, ut in instrumentis artis omninò compertum est.

Idem verò intelligendum esse de efficaci auxilio : & inde suaderi facilè potest, quòd in ordine etiam supernaturali vix alio quàm motionis nomine Divus Thomas Divinum auxilium nuncupare soleat. *Per charitatem*, inquit, *Spiritus Sanctus in nobis habitat: possumus ergo considerare charitatem ex parte Spiritus Sancti moventis. Animam &c.* 2. 2. quæst. 24. artic. 11. & alia ejusmodi propemodùm infinita, quæ referre promptissimum esset. Atque eo pacto etiam Divus Augustinus intelligit : *Apprehendisti animam meam. Quid est anima nostra, nisi Deus illam teneat... utatur de ea quemamodùm vult* in Psal. 74. *Potens est Deus à malo in bonum flectere voluntates*. Lib. de bon. persever. cap. 6. *Non defuisse Deo modum vocandi quo etiam Esau ad eam Fidem mentem applicaret voluntatemque conjungeret*, lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. Et commune illud est D. Bernardi lib. de Grat. & libero arbitrio, *Voluntatem applicat operi*. Et demum ut illud minimum obtineat, nemo negaverit hæc omnia quæ mox retulimus, cum simplicissimæ motionis notione, ut eam hactenus, & totius operis decursu explicuimus, quàm facillmè conjungi posse. Quòd si quis aliter eam applicationem intelligere, & explicare voluerit non traham contentiosum funem : plurima enim sunt in quibus unicuique in suo sensu abundare licet, cùm ut inquit D. Augustinus lib. 2. de Bapt. cont. Donat. cap. 4. *Propter inveniendi difficultatē diversas pariunt in fraterna disceptatione sētentias*: tum enim *salvis inter se amicitiis*, ut inquit D. Hier. Apol. contra Rufin. c. 1. omnibus suam sententiam defendere integrum esse debet.

Quintò. Probatur iterum, efficaci gratia conferri voluntati virtutem agendi, quia ex S. Augustino efficax gratia voluntati confert *Vires efficacissimas* : Primo confert virtutem aliquam non quidem constituentem principium in actu primo, & operativum in potentia, sed principium actuale in actu secundo.

Sextò : prætereà quod ita expressè docet sapientissimus Lemos tom. 4. parte 2. tractat. 42. cap. 11. pag. 122. his verbis : *Divinæ gratiæ efficax auxilium tria efficit, ideſt potentiam reducit in actum primum ad agendum eam ultimatè complendo* 2. *ipsam sic ultimatè completam applicat ad operandum* 3. *cum illa operationem efficit..... Auxilium verò sufficiens solùm dat sufficientes..... vires ad operandum : non reducit ergo potentiam in actum primum completè & ultimatè ad operandum... Si auxilium sufficiens... tribueret potentiæ ultimum complementum, ipsam reducendo in actum primum ultimatè ad agendum, ageret sine dubio de facto ; Unde ageret per auxilium sufficiens, nec requireretur efficax*. Ac deinde n. 136. *Sequitur*, inquit, *Secundò. Quod efficax auxilium non solùm habet applicare potentiam affectam auxilio sufficiente ad agendum, ut quidam alii arbitrantur ; sed illam prioritate rationis primò complet, in actum primum ultimate reducendo: complet inquam, primò dando vires efficacissimas ad agendum, ut S. Pater Augustinus docet ; Unde hoc efficaci auxilio nullo modò negandum est: dando autem has efficacissimas vires animæ, ipsam ultimatè complet ad agendum : dando hujusmodi vires, illam efficaciter ad agendum applicat, & simul cum illa operationem producit*. Videndus & legendus est integer locus P. Lemos. Quamvis hæc satis superque sint, ut compertum fiat judice P. Lemos, Divino efficaci auxilio conferri virtutem aliquam superadditam voluntati: Advertendum tamen circa verba adducta ex Lemos, dum ait auxilium efficax reducere potentiam in actum primum ad agendum ; nomine actus primi non intelligere nisi vigorem, & actualitatem præviam ad operationem ; non quod constituat potentiam in actu potentiæ seu in ratione principii potentialis, cum sæpissimè idem Lemos doceat auxilio sufficiēti constitui potentiam proximam, & completam in ratione potentiæ antecedenter ad auxilium efficax, quod dat posse ; sed efficax auxilium posse ipsum conjungit cum operatione.

Dices. Si auxilium efficax confert virtutem agendi, immò & virtus ipsa est : Ergo cui deest auxilium efficax deest aliqua virtus, & non sola applicatio, cujus oppositum docent Recentiores Thomistæ.

Respondeo primò ex doctrina Salmanticensium dis. 7. de Gratia efficaci du. 6. negando Consequentiam : quia licet auxilium efficax quoties confertur sit virtus simul & applicatio, quia & complet potentiam in ordine ad attingendum actualitatem, existentiam, & gradum entis in operatione, & simul cum ipsa operatione eam conjungit, tamen primum habet in quantum est eminenrer auxilium sufficiens, secundum in quantum efficax distinctum à sufficienti. Quando enim Deus efficaciter vult aliquem cōvertere, aut aliter bene operari non dat illi duo auxilia realiter distincta, quorum alterum sit virtus ad attingendum actualitatem, existentiam, & gradum entis operationis, alterum

tum applicatio, ſed ſicut inſtrumento una & eadem motio, qua movetur à principali agente, eſt virtus ad attingendum effectum proprium principalis agentis,& applicatio,ita eadem Divina præmotio, eſt virtus elevativa, & completiva cauſæ ſecundæ ad attingendum eas perfectiones in ſuo effectu, quas ſua propria virtute permanenti attingere nequit, & ſimul applicatio ad actu operandum, atque adeo & aliquo modo auxilium ſufficiens, & efficax. Cæterum quando quis non convertitur, ſeu non bene operatur dat illi Deus auxilium mere ſufficiens habens totum, quod requiritur per modum virtutis continentis actualitatem, & exiſtentiam operationis, non verò proprium munus auxilii efficacis, in quo à ſufficienti diſtinguitur. Atque adeo non ſequitur eum, qui caret auxilio efficaci carere aliquo requiſito per modum virtutis, ſed ſolum per modum applicationis.

Hæc reſponſio & optima, & juxta illam compertiſſimum,eſt diſcrimen inter ſententiam Scholæ D. Thomæ, & Janſenii eamque amplectuntur frequenter Thomiſtæ:ſalvat prætereà hæc reſponſio tum illud Auguſtini: Deus præbet per auxilium efficax vires efficaciſſimas voluntati, tum authoritates S. Thomæ ſuperius adductas; adeò ut nullatenus Thomiſtis jure opponi poſſit, quod antiqua arma, quibus utebantur projecerint. Verum quia ea reſponſio non eſt neceſſaria, ut à nonnullis videtur ad amovendam à doctrina de gratia per ſe efficaci,prout in nostra Schola defenditur, omnem Janſeniſmi ſuſpicionem.

Reſpondeo ſecundò juxtà alium explicandi modum, quem libentiùs amplector, & quem ut arbitror clarè ſuperius explicui diſtinctione duplicis principii effectivi in actu primo, & in actu ſecundo: Concedendo ſcilicet, eum qui caret auxilio efficaci, & habet tantum ſufficiens, carere aliquo requiſito per modum virtutis, ſed per modum virtutis conſtituentis principium actuale in actu ſecundo, non verò per modum virtutis requiſitæ in ratione principii in actu primo: ſufficienti enim auxilio conſtituitur effectivum principium in actu primo,illudque & actualitatem, & exiſtentiam operationis quidem continet, ſed in actu primo, ideſt in potentia, completa, & completiſſima in ratione potentiæ; cum actus primus, ſi cum actu ſecundo comparetur, habeat rationem potentiæ; & major eſſe videatur actualitas principii effectivi in actu ſecundo etiam in ratione principii, adeoque majorem habere debeat actualitatem, & vim agendi. Unde efficaci auxilio conſtituitur principium effectivum in actu ſecundo, quod continet eodem modo ideſt per modum principii effectivi in actu ſecundo actualitatem operationis, & exiſtentiæ, ac ſemper cum ipſa operatione conjungitur: neque enim principium effectivum in actu ſecundo ſejungi unquam poteſt ab ipſa operatione: atque ea ratione, actuali magis modo perfectionem omnem operationis continere poteſt, quàm principium in actu primo conſtitutum quod ab ipſa operatione ſejungitur: ea enim vel ipſa ratione, quòd ſejungitur, non poteſt eam niſi in actu primo ideſt per modum potentiæ continere.

Juxta hunc modum explicandi intelligo quamplures Thomiſtas, qui abſolutè negare videntur auxilio efficaci ſuperaddi potentiæ virtutem, & ſolum dicunt addere applicationem, eumque, qui caret efficaci auxilio nulla virtute carere, ſed tantum applicatione: intelligo enim eſſe dictū de virtute per modum principii effectivi in actu primo, non verò per modum principii effectivi in actu ſecundo. Virtus enim frequenter ſumitur pro actu primo. Sed ut ut ſit de hoc, ſi aliqua inter Thomiſtas in hac re diverſitas ſit, illa & parvi momenti eſt, & quæ præcipuum controverſiæ caput non attingit. Plures ſunt quidem explicandi modi ut patet ex dictis, quo pacto auxilium efficax quoties coufertur addit vires efficaciſſimas voluntati; atque cauſa ſecunda dicitur virtute Dei moventis operari,cujus motio, ut loquitur S. Thomas recipitur in cauſa ſecunda eo modo, quo virtus artis recipitur in inſtrumento artificis. Sed in his, aliiſque hujuſmodi quæ neque repugnant fidei, neque conſtituta communia principia evertunt dicendum quòd à D. Auguſtino Ep. 107. ad Vitalem ſcripta dictum eſt.

Quærat quiſque,ut potuerit,& ſi invenerit præter hanc, quæ à me reddita eſt aliam probabilem rationem à recta fidei regula non recedens teneat eam,& ego cum illo,ſi me non latuerit: verumtamē in quod pervenimus,in eo ambulemus,donec nobis Deus revelet, quod aliter ſapiamus, ſicut Apoſtolicis litteris admonemur. In his enim licet utique in ſuo ſenſu abundare, & cuilibet integrum eſſe debet, quod probabilius videtur eligere, ab aliiſque etiam ſalvis tamen amicitiis, ut inquit D. Hieronymus, interdum diſſentire. Sed

Dices, quo pacto iſta jungi poſſunt, completiſſimam eſſe potentiam ex ſolo ſufficienti auxilio, prout ſuperius dictum eſt, & tamen ad reipſa agendum requiri virtutem ſuperadditam.

Sed reponam ipſe ſtatim, quo pacto intelligi poteſt, perfectiſſimam in ſuo ordine eſſe in Deo voluntatem Antecedentem, ex qua auxilia ſufficientia veluti profluunt; & tamen nunquam operationem fieri niſi veluti accedat Conſequens voluntas? Non admodum ſanè laborandum eſt ut iſta conjungantur. Ita neceſſe eſt niſi craſſum Megarienſium errorem de quo ſupra dictum eſt revocemus. Neceſſe enim eſt, completiſſimam eſſe potentiam ſecundùm ſe, & ut actum prævenit, ab eoque ſejungitur. Ita verò per ſufficiens auxilium completur. At verò virtus ſuperaddita non complet potentiam ſecundùm ſe, & ut intra potentiæ limites ſiſtit, ſed eam complet ut cum actu conjungitur.

Atque ut hæc explicentur magis, ſuperioribus addi poteſt: Certum eſſe, quòd proprium efficacis auxilii, ut diſtinguitur à ſufficiente munus eſt, ut applicet dumtaxat potentiam: convenit enim cum ſufficiente in ea communi

ra-

ratione auxilii, & adjutorii, quòd juvet potentiam ipsique virtutem conferat. Unde cùm de efficaci auxilio agitur, ut efficax est, & ut à sufficiente distinguitur, rectè dicitur non conferri virtutem aliquam ab efficaci auxilio; ea enim ratione non distinguitur à sufficiente, sed convenit. At verò distinguitur, quòd sufficiens propriè constituat actum primum secundùm se, & correspondeat virtuti activæ naturalis causæ: efficax verò auxilium quamvis conferat potentiæ virtutem aliquam; ea tamen virtus non constituat, aut compleat actum primum secundùm se, sed ipsum compleat ut conjungitur cum actu secundo. Unde & auxilium efficax, ac motio Divina propriè pertinet ad actum secundum dumtaxat non ad actum primum; constituit enim principium effectivum in actu secundo: Atque ideò non immeritò à multis dicitur, imò ab omnibus dicendum est, motionem Divinam non pertinere ad actum primum, sed ad actum secundum, & supponere actum primum seu potentiam in ratione potentiæ completissimam. Necesse enim est ut voluntas antequam agat, agere possit, quia obligatio agendi fundatur in ipsa potentia, non in actu, ut dictum est sæpe. Unde necesse est, ut potentia etiam ab actu sejuncta omninò completa sit, quod munus est sufficientis auxilii: quod tamen minimè impedit quominus alterum complementum accedat quo potentia in actu secundo effectivo constituitur.

Ex quibus constat in hoc Thomistico concentu omnium voces etsi diversas, mirum in modum in eo saltem, quod præcipuum est in hac causa consentire, & S. Thomæ Discipulos veluti micantes Plejades in hoc mystico signo Tauri, scilicet D. Thoma coniungi. Junguntur enim in signo Tauri Plejades, & interprete D. Gregorio in Job. cap. 38. lib. 29. cap. 28. non aliud quàm Doctores Sanctos denunciat, *Qui inter præsentis vitæ tenebras septiformis Spiritus gratiæ nos lumine illustrant; quique juxta aliquid sibi conjuncti sunt, & juxta aliquid disjuncti*; de quo alibi à nobis plura dicta sunt: ut vere à S. Thoma dici possit, dum micantes in suaSchola Plejades jungit, Ego *Unus omnia impleo, atque in unitate sensus* omnium *mētes implēdo conjungo*. Sed iterum.

Dices, si hic potissimum explicandi modus usurpetur scilicet auxilium efficax conferre vim superadditam, tum eam sententiam incidere in errorem sensumque Jansenii: si enim efficax auxilium vires aliquas conferret. Ergo dici etiam poterit, cum adest sufficiens auxilium Divina præcepta esse impossibilia: quia deerit aliquid ex parte potentiæ, seu ex parte actus primi, scilicet illa virtus illudque complementum. Unde nondùm satis ea sententia à Jansenii erroribus recedit: & hoc unum ad amovendam suspicionem omnem, affirmandum Thomistis superest scilicet efficaci Dei auxilio solùm applicari potentiam nullo autem modo compleri, aut ipsi vires ullas conferri.

Respondeo: nos minimè vana illa Jansenismi accusatione terreri, ut terreri solent multi, à quibus nec Jansenius unquam forsitan visus est. Et quidem jam expressè negatum est efficax auxilium pertinere ad actum primum: pertinet enim ad actum secundum. Sed præterea.

Etsi jam plura discrimina quæ nos amplissimo vallo, quodque nullo unquam saltu superari poterit sejungunt, satis suprà explicata fuerint, ita tamen *brevi synopsi ob oculos poni possunt*. Etenim *Primò*: Negat Jansenius, ullam esse verè sufficientem gratiam, quam etiam monstrum vocat, lib. 3. de gratia Salv. cap. 3. *Secundò*: Negat, ullam esse gratiam sufficientem ex Dei intentione, & ordinatione, quia negat antecedentem Dei voluntatem extendi ad statum naturæ lapsæ: tom 3. lib. 3. cap. 20. Unde distinctionem Divinæ voluntatis antecedentis, & consequentis ita explicat, ut antecedens pertinuerit ad statum innocentiæ, consequens autem ad statum naturæ lapsæ: ideoque in statu naturæ innocentis, fuisse solum auxilia sufficientia, in statu autem naturæ lapsæ, solum efficacia. Ibid. *Tertiò*: Negat gratiam ullam esse verè sufficientem nisi simul sit efficax; quia, ut putat, nulla verè sufficere dici potest, si præter illam alia requiratur: Tom. 2. lib. 3. cap. 7. *Quartò* Negat, quòd ideò Deus deserat hominem, quia prius ab homine deseritur. Et quod à Tridentino Concilio dicitur, Deum non deserere hominem, nisi prius ab hominibus deseratur, explicat quantum ad habitualem gratiam, non quantum ad actualem, Tom. 3 lib. 3. cap. 19. *Quintò*: Negat, quod solet à S. Thoma ejusque Discipulis dici, ideò imputari homini si non agat, quamvis efficax gratia sit necessaria ad agendum; quia nimirum in nostra potestate est habere etiam gratiam efficacem ad agendum necessariam, eo sensu quod eam nemini deneget Deus, nisi impedimentum apponat. Negat hoc Jansenius nec putat à Deo offerri efficacem gratiam: id enim putat ad errores Massilienses pertinere, Tom. 3. lib. 3. cap. 14.

Igitur ex his compertissimum est in sensu Jansenii *Præcepta Dei esse impossibilia justis volentibus, & conantibus &c.* Ex his omnibus capitibus. *Primò*: Quia nulla datur gratia sufficiens in statu naturæ lapsæ. *Secundò*: Quia licet admittat tenuem aliquam gratiam, quæ efficiat actum imperfectum, illam tamen ut efficacem dumtaxat habendam esse existimat, nullo autem modo ut sufficientem: cùm ex Dei voluntate minimè ad actum perfectum ordinetur, esset enim effectus voluntatis Dei Antecedentis, quam negat ad statum naturæ lapsæ extendi. *Tertiò*: Quia quamvis existimet, possibilia dici Divina præcepta ex multis capitibus, non tamen ex gratia sufficiente, quæ sit ab efficaci distincta: distinctam enim ab efficaci sufficientem gratiam negat. Etenim lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 15. admittit Jansenius, possibilia esse præcepta Dei.

Primò: Remotissimè per liberi arbitrii flexibilem facultatem.

Secundò:

Secundò: Paulò propinquiùs per Fidem.

Tertiò: Multò pleniùs, propinquiùsque per charitatem.

Quartò: Completissimè dicitur posse, quando Spiritus Sancti inspiratione sic voluntas præparatur, ut non modò possit, sed etiam velit.

Hæc Jansenius: At ubi ullius sufficientis auxilii actualis motio, quod ab efficaci distinguatur? nullius planè: unde vel ea solùm ratione, quòd sufficiens auxilium ab efficaci distinctum admittatur, quàm longissimè ab errore Jansenii receditur.

Demùm negat Jansenius eo sensu possibilia esse præcepta Divina, quòd Deus justis volentibus, etiam & conantibus, gratiam efficacem offerat, ut ea impleant, aut in eorum potestate sit eam gratiam habere, eo sensu quem supra explicuimus.

At verò in S. Thomæ, ipsiusque Scholæ sententia, totidem è contra modis prætepta Divina sunt possibilia justis, etiam & peccatoribus. *Primò*: Quia ipsis confertur à Deo gratia verissimè sufficiens in suo ordine, quâ potentia completur, etiam quando actu non agunt. *Secundò*: Quia actualis gratia quâ moventur ad actum aliquem imperfectum, quoad præcepta implenda disponuntur, & excitantur, est sufficiens ex Divina ordinatione, & ut à Divina voluntate antecedente oritur. *Tertiò*: Quia quamvis requiratur efficax gratia, ut voluntas actu agat, ea tamen non pertinet ad actum primum secundùm se, nec est complementum potentiæ quomodocumque, sed est complementum potentiæ, ut cum actu secundo conjungitur. *Quartò*: Quia quamvis eam actualem gratiam efficacem non habeant, eam tamen habere possunt: quia nunquam à Deo deseruntur, nisi priùs ipsi Deum deserant, neque unquam Deus ipse efficacem gratiam negabit, nisi ipsi impedimentum apponant.

Dices in eo potissimùm Thomistæ arbitrantur ab eorum Doctrina Jansenium recessisse, quòd Jansenius voluntatem Dei Antecedentem ad statum corruptæ naturæ in quo versamur, extendi negaverit; eaque ratione putant, negata fuisse à Jansenio pro hoc statu auxilia sufficientia, quibus Divina præcepta justis volentibus, & conantibus, sed nondum agentibus, possibilia fiant: Atqui si hæc voluntas Antecedens dicenda sit, quæ auxilia sufficientia confert, præter quæ alia necessaria sint, nedum probari, sed & demonstrari etiam potest, à Jansenio in statu naturæ lapsæ voluntatem in Deo Antecedentem admissam fuisse respectu salutis omnium hominum, etiam eorum qui salutem consecuturi non sunt; & ratione hujus voluntatis contuliisse quædam beneficia, licèt non plenè sufficientia ut salutem consequi possint: Ergo præcipuum illud discrimen quo se à Jansenio secerni Thomistæ arbitrantur, planè confictum est, & necesse est aliud quærant, quo se alienos ab hujus doctrina probent. Minor probatur, inquiunt. Videndus enim est ipse Jansenius lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 20. sub finem, ubi ita inquit: *Postquàm peccata jam ab hominibus inducta considerantur, Antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeòque nuda quadam velleitate, nihil omninò gratiæ causante, consistere potest .... Nihil igitur omninò doctrinæ Damasceni de Antecedente salutis omnium voluntate Recentioribus prodest, ut quæ optimè cum negandæ salutis, & gratiæ sufficientis voluntate consistit.* Hæc habet totidem verbis Jansenius. Atqui ea voluntas, inquiunt, quam Iprensis admisit in Deo salvandi eos etiam qui salutem consecuturi non sunt, non voluntas Consequens, sed Antecedens dicenda est, eorum sensu qui sufficientia auxilia ab efficacibus distincta admittunt: Ergo & voluntatem Antecedentem Jansenius admisit. Minor aperta videtur. Liquet enim eam voluntatem quâ Deus etiam eorum salutem qui salvandi non sunt, voluit, non posse esse Consequentem, cùm reipsà salutem non conferat. Deinde: cùm ex Jansenio Deus finem voluerit, scilicet eorum salutem qui salvandi non sunt, etiam & beneficia quædam, & auxilia eis contulit, gratias scilicet, quas eis dedit inefficaces, quibus eos ad observationem mandatorum frustra excitavit, ex eodem Jansenio lib. 2. Grat. Salvator. 27. Atqui eas gratias Deus non nisi voluntate Antecedente destinare potuit sensu Jansenii ad effectum quem assecutus non est: Ergo. Hæc quæ demonstratio existimata est: quod mirum videri possit, cùm nè tenuissimam quidem probabilitatis speciem habeat. Et hæc quidem objectio opportuniùs supra reponi potuisset; sed cùm nondum à me lecta fuisset, (neque enim venisset unquam in mentem:) nè omninò prætermittatur, eam hìc in fine reponere volui.

Respondeo: ac in primis inquiro, nedum à Theologis, sed ab his etiam qui ab ejusmodi concertationibus alieni sunt, & aliquid tamen latinè sciunt, quo pacto, & quibus verbis explicari potuisset, ex Divina voluntate Antecedente pro hoc statu nulla auxilia sufficientia profluere, nisi hæc verba significent, quòd *Antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeòque in nuda quadam velleitate, nihil omninò gratiæ causante consistere potest*? Mira sanè interpretatio. Ex Jansenio Divina voluntas *Antecedens in sola præcisione mentis consistit*: posita est *in nuda quadam velleitate; nihil omninò gratiæ causante*: Et hæc ex nova demonstratione significant, quòd Divina voluntas his qui salvandi non sunt auxilia sufficientia confert, ut salutem consequi possint. At inquies: Admittit Iprensis voluntatem salvandi eos quoque qui salvandi non sunt: Sed ea voluntas non est Consequens: Ergo Antecedens dicenda est: Ergo & necesse est ea voluntas sufficientia auxilia conferat. Etenim cùm Deus voluntate Antecedente finem voluerit, scilicet eorum salutem qui salvandi non sunt, necesse est ut beneficia quædam illis contulerit: Ergo & gratias eis dedit inefficaces, quæ sunt ipsa sufficientia auxilia.

Verùm si quis ita Jansenium dicere debuisse contenderet, & Theologi more forsitan loquere-

rur, ac mereri aliquam laudem ultrò concederemus, quam etiam à nobis amplam reportaret. Sed non quæritur hìc, quid dicere Janſenius debuerit, ſed quid reipsà dixerit. Res enim eſt facti. Expreſsè inquit, quòd *Antecedens voluntas in ſola mentis præciſione conſiſtit*, quòd *nihil omninò gratiæ cauſat &c.* Cur ipſi quod nec ſenſit, nec ſentire voluit, immò nec ſentire potuit, conſtitutis jam ſuis principiis, ſed exertè negavit, tribuitur; ſcilicet ex voluntate Antecedente auxilia ſufficientia profluere? Et ſanè niſi aliud adderetur, argumentum hoc Janſenius ipſe rideret. Ea voluntas ſalvandi eos etiam qui ſalvandi non ſunt, non eſt Conſequens: Ergo eſt Antecedens: Ergo aliquid confert. Negaret hanc ultimam conſequentiam Janſenius. Eſt, inquit, voluntas Antecedens: *Sed hæc in nuda quadam velleitate, & præciſione mentis, nihil omninò gratiæ cauſante conſiſtit.* Non ergo ulla auxilia ſufficientia cauſat; alioquin non *In ſola præciſione mentis, & nuda velleitate* conſiſteret. An non inter Recentiores plurimi, ipſique forſitan hujus novæ demonſtrationis Authores ſentiunt Divinam voluntatem circa res dumtaxat poſſibiles verſari, ſeu Deum amare poſſibilia: Quid verò in his efficit? Ita ſuam ſententiam eo etiam Adverſariorum principio confirmare Janſenius potuiſſet: quæ tamen omnia adverſis, & ut arbitramur, ſolidioribus Divi Thomæ principiis omninò evertuntur.

Sed prætereà, ſi quæ ſtatim Janſenius ipſe ſubjungit, addita fuiſſent, nullus fuiſſet huic argumento locus, & nemo, ut puto, eam conſecutionem adeò extortam, & ab hujus mente adeò alienam elicere, & referre voluiſſet. Expreſsè enim hæc ſubjungit Janſenius, ut probet eam voluntatem in ſtatu innocentiæ effuſam, poſt Adami lapſum, & Angelorum caſum, ſterilem remanſiſſe. *Quod*, inquit, *ex eo manifeſtiſſime patet; quia talem Antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas, ſive hominum, ſive Angelorum Deus habet: quâ non obſtante ſicut poteſt Conſequente voluntate juſtitiæ Angelos omni gratia ſufficiente, & ſalute ſpoliare, excæcare, obdurare, damnare; ita non obſtante eadem Antecedente voluntate, quibuſdam hominibus originali damnatis, Conſequente voluntate juſtitiæ gratiam ſufficientem, fidem, juſtitiam, ſalutem, felicitatemque negare poteſt, eoſque nolle ſalvos fieri.* En apertiſſimam Janſenii mentem, non extorta aliqua deductione hujus principiis omninò adverſa ſignificatam, ſed clariſſimis ipſius verbis expreſſam. Intelligitur, inquit, etiam pro hoc ſtatu naturæ lapſæ in Deo voluntas Antecedens: Sed ea *in ſola præciſione mentis, & nuda velleitate conſiſtit, nihilque omninò gratiæ cauſat*, nullumque auxilium etiam ſufficiens confert: *Quod ex eo*, inquit, *manifeſtiſſimè patet*, quia eadem circa *damnatos homines, Angeloſque* verſatur, quibus nullum omninò auxilium, etiam ſufficiens confert: Atque inde fit, quòd ſicut non obſtante eadem voluntate Antecedente, eos Deus voluntate Conſequente omni gratia ſufficiente ſpoliare poteſt: ita non obſtante eadem voluntate Antecedente, quæ circa homines originali labe infectos verſatur, poteſt aliquibus gratiam ſufficientem, fidem, ſalutem, ac ac æternam felicitatem denegare. Ad voluntatem enim Conſequentem arbitratur Janſenius pertinere, ut hæc omnia conferat, aut deneget, non ſolùm felicitatem, & fidem, ſed etiam gratiam ſufficientem: tum quia gratia ſufficiens non alia apud ipſum eſt præter efficacem, ex falſa ſufficientis notione: tum quia pro hoc ſtatu ſterilem arbitratur evaſiſſe voluntarem Antecedentem, quæ in Angelis primoque homine exhauſta, nihil ſibi reliquum fecit, ſed nunc in nuda præciſione mentis nudaque velleitate conſiſtit.

Hæc veriſſima de Divina voluntate Antecedente Janſenii doctrina, ut nemo jure inficiari poteſt: & ſi locus ipſe conſulatur non poſſunt poſteriora verba prætermitti, ſi bona fide agatur, cùm ob oculos penè verſentur cùm priora leguntur. Atque ex his clariſſimè liquet nihil nobis commune eſſe nedùm cum doctrina confixa Janſenii, ſed nec fermè cum ullo ex principiis quibus eam doctrinam fulcire, ac veluti ſtatuminare voluit, quæ ſanè omnia vel ſponte concidunt, vel ſine ullo prorsùs labore deficiuntur; ut certiſſimum ſit nullam omninò in Scholis ſententiam circumferri, quæ magis aliena ſit à Janſenii Syſtemate, quàm ſententia D. Thomæ. Et ſi inter varias ſententias collatio inſtituenda eſſet, clariſsimè demonſtrari poteſt, & ex ſuperioribus ſatis perſpicuum eſt, nullam eſſe quæ cum definitionibus Pontificiis, quibus famoſæ quinque Propoſitiones confixæ ſunt exactiùs conveniat; ut à nobis aliàs demonſtratum eſt, nullam omninò magis cum definitionibus Tridentini, ubi de Divina motione agitur, conſentire.

Quòd verò attinet ad difficultatem hoc Articulo explicatam etiam liquet, quàm longiſſimè à Janſenio Thomiſtas remotos eſſe, quamvis admittant Divinam motionem eſſe virtutem ſuperadditam potentiæ, ſeu *Complementum virtutis agendi ſecundi*, ut inquit S. Thomas: neque tamen ipſos mutaſſe ſententiam, & omnis doctrinæ vento circumferri; cùm etiam nunc eadem omnia à D. Thoma conſtituta principia perpetuò uſurpent, & tueantur. Neque enim in Schola S. Thomæ hæc unquam adverſa audiuntur, *Eſt & non*, ſed perpetuò apud nos immobile illud *Eſt eſt* perſeverat, quouſque aliquid Eccleſia non definierit. Et verò cur mutare debuiſſent? Neque enim periculum erat, nè nimiùm ad Janſenium accederent, cùm jam ab his etiam volens Janſenius tam longè receſſiſet. Non erit unquam noſtra in Schola doctrina temporum, neque *Secundùm annos ſcribetur*, ut inquit S. Hilarius ad Conſtantium; ſed ſumma erit ſub Angelico Præceptore doctrinæ conſtantia, & quam dum integram tuebimur, ipſa nos viciſsìm defendet, ac in tuto reponet.

ARTICULUS ULTIMUS.

Argumentum ex Thomæ Turci Generalis Ordinis FF. Prædicatorum, & Thomæ de Lemos authoritate desumptum dissolvitur.

PLurimi jam Magistrum Divum Thomam suæ Scholæ eripere voluerant, à quibus negatum est, Sanctum Doctorem motiones prævias unquam tenuisse: Sed alii jam Discipulos suo Angelico præceptori eripere tentant; cum velint etiam insigniores hujus Discipulos adversam motionibus sententiam ut certam ex mente D. Thomæ defendisse. Plurima jam à nostris, & in Magistri, & in Discipulorum defensionem edita sunt. De duobus scilicet Thoma de Lemos, & Thoma Turco hæc pauca refero.

Thomam de Lemos eximium, & acerrimum Divinarum motionum, & efficacis gratiæ defensorem, pro quibus nemo diutiùs, aut feliciùs unquam hic Romæ veluti in totius Orbis Theatro dimicavit; quis credidisset unquam potuisse referri tanquam adversæ sententiæ quæ Divinas motiones prævias, & physicas negat, Patronum? Repertus tamen est, qui ita referret: & miratus sum hæc ipsa verba à moderno quodam Authore scripta fuisse. *Et Magister Lemos, alter scilicet physicarum prædeterminationum Dominicanus Romæ propugnator, eas nihilominus contra Sanctum Thomam esse, publicè ibi docuisse fertur.* Quis existimasset unquam, hæc de Thoma Lemos potuisse referri? Sed quo Authore, quo teste ista probantur? *Fertur*, inquiunt. Sed ubi sparsus ille rumor est? A quo Roma in Hispaniam ubi hic Author scribebat delatus est? *Cùm historici, multa ad arbitrium ferunt, & unam aliquam rem volunt spondere, adiiciunt: penes Authores fides erit*, inquit Seneca Libro 4. capite tertio QQ. Natur. *Fertur*, inquiunt: apud Authores fides sit, dicet alius aliquando; ac deinde cæteri ut rem compertam affirmabunt. Sed certioribus argumentis in re litteraria, & Theologica certamen institui conveniret; & rem adeò insolitam, quæque gravis momenti est, probabilioribus testimoniis confirmari. Cui enim promptum non esset, de primis etiam Adversę sententię Authoribus eadem comminisci: In tuto enim esse posset hoc unico verbo, *Fertur*, quisquis ita scriberet. Sed quòd ad sapientissimum P. Lemos attinet; hic sanè Romę, ubi hæc scribimus, & ubi ipse Lemos tanto studio, ac etiam applausu sententiam Divi Thomæ olim ex mente D. Thomæ defendit, planè exsibilaretur quisquis assereret, P. Lemos motiones prævias esse contra S. Thomam *Romæ publicè docuisse*; cum fama superstes sit, pro eadem sententia pugnasse dum vixit, quam ex mente D. Thomæ semel defenderat. Sed forsitan si visa fuissent eximii P. Lemos opera edita anno 1676. compressisset author calamum, ne rem adeò incredibilem scriberet, nimiùm aliis, credulus, si quem unquam ita referentem audivit.

Etenim refert ipse Lemos ac recenset Tomo 1. Tract. 6. cap. 2. in fine pag. 130. adversę sententiæ varia opuscula edita usque ad annum 1623. Unde necesse est, suum ipse opus aut scripserit, aut recognoverit saltem, ipsique iterum manum admoverit adhuc anno 1623. sexto scilicet ante obitum anno: Obiit enim anno 1629. Ubi obiter adverti potest, errorem irrepsisse in Synopsi ipsius vitæ, initio primi Tomi affixa, ubi hujus mors ad 24. annum refertur. Sed hìc Romæ ubi inspici Tabulæ possunt, quibus mortuales Religiosorum dies inscribuntur, reperi extremum diem clausisse anno 1629. cum annum octogesimum quartum ageret. Unde necesse est, ut jam anno 1623. vitæ septuagesimum octavum attigisset, in eademque sententia ad eam usque ætatem perstitisset, cùm ingens illud opus scriberet, aut recognosceret saltem, in quo Prædeterminationes Physicas ex mente D. Thomæ singulis fermè paginis, ac potissimum Tom. 3. toto fermè Tractatu primo defendit. An verò deinde, & post septuagesimum octavum annum implendo muneri, aut sustinendo labori Regentis publici, ea gravis ætas opportuna erat, ut quod fingitur publicè doceret? Sed ut dixi nondum erant eximii P. Lemos edita opera: quæ si visa fuissent, nemo ut puto ita famam suam inter litteratos committere voluisset, ut rem adeò incredibilem scriberet.

Sed nullius testimonium frequentius nobis objici solet, quam sapientissimi Thomæ Turci Generalis Ordinis FF. Prædicatorum, Viri sapientiâ insignis, & quem suæ Sholæ Thomisticæ doctrina latere non poterat, quem tamen publicè in Generalibus Comitiis, Valentiæ in Hispania habitis, dixisse referunt, plurimùm à Divi Thomæ sententia aberrare, qui Physicas Præmotiones defendunt. Jam opusculo integro à R. P. Francisco Jansens Elinga Antuerpiæ edito anno 1675. de ea re actum est. At quia forsitan in multorum manus hæc nostra scripta pervenient, ad quos hoc opusculum nondum pervenit: Et cùm fermè ubique terrarum hoc idem argumentum nobis objiciatur; operæ pretium erit duo saltem referre, sed quæ rem indubitatam efficiunt. Primum est testimonium ipsiusmet qui Theses Valentiæ in eo Generali Consessu propugnabat, & quo nemo veriùs quid objectum fuerit scire potuit: Alterum est ex ipsius Thomæ Turci scriptis, & Dictatis in Schola desumptum testimonium.

Theses in eo Capitulo Generali defendebat P. Antoninus Reginaldus Provinciæ nostræ Tholosanæ alterum ornamentum, quocum diu versatus sum, & à quo sæpiùs totius rei seriem accepi: cumque, & libris editis, ac Thesibus publicis sæpissimè res longè aliter referretur, quam gesta fuisset; Et hoc nobis Generalis Turci judicium perpetuò objiceretur: Existimatum est è re nostra esse, quòd prædictus Pater Reginaldus adhuc superstes, ad rei veritatem omnem referen-

dam, etiam Sacramento adigeretur: quare hoc instrumentum confectum est, quod exhibeo.

„ Notum sit omnibus præsentibus, & futuris, „ quòd cum à pluribus annis ex variis Regionibus, Provinciis, & Regnis delatum ad nos „ fuerit, quosdam parùm sincerè vulgasse, quòd „ Reverendissimus Pater Thomas Turcus, olim „ Generalis Ordinis Prædicatorum, in Capitulo Generali Valentiæ in Hispania Anno 1647. „ in Thesibus propugnatis nomine Provinciæ „ Tholosanæ, die Lunæ post festum Pentecostes, „ adversùs illum qui eas tuebatur arguendo indicasset, S. Thomam in nullo suorum operum „ loco faviſſe sententiæ Prædeterminationem „ physicam asserenti; idcircò Nos Prior Conventus Tholosani Ordinis Prædicatorum, & scire, & promulgare omnibus cupientes, vocavimus R. P. Fratrem Antoninum Reginaldum, „ tunc temporis in Academia Tholosana Professorem, quem vocant, Conventualem, & nunc „ in eadem Professorem publicum, & Regium, „ qui in præfato Capitulo Valentino pro Provincia Tholosana tuebatur Theses; & inquisivimus ab eo rei gestæ veritatem. Ille verò jam „ ferè septuagenarius paratum se esse ad dicendam veritatem, eamque juramento firmandam, respondit. Illum ergo adduximus coram „ Amplissimo, & Perillustri Domino Dufour „ Archidiacono Ecclesiæ Cathedralis, & Vicario Generali ejusdem Ecclesiæ Tholosanæ Sede „ Vacante, & coram Notario, ac testibus infra „ scriptis, ut ibi juratus circa hæc diceret veritatem.

„ Dixit ergo præfatus P. Reginaldus, anno „ illo 1647. in Capitulo Generali Valentiæ in „ Hispania celebrato, in Thesibus quas pro Provincia Tholosana tuebatur, rem ita gestam „ esse. Postquam plures disputassent, Reverendissimus P. Thomas Turcus Generalis assumpsit duas ex Thesibus agitatis, videlicet eam „ quam Ego Pater Reginaldus posueram de præsentia reali omnium rerum nobis futurarum „ in æternitate; alteram de cognitione Divina „ futurorum in decretis; & argumentatus est præfatus Reverendissimus contra me, dicens; quòd „ alterum ex his duobus mediis cognoscendi futura, esset superfluum. Si enim Deus cognoscit omnia nobis futura in reali eorum præsentia in æternitate, superfluit decretum efficax, „ in quo Deus illa eadem cognoscat; si Deus illa „ cognoscit in decreto, superfluit illa præsentia realis in æternitate. Respondi, neutrum „ esse superfluum: immò unum sequi ex alio: ex „ decretis enim sequitur præsentia realis in æternitate. Replicavit Reverendissimus Generalis; nunquam Sanctus Thomas recurrit ad decreta, sed ad præsentiam in æternitate: & si „ mihi ostendas vel unum locum Divi Thomæ, „ in quo recurrat ad decreta, ex nunc pro tunc „ creo te Magistrum Theologiæ contra jura, & „ consuetudinem tuæ Provinicæ. Tunc ego „ P. Reginaldus, qui ex alis capitibus noveram, quòd P. Reverendissimus Turcus vellet „ tentare utrùm ambirem Magisterium, Respondi. De Magisterio quod offert mihi Vestra „ Reverendissima Paternitas, gratias ago: novit „ Vestra Reverendissima Paternitas, nos in nostra Provincia non acceptare Magisteria: De locis autem Divi Thomæ Vestra Reverendissima „ Paternitas alter Thomas, novit illa, nec opus „ est illa citare. Insusurrabant ferè omnes: cita „ locum, cita locum, & fies Magister: Ego tamen perstiti in mea sententia. Urgebat Reverendissimus Generalis: noli mihi adulari, sed „ ostende mihi locum Divi Thomæ, in quo ipse „ dicat, Deum cognoscere futura in decretis suis, „ ostende. Perstiti nihilominùs in mea Responsione, ne viderer ambire Magisterium. Post „ multa hinc, & inde semper illa, & eadem quæ, „ stione, sub finem Disputationis dixit mihi Reverendissimus P. Generalis Turcus; explica „ tuam sententiam.

„ Explicavi hoc pacto: dicens, quòd cùm res „ non possint de possibilibus fieri futuræ in tempore, nec præsentes realiter æternitati, nisi „ per aliquam causam; & illa causa, nulla possit „ esse alia quàm Deus liberè agens, & has potiùs quàm alias volens esse futuras in tempore, „ & sibi realiter præsentes: idem prorsùs est dicere, quòd Deus cognoscat res ut realiter præsentes æternitati, & dicere, quòd illas cognoscat in decretis; quia per decreta fiunt præsentia æternitati. Quare autem Divus Thomas „ ferè semper recurrat ad præsentiam rerum in „ æternitate, quando agit de cognitione, quâ „ Deus cognoscit res nobis futuras, ratio est: „ quia vult reddere rationem, cur Deus eas cognoscat scientiâ visionis: visio enim corporea „ debet terminari ad res præsentes; & ideò Divus „ Thomas recurrit ad præsentiam rerum realem „ in æternitate, quando agit de scientia visionis: „ quamvis aliquando, cùm non agit de scientia „ visionis, dicat, Deum cognoscere omnia nobis futura, in sua voluntate ut causa, nimirum „ determinata per decretum, ut constat ex eodem „ *In primo contra Gent. cap.* 67. & 68. & alibi „ sæpè; ubi expressè Divus Thomas dicit: *Deum „ cognoscere ab æterno actus nostros liberos in sua „ voluntate ut causa.* His à me dictis acclamarunt quidam: citavit locum, fiat Magister. „ Sed Reverendissimus Generalis, annuentibus „ Archiepiscopo, & Prorege Aragoniæ, qui aderant, finem Disputationi imponi præcepit. „ Hanc esse veram illius narrationem, tactis „ Sacrosanctis Evangeliis juro, & protestor coram Deo, & Sanctis Angelis ejus, in manibus vestris, Amplissime, & Perillustris Archidiacone, & Vicari Generalis, jubente, & „ præsente Rev. Patre Joanne Francisco Dufaur „ Ordinis Prædicatorum, Conventus Tholosani „ Priore, & Sacræ Theologiæ Professore, præsentibus etiam Notario, & testibus infra scriptis.

„ Unde juro, & proresor, ac declaro sub eodem

dem

„ dem juramento, falsum esse, quòd Reverendissimus Pater Generalis dixerit: *Fateor, prædeterminationes physicas esse Doctrinam plurium Thomistarum, sed à Sancto Thoma longè aberrantium, quibus si mihi ostenderis Sanctum Thomam alicubi favere, promitto tibi Magisterium.*

„ Falsum etiam declaro sub eodem juramento: „ eundem dixisse mihi: *Ostende mihi locum S. Thomæ in quo physicam prædeterminationem defenderit, & ego te creabo Magistrum in Religione contra constitutiones tuæ Provinciæ.* Falsum „ sub eodem juramento declaro, quod alii sic narrant: *Reverendissimus P. M. Thomas Turcus Generalis Ordinis Sancti Dominici, cum in Capitulo Generali Valentiæ mense majo anno* 1647. *interesset disputationi, in qua hispanus Thomista ex Provincia Tholosana tuebatur physicas prædeterminationes tanquam à Sancto Thoma edoctas, assumpto argumento Excellentissimi Domini Ludovici Crespi de Boria Episcopi Placentini tunc præpositi Muriveteris, oppugnantis prædeterminationes physicas, cõtendẽtisque non esse sententiam S. Thomæ; Idem cum esset versatissimus in Sancto Thoma semel & iterum dixit Ostende mihi locum in quo Sanctus Thomas physicam prædeterminationem doceat, & creabo te Magistrum in tua Religione contra constitutiones tuæ Provinciæ, repetendo multoties; Ostende, ostende. Quatuor Doctores Theologi Universitatis Valentiæ testantur sub juramento coram Notario, se illa verba audivisse.* Declaro itaque hanc „ narrationem, quantum ad id quod dicit de prædeterminatione physica, falsam omninò esse: „ nullo enim modo agebatur de predeterminatione physica. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta „ Dei Evangelia.

Et signatum erat.

F. Antoninus Reginaldus.

„ Nos Joannes du Four Presbyter, Jurium „ Doctor, Canonicus Archidiaconus Ecclesiæ „ Tholosanæ, nec non Vicarius Generalis dictæ „ Diœcesis, Sede vacante, testamur præfatum „ Rev. P. Antoninum Reginaldum, qui suprà, „ hoc juramentum præstitisse in manibus nostris „ præsente Rev. P. Joanne Francisco du Faur Prio„ re Conventus Prædicatorum hujus Civitatis, „ præsentibus etiam Notario, & testibus infrascriptis, in cujus rei fidem his sigillo nostro mu„ nitis subscripsimus die 10. Septembris 1674.

Et signatum erat.

Du Four Vicarius Generalis.

Fr. Joannes Franciscus Du Faur Prior Tholosanus.

Ego Raymundus Dangla Presbyter, & Ecclesiæ Tholosanæ habituatus præsens.

Ego Jacobus Brousse presbyter, & in Ecclesia Tholosana habituatus præsens.

Sauvestre Notarius Apostolicus.

Et impressum erat sigillum in cera viridi.

Hactenus ibi. Quo instrumento publico totius rei series ipsa narratur, nec quidquam aliud ad hujus historiæ veritatem detegendam addendum est. Si quis plura velit, legat opus à me laudatum.

Cæterum etsi nullum hujus rei singularis majus testimonium esse possit; addi tamen non immeritò potest, quid de Divinis motionibus ipse Turcus sentiret. Inde enim intelligi poterit, utrùm dicere Turcus reipsà potuerit, quod quidam eùm dixisse referunt: *Scio quidem eam esse quorumdam Thomistarum sententiam, sed longè à D. Thomæ mente aberrantium.* Quid verò ipse senserit, non ex levi conjectura, aut vago rumore, & in certa fama colligi potest; sed ex certissimis scriptis ipsius, & dictatis sua in Schola demonstrari potest, quæ Cremonæ in Conventu sui Ordinis in communi Bibliotheca asservantur; quorum Apographum authenticum ad me mitti curavi, ex quo quàm plurimis prętermissis hæc dumtaxat pauca refero. Titulus hujusmodi est.

DUBITATUR TERTIO.

An supposito quòd auxilium istud efficax, & prædeterminans voluntatem, non tollit ejus libertatem, sit tamen necessarium ad omnes actus liberos naturales: An verò sufficiat auxiliũ simultaneũ & concomitans, quo Deus concurrit nobiscum, ut efficaciter consequamur tales actus, licet nõ prædeterminet illos infallibiliter? & videtur quòd sufficiat hoc auxilium concomitans. Probatur primò &c. Hic in favorem adversæ sententiæ sex argumenta fusè satis proponit, quibus propositis addit: *Sed contra: quia dicitur proverb. 21. Cor Regis in manu Domini* &c.

Posteà pro hujus, & sequentium dubiorum expositione quatuor supponit, 1. Aliud esse auxilium habituale, & aliud actuale: 2. Aliud esse sufficiens, aliud esse efficax: 3. Non esse necesse quod prævium realiter distinctum sit à simultaneo: 4. Prævium intelligi posse vel ad operationem, vel ad determinationem voluntatis. Hæc cùm multis explicuisset: inquit, *Tota difficultas est, an hoc auxilium prævium solùm sit prævium respectu operationis elicitæ à voluntate?* &c.

Refert deinde quatuor Authorum sententias; ac tandem, *Pro explicatione*, inquit, *veritatis, supposita veritate catholica, quòd Deus ad omnem operationem sive bonam sive malam quoad substantiam ejus concurrit auxilio concomitante & simultaneo, de quo aliàs disputabitur: ut explicem quomodo concurrat Deus auxilio prævio, sit.*

PRIMA CONCLUSIO. Deus non predeterminat voluntatem hominis ad malum formaliter: &c. Hanc paucis expedit.

SECUNDA CONCLUSIO. Deus predeterminat voluntatem hominis ad substantiam actus peccati; ita quòd sine tali prævio, & prædeterminante auxilio efficaci, voluntas non posset exire in talem actum. Ab hac veritate, inquit, *sola authoritas Ecclesiæ, cujus censuræ submisi meam doctrinam, & committo me, poterit me removere*; &c.

Hanc

Hanc verò sententiam ita probat, Primò *Videtur expressa sententia Sacræ Scripturæ: Etenim Genes. 45. dicitur sæpè, quod Deus misit Josephum in Ægyptum: ex quo sic arguitur: Illa missio facta à Fratribus ejus fuit peccatum, & tamen secundùm rationem boni quam habebat, tribuitur Divino auxilio, & dispositioni, non humanæ.* Hoc argumentum, & plura ejusmodi ex Sacra Scriptura refert, quæ fusè prosequitur. Deinde probat ex D. Augustino, præsertim lib. 1. contra Julian. cap. 3. Probat deinde rationibus, ac demum plura argumenta sibi objicit, eaque solvit: & ita secundam conclusionem expedit, & absolvit. Ad ultimam deinde progreditur.

TERTIA CONCLUSIO. Deus auxilio præveniente prædeterminat nostram voluntatem ad actus liberos bonos ordinis naturalis, quantum ad rationem particularem suorum objectorum. Hæc conclusio, inquit, *videtur mihi expressa in multis locis Sacræ Scripturæ. Primus est locus relatus in Argumento sed contra:* „*Cor Regis in manu Domini, &c.* Probat deinde multis ex S. Augustino, lib. de gratia, & libero arbitrio; ac deinde inquit: *In corroborationem hujus poterant adduci omnia loca D. Tho. quæ attulimus quæst. 79. art. 1. dubio 2. concluf. Quibus consonat alius locus ipsius D. Th. hic quæst. 109. art. 1 ubi ait: quod Deus prius natura movet, & applicat voluntatem liberam ad suam operationem, quàm ipsa operetur. Idem habet clarissimè quæst. 22. de Veritate art. 8. in corp. &c.* Plurima ex S. Thoma attulerat in eam quæstionem 79. atque ea jam explicata hic supponit.

Probat deinde assertam Conclusionem rationibus, quod omnes pauciſſimis perstringo, ita tamen ut quamplurimis rescissis, nullum verbum addam, quod apud ipsum non sit. *Primò*: Deus „ cognoscit futura contingentia certò, & infallibiliter in suis causis determinatis, etiamsi liberæ sint: Ergo eas applicat. Consequentia „ probatur: quia si ipse non applicat voluntatem, erit fallibilis ejus scientia, eo quòd voluntas possit operari, & non operari &c. *Secundò*: quia sequeretur, quod etiam si Deus ageret „ ex necessitate naturæ, nihilominus homo esset „ liber: Consequens est falsum: nam tunc liberum arbitrium neque à se, neque à Deo liberè „ moveretur. Non à se, quia esset primum movens; non à Deo, quia Deus moveret necessariò. *Tertiò*: quia sequeretur quòd Deus non „ sit prima causa. *Quartò*: Deus producit auxilio simultaneo omnes actus bonos quantùm „ ad suas rationes particulares: Ergo ordinat in „ finem: Ergo prædeterminat. *Quintò*: Si Deus „ non prædeterminat voluntatem ad actum bonum, sed solùm concurrit simultaneè; sequitur „ quòd causa secunda, & voluntas excitat prima suam voluntatem; & voluntatem Divinam ad illum actum applicat, & determinat: „ Nam applicatio nostræ voluntatis præintelligitur, ut Deus concurrat concursu simultaneo: „ *Confirmatur*: Nam sequitur quòd causa secunda modificet concursum causæ primæ; atque „ adeò quòd actio Divina dependeat ab actione „ causæ secundæ. *Sextò*: Probatur: Nam sequitur „ quòd non possimus referre in providentiam „ Dei, quod aliquis sit pauper vel dives, vel „ quòd obtineat aliquam dignitatem: nam hæc „ omnia maximè pendent ab actione aliqua libera. Imo sequitur quòd frustra oretur Deus; „ frustra ei offerantur sacrificia, & vota; frustra „ ei gratias agamus pro obtentione alicujus boni: Nam hæc omnia ut plurimnm pendent ex „ libera voluntate, vel ejus cui contingunt, vel „ aliorum quorum consilio accidunt: quæ tamen „ omnia sunt contra Sacram Scripturam. Et sic „ est incidere in errorem eorum qui dixerunt de „ Deo: *Circa cardines Cæli perambulat. & nostra non considerat*: Nam juxta aliam sententiam nullus actus humanus simpliciter subjicitur Divinæ providentiæ, sed tantum secundùm rationem communem, quatenus Deus „ prohibuit actus malos, & consuluit bonos: Et „ sic Providentia Dei non est major quàm providentia Regis qui statuit leges. Similiter ad „ Deum non pertinerent differentiæ statuum, „ qui sunt in orbe conjugatorum, & continentium: nam hæ pendent ex libera hominum voluntate &c.

Alia argumenta, inquit, *solent adduci in confirmationem hujus sententiæ, quæ brevitatis gratia omitto: ex quibus omnibus convincor asserere &c.* Quædam duriora addit, quæ omnino reticeo: Ex quibus tamen satis colligi potest, quantùm de ea Divinæ motionis præviæ sententia persuasus esset Turcus, & ab adversa alienus.

Hæc satis esse arbitror, ut nemo jure dubitare possit, defensam fuisse à Cenerali Thoma Turco de præviis motionibus sententiam, cui adeò se adhærere dixit, *Ut sola Ecclesiæ authoritate ab ea dimoveri posset.* Hujus Scripti cujus Synopsim hìc retuli Apographum authenticum Notarii publici manu subscriptum apud me, ut dixi, habeo. Et si quis de eo dubitet, inquirat Cremonæ in Conventu S. Dominici, & reperiet in Bibliotheca communi Codicem M. S. foliorum 833. Reverendissimi P. Thomæ Turci, in quo à folio 392. usque ad folium 426. Hæc omnia quæ contraximus, & multò plura referuntur.

CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

Hactenus pro nostris viribus, & in grati animi testificationem de Divinis Motionibus, quibus Deus orbem administrat, hominemque ad æternam beatitudinem permovet, tractationem prosecuti sumus, cui & hic finem imponimus. Si Philosophis visum est ut Macrobius observat, in Som. Scipio. homini *Vivendum esse ritu Sacerdotis*, qui omnia ad Deum referat, tacitisque omnium rerum vocibus, quibus Deum Authorem celebrant, suas laudes adjungat; hanc tractationem veluti longum hymnum Deo offerre posse mihi videor, dum omnia à Deo moveri demonstro, cujus laudes concinnis temperatisque motibus

tibus perpetuò concinunt, à quo impreſſam additamque ſibi virtutem ipsâ ſuâ inopiâ, & infirmitate petunt, cùm ſine hujus impreſſæ virtutis ope perpetuò inertes eſſent. Et verò quid aliud ſit Cælorum, ac totius naturæ concentus, præter eam rerum ſubordinationem, & connexionem, quâ junctæ in Orbe choreas agunt, ut Philo loquitur, quibus ut neſcio quis olim dixit (Plutarchus de Frigid.) *Præeſt Deus Harmonicus, & Muſicus*; qui ea arte ita ad ſuas leges totius naturæ motus exigit, ut cùm vel ipſæ arborum frondes levi ſuſurro moventur, gratumque ſtrepitum edunt, *Putes motus amoris*, quo impellente natura feruntur in Deum, *ore dici muſico*. (Anacreon.) Hæc apud Veteres Apollinis lyra, in qua partes inſunt partibus affines, quæ invicem & conſentiunt, & repugnant, *Conſpirante ad Univerſi concordiam mutuo earum divortio, ut lyra contrariorum, ac conſentientium ſonorum modulamen eſt*: inquit Syneſius libro de Somniis. Et Cælum ipſum ſub harmoniæ modulatione revolvitur. Felix qui Cæli concentum noſcit auditque, in quo Deum laudant etiam aſtra matutina; quas laudes tacere videntur cùm moveri deſinunt. Cùm Joſue Deum Cæli ulturus inimicos perſequitur, ut ſtare Solem jubeat, inquit: *Schemeſch dom, Sol ſile*; quod ſuperiorem in eo concentu ſuo motu Sol partem agat, & quiete ſileat; ideòque ex veterum Hebræorum traditione, ſtante Sole, & ſilente, hymnum cæpit Joſue equo inſidens canere, nedum tanquam par ç jam victoriæ epicinium, ſed ut etiam ſtantis Solis ſilentium compenſaret. Solus in eo concentu, in quo luciniæ, aveſque Cæli, ac feræ quantumvis ſævæ, & immanes audiuntur, ſolus peccator ſilet, inquit D. Chryſoſtomus: quòd ad ſceleram deformitatem Divinæ artis motio non pertingat, & peccatum omne velut abſona inconditaque vox Divini concentus melodiam perturbet.

Sed longè majorem à nobis gratitudinem in ſupernaturali ordine Divina gratia, divinaque motio exigit, quæ nos ita ad ſalutem comparandam promovet, ut ſi ea deeſſet, noſque deſereret, nulla, vel tenuis ſpes ſalutis affulgeret. Quid enim vel ipſa natura integra ſibi relicta ſolaque efficeret? *Domine*, inquit David Pſal. 19. *in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem*. Scil. explicat Divus Baſil. *Pulchritudini meæ quam ex te in prima creatione accepi, addidiſti virtutem eorum quæ me decent effectivam*. Acceptis naturæ donis majora dona ſuperaddi neceſſe eſt, quibus nec etiam uti poſſumus, niſi efficax ſuperaddita vis uſum ipſum efficiat. Quòd ſi nec in accepta ſemel juſtitia homo ſtare poſſit ne cadat, niſi perpetua virtute firmetur; quid ageret jam ſuo lapſu, & ſua infirmitate depreſſus, ut reſurgeret, & Deum ſolùm vocantem, non trahentem ſequi poſſet. *Sequimur te bone Jeſu*, inquit D. Ambroſius lib. de Bono Mort. cap. ult. *Sed ut ſequamur accerſe: quia ſine te nullus aſcendet. Tu enim via, veritas, vita poſſibilitas, fides, præmium: Suſcipe nos quaſi via, confirma quaſi veritas, vivifica quaſi vita*. Homines, inquit Apoſtolus, *Lapides vivi* ſunt, quibus ædificatur Hieruſalem cæleſtis Civitas: *Vivi* equidem propter libertatem, ſed propter congenitam infirmitatem, ſemper *Lapides*, quibus aliquam veluti vim inferri neceſſe eſt, ut attollantur, quæ ſi deſit momento decidunt.

Hæc duo igitur jungi neceſſe eſt vim ſuperadditam, & tamen libertatem relictam: vim quæ in ipſa voluntate bonum efficiat, libertatem, quâ ſuo bono ipſa conſentiat. Nec verò hìc ubi Divinæ potentiæ ratio habenda eſt, objicienda eſt ipſius libertatis veluti teneritudo, quæ tanta ſit, ut ſi valida motione agatur, eam frangi timendum ſit; aut ipſius dura aſperaque indoles, quâ ſe flecti non ſinat, niſi ipſi Deus veluti molliori motione adularetur, eamque demulceret, & quis dubitet ita à ſuo Authore inſtitutam fuiſſe libertatem, ut etiam dum moveretur, ad ſervandum eum ordinem in quo repoſita eſt partes ſuas conferret.

Nec quiſquam hæc difficiliùs intelligi poſſe objiciat. Quot enim etiam in clariſſima luce poſita ſunt, quorum rationes veluti *In majeſtate naturæ*, ut Plinius loquitur, reconduntur. Plurima colligit Philoſophus Arabs, Algazel, refertque Pugio Fidei initio cap. 5. quorum nedum ratio lateat, ſed quibus etiam apertiſſima Philoſophiæ principia adverſari videantur. *O ſi eſſet ipſa beata vita*, inquit Auguſtin. Epiſt. 151. Nebridio ſcripta, à quo ob eximiam ſapientiam beatus vocatus fuerat, *O ſi eſſet*, inquit, *ipſa beata vita, ſciret extrema ſphæræ tardiùs rotari quàm medium; & alia ſimilia quæ ſimiliter novimus*, & quæ tamen nemo mortalium ſatis comprehendit. Hoc enim veluti naturæ ænigma, & publicum, & occultum tam explicatu difficile, quàm omnium oculis obvium Ariſtoteles ipſe animadvertit, in QQ. Mechan. de quo videndus Merſennus Ordinis Sancti Franciſci de Paula. Huc ſanè ubi de Religione, ac Divinæ gratiæ Myſteriis agitur illud Apoſtoli ad Coloſs. 2. advocandum eſt, & cavendum *Ne quis in ſublimitate* ſermonis, aut ut Græcum habet, ne quis *Paralogiſmis, & falſis ratiocinationibus nos decipiat*.

Hæc omnia pro noſtro modulo explicare conati ſumus ex D. Thom. principiis quibus nulla in Scholis ſolidiora uſurpari poſſe exiſtimamus. Quòd ſi infra earum rerum quæ explicandæ erant ſublimitatem ſint ea quæ diximus; alicujus tamen ſolatii loco erit, totius naturæ vocibus noſtras laudes conjunxiſſe, ac tantæ etiam magnitudini impares viribus defeciſſe: & ut cum D. Proſpero Epiſt. 60. loquar, nulli quidem mortalium Deum Divinamque operationem comprehendere conceſſum eſt:

Sed miris operum ſignis oſtenditur Author,
Rectoremque ſuum condita quæque canunt.

Et ſi Divina gloria, ac Divina operatio, quâ potiſſimùm in ordine ſuperiori homines regit, & ad ſalutem permovet, loquendi vires, animique vigorem ſuperet:

Nos tamen officio cordis gaudemus & oris,
Et tanto oblectat ſuccubuiſſe bono.

Unum

Unum mihi Lectoribusque optandum supereſt, ut nedum *Defensoribus*, ſed & *participibus Divinæ gratiæ*, ut Auguſtinus de Prædeſtin. Sanctor. cap. 11. loquitur, hæc felicitas contingat: ut qui nihil ſibi tribuunt, nec in ſua virtute gloriantur; totum à Deo accipiant, & gloria noſtra, & ſalus noſtra Deus ſit. Et quæ Cæleſtinus Pontifex ſentienda; credendaque Epiſtola ad quoſdam Epiſcopos Galliæ cap. 12. definit, velim ipſi peroptemus, ac flagrantiſſimis precibus à Deo flagitemus: ut *Omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio Fidei attenditur, Deum profiteamur authorem: & non dubitemus,* (ſed optemus etiam) *ab ipſius gratia omnia merita præveniri, per quam ſit ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non auferatur liberum arbitrium, ſed liberatur, ut de tenebroſo lucidum, de pravo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit providum. Tanta eſt enim erga omnes homines bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt æterna præmia ſit donaturus. Agat* itaque *in nobis, ut quod vult, velimus, & agamus: nec otioſa eſſe in nobis patiatur, quæ exercenda, non negligenda donavit, ut & nos cooperatores ſimus gratiæ Dei, ac ſi quid nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſolicitè recurramus, qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidie dicimus: Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Adſitque tandem Divina gratia, quæ perſeverandi tribuat, ut Auguſtinus loquitur, *delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem; ut hujus gratiæ beneficio, viribus, meritiſque convertamur, præliemur, coronemur.* Ex lib. de Corrept. & Grat. cap. 8. & 13.

Collaudetur Chriſtus Rex gloriæ,
Qui per Thomam lumen Eccleſiæ,
Mundum replet doctrinâ gratiæ.
Ex Brev. Prædic.

Finis Tomi Secundi, & Ultimi.

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Secundo, & Ultimo Tomo continentur.

A

ABSTRACTIO à ſenſibus exigitur in Prophetia quæ fit ſecundùm viſionem imaginariam. pag. 216. col. 1.

Actiones omnium ſecundorum agentium fundantur ſuper actionem primi agentis. pag. 160. col. 1.

Actum voluntatis dependere à Deo neceſſe eſt etiã ſub ea ratione qua fit à voluntate; quod fieri non poteſt niſi ex gratia effectrice præveniente. p. 87. col. 2.

Adamus Paradiſum Terreſtrem excolebat, ad voluptatem & ad experiendas naturæ vires. pag. 248.

Adami felicitas: ejus delitiæ erant ipſa viſio Dei, & cum Deo familiaritas. pag. 248.

Adamus poſitus in Paradiſo, ut ipſum Adamum Deus excoleret. ibid.

In Adamo perfectum integrumque Divinæ Gratiæ imperium, pag. 249.

Adami peccato immutatam fuiſſe naturam quidam exiſtimarunt: etiam imminutum lumen Solis, pag. 270. col. 1.

Adamum Deus poſuit in Paradiſo ut ipſum Adamum excoleret, unde colligitur efficaci gratia permotum fuiſſe. pag. 260. col. 1.

Adamo producto Deum Scriptura Dominum vocat, ut intelligeretur quantum expediret homini ſub dominatione Dei vivere. pag. 361. col. 2.

Adamus non potuit habere ſolùm à Deo ut eſſet, & à ſe quòd bonus eſſet. pag. 262. col. 1. pag. 264. col. 2.

Adami culpam propriæ poteſtatis præſumptio præceſſit, non fuiſſet autem præſumptio ſi ſola ſufficiens gratia accepta ſatis ipſi fuiſſet. pag. 263. col. 1.

Adamus quò Deo ſanctitate propinquior erat, eò efficaciori gratia movebatur. Ibid. pag. 2.

Adami peccati origo fuit, quòd appetierit ſimilitudinem Dei quantùm ad propriam poteſtatem operandi. pag. 267. col. 1.

Adamus peccavit, quia recurſum ad divinum auxilium non habuit. pag. 268. col. 2.

Adamus pro evitando malo quod odimus & facimus orare non debuit. pag. 269. col. 1.

Adamus Sacrificia Deo obtulit, quamvis id Scriptura taceat, ne videretur in eo ſanctificationis origo fuiſſe, ſicut & peccati. pag. 259. col. 2.

Adamum per aliquot dies in Paradiſo moratum fuiſſe non improbabile eſt: uno ſolùm die moratum in eo non pernoctaſſe probabilius. pag. 274. col. 2.

Adamus perfectiſſimè habuit dona Spiritus Sancti, cùm ad perfectionem gratiæ pertineant. pag. 275. col. 1.

Adamus ea motione ex donis Sipiritus Sancti movebatur, quæ non poterat eſſe ſubdita ejus voluntati. Ibid.

Adamo in ſtatu Innocentiæ collatum fuit Prophetiæ donum ſub quo errare non poterat. pag. 189. col. 1.

Adamus in extaſim raptus fuit, ut particeps fieret curiæ Angelicæ: in quo non potuit non eſſe efficaciſſima motio. pag. 294. col. 2.

Adamus habuit cognitionem Angelorum & eorum diſtinctionem & officia cognovit, meliùs quàm nos cognoſcamus. pag. 295. col. 2.

Adamus ad ſupremum contemplationis gradum evectus eſt, incommutabili veritate, & irradiatione primæ veritatis illuſtratur. pag. 295. col. 2.

Adamus in ſtatu innocentiæ beatior erat quàm quilibet juſtus in hac infirmitate mortali. pag. 266. col. 2.

Adamus in monte Calvariæ ſepultus, ut dum pretioſus Sanguis pulverem antiqui peccatoris dignatur contingere, redemiſſe credatur. pag. 167. col. 2.

Adjutorium duplex ex D. Auguſt. alterum quo fit actio, alterum ſine quo non fit. pag. 13. col. 1.

Adjutorio *Quo* eguiſſe Adamum non negat D. Aug. abſolutè, ſed ſolum attenta infirmitate naturæ. pag. 340. col. 2.

Adjutorium juſtùm & juſtè conferri dicitur, cùm exigitur ſuo modo ratione habituum. pag. 225. col. 2.

Adjutorium *Quo* non poſſe reponi in multitudine auxiliorum defectibilium. pag. 237. col 2.

Auxilia omnia ſi defectibilia ſint, nulla eſſe poteſt certitudo divinæ ſcientiæ qualis eſſe debet, ſcilicet metaphyſica & omnimoda. pag. 233. col. 2.

Adjutorium *Quo* non ad ſolam perſeverantiam finalem, ſed ad ſingulos actus pertinet. pag. 238. col. 8.

Adminicula ſunt ſalutis objecta omnia externa, ſed interiot effectrix gratia ſola vera cauſa eſt. p. 233. col. 1.

Adminicula omnis generis quæ moraliter movere poſſunt voluntatem, recenſet Divus Thomas, & præterea aliud majus auxilium exigit. Ibid.

Adminicula vocat D. Thomas occaſiones ſalutis non veras cauſas effectrices. Ibid.

Adminicula varia & varii generis neceſſaria eſſe multiſque de cauſis admittit D. Thomas, non tamen ea ſolùm ſufficere. pag. 237. col. 1.

Admiratio conſequitur contemplationem ſublimis veritatis, pag. 305. col. 2.

Æqualitas omnium auxiliorum non requiritur, ut fiat unius præ alio reprehenſio: requiritur ſolùm proxima auxilia eſſe æqualia. pag. 121. col. 1.

Agricola adhibitis adminiculis ſterilitatem vitis impedit: ſic Divina Sapientia diſpoſitis variis cauſis effectus infallibiliter producit. pag. 161. col. 2.

Amentiam quandam ſanctã efficit Divinus amor ex nimio ardore. pag. 286. col. 1.

Amor Divinus extaſim facit, nec ſinit amatores eſſe ſui juris. pag. 286. col. 1.

Amor Spiritus Sancti torrens dicitur, quia impetum facit in animam, voluptatem injicit, nec poteſt ei reſiſti. pag. 287. col. 2.

Amoris Divini varii effectus, languor, ardor, tranſfuſio. pag. 303. col. 1.

Amor interdum adeò intenſus, ut anima exclamare debeat, quia amore tuo ardeo. pag. 303. col. 1.

Amorem Divinum neceſſe eſt animæ infundi, ut animæ Deo in amore vices rependat. pag. 303. col. 2.

Amoris Divini captiva voluntas ex Divina motione, libera tamen eſt. pag. 395. col. 1.

Amoris Divini ita Deus Author eſt, ut dicatur amare ſe, cùm anima ipſum amat. p. 266. col. 2.

Amoris Divini quoddam eſt felix delirium, cum in ardentes ſupra rationem exceſſus prorumpit. pag. 307. col. 1.

Amoris Divini mira vis, quæ animæ Sanctæ ferunt, nec tacere poſſunt, nec loqui ſciunt. p. 307. col. 1.

Amor interdum major eſt, quàm ſit ipſa cognitio: unde non ſatis eſſe moralem motionem concluditur. pag. 309. col. 2.

Amoris Spiritualis contemplatio principium eſt, ſicut amoris ſenſitivi viſio. pag. 310. col. 1.

Amoris Divini alterum principium eſt ipſe guſtus & experientia. Ibid.

Amor notitiam quandam eſſe explicatur. Ibid.

Amor in perfecta contemplatione magis cognitionem generat, quàm cognitio amorem. pag. 39. col. 1.

Angelus moraliter voluntatem movet, & ex parte objecti. pag. 69, col. 2.

Angelus dici non poteſt eſſe cauſa principalis converſionis voluntatis. ipag. 67. col. 2.

Angelus comprehendens naturam poſſet æquè moraliter movere voluntatem, ac Deus, ut infallibiliter conſenſum voluntatis obtineret. pag. 74. col. 1.

Angelis mediantibus Divinæ revelationes ad homines perveniunt. pag. 176. col. 2.

Angelum Pelagianorum princeps beatitudinem per virtutem ſuæ naturæ, non à Divino auxilio habere voluit. pag. 136. col. 2.

Angelorum cognitio eſt uniformis, immobilis, & indefectibilis; ideoque eſt regula humanæ cognitionis. pag. 191. col. 2.

Angeli Divina motione prævenïente effectrice moti ſunt in ſtatu viæ. pag. 326. col. 2.

Angeli ſeipſos meliores feciſſent quàm eſſent à Deo facti, ſi gratia ſolùm ſufficiens ipſis conceſſa fuiſſet. pag. 327. col. 1.

Angelis homines pares eſſe poſſunt beneficio Redemptionis: *Nollem habere locum Angeli ſi poſſem habere locum debitum homini*, pag. 324. col. 1.

Angeli in primo inſtanti peccare non potuerunt: unde neceſſe eſt efficaci gratia eos permotos fuiſſe. pag. 328. col. 1.

Angeli in primo inſtanti mereri potuerunt non peccare: quia quidquid eſt in merito eſt à Deo. p. 234. col. 2.

Animæ moventis corpus exemplo explicatur Divinæ motionis efficacia, prioritas, & cum libertate concordia. pag. 25. col. 2.

Animæ vita Deus. Moritur corpus cum recedit anima: moritur anima cum recedit Deus. p. 26. col. 2.

Anima Sancta interdum ſentit Deum tanto amore circa ipſam occupari quaſi omnium creaturarum ſit oblitus. pag. 303. col. 1.

Anima nunquam ſatiari poſſet, niſi Divinus Amor, & Divinum gaudium in ipſa eſſent. pag. 303. col. 2.

Anima nunquam verè quieſceret niſi poſſet in amore vices rependere. pag. 303. col. 2.

Anima ligatis ſenſibus aptior efficitur ad percipiendum influxum ſpiritualium ſubſtantiarum & percipiendos ſubtiles motus, qui ex impreſſionibus cauſarum naturalium in imaginatione linquuntur. pag. 315.

Anima cum homo appropinquat ad mortẽ quo ſenſu dicatur futura prænoſcere. Ibid.

Antecedens voluntas in Deo ſimilis eſt ſinceriſſimo Abrahæ affectui circa filium. pag. 358. col. 2.

Antecedens voluntas & conſequens non recte à Janſenio explicata. pag. 253.

Antecedentem voluntatem exiſtimat Janſenius pro ſtatu naturæ lapſæ conſiſtere in ſola præ tione *mentis & nuda velleitate nihil gratiæ cauſante*. pag. 256. col. 2.

Antecedentem voluntatem ne admitteret viam ſibi

ſibi Janſenius occluſit negatis ſufficientibus auxiliis ab efficacibus diſtinctis. pag. 358., col. 1.

Diva Apollonia ex motione Spiritus Sancti ſe ſe in ignem paratum injecit. pag. 280. col. 1.

Apoſtoli inſolita Spiritus Sancti motione acti ebrii exiſtimati ſunt. pag. 280. col. 2.

Apoſtolorum fortitudo ex dono Spiritus S. divina virtute ut ſua utebatur. pag. 285. col. 1.

Apoſtoli cum ſiſterentur judicibus momento à Spiritu Sancto edocebantur: in quo præſentiſſima & efficaciſſima divina motio intelligitur. pag. 249. col. 1.

Apoſtolos Deus movebat tangendo, modificando, inſpirando. pag. 294. col. 2.

Appetitus ſuperior movet inferiorem ſicut ſphæra ſuperior inferiorem movet. pag. 177. col. 2.

Aratri partes multæ ſunt, ſolo vomere ſcinditur terra: ita plura pertinent ad motionem moralem, ſola phyſica voluntatem convertit. p. 69, col. 1.

Ars in ſuo actu impediretur, ſi cum agendum eſt deliberaret de agendis. pag. 301. col. 1.

Aſtrologus ex motibus Cæleſtibus ſicut ex cauſa remota poteſt judicare de bonitate intellectus. pag. 115. col. 2.

Aſtrologi mentiuntur; unde Mendaces in Scriptura nominantur. pag. 196. col. 1.

Aſtrologus judicat ſecundùm cauſas proximas, pag. 387. col. 2.

Atomorum complexionem veluti telas aranearum pro rerum principiis Recentiores rebus omnibus ſuppoſuiſſe videntur. pag. 213. col. 2.

D. Auguſtinus quàm patienter eos qui diverſa ſentiebant in unitate tamen fidei ferebat. pag. 122. col. 2.

D. Auguſtini converſio clariſſimum argumentum eſt, Deum variè cauſas diſponere ad effectum certò obtinendum. pag. 172. col. 2.

D. Auguſtinus divina revelatione ex veteri errore revocatus eſt pag. 215. col. 1.

Vocationem duplicis rationis admiſit, alteram ſine qua conſenſus voluntatis non fieret, alteram quæ conſenſum efficeret. pag. 211. col. 1.

D. Auguſtini Authoritatem rationi anteponit D. Thomas. pag. 250.

D. Auguſtinus ubi ratione divinæ voluntatis aut Fati efficaciam explicat, vim divinæ motionis & cauſarum dependentiam à prima admittit. pag. 157. col. 2.

Efficaciam gratiæ in ſupernaturali ordine probat comparatione operationis & motionis divinæ in ordine naturæ pag. 259. col. 1.

D. Auguſtinus cæleſtem dulcedinem paſſus cui ferendæ ſe imparem ſentiebat. pag. 302. col. 1.

D. Auguſtini ſententia ex lib. ad Simplicianum explicatur. pag. 211. col. 1.

D. Auguſtin. explicat D. Thomas quantum ad diſcrimen conſtitutum inter duplicem ſtatum naturæ innocentis & infirmæ. pag. 341. col. 1.

D. Auguſtinus Pelagianos quos ratione gloriari delectabat authoritate Scripturæ confutat. pag. 343. col. 2.

D. Auguſtinus contra Stoicos & Philoſophos cum de divina Providentia & Fato agit rationes omnes etiam ex Philoſophia deſumptas advocat. pag. 340. col. 1.

Occaſione diſputationis cum Adrumetinis Monachis pertractus eſt ut aſſereret Adami arbitrio relictum fuiſſe ut perſeveraret ſi vellet. pag 344. col. 2.

Alteram denegationis gratiæ in Adamo cauſam afferre poterat communem cæteris, etiam & Angelis. pag. 345. col. 1.

Quæſtione de origine mali fatigatus in errorem Manichæorum incidit. pag. 345. col. 2.

Pro varia occaſione varias rationes adhibet non tamen adverſas: de quo plurima exempla referuntur. pag. 346. & ſeq.

Avicenna an. 1050. vivebat: Ariſtotelis Metaphyſicam didicerat & Alcoranum quem profitebatur. pag. 41. col. 1.

Avicenna multitudinem rerum à Deo uno & ſimplici oriri poſſe non intellexit. pag. 41. col. 1.

Authores Canonici in ſcribenda Scriptura Sacra ſpecialiſſima motione divina movebantur. pag. 31. col. 2.

Authores Canonici in ſcribendo non conabantur, quia non ſua induſtria, ſed divino impulſu ſcribebant. pag. 322. col. 2.

Auxilium duplex: Alterum quod correſpondet facultatibus naturalibus & eſt ſufficiens, alterum quod tribuit agere & eſt efficax. pag. 3. col. 2.

Auxilium duplex ex Apoſtolo D. Thomas diſtinguit: alterum eſt facultas exequendi, alterum actualitas. pag. 4. col. 1.

Auxilium entitate duplex, ſed unicum à Deo cofertur cùm homo convertitur. pag. 223. col. 1.

B

BAnneſii maxima laus quòd ipſum D. Thereſia charum habuerit, cui à Confeſſionibus fuit. pag. 308. col. 1.

Beatitudo eſt ultima hominis operatio, & eadem ut habet conjunctam delectationem eſt fructus. pag. 312. col. 1.

Bellarmini ſententia voluntatem prius operari, quàm Deum: & Deum operari, quia voluntas operatur non econtra. pag. 62. col. 1.

Bellarminus D. Thomæ ſententiam commendat ut Scripturæ conſentaneam. & Molinæ doctrinam à ſenſu Scripturarum alienam eſſe inquit. pag. 115. col. 1. 2.

Benè fortunati ſunt qui ex impreſſione Cælorum inclinantur, & ab intelligentiis illuminantur, & à Deo moventur ad aliquod utile eligendum

cujus rationem ignorant. pag. 192. col. 1.
Bene aut male nati dicuntur qui ex impressione cælesti dispositionem bonam aut pravam habent. ibid.
Bene fortunatus robur & efficaciam ad implendum quod eligit à superioribus causis accipit. ibid. col. 3.
Breve ab Alexand. VII. S. P. in laudem D. Aug. & D. Thomæ editum, ab ipso lectum observatum, probatumque fuit. pag. 351. col. 2.

C

CAiphæ linguam Deus olim ut instrumentum movit, non tamen ejus mentem, cum non haberet intentionem prophetandi. pag. 119. col. 1.
Caiphas à Spiritu Sancto motus nesciebat quid ejus verba significarent: secus est de Prophetis. pag. 292. col. 1.
Cælorum motio adeò necessaria, ut si deesset ignis non alteraret pag. 4 col. 2.
Cælorum influxus indifferens est quia non potest ad ultimas effectuum productorum differentias pertingere: secus Dei concursus. pag. 46. col. 1.
Cæli quò perfectiores eò etiam magis uniformem motum habent. pag. 46. col. 1.
Cælos inferioribus influere luculento exemplo comprobari potest, cùm Luna in Leone existente vestes incisæ brevi veluti combustæ discindantur. pag. 176. col. 1.
Cæli imprimunt in corpus humanum non in voluntatem. pag. 189. col. 3.
Cælorum motus est simplex uniformis & continuus, ideoque est regula motuum sublunarium. pag. 191.
Cæli auxilium à terra si tolleretur omnia statim deficerent. pag. 196. col. 1.
Canicula stella ex aliarum conjunctione varios effectus producit. pag. 164. col. 2.
Canticum Moysis cum à Judæis caneretur ingens miraculum, ut etiam muti ac infantes idem canerent. pag. 324. col. 1.
Causæ secundæ non constituunt legem necessitatis, vel contingentiæ, sed ipsi subjiciuntur, unde causa necessaria agit necessariò, nec potest necessaria agere liberè ut causa prima. pag. 35. col. 1.
Causalitati cujuslibet causæ subditur solum quòd effectus sit; sed quod sit liberè vel necessariò dependet ex causa quæ producit ens & ejus differentias. pag. 35. col. 2.
Causa libera per se non efficit libertatem sicut nec rationem entis, nisi virtute accepta à causa superiori prima. pag. 36. col. 2.
Causa prima maximè influit in effectum, sed ejus influentia per causam proximam determinatur: explicatur ex D. Thoma. pag. 48. col. 1.
Causa dicitur esse alicujus actus, id quod movet proprium principium ad illum actum p. 65. col. 1.
Causa directa actus est ea quæ applicat potentiam ad agendum. pag. 76. col. 1.
Causalitas eadem est Sacramentorum, & divinæ motionis, scil. Physica. pag. 76. col. 1.
Causalitati divinæ gratiæ potiora tribuuntur quàm causalitati Sacramentorum. pag. 78. col. 2.
Causalitas propria non alia est nisi causalitas physica seu per modum causæ efficientis. p. 80. col. 1.
Causa disponens consilians & præcipiens solùm non est vera & propriè causa. pag. 80. col. 2.
Causa propriè dicta est ad quam ex necessitate sequitur effectus. pag. 81. col. 1.
Causa principalis actionum meriti voluntatis Deus est. pag, 82. col. 2.
Causa omnis quo altior est eò ad magis infima descendit. pag. 146. col. 2.
Causæ omnis agentis intentio in ipsa causalitate fundatur & æquè utraqne extenditur. pag. 46. col. 2.
Causarum præparationi non potest solùm tribui efficacia divinæ voluntatis, quia aliàs divina intentio sisteret in ea causarum præparatione. pag. 156. col. 2.
Causa sufficienti posita & non impedita infallibiliter sequitur effectus. pag. 62. col. 1.
Causa nulla particularis potest esse extra ordinem causæ universalis: unde ex universalitate divinæ providentiæ concluditur infallibilitas effectuum. pag. 164. col. 1.
Charitatis cum divina motione comparatio: utraque secundum entitatem mutabile relinquit liberum arbitrium; ut est à Spiritu Sancto immutabile efficit. pag. 135. col. 1.
Charitas perfecta in Cælo totaliter ligat cum Deo animam. pag. 305. col. 2.
Christus solus sicut malus inter ligna sylvarum: cui gratia connaturalis est. pag. 1.
Christi oratio efficax interdum non habet effectum propter impedimentum mundanorum. pag. 8. col. 1.
Christus non exteriori intuitu, sed visitatione gratiæ Petrum convertit. pag. 68. col. 2.
Congruentiis Deus fortitudinem addit ad flectendam voluntatem. pag. 69. col. 1.
Christus post increpationem Corozaitarum tacitæ objectioni respondet, cur apud Tyrios miracula non edidit, quibus conversi fuissent. pag. 119. col. 1.
Christus variis modis homines allexit, in Joanne abstinentiam, in se mansuetudinem ostendendo: sicut venatores variis viis feras insequuntur. pag. 119. col. 1.
Christus tacitæ objectioni respondet cur apud Tyrios edita non sint miracula, quibus conversi fuissent: solam divinam voluntatem causam esse. pag. 119. col. 1.
Christus specialissima motione movebatur, servata tamen libertate, quia etiam Sanctorum

piæ

piæ voluntates illæsa libertate à Deo moventur. pag. 131. col. 1.
Christus præclarissimum lumen est prædestinationis & gratiæ. pag. 242. col. 2.
Operatio divina in Christo est forma & exemplar operationis divinæ in nobis. ibid.
Christus clarissimum est lumen prædestinationis & gratiæ, quia per hujus prædestinationem & nostra prædestinatio, & vis divinæ gratiæ in nobis manifestantur. pag. 270. col. 1.
Christus efficacissima motione movebatur ex donis Spiritus Sancti quorum plenitudo in ipso erat. pag. 271. col. 1.
In Christo actus omnes quos eliciebat, erant nedum virtutum, sed etiam donorum actus. pag. 275. col. 2.
Christus singulariter quosdam actus ad nostram informationem elicuit in quibus magis conspicua erat divina motio. pag. 276. col. 1.
Christum non esse mortuum pro omnibus animo eos redimendi Jansenius arbitratur. pag. 377. col. 1.
Christus pro omnibus mortuus est, sicut & Deus vult omnes homines salvos fieri. pag. 378. col. 1.
Christus pro aliquibus efficaciter, pro omnibus sufficienter mortuus est: quia non habet effectum nisi in electis propter impedimentum mundanorum. pag. 379. col. 1.
Colmariensis Virgo Ord. Præd. in Crucifixum oculos intendens repente dolore & amore transverberata interiit. pag. 299. col. 2.
Cleopatra dicta est filia fœminarum ob egregiam formam, quasi pulchitudinis omnis compendium. pag. 323. col. 2.
Cognitionis progressus fit ex sensu in memoriam, ex memoria in experientiam, & ex experimento in prima principia. pag. 297. col. 2.
Cognitio sine conversione ad phantasmata non pertinet ad Sanctitatem, neque est cognitio hujus viæ. pag. 318. col. 2.
Cognitio viæ si esse posset sine conversione ad phantasmata possent videri substantiæ separatæ. pag. 319. col. 2.
Complementum agentis secundi est ex virtute agentis primi. pag. 83. col. 2.
Complementum potentiæ est ipsa efficax gratia, non tamen complementum potentiæ secundùm se, sed ut cum actu conjungitur. pag. 381. col. 1.
Complementum potentiæ etsi dicatur divina motio, non tamen adversa sententia est illi quæ asserit esse solam applicationem potentiæ. p. 382. col. 2.
Concilium Senonense principalem causam bonorum operum gratiam esse statuit. pag. 82. col. 2.
Concilia orationem recitant ex qua gratiæ prævenientis & effectricis efficacia probatur. pag. 78. col. 1.
Conciliorum definitionem egregia divinæ motionis esse prævenientis & effectricis argumenta. pag. 326. col. 1.
Concursus indifferentis sententia similis sententiæ veterum qui effectus in causas proximas non omnium primam referebant. pag. 27. col. 2.
Concursus Cæli est indifferens quia non pertingit ad omnes differentias effectuum productorum: secùs concursus divinus. pag. 46. col. 1.
Concursum suum Deus ipse temperat & determinat juxta causarum conditionem, non verò determinatur à causis secundis. pag. 47. col. 2.
Concursu simultaneo explicari non potest Deum facere ut faciamus. pag. 86. col. 1.
Concursus simultaneus non efficit actum voluntatis sub ea ratione qua exit à potentia. p. 87. col. 1.
Concursu solo simultaneo in proprio sensu explicari non possunt quæ de prœveniente gratia in Scriptura S. habentur. pag. 92. col. 1.
Concursum indifferentem repugnare multis probatur. pag. 145. col. 2.
Congregatio S. Officii eam recitat orationem ex qua probatur efficacia divinæ gratiæ. pag. 78. col. 1.
Congruentiis Deus utitur ad convertendos homines. pag. 69. col. 1.
Congruitas gratiæ & contemperatio cum resistentia voluntatis legitimo sensu admitti potest. pag. 205. col. 2.
Consilii dono homo regitur, ut veluti consilio à Deo accepto agat. pag. 284. col. 2.
Consilii donum certitudinem injicit, ut interdum dubitandi facultas ablata esse videatur. Ibid.
Contactus quidam est divina motio qua Deus tangit & movet & in anima existit. pag. 32. col. 1.
Contactus nomine propriissimè divinæ motionis vera notio, sicut, & operationis qua in rebus existit explicatur. pag. 148. col. 1.
Concursus divinus non determinatur à causis secundis, sed eas determinat, & in ipsis omnia efficit. pag. 28. col. 2.
Concursum divinum determinari à causis secundis, sententia est Veterum quam refellit D. Thomas. pag. 29. col. 1.
Concursus indifferens efficit ut distinctio graduum liberi & necessarii sint præter intentionem Dei. pag. 29. col. 1.
Concursum causæ universalis cælestis indifferentem esse, quia non est causa directa contingentiæ vel necessitatis: Secus vero concursum causæ primæ. pag. 45. col. 1.
Concursus causæ primæ non est indifferens, quia alioquin effectus esse vel necessarios vel contingentes esset præter hujus intentionem. Ibid. col. 2.
Conservatio non est à Deo per novam actionem, sed per continuationem actionis quæ dat esse. pag. 195. col. 2.

Conſervantur inferiora omnia tum mediis cauſis ſuperioribus, tum immediatè ab ipſo Deo. pag. 196. col. 2.
Contingens & neceſſarium ſunt differentiæ entis: ab ea ſolum cauſa directè fiunt à qna ſit ens. pag. 36. col. 1.
Contingens certitudini divinæ cognitionis non repugnat niſi ſecundùm quòd futurum eſt. pag. 161. col. 1.
Contingentiam cauſarum aut neceſſitatem in ſolam cauſarum conditionem quidam referunt, quos impugnat D. Tho. pag. 42. col. 2.
Contemplativi locum Prophetarum in Eccleſia obtinent. pag. 287. col. 2.
Contemplatio quoddam Prophetiæ genus eſt. pag. 288. col. 1.
Contemplatio eſt inchoatio quædam futuræ beatitudinis. pag. 298. col. 1.
Contemplatio ex dono intellectus ita mentem perficit, ut ſpiritualia quaſi nuda veritate capiantur. pag. 299. col 1.
Contemplatio eſt ſupra hominem: quia in intellectus ſimplici viſione continuatur ſuperioribus ſubſtantiis ſeu Angelis. pag. 299. col. 2.
Contemplatio perfecta diu durare non poteſt, quia nulla actio in ſummo diu durare poteſt. pag. 302. col. 2.
Contemplationis actus erubeſcentia, admiratio, ſtupor. pag. 304. col. 2.
Contemplationis arcana ſolis expertis patent. *Ibid.*
Contemplatio perfecta caret diſcurſu, quia fit ſupra humanum modum. ibid.
In altiori contemplatione Deus non tantùm adjuvat cultricem animam, ſed ipſe cultor eſt, à quo omnia fiunt. pag. 306. col. 2.
Contemplatio ſomnus quidam eſt potentiarum, quamvis ipſæ agant, ſed ſupra communem agendi modum. pag. 306. col. 1. 2.
Contemplatio etiam perfectiſſima non fit ſine converſione ad phantaſmata. pag. 319. col. 2.
In contemplatione altiſſima ex ſpeciebus intelligibilibus aliæ formantur in imaginatione propter naturam intellectus, qui ſine phantaſmatibus non poteſt intelligere. pag. 320. col. 1.
Contemplatio perfecta eſt quando mens rapitnr à ſenſu, & ab imaginatione, uſque ad intellectualem viſionem ſicut ad tertium Cælum pag. 320. col. 1.
Contemplativorum libertas perfectiſſima comparatione libertatis Angelorum in via explicatur. pag. 332. col. 1.
Converſio ad phantaſmata adeò neceſſaria eſt in cognitione viæ, ut ſolum in Chriſto neceſſaria non fuerit. pag. 319. col. 2.
Cor hominis eſt ſicut grave, quod ſemper deorſum tendit, niſi divina gratia trahatur. p. 121. col. 1.
Corozaitarum præ Tyriis increpatio commune continet argumentum, cui neceſſe eſt omnes reſpondeant ad defendendam fidem. pag. 118. col. 1.
Corozaitarum accuſatione aliquem tropum contineri, & familiarem modum loquendi uſurpari explicatur. pag. 119. col. 1.
Corozaitas Tyriorum comparatione increpari potuiſſe latè oſtenditur. pag. 120. col. 1. & ſeq.
Creatura ſpectaculum eſt quæ divinam gratiam commendat. pag. 3. col. 1.
Creatio, conſervatio, & immenſitas inter ſe ſe connexionem habent. pag. 196. col. 2.
Creatura quidquid facit ſub nomine creaturæ imperfectum eſt, ideò neceſſe eſt ut divinus amor in ipſa ſit. pag. 303. col. 2.
Creatura non habet à ſe niſi malum, & nihilum: quia ſi Deus ſua retraheret, nihil aliud ſupereſſet. pag. 345, col. 1.

D

DAniel repente nulla præeunte diſpoſitione ſpiritu Prophetiæ & lumine illuſtratus eſt. pag. 293. col. 2.
Deum per illapſum præſentem eſſe, primum efficacis gratiæ fundamentum. pag. 24. col. 1.
Deus poteſt immutare voluntatem multò ampliùs quàm voluntas immutet actum ſuum & phyſicè & illæſa libertate. pag. 25. col. 1.
Deum concurſus indifferens veluti indifferentem ſtatuit: ut olim Veteres quibus Rex Jupiter omnibus idem. pag. 28. col. 1.
Deus ſua omnipotentia facit ut cauſa libera liberè agat. pag. 43. col. 2.
Deus ſuum concurſum ipſe determinat juxta conditionem cauſarum: non à cauſis ſecundis concurſus ille determinatur. pag. 46. col. 1.
Deus facit ut faciamus movendo in ordine phyſico voluntatem. pag. 65. col. 2.
Deus dnpliciter movet voluntatem in ordine phyſico, & in ordine morali. pag. 67. col. 1.
Deo nos mancipat illius poteſtas, non noſtra voluntas. pag. 74. col. 2.
Deus eſt cauſa agendi inquantum confert potentiæ efficaciam agendi. pag. 72. col. 2.
Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum quam ipſi ſuas. pag. 81. col. 2.
Deus cauſa eſt principalis actuum voluntatis quatenus voluntatem movet prævie & per modum cauſæ efficientis. pag. 82. col. 2.
Deum expectare voluntatis conſenſum, ut cum ea concurrat Suarez exiſtimat. pag. 116. col. 1.
Deum aliquid à voluntate exigere quod ipſe præveniente gratia non efficiat, ut cum ea concurrat Molinæ ſententia. pag. 116. col. 2.
Deus etiam per accidens cauſa peccati dici non poteſt. pag. 121. col. 2.
Deus non eſt cauſa ſolum mediata, ſed etiam immediata, eo quòd agit per eſſentiam ſuam. pag. 165. col. 2.
Deus immediatè agit, quia cuilibet agenti adeſt inte-

interius quasi in ipso agens dum ipsum ad agendum movet. pag. 188. col. 2.
Deo nos subjicit sua gratia non nostra voluntas: Diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ejus potestas. pag. 242. col. 1.
Deus si moraliter solùm ageret esset solùm sicut erat in spectaculis Agonothetes Xystarches Epistates. pag. 278. col. 1.
Deus habitat in anima ut amet se de se. pag. 306. col. 2.
Deus nunquam deserit nisi prius ipse deseratur. pag. 313. col. 2.
Denegationis gratiæ causa semper est quia homo peccat, triplici ratione. pag. 254. col. 1.
Deus ita vult salutem hominis quasi homo essetDei Deus, & tota salus divina ex ipsius inventione dependeret. pag. 379. col. 1.
Denegationis gratia causa potissima in hominibus quandoque est peccatum originale. pag. 344. col. 1.
Determinat Deus voluntatem ex D. Thoma, sed non ex necessitate. pag. 149. col. 1.
Delectatio victrix non est, nisi cupiditatis voluptatem superet. pag. 222. col. 1.
Delitiis & divino amore melius divina percipiuntur. pag. 201. col. 1.
Diabolus potest movere voluntatem in ordine morali non physico. pag. 66. col. 1.
Diaboli motionis variæ conditiones diversæ ab his quæ divinæ motioni effectrici conveniunt. p. 71. col. 1.
Diabolo nostra nos mancipat voluntas: non illius potestas. pag. 74 col. 2.
Difficile est quod transcendit potentiam secundùm naturalem ordinem, quod tamen alterius auxilio fieri potest. pag. 352. col. 2.
Dilectio supereminet scientiæ: quia Deus plus diligitur quàm intelligatur. pag. 310. col. 2.
Divinitas cum humanitate in operibus miraculosis quodammodo colloquitur, ut quod in operibus naturæ sufficit cognoscatur. pag. 243. col. 2.
Dominium divinum exigit ut possit voluntatem salva libertate immutare. pag. 94. col. 2.
Dona Spiritus Sancti sunt perfectissimè in patria ubi Deus est omnia in omnibus. pag. 275. col. 1.
Dona sunt habitus quibus homo disponitur ut sit promptè mobilis ab inspiratione divina & Spiritu Sancto. Ibid. col. 1.
Dona Spiritus Sancti conjuncta sunt cum motione efficacissima Spiritus Sancti. pag. 275. col. 2.
Donorum Spiritus Sancti motio adeò efficax est, ut voluntas agi potiùs quã agere dicatur. p. 277. col. 1.
Dona Spiritus S. efficiunt ut homo moveatur supra communes regulas. pag. 282. col. 2.
Dona dantur in adjutorium virtutum, quæ ad movendum hominem non sufficiunt. pag. 284. col. 1.
Dono consilii homo dirigitur, sicut consilio accepto à Deo. pag. 284. col. 2.
Donum Fortitudinis habet pro mensura sui actus divinam potentiam, qua utitur ut sua. pag. 85. col. 1.
Donorum operationes mensurantur altiori regula, quæ est ipsa divinitas ab homine suo modo participata; ut jam non humanitas, sed quasi Deus factus participatione operetur. pag. 277. col. 1.
Ducis imperii moraliter milites moventis explicatur vis divinæ motionis quæ variè causas applicat. pag. 51. col. 1.
Durandus infallibilitatem effectuum in causarum diversa dispositione reponit. pag. 160. col. 2.

E

EBenum sine læsione aliquandiu durat in igne. pag. 53. col. 1.
Ebrius non loquitur secundùm se, sed secundùm impetum vini: sic plenus divino amore in extasim actus ex Spiritu Sancto loquitur. pag. 280. col. 4.
Ecclesia est instar agri in quo sunt omnium virtutum flores. pag. 2.
Effectus cujuslibet causæ ut est sub ordine providentiæ necessitatem habet, & ut est sub ordine causæ proximæ habet contingentiam. pag. 131. col. 1.
Efficax auxilium cum medicina comparatur, quæ est & sufficiens & efficax vi sua, & in actu primo. pag. 8. col. 1.
Efficaciam agendi Deus voluntati confert & ut agat & ut bene agat. pag. 21. col. 1.
Efficacis gratiæ nomen sumptum ut significat gratiam cum actu cõjunctam vel ab ipso sejunctam. pag. 22. col. 1.
Efficax gratia sive sufficiens interdum eadem vocatur à D. Thom. Ibid. col. 2.
Efficaciam agendi nisi Deus voluntati conferat non erit Author bonarum actionum. p. 61. col. 2.
Efficacis, seu effectricis gratiæ prævenientis difficultas præcipua fuit in Ecclesia ex D. Aug. p. 61. col. 1.
Efficax gratia non potest non esse, quæ vim habet ex divina Omnipotentia. pag. 92. col. 2.
Efficaciam gratiæ non ex vi ipsius gratiæ, sed ex consensu solius liberi arbitrii oriri opinio Molinæ. pag. 114. col. 1.
Efficaciam divinæ gratiæ explicandi modi quatuor esse possunt, ut in divina gratia varii respectus esse possint. pag. 124. col. 1.
Efficax gratia quamvis in applicatione potentiæ maximè posita sit, nihilo tamen minus vires ipsi confert & est ipsius complementum. pag. 127. col. 1.
Efficax gratia etsi vires conferat voluntati, quando deest, non ideo dicuntur divina præcepta esse impossibilia. pag. 281. col. 1.

Efficacia Divinæ voluntatis est causa infallibilitatis effectuum. pag. 156. col. 2.
Efficacia Divinæ voluntatis non est posita in sola præparatione causarum ; aliàs esset error Origenis &c. pag. 357. coll. 1.
Efficax gratia in congruitate & contemperatione consistit, qua obstinationem voluntatis superet. pag. 205. col. 2.
Efficaciam Divinæ gratiæ in quadam congruitate D. Aug. constituit. pag. 215. col. 1.
Efficax gratia pro sufficiente, & sufficiens pro efficaci interdum à D. Thoma accipitur. pag. 210. col. 1.
Efficax auxilium quamvis sit solùm applicatio, nisi sit in potestate voluntatis, voluntas non diceretur posse agere. pag. 365. col. 1.
Electio libera non excludit determinationem causæ primæ. pag. 90. col. 1.
Electorum salus est finis totius mundi ; finis motus Cœli est numerus electorum. pag. 331. col. 1.
Esau voluntatem cum Fide conjungendi modus ex D. Aug. Deo non defuit. pag. 121. col. 2.
Estius ut legitimum D. August. interpretem D. Thomam commendat. pag. 252. col. 2.
Estius D. Thomæ Doctrinam commendat ut opportunam ad intelligendam D. Augustini mentem. pag. 349. col. 2.
Est i judicium Jansenius recusare non potest, cùm ipsum maximè commendet. pag. 350. col. 2.
Extasis ex lege communi libertatem conjunctam non habet. pag. 314. col. 1.
In extasi ex singulari privilegio potest remanere perfecta libertas, ut in B. Virgine, de qua intelligi potest ; Ego dormio & cor meum vigilat. pag. 319.

F

FAmiliaritatem quandam mansio Dei in anima significat. pag. 312. col. 2.
Fatum esse mobile secundum quod à Divina Providentia dependet Ægyptiorum error. pag. 159. col. 2.
Fatum non aliud est quàm dispositio causarum ut subest Divinæ providentiæ. pag. 167. col. 2.
Faustum D. Augustinus reprehendit quod contraria & adversa in Scriptura quæreret. pag. 122. col. 1.
Felicem Manichæum qui malum in naturam refundebat August. reprehendit. pag. 370. col. 1.
Fiducia quâ Sancti mortuos suscitare aggressi sunt, non potuit non esse ex dono Spiritus Sancti. pag. 283. col. 1.
Filii Dei aguntur Divino Spiritu non solum tanquam ductore & Rectore, sed etiam motore principali. pag. 84. col. 2.
Fluvio violento comparatur efficacia Divinæ Gratiæ & impulsus Spiritus Sancti. pag. 85. col. 1.
Fœminæ quædam Sanctæ ex motione Spiritus Sancti sese in flumen immiserunt. pag. 280. col. 1.
Formam universalem nihil subterfugere potest, licet possit formam particularem ; potest enim aliquid esse quod non sit homo, sed non quod non sit ens. pag. col. 2.
Formæ naturales descendunt à formis quæ sunt sine materia. pag. 174. col. 2.
Formæ receptio plures dispositiones requirit : & sic receptio Divinæ Gratiæ plures liberi arbitrii motus exigit. pag. 207. col. 1.
Fortitudo, ut virtus habet pro mensura humanas vires, ut donum verò habet Divinam potentiam qua utitur ut sua. pag. 285. col. 1.
Fortitudini ut virtus est, sufficit ut homo non tristetur, quia molesta res est fortitudo. Ibid. col. 2.
Fortuna major & fortuna minor Jupiter & Venus dicuntur, quòd magis faveant. pag. 192. col. 2.
Fortunatus benè dicitur qui ex impressione cælesti inclinatur, & ab Intelligentiis illuminatur, & à Deo movetur ad aliquid sibi utile eligendum cujus rationem ignorat. pag. 192.
Fructus alius est rationis, alius Spiritus S: & est operatio voluntatis, ut vel à voluntate, vel à Spiritu Sancto oritur. pag. 312. col. 1.
Fructus ultimum est quod producitur & quandam suavitatem habet. Ibid.
Fructus donum Spiritus S. & beatitudo comparantur : eadem operatio ut perfectissima est Beatitudo ut à Spiritu Sancto est donum, ut habet delectationem est fructus. pag. 312. col. 1.
Futurum esse quod erit Veterum sententia, sicut esse possibile quod quandoque erit quandoque non erit : rejicitur à Divo Thoma. pag. 32. col. 2.
Futurum est quod est determinatum in causa ut postea sit, sicut necessarium determinatum in causa ut semper & solum sit. pag. 32. col. 3.
Futuræ res sunt quia Deus eas novit, non ideo eas novit quia futuræ sunt. pag. 238. col. 2.

G

GAudium Divinum Patris & Filii est ita & amare, & amari, & talirer amari. pag. 393. col. 1.
Gaudium ipsum Divinum necesse est esse in anima ut satiari possit. pag. 303. col. 2.
Gentilium nomina usurpari non debent ne propter verborum similitudinem errores probari videantur. pag. col. 1.
Gratia si desit, homo nihil potest, sed est ut avis sine aere & delphinus sine aqua. pag. 7.
Sine gratia homo sicut sine aqua : sitire potest se irrigare non potest. pag. 1. col. 2.
Gratia instar aquæ pluviæ & roris omnis generis flores producit. pag. 2.
Gratiæ Divinæ si impedimentum non apponatur

tur oritur ex ipsa gratia, pag. 81. col. 1.
Gratia efficit ut suave fiat quod non delectabat & innotescat quod latebat. pag. 16. col. 1.
Quantum gratia crescit tantùm & potentia proficit, & quantum gratia minuitur tantùm potentiæ detrahitur. pag. 15. col. 1.
Gratia infusa animæ cum nova Dei præsentia & operatione conjuncta est. pag. 26. col. 1.
Gratiæ divinæ quæ hominem ad ulteriora permovet, peccatum limitem apponit. pagina 20. col. 2.
Gratia efficax & effectrix præveniens est Dei influentia & efficacia collata voluntati ut agat & benè agat. pag. 60. col. 2.
Gratiæ effectricis & prævenientis controversia unica videtur fuisse in Ecclesia. pag. 61. col. 1.
Gratia sufficiens multis modis sumi potest & debet. pag. 7. col. 2.
V. sufficiens, & efficax.
Gratiam prœoperantem admittunt D. Augustinus & D. Prosper: hęc liberum arbitrium non aufert. pag. 67. col. 2.
Gratia si voluntati priùs existenti solùm cooperetur, non operatur, & velle. Ibid.
Gratiæ usus oritur ex ipsa gratia, alioquin distingueretur inter illud quod est ex gratia & ex libero arbitrio. pag. 62. col. 2.
Gratia præoperans non potest non esse prævia: eam admitti postulat Divus Prosper. pag. 91. col. 2.
Gratiam esse instar habitus: quòd influat dependere ab ipsa voluntatis libertate opinio Molinæ. pag. 114. col. 2.
Gratiam quantùm ad usum subjici libertati & expectare consensum liberæ voluntatis, Molinæ & aliorum opinio. pag. 116. col. 1.
Gratiæ efficacia variis modis explicari potest, qui omnes inter se se conveniunt nec principiis Divi Thomæ repugnant. pagina 124. col. 1.
Gratia divina potest considerari ut accidens, & sic relinquit voluntatem indifferentem, & ut efficax est, & sic determinat voluntatem. p. 136. col. 2.
Gratiam efficacem cum medicina D. Thomas comparat, quòd interdùm effectum ex resistentia voluntatis non habeat. pagina 290. col. 2.
Gratia sanctificans ab auxilio distinguitur, quòd agat in genere causæ formalis & omnem effectum habeat cujus est capax: secùs divinum auxilium. pag. 211. col. 1.
Gratia eadem in homine operata est ut resurgeret & in Angelo ne caderet. pag. 270. col. 1.
Gratiam Deus justo judicio denegat, sed illud judicium habet voluntatem *hominis* concomitantem, quæ gratiæ repugnat. pagina 360. col. 1.
Gratiam suam lumenque Deus omnibus offert, sed eo privantur qui oculos suos claudunt. Ibid.
Gratia etiam sufficiens est gratia medicinalis quæ sanitatem inchoat, quamvis non perficiat. pag. 366. col. 1.
Gratiæ interiori nunquam resisti Jansenius existimavit, & impugnatur. pag. 369. col. 1.
Gratiam sibi deesse multi causantur, sed justiùs ipsa conqueratur sibi deesse plures. pagina 370. col. 1.
Gratiæ denegationis causa in homine est ex D. Aug. peccatum originale. pag. 344. col. 1.
Gratiâ aliquem carere communiter Sancti dicunt causam esse quia eam ipse non vult accipere. pag. 350. col. 2.

H

H *Alleluja* hebraica vox verti potest *Insanite Deo* præ summa mentis exultatione. p. 286. col. 2.
Henoticon seu reconciliatorium ideſt formula Fidei in causa Monothelitarum à Felice III. reprobatur. pag. 246.
Hercules apud Veteres Samson existimatus est. pag. 279. col. 2.
Hercules à Romanis muscarum depulsor habebatur. Ibid.
Heroica virtus est secundùm quam homines divini dicuntur. pag. 276. col. 1.
Homo quantùm ad corpus subjicitur corporibus cęlestibus: quantùm ad Intellectum, Intelligentiis; quantùm ad voluntatem soli Deo. p. 81. col. 2.
Hominum merita Deo ut causæ principali tribuuntur, quia dat virtutem agendi. pag. 83. col. 2.
Hominis volentis, vel currentis non est velle vel currere, quia Deus est causa principalis quæ movet ad volendum & currendum. pagina 84. col. 1.
Homo vitio naturæ, & inserta independentiæ & libertatis cupidine Pelagianus est. pagina 136. col. 2.
Homo comparatus Mundo major Mundus dicendus est. pag. 117. col. 2.
Homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum. pag. 278. col. 1.
Homo per gratiam potest elevari ad modum qui est naturalis Angelo, ut patet in viris contemplativis. pag. 196. col. 2.
Homo inquantùm contemplativus est supra hominem, & in intellectus simplici visione continuatur Angelis. pag. 290. col. 2.
Hyperbolem esse cùm Christus Corozaitas prę Tyriis increpat, rectè defendi potest. pag. 89. col. 1.

I

I Ansenius in D. Thomam injurius: nimium suo ingenio fidere voluit. pag. 251. col. 2.

Janseniani systematis primum fundamentum discrimen gratiæ in utroque statu naturæ innocentis & lapsæ. pag. 253. col. 2.

Jansenius non rectè prædeterminationem physicam tanquam è Scholis Dialecticis in Theologiam immissas reprehendit. pag. 254. col. 2.

Solam necessitatem coactionis non voluntariam repugnare libertati existimat. pagina 255. col. 1.

Novam videndam fore Scholasticis suam de libertate doctrinam fatetur. Ibid. col. 2.

Voluntatem Dei Antecedentem & Consequentem malè pro variis statibus distribuit. p. 257. col. 1.

Antecedentem voluntatem in statu naturæ lapsæ in sola præcisione mentis & nuda velleitate nihil gratiæ causante constituit. Ibidem, col. 2.

A Jansenio Divi Thomæ Discipuli cæteris omnibus Theologis sunt remotiores. pagina 257. col. 1.

Sufficientis gratiæ notionem ab aliis extra Scholam D. Thomæ accepit. pag. 257. col. 2.

Jansenius in extrema delapsus nimiùm gratiam in statu innocentiæ, nimiùm libertatem in statu naturæ lapsæ depressit. pag. 265. col. 2.

Jansenii falsa sententia ab Adamo supernaturalia per arbitrii libertatem potuisse fieri. pag. 267. col. 1.

Jansenius non clavem doctrinæ D. Augustini, sed exciso ostio, & veluti muro perfosso veritatem transgressus est. pag. 274. col. 1.

Jansenius in Augustinum injurius cùm doctrinam de duplici adjutorio basim & fundamentum hujus doctrinæ esse inquit, quam tamen solùm in fine suæ vitæ Divus Augustinus tradidit. p. 338. col. 1.

Jansenii sensus is esse existimandus est quem ipsæ Propositiones planissimè intellectæ exhibent. pag. 356. col. 1.

Jansenius plurima habet egregiè dicta, in quibus nullum est errandi periculum. pagina 362. col. 1.

Jerotheus divina didicit ea patiens & ex divina charitate. 302. col. 2.

Ex D. Ignatio Deus interdum tantam certitudinem injicit, ut dubitandi facultas ablata esse videatur. pag. 285. col. 1.

Ignis exemplum ad explicandam divinæ motionis multiplicem vim opportunum si ageret pro arbitrio. pag. 5. col. 2.

Igne nutriri animalia, aut in eo vivere fabula quorundam est. pag. 53. col. 1.

Ignorantia & infirmitas impediunt voluntatem. Ut innotescat quod latebat & suave fiat quod non delectabat gratia efficit. pagina 16. columna 1.

Illapsus Dei in animam conjunctus est cum divina motione. pag. 312. col. 1.

Immediatè Deus intrà ipsam voluntatem & non solum ex parte objecti & medio intellectus dictamine agit. pag. 193. col. 1.

Immediatior est virtus causæ superioris effectui, quàm virtus ipsa causæ particularis. pag. 183. col. 2.

Immediatè Deus in rebus operatur, quia operatur per essentiam suam. pag. 165. col. 2.

Immediata est Dei operatio in rebus, quia ubicunque est virtus divina, est etiam divina essentia, non autem est essentia cælestis corporis, ubi est Cæli virtus. pag. 187. col. 2.

Immediatè Deus in omnibus agit, quia cuilibet adest interiùs quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet. pag. 188. col. 2.

Immensitas divina conjuncta cum divina motione & divina operatione in anima. pagina 26. col. 1.

Impeccabilitatem aliquam tribuit divina charitas, ut est à Spiritu Sancto movente. pag. 154. col. 2.

Imperium practicum intellectus si sit perfectum infert actum voluntatis cui imperat. pag. 119. col. 2.

Imperium imperfectum oritur ex eo quòd ratio ex diversis partibus moveatur & fluctuet inter duo. Ibid.

Impossibilia dici divina præcepta Concilio Tridentino prohibitum. pag. 352. col. 1.

Impossibile est quod ita transcendit potentiam ut nullo modo fieri possit. Ibid.

Impotentia quâ voluntas præmota non potest alium actum elicere est impotentia consequens, & voluntatis non potestatis. pag. 179. col. 2.

Imprimunt in corpus humanum Cæli, in intellectum Intelligentiæ, in voluntatem solus Deus. pag. 189. col. 2.

Imputatur æquissimè homini, quòd non agat, quia ex sufficienti auxilio vires habet agendi, nisi voluntatis obstinatio obsisteret. pag. 212. col. 2.

Inclinari voluntas in aliquid dicitur dupliciter interius & exterius: utrumque ad Deum pertinet, ad creaturam dumtaxat secundùm. p. 81. col. 1.

Indeterminatio voluntatis est duplex ex parte objecti & ex parte principii: inde duplicem determinationem postulat moralem & physicam. pag. 299. col. 1.

Indifferens concursus efficit, ut distinctio graduum liberi & necessarii non sit ex intentione Dei, sed sit per accidens. pag. 20. col. 2.

Indifferentis concursus sententia similis eorum sententiæ qui volebant Deum agere ex necessitate naturæ. pag. 40. col. 2.

Inæqualitatis causæ variæ apud Veteres sententiæ: à Deo immediatè oriri non intelligebant. p. 41. col. 1.

Indifferentem concursum D. Thomæ principiis repugnare multis probatur. pag. 141. col. 2.

Indifferens à principio determinato oritur, sicut motus ab immobili. pag. 46. col. 1.

Indifferenti motione instrumento impressa repugnaret determinatum aliquem effectum produci. pag. 157. col. 2.

Indifferentia pertinet ad libertatem, quia alioquin nullus est à laude, aut vituperio locus: atque id cantant in montibus Pastores &c. pag. 375. col. 1.
Infallibilitatem effectuum oriri ex efficacia divinæ voluntatis & divinæ motionis. pag. 155. col. 1.
Infallibilitatem divinæ cognitionis in dispositione causarum quæ juvare, vel impedire possunt effectus productionem, Durandus reponit. pag. 160. col. 2.
Eandem admittit D. Tho. quia ex causa contingente non impedita effectus sequitur. pag. 161. col. 1.
Infallibilitas effectuum oritur etiam ex dispositione divinæ sapientiæ quæ causas ordinat & variè cõjungit. pag. 161. col. 2.
Infallibilitatem effectuum oriri posse ex efficacia divinę voluntatis & dispositione divinę Sapientię. pag. 160. col. 1.
Infallibilitatem divinę prescientię oriri non solum ex rerum pręsentia in ęternitate, sed ex efficacia divinę voluntatis docuit D. Thomas. pag. 220. col. 2.
Infidelium voces usurpare non licet, ne eorum errores probari videantur. pag. 352. col. 2.
Influentia primi agentis & hujus auxilium est divina motio. pag. 63. col. 1.
Influxum liberi arbitrii, ut emanat à libero arbitrio non esse à Deo nisi ut Authore liberi arbitrii docuit Molina. pag. 111. col. 2.
Influxum liberi arbitrii non esse effectum pręveniẽtis gratię, sed solius liberi arbitrii, opinio Molinæ. pag. 112. col. 1.
Initium salutis esset ex nobis nisi prævia & effectrice gratia Deus voluntatem moveret. pag. 54. col. 2.
Illapsus Dei in anima cõjunctus est cum divina motione. pag. 14. col. 2.
Innocentię status etsi non requireret efficacem gratiam propter corruptionem naturę, ex aliis tamen capitibus eam exigebat. pag. 259. col. 1.
In eo statu eadem fuit divina operatio, ac nunc est in statu corruptę naturę. pag. 260. col. 1.
Innocentię status ea omnia privilegia exigebat quę viris Contemplativis in statu naturę lapsę conferuntur. pag. 266. col. 1.
Intellectus donum mentem illustrat, ut homo etiam in hac vita prælibationem accipiat futurę manifestationis. pag. 297. col. 2.
Intellectus donum ita perficit ut ad modum primorum principiorum statim audita probẽtur. p. 199. col. 1.
Intelligentia nostra est multiplex mutabilis & defectibilis: ideoque regulari debet ab Intelligentia cęlesti. pag. 191. col. 2.
Intellectus dictamine ut motivo proximo necesse est voluntatem moveri. 176. col. 2.
Intentio causę agentis fundatur in hujus causalitate & utraque ęquè extenditur. p. 46. col. 2.
Intentio Dei moventis infallibilitatem habet ex ipsa efficacia virtutis moventis, & non solum ex dispositione causarum. pag. 149. col. 1.
Instinctu superioris moventis necesse est intellectum & voluntatem ad primos actus moveri. pag. 200. col. 2.
Instinctus & motio Spiritus Sancti requiritur præter motionem rationis. pag. 284. col. 1.
Instinctus importat motionem qua Spiritus Sanctus movet Prophetam, sicut principale agens movet instrumentum. pag. 292. col. 2.
Inspiratio divina significat quandam motionem ab extrinseco. pag. 275. col. 2.
Inspiratio pertinet etiam ad effectum eo quòd importet motionem quandam. pag. 292. col. 1.
Instrumenta sunt instituta ut deserviant actioni principalis agentis, unde libertas dum movetur Deo deservit ad servandum ordinem liberum. pag. 166. col. 2.
Josephi à Vita sententiæ explicatio: existimat motionem esse indifferentem, & mediatam, quæ à causis secundis determinetur. Pag. 142. col. 2.
Josephus à Vita reprehenditur quòd se se ab aliis suæ Scholæ Theologis sejunxerit, cùm facilè conciliare omnia potuisset. pag. 144. col. 1.
Defectu magis quàm excessu erravit: sejungit immediatam motionem à mediata: efficaciam divinæ voluntatis à dispositione divinæ Sapientiæ. pag. 145. col. 1.
Josephus malè divinam motionem solius motus nomine semper significat contra modum loquendi D. Thomæ. pag. 147. col. 2.
Judæorum puerorum mos ut se se in duos choros dividerent, alii flerent, alii canerent, ut alios ad cantum vel fletum invitarent. pag. 118. col. 2.
Judicium ultimum practicum intellectus ita voluntatem movet, ut hujus actum infallibiliter inferat. pag. 119. col. 1.
Judicium perfectum rationis exigit usum sensuum ut fiat resolutio ad prima cognitionis principia. pag. 314. col. 2.
Judicium non esse perfectum ligatis sensibus signum est, quòd qui dormiendo syllogisant, cùm excitantur, semper cognoscunt se in aliquo defecisse. pag. 315. col. 1.
Julianus innumeras adjutorii divini species non denegat. pag. 65. col. 2.
Justitia infusa plures dispositiones requirit; sicut Justitia politica pluribus actibus cõparatur. p. 206. col. 2.
Justificatione hominis gratiæ sufficientis & efficacis varia vis & efficacia maximè exhibetur. pag. 206. col. 1.
Justificatio momento fieri potest sicut D. Pauli conversio. pag. 243. col. 2.

L

LEssii sententia liberum arbitrium esse causam principalem & directam conversionis. p. 85. col. 2.

Lessii sententia usum gratiæ subjici voluntati. pag. 120. col. 1.

Lessii sententia liberum arbitrium causam esse cur Deus influat, non verò Deum causam esse directè cur influat liberum arbitrium. pag. 115. col. 2.

Libertatem omninò solutam Origenes admisit, ut naturam mali contra Manichæos longiùs depelleret. pag. 42. col. 1.

Libertatis propriam causam Deum esse sicut & rationis entis, cujus differentiæ sunt necessarium, contingens, & liberum, probat D. Thomas. pag. 35. col. 1.

Libertatem in Deum refundendam esse quidam Theologi negabant, quamvis non omnem prævenientem gratiam negarent. pbgina 43. col. 1.

Libertatis principalis causa præter conditionem causarum est divina voluntas quæ efficit eo modo quo vult. pag. 43. col. 2.

Libertatis duplex causa, conditio causarum, & divina voluntas: prima secundæ subservit. Ibid.

Libertatis jura potiùs inflectenda essent quàm divinæ gratiæ si jungi omnia non possent. pag. 79. col. 1.

Libera electio non excludit determinationem causæ primæ. pag. 91. col.

Liberi arbitrii conditioni & naturæ non repugnat quòd à Deo moveatur. pag. 97. col. 1.

Libertas parem potestatem habere non potest ad bonum & malum. pag. 110. col. 1.

Liberi arbitrii parem esse potestatem ad bonum & malum falsa opinio. pag. 113. col. 2.

Libertas perfecta exigit exercitium, seu determinationem, & indifferentiam. pag. 140. col. 2.

Libertas Deo obtemperat, ac ministrat ad liberum ordinem servandum. pag. 166. col. 2.

Libertas non semper exigit actualem rationis deliberationem: quia etiam ars impediretur, si cùm agendum est deliberaret de agendis. p. 317. col. 1.

Libertas curva est quæ ad malum tendit, inflectenda est ut cum sua regula collineet. pag. 318. col. 1.

Libertas esse potest in extasi & raptu ex privilegio singulari. pag. 319. col. 2.

Libertatem ex divina gratia perfici multis ex Divo Aug. & D. Thoma ostenditur. pag. 332. col. 2.

Libertati sufficit ut possit in utrumque contradictorium. pag. 333. col. 1.

Libertatem circa ultimum finem versari Jansenius existimavit, quo nihil magis veritati adversum. pag. 371. col. 2.

Libertati gratiam diametraliter opponi Jansenius putat, quòd indifferentiam activam à passiva non distinxerit. pag. 372. col. 1.

Libertatem in sola voluntate, exclusa naturali necessitate Jansenius reponit. pag. 371. col. 1.

Libertas exigit indifferentiam agendi benè vel malè, quod cantant in montibus Pastores, in Theatris Poetæ, in Orbe Terrarum genus humanum. pag. 375. col. 1.

Lunæ motus animalium corpora variat. pag. 81. col. 2.

Lunæ etiam lux est effectiva caloris, unde noctes plenilunii sunt calidiores. pag. 175. col. 2.

Luna existente in Leone vestes induere malum est, & malum esse suo experimento comprobavit egregius Author Vitalis. pagina 116. col. 1.

Lucta spiritûs adversùs concupiscentias ex Augustino describitur. pag. 204. col. 2.

M

MAgister Sententiarum principalitatem in bonis efficiendis divinæ gratiæ tribuit. p. 81. col. 2.

Mali serviunt bonis quomodò Persecutores Martyribus, quomodò lima vel mallei auro. p. 231. col. 1.

Massilienſium error initium Fidei salutis esse ex nobis: eodem loco reponit D. Tho. Massilienses & Pelagianos. pag. 54. col. 1.

Massilienses utrùm gratiam aliquam prævenientem admiserint, non est earum omnium sententia. Ibid.

Massilienſium error seu admiserint seu negaverint prævenientem aliquam gratiam, eadem Divi Thomæ ratione profligatur. pagina 55. col. 2.

Massilienses conquerebantur D. Augustinum sub prædestinationis nomine fatalem inducere necessitatem. pag. 96. col. 1.

Massilienses utrùm gratiam prævenientem ad initium Fidei admiserint vel non, quæstio historica ex libris ipsorum Massilienſium eruenda. pag. 364. col. 1.

Medicus adhibitis variis causis sanitatem servat aut reparat, ita divinâ providentiâ dispositis causis infallibiliter effectus producit. pag. 161. col. 1.

Medicus in *sanando robur* & efficaciam habere potest ex impressione corporis cælestis: sicut lapides & herbæ occultas habent virtutes. p. 192. col. 2.

Medicus secundùm causas proximas judicium ferre potest; neque id oppositum est judicio Astrologi, quod est secundùm causas remotas. p. 374. col. 2.

Megaricorum error, tunc solùm agere posse cùm agas, cùm verò non agas non posse. pagina 3. col. 2.

Megaricorum errorem cùm negat sufficientem gratiam ab efficaci distinctam Jansenius sequi videtur. pag. 356. col. 2.

Mercurius in nativitate alicujus si fuerit in aliqua domorum Saturni dat bonitatem intelligentiæ. pag. 175. col. 2.
Merita hominis Deo tribuuntur, quia est causa principalis actionum voluntatis. pagina 83. col. 2.
Miles in expugnando robur & efficaciam à superioribus causis habere potest, sicut lapides & herbæ habent occultas virtutes. pag. 192. col. 2.
Miracula ad movendam efficaciter voluntatem non sufficiunt nisi adsit secreta in cordibus gratia. pag. 68. col. 1.
Molina concedit solo concursu simultaneo actum voluntatis, ut est à voluntate, non fieri à Deo. pag. 92. col. 1.
Molina se à sententia D. Thomæ recedere ultrò fatetur. pag. 104. col. 1.
Molinæ opinio Dei & causæ secundæ concursum inter se mutuò dependere. pag. 105. col. 1.
Molina de Divo Augustino parùm reverenter loquutus: ab eo se dissentire fatetur. pag. 106. col. 2.
Molina existimat aliquam esse perfectionem in voluntate quæ non sit à Deo nisi ut Authore voluntatis. pag. 107. col. 2.
Molinæ opinio influxum liberi arbitrii non esse effectum prævenientis gratiæ, sed solius liberi arbitrii. pag. 112. col. 1.
Motione morali Deus movet multis & innumerabilibus modis. pag. 67. col. 2.
Molina censuit, quòd è duobus æquali gratia præventis unus consentiat non alius; oriri solùm à libertate bonis & malis communi. pag. 112. col. 2.
Moralis motio est solùm indirecta. pagina 67. col. 2.
Moralis motio ad divinam providentiam pertinet, ut consentaneè ad cujusque naturam & conditionem moveat. pag. 81. col. 1.
Motio moralis pulsat non intrat animam. pag. 69. col. 1.
Motioni morali D. Augustinus opponit motionem effectricem. pag. 71. col. 1.
Motio major & efficacior admittenda quàm sit motio qua dæmon voluntatem movere potest. pagina 70. col. 1.
Motio directa ex parte principii & quæ interiùs in voluntate operatur est sola motio effectrix physica. pag. 70. col. 1.
Motio divina est inspiratio seu afflatus quidam vitalis Dei Omnipotentiæ. pag. 75. col. 2.
Moralis motio est solùm indirecta ex parte objecti, & extra voluntatem. pag. 70. col. 2.
Morali motione voluntas non ex necessitate movetur, movetur tamen ex necessitate, id est infallibiliter ex motione effectrice, & prævia. pag. 71. col. 2.
Ex motionis divinæ simplicissima notione, ut est applicatio voluntatis, consequitur esse conjunctam cum actu, non posse cum actu opposito componi, non esse majorem in uno quàm in alio. pag. 126. col. 1. 2.
Motio divina etsi sit applicatio potentiæ, ipsi tamen vires confert, & est complementum virtutis agendi. pag. 127. col. 1.
Motionis divinæ duplex munus, conferre vires potentiæ, & eam ad actum applicare. pag. 127. col. 2.
In divina motione attendi solùm debet, quòd sit vis divinæ virtutis, unde cum divina Omnipotentia veluti non ponit in numero. pagina 129. col. 1.
Motio divina ut est voluntatis applicatio non potest non esse conjuncta cum actu: cùm applicatio activa non possit esse ab applicatione passiva sejuncta. pag. 126. col. 2.
Motio divina ut divinæ potentiæ vicaria & infallibilitatem & libertatem simul voluntati imprimit. pag. 130. col. 2.
Motione efficaci si voluntas moveri possit, etiam reipsà moveri existimandum est, cùm hic movendi modus nobilior sit. pag. 32. col. 2.
In divina motione duo distinguenda sunt, res & ratio: primum cum actu opposito conjungi posset, sed alterum immutabilitatem libero arbitrio tribuit. pag. 134. col. 1.
Motionis cum charitate comparatio. Utraque secundùm entitatem indifferens relinquit liberum arbitrium, ut est à Spiritu Sancto infallibiliter movet. pag. 135. col. 1.
Motionem ut invisam efficiant Adversarii, duriora semper verba usurpant. pag. 148. col. 1.
Motio divina propriissimè contactus nomine significatur. Tangis montes & fumigant. pag. 148. col. 1.
Motionis divinæ explicatio quâ plurimæ difficultates resolvuntur. Deus ita movet ut res fiant contingenter, citò, tardè &c. pagina 152. columna 2.
Motio ut est à Deo movente est indefectibilis, pro tamen ipsius arbitrio, licèt effectus sit defectibilis. pag. 153. col. 1.
Motioni morali & ex parte objecti motionem ex parte principii & per modum causæ efficientis D. Thomas opponit: eaque voluntatem à Deo moveri inquit. pag. 193. col. 2.
Motio quæ est à corpore cœlesti est per modum *Disponentis* dumtaxat; ea verò quæ est ab Angelo est per modum *Persuadentis*; sed ea quæ est à Deo est per modum *Perficientis*. pag. 195. columna 1.
Motio & conservatio sunt duo effectus gubernationis. pag. 195. col. 2.
Motio divina in uno efficax & in alio inefficax esse potest. pag. 209. col. 1.
Motio divina eadem est virtute multiplex & veluti multarum partium. pag. 234. col. 2.
Motio divina nunquam ut à Deo inexistente & movente sejuncta consideranda est. pagina 244. col. 2.
Motio ex donis Spiritus Sancti adeò sibi voluntatem subjicit, ut agi potiùs quàm agere voluntas dicatur. pag. 277. col. 1.

Motionis divinæ ſanctitatis privilegia omnia egregia argumenta. pag. 281. col. 2.
Motio divina conjuncta eſt cum ſpeciali Dei exiſtentia in anima. pag. 312. col. 1.
Motio divina vires confert, ſed quæ non pertinent ad potentiam ſecundùm ſe & ſolitariè ſumptam, ſed ad potentiam ut cum actu conjungitur. pagina 381. col. 1.
Motus omnis fundatur in immobili ſicut malum in bono. pag. 146. col. 1.
In motu omni relinquitur virtus motoris & motus mobilis. pag. 34. col. 1.
Moveri à Deo immediatè cauſas ultimas rectè concluditur, etiam prætermiſſis intermediis, neque ullus hiatus eſt, aut ſaltus. pag. 187. col. 2.
Movere eſt reducere in actum illud quod eſt in potentia. pag. 190. col. 2.
Moventur à Deo quædam efficaciùs, & quædam minùs efficaciter. pag. 205. col. 2.
Mundus completo numero electorum finietur, pag. 231. col. 2.
Myſteria Fidei non eſſe variis temperamentis deprimenda, ſed rationem eſſe ſubjiciendam, pagina 245. col. 2.

N

NAturæ opera Deo tribuuntur, quia tribuit cauſis ſecundis virtutem agendi. pag. 83. col. 2.
Naturam agere propter finem magnum argumentum eſt ſolicitudinis quam Deus circa hominem gerit. pag. 232. col. 1.
Neceſſarium eſt effectus voluntatis creatæ ut ſtant ſub ordine divinæ providentiæ eſſe contingentes & liberos. pag. 37. col. 2.
Neceſſitas ſeu infallibilitas & libertas in voluntate creatâ conjungi poſſunt. pag. 37. col. 1.
Neceſſitas naturæ conſtituitur ex ordine omnium cauſarum, inter quas Divina Providentia primum locum tenet. pag. 159. col. 1.
Negligentia hominis in cauſa eſt cur Deus gratiam ipſi deneget. pag. 355. col. 1.
Nihilum origo prima creaturæ ad quam etiam tendit. pag. 345. col. 1.
Nomen interdum ex alio ſumitur & ad aliud ſignificandum imponitur. pag. 24. col. 1.
Neceſſarium & contingens duæ differentiæ entis: ab ea cauſa directè fieri poſſunt à qua fit ens. pag. 36. col. 2.
Nomina nova uſurpare ſemper licuit, ut novæ difficultates faciliùs explicentur. pagina 366. col. 2.
Nomen efficacis gratiæ non minùs ambiguum eſſe poteſt quàm nomen gratiæ ſufficientis. pag. 367. col. 1.
Nomen excitantis gratiæ loco ſufficientis ſupponi non debet, cùm non idem omninò ſignificet. pag. 467. col. 2.

O

OBduratis & excœcatis deeſſe ſufficiens auxilium ad implenda divina præcepta Pontifex damnare noluit. pag. 352. col. 1.
Obſtaculum divinæ gratiæ non apponere oritur ex ipſa divina gratia. pag. 121. col. 1.
Obſtinationem voluntatis ut gratia vincat plures gradus habere debet ut eam obſtinationem ſuperet. pag. 205. col. 2.
Occaſionis maxima vis ad perniciem, dum quis attrahit ſequiturque ventum occaſionis ſuæ, ac ſimul attrahit ventum amoris ſui. pag. 171. col. 2.
In occaſione triplici ex cauſa ligatur ratio, per diſtractionem, per contrarietatem, per immutationem corporalem. Ibid.
Occaſiones peccandi ſi Deus ſubſtrahat maxima gratia eſt. pag. 172. col. 1.
Occaſiones inter Deus aliquando animum firmat, ut cùm mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes. Ibid.
Omnipotentiâ ſuâ Deus facit ut cauſa libera agat liberè. pag. 43. col. 2.
Omnipotentiæ divinæ vim & efficaciam divinæ gratiæ tribuit D. Auguſtinus pag. 93. col. 1.
Omnipotentiæ divinæ eſt quod voluntas quam movet agat liberè. pag. 98. col. 2.
Omnipotentiâ ſuâ Deus facit, ut illud in quod voluntas mutatur liberè velit. pag. 99. col. 1.
Omnipotentiæ divinæ repugnat quòd non poſſit ſalva libertate immutare voluntatem niſi præviſo illius conſenſu. Ibid.
Omnipotentiam ſuam Deus nobis donat ut eâ utamur: damnata propoſit. pag. 101. col. 2.
Omnipotentiam ſuam Deus voluntati ſubjiceret, ſi gratia eſſet indifferens & inſtar habitus. p. 193. col. 1.
Omnipotentiam divinam parum deceret, quòd ad ſubigendam voluntatem acervo auxiliorum indigeret. pag. 242. col. 1.
Operatur Deus ipſum operari voluntatis, & neceſſe eſt utrumque & Dei & voluntatis eſſe in eodem genere phyſico. pag. 77. col. 2.
Orare nos fingimus, ſi nos ipſos non illum credimus facere quod oramus. pag. 267. col. 2.
Orare non debuiſſe Adamum inquit Auguſtinus ad evitandum malum quod odimus & facimus, pag. 269. col. 1.
Oratio Chriſti efficax interdum non habet effectum propter impedimentum mundanorum. pag. 8. col. 1.
Oratio in Conciliis recitata probat efficaciam per ſe divinæ gratiæ. pag. 78. col. 1.
Oratio eſt clariſſima divinæ gratiæ teſtificatio. pag. 267. col. 2.
Orationis uſus ut & Religionis maximus eſſe debuit in ſtatu innocentiæ. pag. 268. col. 2.
Orationibus magis certandum eſt quàm viribus in lucta cum vitiis. pag. 269. col. 1.
Origenes ut ſe errori Veterum opponeret qui

Deo inæqualitatem rerum non tribuebant, aliunde lapsus est eam inæqualitatem voluntatis meritis tribuens. pag. 41. col. 2.

Origenes ut longiùs naturam mali repelleret libertatem admisit omninò solutam: hinc illius error omnem intellectualem naturam posse ab uno ordine ad alium transire. pag. 42. col. 1.

Origenis error Deum non posse motum voluntatis in nobis efficere sine præjudicio libertatis, Ibid.

Originale peccatum probat Divus Augustinus probabilissimis argumentis, sed non necessariis, unde potuit esse status puræ naturæ, pagina 346. col. 2.

P

PAradisi terrestris amœnitas & ubertas. pagina 247.

D. Pauli conversio clarissimum argumentum est Deum causas disponere ut ex ea dispositione certus effectus oriatur. pag. 172. col. 2.

D. Pauli animam divina motio tam vehementer movit, ut statim justitiæ perfectionem assequeretur. pag. 243. col. 2.

D. Paulus captivum se dixit & liberum cùm inquit: *Vivo ego jam non ego*. pag. 305. col. 2.

Peccati omnis causa ex aliquo rationis defectu oritur. pag. 178. col. 1.

D. Pelagia Virgo Antiochena ex motione Spiritus Sancti se se in flumen immersit. pagina 280. col. 1.

Pelagius in admittenda morali gratia liberalissimus. pag. 67. col. 2.

Pelagius simultaneum concursum admisit, eaque ratione negabat originale peccatum. pag. 88. col. 2.

Pelagianus est qui principatum tribuit libero arbitrio. pag. 82. col. 2.

Pelagianus omnis homo est insita cordi libertatis & independentiæ cupidine. pagina 136. col. 2.

Petro Christus veluti tacta vena cordis hujus infirmitatem prænuntiat. pag. 13. col. 2.

Petrus visitatione interioris gratiæ non solo externo contuitu Christi conversus est. pag. 68. col. 2.

Philosophi in causas proximas effectus referunt, Theologi in causam primam. pagina 49. columna 1.

Philosophorum error sapientem suo arbitrio bonum esse: hæc quam sibi tribuit fortitudo non sanitatis est, sed insaniæ. pagina 265. col. 1.

Pictor novit ubi ponat nigrum colorem ut sit decora pictura, & Deus ubi ponat peccatores ut sit ordinata creatura. pag. 32. col. 1.

Posse duobus modis sumi potest, conjunctum cum effectu, vel ab eo sejunctum, pagina 11. columna 1.

Possibile vel impossibile aliud dicitur secundùm Philosophos, aliud secundùm Theologos. p. 48. col. 2.

Præcipitatus sine difficultate descendit, quamvis id nolit; ita ex prava cupiditate nolendo volens homo labitur. pag. 204. col. 2.

Præoperantem gratiam admittendam esse contendit D. Prosper, pag. 91. col. 2.

Principalis causa actionum voluntatis Deus est, pag. 82. col. 2.

Principii primi ratio est ut agat sine influentia prioris agentis, pag. 60. col. 1.

Præcepta Dei esse possibilia multis modis concedit Jansenius, sed non ex sufficiente gratia. p. 357. col. 1.

Prædeterminationem physicam perperàm rejicit Jansenius, tanquam è classibus Dialecticis in Theologiam immissam. pag. 254. col. 1.

Prædestinationis divinæ infallibilitas ex duplici capite oritur ex efficacia divinæ voluntatis, & dispositione Divinæ Sapientiæ. pagina 168. col. 2.

Prædestinationem inniti divinæ præscientiæ negat Divus Thomas: non enim dici potest, quòd prædestinatio Providentiæ nihil aliud addat nisi certitudinem præscientiæ, pagina 110. columna 1.

Prædestinatio habet certitudinem ex ordine & causalitate, Ibid.

Prædestinationis executio cum toto vitæ decursu peragatur, ejus certitudinem ex variis adminiculis quæ Deus præparat, repetit D. Thomas. pag. 171. col. 1.

Prædestinationis causa nulla quærenda est: sola divina voluntas est causa, sicut quòd artifex tales lapides pro fundamento jaciat, alios in altiori loco collocet. pag. 219. col. 1.

Prædestinatione sua Deus præscivit quæ fuerat ipse facturus, qui fecit quæ ventura sunt. pag. 23. col. 2.

Prophetarum locum in Ecclesia Contemplativi obtinent. pag. 287. col. 2.

Prophetæ omnes quasi naves poma portantes odore fruebantur fructuum quos Ecclesiæ ferebant. pag. 288. col. 2.

Prophetarum filii erant eorum Discipuli qui in solitudine virtutum exercitiis se aptos efficiebant ut aliquando Prophetiæ lumine illustrarentur. pag. 293. col. 1.

Prophetæ interdum à Deo movebantur ut prophetare vellent, cùm etiam noluissent. pag. 294. col. 1.

Prophetiæ donum non potest non esse conjunctum cum efficacissima motione divina. pag. 288. col. 1.

Prophetia est quædam cognitio intellectui Prophetæ impressa ex revelatione divina, pagina 288. col. 1.

Propheticæ certitudinis signum, quod Abraham prophetica visione admonitus, ad filium immolandum se præparaverit. pag. 288. col. 2.

Prophetiæ Spiritus Prophetis subjectus secundùm

dùm aliquem effectum, ſcil. denuntiationem. pag. 290. col. 2.
Prophetiæ donum extenditur ad voluntatem ſicut ad Fidem pertinet voluntatis pia motio. p. 291. col. 2.
Prophetia quæ fit ſecundùm imaginariam viſionem exigit abſtractionem à ſenſibus. p. 316. col. 1.
Providentia divina efficit quòd cauſæ ſecundæ & neceſſitatem aliquam habeant & libertatem. pag. 35. col.
Providentia divina conſtituit leges neceſſitatis & contingentiæ unde iis non ſubjicitur: ſed ipſa cauſa neceſſaria producit effectus liberos. p. 35. col. 2.
Providentia divina eſt cauſa per ſe quòd effectus liberè fiat & hoc caſſari non poteſt. pagina 38. col. 1.
Providentiæ divinæ omnia miniſtrant etiam & voluntas, unde impoſſibile eſt agere neceſſariò cùm intra ordinem liberum movetur. pag. 166. col. 1.
Providentia divina inferiora per ſuperiora diſpenſat; corpora groſſiora per ſubtiliora, corpora per ſpiritum vitæ &c. pag. 174. col. 2.
Prophetiæ ſomnus potuit eſſe ſomnus Salomonis in quo eſt uſus liberi arbitrii & meritum. p. 319. col. 1.
Prophetia exigit judicium de revelatis, nam Pharao cui plura revelata ſunt, non ideò fuit Propheta. pag. 392. col. 2.
In Prophetia potiſſimum eſt de revelatis judicium: unde Joſeph qui viſa à Pharaone explicuit Propheta erat. Ibid. col. 2.
In Prophetia cum abſtractione à ſenſibus poteſt eſſe perfectum judicium & perfecta libertas. Ibid.
Prophetia, quamvis ſit omnium perfectiſſima, poteſt eſſe, cùm perfecta libertate; cùm Propheta lumine prophetico cognoſcit ea quæ videt non eſſe res, ſed ſimilitudines rerum. pag. 320. col. 2.
Pugna carnis cum ſpiritu victus homo aliquando clamat: Cogor, compellor, vincor, non quæ volo. pag. 23. col. 2.
Pugnat ſpiritus Dei qui eſt in te adversùs illud quod eſt in te. pag. 204. col. 2.

Q

Quantitas influxus non quæritur ubi agitur de gratia præveniente, ſed modus influendi. pag. 89. col. 1.
Quantitas influxus pertinet ad concurſum ſimultaneum præter quem alium Divus Thomas requirit qui pertinet ad modum agendi. Ibid. col. 2.
Quantitatem ejuſdem influxus cùm Deus & voluntas agunt admiſerunt Maſſilienſes, ſed eos reprehendit Divus Proſper, quòd ordinem debitum non admiſerint ut prævia eſſet gratia. pag. 91. 2.

R

Raptus ex communi lege libertatem non admittit. pag. 314. col. 1.
Raptus non eſt operatio propria hominis, ſed eſt ex virtute divina: unde non eſt in eo libertas. pag. 316. col. 2.
Raptus magis ad quandam mercedem pertinet quàm ad meritum. pag. 315. col. 1.
In raptu poteſt eſſe quædam libertas virtualis, quia in eo eſt exercitium libertatis. Ibidem columna 1.
Raptus eſſe poteſt ex ſingulari privilegio cum perfecta libertate & perfecto judicio: Ego dormio & cor meum vigilat. pag. 310. col. 2.
Ratio non ſufficit ad movendum ſemper hominem, unde neceſſaria ſunt Spiritus S. dona. pag. 283. col. 2.
Ratio duplici perfectione perfecta eſt naturali, & ſupernaturali, ſed prima habetur quaſi plena poſſeſſio, non altera. pag. 283. col. 2.
Rationis motio non ſufficit niſi adſit inſtinctus & motio Spiritus Sancti. pag. 284. col. 1.
Removens prohibens eſt cauſa effectus quando non mediat alia cauſa, explicatur. pag. 121. col. 2.
Renovatio hominis nondum perfecta: ex vetuſtate homo filius ſæculi, ex novitate filius Dei. pag. 215. col. 2.
Reſiſtentia voluntatis ut plures gradus habere poteſt, ita & plures gradus habet divina gratia. pag. 205. col. 2.
Reſiſtentia in divinis operationibus intelligenda eſt, non ſecundùm reſiſtentiam ad agentem, ſed ſecundùm impedimentum effectus. p. 290. col. 2.
Revelationis divinæ perceptio poteſt eſſe perfectior ligatis ſenſibus, ſed non judicium. pag. 315. col. 1.
Rotarum nomine & ſymbolo ſphæræ cæleſtes ab Ezechiele ſignificantur. pag. 186. col. 1.
Rotarum corpus in Ezechiele plenum eſſe oculis ſignificat Cælorum influxus. Ibid.
In Rotis dicitur ſpiritus vitæ fuiſſe ad ſignificandam Dei immediatam operationem, eodem ſenſu quo dictum eſt ſpiritus intùs alit &c. p. 187. col. 1.

S

Sacramentorum cauſalitas phyſica eſt, & eadem eſt gratiæ efficacis. pag. 77. col. 1.
Scripturæ Sacræ verba in proprio ſenſu explicat Sententia gratiæ per ſe efficacis. pag. 78. col. 2.
Salomon cùm in ſomnio Sapientiam à Deo accepit, potuit tunc non eſſe meritum: ſed potuit infundi propter præcedens meritum. pag. 318. col. 1.

Salutis initium esset à nobis, si nulla esset gratia: à nobis quasi ex nobis, si gratia non esset præveniens & effectrix. pag.54. col.2.
Sampsonis fortitudo ut ex motione insolita Spiritus S. esse explicetur, dicitur quòd irruit in eum Spiritus Domini. p.119. col.2.
Sampson ex motivo Spiritus S. se se ruinâ Templi oppressit. pag.280. col.1.
Sapientiæ donum eminentiam cognitionis habet per unionem ad divina; unde & animæ sanctæ præstantissimos Theologos interdum superant. pag.300. col.1.
Sapientia virtus judicat ex rationis inquisitione: Sapientia donum Spiritus S. judicat ex connaturalitate sine discursu. pag.300. col.2.
Sapientiæ donum pertingit ad quandam deiformem contemplationem & quodammodò articulorum Fidei explicitam cognitionem. pag.301. col.1.
Sapientiæ donum efficit ut homo causis altissimis uniatur transformatus in eorum similitudinem, & ex hac unione & transformatione de cæteris judicet. pag.300. col.1.
Saturno qui est supremus Planetarum attribuitur conservatio & permanentia rerum. pag.195. col.2.
Saul momento inter Prophetas lumine Prophetiæ illustratus. pag.293. col.1.
Scientiam mediam evertit quod inquit D. Thomas, Deum etiam futurum cognoscere, quia cadit sub ejus virtute activa quam ipse comprehendit. pag.73. col.1.
Sancti sunt medulla hujus Mundi: cùm defecerint Mundus cadet. pag.231. col.2.
Sanctorum piæ voluntates moventur divina motione sine libertatis læsione, quia etiam Christus servata libertate specialissimè à Deo movebatur. pag.132. col.1.
Scripturam Sacram semper in proprio sensu esse explicandam: hinc deinde cætera esse metienda. pag.79. col.2.
Sacra Scriptura varios, non tamen contrarios explicandi modos continet. pag.122. col.2.
Scripturæ Sacræ unitate gaudent si pius & mitis lector accedat. pag.122. col.2.
Scriptura Sacra Epistola est Omnipotentis Dei ad creaturam scripta. pag.322. col.1.
Scriptura Sacra nedum quoad sensum, sed etiam quoad singula verba est ex motione Spiritus Sancti. pag.322. col.1.
Scripturæ Sacræ authoritas etiam Conciliorum omnium authoritatem superat. pagina 322. col.1.
Scripturæ Sacræ apices punctaque sunt plena divinis mysteriis, unde omnia sunt ex Spiritu Sancto. pag.323. col.2.
Scriptores Sacros Spiritus S. movebat tangendo, modificando &c. pag.322. col.2.
Scriptorum Sacræ Scripturæ libertas perfectissima, quamvis errare non possent, sicut & Angelorum in via, quamvis peccare non possent. pag.332. col.1.
Scripturæ S. singula etiam verba aliquando ex divino Spiritu dictata & mentibus impressa sunt, ut in Cantico Moysis &c. pag.86. col.2.
Senectutis varii defectus ex lib. Ecclesiasticis explicantur. pag.323. col.1.
Sensus cùm ligantur nullum est perfectum judicium, quia non potest fieri resolutio ad prima cognitionis principia. pag.314. col.1.
Sensus sunt extrema sicut intellectus principiorum, quia judicium rationis debet fieri per resolutionem ad sensus. pag.316. col.1.
Sententiæ plures diversæ, quamvis non contrariæ, esse possunt: in his quilibet in suo sensu abundet. pag.122. col.1.
Septuaginta Interpretum versio ab omnibus, licèt loco divisis, iisdem verbis facta. pag.324. col.2.
Seminis instar sufficiens auxilium spargitur ne quisquam pretereatur. pag.120. col.1.
Sirius seu Canicula stellarum fulgentissima ut variè temperatur, varios effectus producit. p.164. col.2.
Solstitia humida hyemesque serenæ fertilem terram efficiunt. pag.173. col.2.
Somno ligatis sensibus faciliùs percipitur influxus spiritualium substantiarum. pagina 315. col.2.
Somnus cùm sensus ligat, tenui flegmate decurrente ad linguam videtur dormienti quòd dulcia comedat. pag.315. col.2.
Specificum esse quod est divinum, reducitur ad substantias separatas. pag.174. col.2.
Sphæra superior inferiorem movet, & ita superior appetitus movet inferiorem. pagina 117. col.2.
Sphærici corporis circumferentiæ alterum corpus inclusum eò magis ex una parte accedit, quò ex altera parte ab ea recedit. pag.165. col.1.
S. Spiridionis mira fiducia ex donis Spiritus Sancti ad disputandum cum Philosopho. pag.283. col.1.
Spiritus Sancti operatio varia in diversis prout vult, non prout affecti sunt. pag.53. col.1.
Spiritus Sanctus unicus & multiplex: ita & divina motio. pag.52. col.2.
Spiritus Domini dicitur veluti hominem cogere quem movet, quia homo ex corruptione habet motum contrarium. pag.134. col.2.
Stellæ secundùm diversos aspectus & conjunctiones imprimunt ad determinatas species. pag.196. col.1.
Stella quælibet est quidam veluti Sol, sed propter distantiam minùs videtur. pag.196. col.2.
Stella quælibet habet determinatam virtutem consequentem suam speciem, ratione cujus habet, vel infrigidare, vel humectare. pag.115. col.2.
Suasio non cogit invitum, id est non habet infallibiliter effectum. pag.80. col.1.
Subordinationem causarum Scriptura significat cùm inquit: *Ego exaudiam Cœlos, & Cœli exaudient Terram &c.* pag.173. col.2.
Sufficientis auxilii magnam esse latitudinem: ad

ad ipſam etiam gratiam habitualem pertinere. pag.4. col.1.
Sufficientis auxilii varia munera: efficere proportionem cum actu, tribuere vires, ad actum diſponere. pag.7. col.1.
Sufficiens auxilium Lex Nova dat ad non peccandum. pag.6. col.1.
Sufficiens auxilium D. Auguſtino eſt adjutorium ſine quo, & gratia poſſibilitatis. pagina 6. col. 2.
Sufficiens auxilium duplex; alterum imperfectius ſolùm ex parte potentiæ præter quod requiritur aliud; alterum perfectius in omni ordine, quod aliud non requirit. pag.7. col.1.
Sufficiens, & efficax auxilium interdùm à Divo Thoma pro uno & eodem uſurpatum. pag. 7. col. 2.
Sufficientis auxilii propria notio ut ſit ſufficiens in ſuo ordine. pag.8. & 9.
Sufficiens auxilium eſt medicamentum non medicatum, quod ſcil. alterum fortius requirat. pagina 10. col. 1. 2.
Sufficiens auxilium duplex alterum præter quod requiritur aliud. pag.16. col. 1.
Sufficiens auxilium præter quod aliud majus requiritur, docuit explicuitque fusè D. Auguſtinus. pag.15. col.1.
Sufficientis gratiæ ea neceſſitas eſt, ut niſi præceſſerit nunquam citra miraculum efficax conferatur. pag.16. col. 2.
Hujus munus efficere proportionem cum actu eliciendo. pag.18. col.2.
Sufficientis auxilii natura, variaque ejus munera explicantur comparatione generationis formæ, quam variæ diſpoſitiones antecedunt. pag. 19. col.1.
Sufficientis nomen retinendum: quia aliud interdum eſt ex quo ſumitur aliud ad quod ſignificandum imponitur. pag.24. col.1.
Sufficiens gratia interdum pro efficaci, & vice verſa à D. Thoma accipitur. pag.210. col.1.
Sufficienti gratiæ omninò nihil deeſt, ſi vis ipſius ad agendum neceſſaria ſpectetur, ſed requiritur ſolùm proportio & diſpoſitio ſubjecti. pag.212. col.1.
Sufficiens auxilium inſtar ſeminis in omnium corda ſpargitur. pag.120. col.1.
Sufficientis cauſæ notio quòd habeat vim agendi, quamvis poſſit impediri. pag.162. col.2.
Sufficiens auxilium excœcatis & obduratis deeſſe, ſi quis aſſerat, non pertinet ad errores Janſenii. pag.352. col.1.
Sufficientis auxilii principia omnia Janſenius negavit: negando voluntatem Dei antecedentem &c. pag. 358. col. 2.
Sufficiens auxilium ſimile eſt medicinæ, habitibus, & vi activæ potentiarum. pag.364. col.2.
Sufficientem gratiam tanquam monſtrum aliquod Janſenius traduxit. pag.357. col.2.
Sufficientem gratiam, ſeu gratiam poſſibilitatis Divus Auguſtinus expreſsè admittit. pag. 369. col.2.
Suppoſitione omni antecedente auferri non poteſt libertas, cùm Prophetiæ donum involvat ſuppoſitionem antecedentem, nec tamen lædat libertatem. p.291. col.1.

T

TActus nomine divinæ gratiæ operatio ſignificatur: *Tangis montes & fumigant.* p. 208. col.1.
Temperamenta in Myſteriis Fidei non eſſe quærenda. pag.245. col.2.
Tentari nunquam homines ſupra id quod poſſunt, quia qui dat tentatori poteſtatem, præbet tentato miſericordiam. pag.353. col.2.
Tentatio cùm major eſt, debet gratia eſſe validior ut ſit contemperata eamque vincat. pag. 219. col. 2.
Terminus Deus ceſſit neceſſitati, qui non ceſſerat Jovi, inquit Auguſtinus. pag. 279. col. 1.
Theologia myſtica docet relinquendas eſſe mentis operationes, & amore, & transformatione divina eſſe intelligenda. pag.301. col.2.
Diva Thereſia vera Theodidacta orationis gradus explicat, cum quibus non poteſt non eſſe conjuncta efficaciſſima motio. pagina 304. col. 1.
Divæ Thereſiæ etiam dum ſcriberet extra ſe veluti raptæ divini amoris mira vis. pagina 307. col.1.
D. Thomam deſerit Molina, & de eo parùm reverenter loquitur. pag.107. col.1.
D. Thomam ſe ſequi multi immeritò dicunt, quorum ſententiæ primus Author Molina ipſum deſeruiſſe fatetur. pag.111. col.2.
D. Thomas intellectum omnium Patrum aſſecutus, quia ſummè illos veneratus eſt. pag.249.
Divi Thomæ erga Divum Auguſtinum reverentia: Authoritatem Auguſtini rationi anteponit. pag.250.
D. Thomas in explicandis gratiæ myſteriis Auguſtino ſuppar: in aliis, Scholaſticis Theologis meritò antefertur. pag.250.
D. Thomas ſæpiùs in extaſes raptuſque evectus ad myſteria Fidei percipienda maximè idoneus. pag.252. col.1.
D. Thomas opinionem eximentem B. Virginem ab originis labe nunquam ut piam negavit. pagina 272. col.1.
D. Thomæ in his quæ ad contemplationem, & extaſim pertinent maximè credendum, cùm ſæpiùs expertus fuerit, & per tres continuos dies aliquando in extaſim raptus fuerit. p. 320. col.2.
D. Thomæ authoritatem minuendi ſtudium quantùm aliquos tranſverſos egerit. pag.351. col.2.
Divi Thomæ doctrinæ commendatio ab Alexandro VII. S. P. probat nullam eſſe conſenſionem hujus Scholæ cum erroribus Janſenii. pag. 351. col. 1.
Tomaſſini Scriptoris celebris ſententia de divi-

na gratia longè à Ioſephi à Vita ſententia diverſa. pag. 142. col. 1.
Thomaſſini Theologi Clariſſimi ſententia impugnatur efficaciam gratiæ repoſitam eſſe in multitudine auxiliorum quorum quodlibet deficere poteſt. pag. 226. col. 1.
Thomaſſinus plurima omninò adverſa ſtatuit quæ nulla ratione conciliari poſſint, pagina 298. col. 2.
Thomaſſini ſententia diverſa à ſententia Ioſephi à Vita eaque minùs probabilis. pagina 237. col. 1.
Tractio eſt ſpecies motus violenti: & tamen voluntas divinâ gratiâ trahi dicitur ad ſignificandam ejuſdem gratiæ efficaciam. pag. 120. col. 2.
Tyrii iiſdem auxiliis converſi fuiſſent quibus Corozaitæ converſi non ſunt, quia major erat Corozaitarum obſtinatio. pag. 120. col. 2.

V

VEnationi ſimilis eſt motio moralis: fit clamor, viæ muniuntur, ſolâ ſagittâ fera proſternitur. pag. 69.
Venatores variis viis feras inſequuntur, ita & Chriſtus variis modis homines attraxit. p. 119. col. 1.
Verba cultiora non ſemper uſurpanda: curandum quid benè indicet non quid benè ſonet. p. 137. col. 1.
Veritas non quia noſtra, ſed quia veritas amanda eſt. pag. 123. col. 1.
Verum vero non eſt oppoſitum: ſicut nec judicium Medici judicio Aſtrologi. pagina 348. col. 1.
Victoriæ omnis in negotio ſalutis magnitudo ex magnitudine efficacis auxilii oritur. pag. 113. col. 1.
D. Virginem excellentiſſimum opus Deus fecit in oſtentationem ſuæ artis impreſſis omnis ſanctitatis lineamentis. pag. 272. col. 2.
D. Virgo amiſſam ab Adamo gratiam invenit ut eam ipſius poſteris reſtitueret. Ibidem. col. 2.
D. Virgo donorum Spiritus Sancti poſt Chriſtum plenitudinem habuit: unde & efficaciſſima motione movebatur. pag. 273. col. 1.
Virtus inferior non conjungitur effectui niſi per virtutem ſuperioris agentis. pag. 77. col. 1.
Virtus difficilior quàm vitium: quia multi inchoare ſolent, qui tamen non perficiunt. p. 111. col. 1.
Virtus cauſæ inferioris non conjungitur effectui, niſi per virtutem cauſæ ſuperioris. pagina 183. col. 2.
Virtutes perficiunt hominem ut moveatur facilè ſecundùm rationem. pag. 282. col. 2.
Virtutes omnes non efficiunt ut cum jucunditate operemur, niſi cùm finem attingimus. p. 285. col. 2.
Virtus heroica eſt veluti divina, eò quòd per excellentiam *virtutis homo fit quaſi Deus.* p. 297. col. 2.
Vita animæ Deus eſt: moritur corpus cùm recedit anima: moritur anima cùm recedit Deus. pag. 26. col. 2.
Unitas principium numeri; omni numero ſupereminet, in omni reperitur, & ad infimum quemque deſcendit: hujuſmodi eſt divinus concurſus. pag. 46. col. 1.
Univerſum imperfectum remaneret, ſi translata creatura ad ordinem in quo peccare non poſſet, gradus ille in quo peccare poſſet vacuus remaneret. pag. 345. col. 2.
Vocationem duplicis rationis D. Auguſtinus admiſit; alteram ſine qua conſenſus non fieret; alteram effectricem, quæ conſenſum efficeret. pag. 211. col. 1.
Vocationis divinæ nomine totum complexum ex ſignis externis, interna ſuaſione, & gratia effectrice Divus Auguſtinus intelligit. pag. 220. col. 1.
Voluntatis actum poteſt Deus immutare ſicut voluntas immutat actum ſuum & in ordine phyſico & ſalva libertate. pag. 25. col. 1.
Univerſum inſtar breviſſimi puncti intrà Deum collocatur. pag. 26. col. 1.
Voluntatis divinæ efficacia cauſa eſt prima & directa diſtinctionis rerum, & cur cauſæ liberæ agant. pag. 30. col. 2.
Voluntas divina, quia eſt efficacima, ſequitur ut non ſolùm fiat, ſed etiam eo modo fiat quod vult fieri. pag. 30. col. 2.
Voluntas creata quia non poteſt divinæ voluntati reſiſtere agit liberè: reſiſteret enim, ſi ageret neceſſariò cùm velit ut agat liberè. pag. 31. col. 2.
Voluntas divina profundit totum ens: & quia entis differentiæ ſunt libertas & neceſſitas, ideò libertatis & neceſſitatis prima cauſa eſt voluntas divina. pag. 34. col. 1.
Voluntas divina ſola quia eſt extra ordinem rerum immutabiliter agens, poteſt libertatem efficere. pag. 34. col. 2.
Voluntas divina agens fortiſſimum efficit ut res fiant eo modo quo vult, neceſſariò vel liberè. pag. 48. col. 2.
Voluntas ſi non determinetnr à gratia erit prima cauſa ſuę ſalutis. pag. 56. col. 1.
Voluntas aut ſuam ipſam inclinationem in aliud mutat: vel mutatur à Deo: nihil medium reperit D. Tho. pag. 56. col. 2.
Voluntatem niſi Deus priùs moveret quàm moveat ſe ipſam, voluntas eſſet prima cauſa ſuæ ſalutis. pag. 58. col. 2.
Voluntas incipit eligere quia movetur à Deo ut eligat. pag. 59. col. 1.
Voluntas niſi priùs moveatur habet rationem primi principii. pag. 60. col. 1.
Voluntati ſi priùs exiſtenti gratia cooperatur, verum non eſt quòd Deus operetur & velle. p. 61. col. 2.

Voluntas etiam utitur gratiâ, ſed ipſa gratia efficit quòd voluntas ipſa utatur. pagina 63. col. 2.

Voluntas etſi à Deo moveatur, movet tamen ſe ipſam. pag. 99. col. 2.

Voluntatem à Deo determinari non ſignificat quantitatem influxûs, ſed modum iufluendi. pag. 91. col. 1.

Voluntas poteſt immutare actum ſuum. Ergo & multò ampliùs Deus. pag. 94. col. 1.

Voluntas ita à Deo inſtituta exiſtimanda eſt ut poſſit ſalva libertate à Deo moveri. pagina 64. col. 2.

Voluntatem conſentire oriri ex ſua innata libertate bonis & malis communi: opinio falſa Molinæ. pag 114. col. 1.

Voluntatem priùs naturâ operari, & ſe ſe determinare, quàm Deus operetur, & eam determinet, non prioritate inſtantis in quo, ſed à quo, in Bellarmino poſitum. pag. 115. col. 1.

Voluntatis divinæ efficacia in eo poſita eſt, quòd libertatem, & infallibilitatem voluntati imprimat, quia eſt extra ordinem cauſarum, & profundit totum ens. pag. 130. col. 2.

Voluntas divina non cadit ſub ordine neceſſitatis vel contingentiæ, ideò utramque efficere poteſt. pag. 131. col. 1.

Voluntas divina ſola conſtituit legem neceſſitatis vel contingentiæ, cui aliæ cauſæ ſubjiciuntur. Ibid. pag. 146. col. 2.

Voluntas etiam præmota triplicem ſervat univerſalitatem perfectam; ſervat etiam libertatem. pag. 140. col. 1.

A voluntate divina quod recedit ſecundùm unum ordinem in ipſam relabitur ſecundùm alium. pag. 195. col. 2.

Voluntati divinæ non ſolùm ſubjacet expletio effectuum, ſed etiam omnium cauſarum ordo, unde nunquam impediri poteſt. pagina 165. col. 1.

Voluntas ab Intellectus dictamine ut à motivo proximo movetur. pag. 176. col. 2.

Voluntatis omnis defectus ex defectu aliquo in intellectu regula dirigente oritur. pag. 178. col. 1.

Voluntatem, ſicut ipſa poteſt immutare actum ſuum, ita multò ampliùs Deus immutare poteſt. pag. 194. col. 2.

Voluntati vis inferretur ſi moveretur ſolùm per modum agentis, & non per modum finis. p. 234. col. 1.

Voluntas Dei Antecedens etiam in ſtatu naturæ lapſæ locum habet. pag. 257. col. 1.

In B. Virgine perfectiſſimus fuit innocentiæ ſtatus quantùm ad plenitudinem gratiæ. pagina 272. col. 1.

Voluntati non minùs ut libera eſt, quàm ut natura ineſt potentia obedientialis ut divinæ motioni ſubdatur. pag. 279. col. 1.

Voluntas ex divina motione captiva, libera tamen eſt, ſicut Paulus erat alligatus ſpiritu. pagina 305. col. 1.

Voluntas dumtaxat in divina operatione, ex motione & donis Spiritus Sancti conſenſum ſuum dat, ſeu phyſicè non omninò moraliter ex prævia deliberatione. pag. 302. col. 2.

Voluntas Dei antecedens ſimilis eſt ſinceriſſimo Abrahæ affectui quoad ſervandam filii vitam afficiebatur. pag. 358. col. 2.

Uſus gratiæ non poteſt eſſe ex ſola voluntate, ſed eſt ex ipſa gratia. pag. 62. col. 2.

Uſus gratiæ niſi eſſet ex ipſa gratia, prædeſtinatio *eſſet ex meritis. Ibid.*

Uſus eſt applicatio rei, & ſi gratia tribuat ſui uſum voluntati, neceſſe eſt, ut voluntatem applicet. pag. 63. col. 1.

Uſus ſi non ſit à gratia, voluntas & gratia erunt cauſæ partiales. pag. 64. col. 1.

Uſum gratiæ non eſſe ab ipſa gratia opinio Molinæ. pag. 112. col. 1.

Uſum liberi arbitrii, ſeu cooperationem voluntatis oriri ex ſola libertate voluntatis communi, *& bonis & malis, ſenſit Molina. pag. 112.* col. 2.

Uſus gratiæ inæqualitas non accipienda eſt ex parte libertatis ut prima ratione: ſed hujus prima radix eſt diverſitas gratiæ. p. 113. c. 1.

Uſum gratiæ Deus tribuit, & non ſolùm gratiam infundit: ſicut in rebus naturalibus nedum formas tribuit, ſed etiam ipſas movet. pag. 95. col. 1.

Z

ZOdiaci motus eſt cauſa diverſitatis eſt ſecundùm generationem & corruptionem. p. 195. col. 2.

Finis Secundi, & Ultimi Tomi.

BIBLIOTHEQUE UNIVERSITAIRE DE TOULOUSE

D[illegible]VS
THO[illegible]MAS

N° 4822